


GLORIA
SACROSANCTI, HIEROSOLYMITANI
SEPULCHRI
CHRISTI DOMINI
ILLO ISAIÆ PROPHETÆ FATIDICO ORACULO:
ET ERIT SEPULCHRUM EJUS GLORIOSUM
PRÆNUNTIATA
ET
PER FIGURAS VETERIS ET NOVI TESTAMENTI DESUMPTAS
AMPLIATA
TESTIMONIIS SS. PATRUM, DOCTORUM ET HISTORICORUM
TRIBUS LIBRIS
ILLUSTRATA.

PER R. P.
VENCESLAUM MURATOWICZ,
POLONUM,
S. TH. D. ORDINIS CANONICORUM REGULARIUM CUSTODUM SANCTI SEPULCHRI, CONVENTUS MIECHOVIENSIS CUSTODEM, PREVORSCENSIS PRÆPOSITUM, MULTOTIES PER RUSSIAM PROVINCIALEM.



OPUS VIVO ADHUC AUCTORE IMPRIMI COEPTUM,
EOQUE MORTUO ABSOLUTUM.

VARSAVIÆ ET LIPSIÆ,
APUD B. HEINSII HÆREDES,
A. S. 1755.



APPROBATIO
ILLUSTRISSIMI LOCI ORDINARII.

Andreas in Prussy Pruski Episcopus Tornensis Suffraganeus Præpositus Catholicis Vicarius in Spiritualibus & Officialis Ecclesiæ Premisliensis.

Liber cui Titulus: *Gloria Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri Christi Domini:* per Authorem, uti venerabundum Ejusdem Sacrosancti Sepulchri Custodem, ad excitandam in Christi Fidelibus pietatem Theologicô Calamô remonstratus, ut in lucem publicam de prælo prodire possit, Authoritate Ordinaria damus facultatem. In quorum fidem Datum Premisliæ Die 18va Mensis Septembris Anno Domini 1747mo.

Andreas Pruski Episcopus Tornensis Suffrag. Officialis Premisliensis mpp.

APPROBATIO ORDINIS.

Jacobus Radlinski Sacræ Theologiæ Doctor Ordinis Canonicorum Regularium Sanctissimi Hierosolymitani Sepulchri Custodum Præpositus Generalis Infulatus.

Librum cui titulus: *Gloria Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri Christi Domini &c.* ab emerito Doctore Theologo Ordinis Nostri Domino Venceslao Muratowicz Custode Generali, Conventus Prevorscensis Præposito, multo labore & sudore collectum, selectissimis, Sanctorum Patrum, Doctorum, & Historicorum Sententiis, copiosissimè refertum, à Nobis diligenter cum summa animi delectatione perlectum, cum nihil Fidei Catholicæ, & bonis moribus repugnet, sed potiùs Honorem Sacrosancti Sepulchri promoveat; ideo ad Majorem ejusdem Sanctissimi Sepulchri Gloriam Typis dandum esse censemus, si Iis, ad quos pertinet, ita videbitur. Datum in Conventu Generali Miechoviensi Die 24. Septembris. Anno Domini 1746.

Jacobus Radlinski S. T. D. Ordinis Canon. Regularium Custodum S. Sepulchri Præpositus Generalis mpp.

(L. S.)

Librum cui Titulus: *Gloria SS. Sepulchri*: diligenter legi, in quo cum nihil Fidei, aut Catholicæ Religioni dissonum reperi, imò cum omnia Gloriam Sacrosancti Sepulchri Domini mirificè attollant, suique Authoris zelum & amorem erga gloriosum Christi Sepulchrum demonstrent, hinc dignum luce publica censeo. Anno Domini 1748. Die 20. Maji. In Conventu S. Hedvigis ad Cracoviam.

Cajetanus Skowronski AA. LL. & Philosophiæ Doctor Præpositus Conventus S. Hedvigis ad Cracoviam & Wrociriensis Canonicorum Regularium Ordinis S. Sepulchri Custos Generalis mpp.

(L. S.)

JUDICIA THEOLOGORUM.

Ex commiſſione Reverendiſſimi Domini Jacobi Radlinski Sacræ Theologiæ Doctoris, Univerſi Ordinis Noſtri Præpoſiti Generalis Inſulati &c. Librum cui titulus: *Gloria Sacroſancti Hieroſolymitani Sepulchri Christi Domini, tribus libris ampliata &c.* Authore Perilluſtri & Reverendiſſimo M. Venceslao Muratowicz in Alma Univerſitate Cracovienſi Sacræ Theologiæ Doctore, & ejusdem nuper in Conventu Cracovienſi Ordinis Noſtri, plurimis annis infatigabili Profeſſore, Eccleſiæ Parochialis & Conventus Noſtri Prevorſcenſis Præpoſito, Congregationis Miechovienſis Cuſtode Generali, conſcriptum, cum maxima animi delectatione legi; opus ſanè egregium, laborioſum, pium, eruditum, omnibus numeris abſolutum, & eximiorum Sanctiſſimi Sepulchri encomiorum Chriſtiano Orbi enarrativum; in quo ingenii acumen, eruditionis præſtantia, doctrinæ excellentia, ſtyli maturitas, claritas, ſubtilitas, ſedulitas, & labor ingens, ad invicem concertant, & ad Sanctiſſimi Sepulchri gloriam, tum Authoris laudem, maximè inter ſe fœderantur. In illo quod correctioni obnoxium, quod bonis moribus & Fidei Catholicæ contrarium, nihil; quod in Sanctiſſimi Sepulchri gloriam, & laudem cedat, totum reperi. Ideo in lucem publicam & omnium commendationem prodeat, quam citiſſimè; ut & Sanctiſſimi Sepulchri Gloria, & Ordinis S. Sepulchri titularis Splendor, & Authoris nobilitas, & erga Sanctiſſimum Sepulchrum pietas, tum & lecturis omnibus pariatur utilitas; ita cenſeo, ita firmiter judico, ſalvâ ad quos pertinet Authoritate. Datum in conventu Gnesnenſi Sancti Sepulchri. Die 24. Septembris anno Domini 1746.

Florianus Buydecki S. T. D.
Protonotarius Apoſtolicus Canonicus Metropolitanus & Præpoſitus S. Joannis Gnesnenſis Ordinis Canonicor. S. Sepulchri mpp.

(L.S.)

Ex commiſſione Reverendiſſimi Domini Jacobi Radlinski S. Theologiæ Doctoris Ordinis Noſtri Præpoſiti Generalis Infulati, opusGlorioſiſſimum, cui titulus: *Gloria Sacroſancti Hieroſolymitani Sepulchri &c.* attentiſſimè legimus: quod ſiquidem gloriam ejusdem Sanctiſſimi Sepulchri, Figuris ex Sacra Scriptura deſumptis, Authoritatibus SS. Patrum, & Illuſtrium Doctorum, miraculis in hoc & penes hoc Sepulchrum patratis, exemplis & Hiſtoriis adductis, clariſſimè elucidat, eſtque Theologis, concionatoribus, aſcetis, & omnibus Sepulchrum Chriſti, devotè viſitantibus & colentibus ſumme utile & neceſſarium, multo tempore à plurimis annis optatiſſimum, ſtyli elegantia & gravitate ornatiſſimum, nec minimam orthodoxæ Fidei contrariam in ſe habet umbram; ideo prædicto operi non tantùm Judicium Noſtrum damus, ſed etiam ardentiſſimè optamus, ut ad Majorem Sanctiſſimi Sepulchri Gloriam, quàm citiſſimè luci publicæ præfulgeat. Datum in Conventu Cracovienſi S. Hedvigis Anno Domini 1746. Die 20. Januarii.

Dionyſius Jaguscinski in Conventu S. Hedvigis ad Cracoviam Sacræ Theologiæ Profeſſor, Conventus Lezayſcenſis Præpoſitus Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulchri mpp.

Sylveſter Jandecki in Conventu Cracovienſi Sacræ Theologiæ Actualis Profeſſor Præpoſitus Scarzeszovienſis Conventus Generalis Miechovienſis Conſiliarius Ordinis Canonicorum Regularium S. Sepulchri mpp.



PRÆ-



PRÆFATIO
AD LECTOREM.



Connaturale & conſentaneum eſt, talibus actionibus ſe accingere, occupare negotiis, tractare ſtudiis, quæ ſuam inſtitutionem, dignitatem, conditionem, ſtatum concernunt, & ſuo muneri correſpondent. Dilectio, cultus, & veneratio locorum ſacrorum, myſteriis Chriſti ſanctificatorum, quòd cuilibet conditioni humanæ, ſtatui cuivis, cunctæque dignitati ſit debita, decernit veræ religionis nota & actus. Quicunque enim Chriſti meritis & ſanguine ſunt redempti, & ejus participes fieri volunt, his omnibus loca ſacra Redemptoris noſtri, tanquam vera trophæa & indicia; æſtimare, appretiari, venerari ſedula animi pietate incumbit. Ea enim exercere debet Chriſtiana fides & pietas, quæ directè & immediatè tendunt & ordinantur in honorem Divinum. Cum igitur adoratio Chriſti in locis ſacris, & illis debitus exhibitus cultus, ordinatur in honorem Chriſti, in proteſtationem excellentiæ myſteriorum ejus, quæ repræſentant, & in ordine ad eandem conſiderantur; proinde hanc ſubmiſſionem erga Chriſtum, recognitionem, ſive alios virtutum ſublimium actus in iisdem proteſtari, eaque propter hoc venerari, fidei Chriſtianæ & ſinceræ pietatis argumentum eſt. Ita Urbanus IV. in ſua Bulla, quam Pius II. innova-

Nakielski fol. 521.

novavit & confirmavit. *Omnes, qui se pretioso Filii Dei sanguine redemptos, & cum ipso conservituros gloriantur esse, non solùm passionem & resurrectionem ipsius debent recolere, verùm etiam locum passionis & resurrectionis venerari & diligere.* Nihilominus licet sit illa obligatio Christi fidelium, ut, quantum fieri potest, in actionibus externis, sive internis, cognoscitivè, contemplativè & affectivè propendeant in cultum locorum sacrorum, præsertim in summa habeant veneratione etiam & Sepulchrum Christi: præcipuè tamen Canonicorum Regularium Custodum ejusdem Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani Instituto, dignitati, officio, ipsique vocabulo, eæ specialiter debentur & correspondent actiones, quibus erga loca sacra, & nominatim erga Sepulchrum Christi, in opere suam demonstrent dilectionem, exhibeant cultum, testentur reverentiam. Hanc autem idem Canonicus tunc præstabit, quando omni possibili modo, totoque virium conatu, exercitio talium operum se accinget, quô se promovere, augere, & extendere gloriam Sepulchri Christi demonstrabit. Cum itaque multa sint media tali demonstrationi subservientia, scilicet Erectio Ecclesiarum, Capellarum, in honorem S. Sepulchri, celebratio devotionis, Officii, Confraternitatum; Orationes & Sacrificia, pro eo recuperando, à potestate Infidelium, sui cordis ac animæ in ejus formam constructio, frequens mentalis visitatio, ac inter hæc aliaque de ejus honore librorum conscriptio; sive ejus gloriæ publica per scripta impressa promulgatio. Proinde & mihi ejusdem Instituti Canonico Regulari consentaneum censui, præ aliis præcogitatis lucubrationibus, priùs hoc me, inter multas distractiones, occupare negotio, quod conditioni, statui meo, quasi debitum & connaturalè, existimo; nempe si non præfatis modis, saltim ad interim debili ingenio, tenuique calamo, gloriam Sanctissimi Sepulchri Domini in publicum efferre, & veluti oblivioni traditam, palam notificare & demonstrare, dicendo cum Jobo: *Et solum mihi superest Sepulchrum*, nempe Christi, tractandum. Ut per hoc ipsum non solùm communem, juxta ritum fidelis Christianitatis erga loca sacra, & erga Sepulchrum Christi, ostendam affectum & venerationem, sed ex quo antiquissimus Ordo Noster Hierosolymis primam habuit erectionem, possessionemque locorum sacrorum, & Sacri Monumenti ille primævus obtinuit; ita & ejusdem Religionis Nostræ clientali affectu, gratissimæ servitutis, memorabile tributum, Sepulchro Christi impendam, per ejus enucleationem & dilatationem gloriæ.

Esto

Esto enim sic stantibus judiciis Divinis inscrutabilibus, ob Tyrannicam Saracenorum & Mahometistarum cladem, cessimus Metropoli illa sacra, cui spirituali diuturno dominatu, in Patriarchatu, Episcopatibus, Suffraganeis, Prælatorumve muniis præfueramus, cum Authoritate S. Romanæ Sedis Apostolicæ: esto expulsi ab illo loco Dominici Sepulchri, cujus statim ab initio, totque non interruptis sæculis, semper fueramus Custodes, & Canonici Cathedrales Ecclesiæ Hierosolymitanæ; sicque proh dolor! hæreditas nostra versa est ad alienos: Necdum tamen per hoc titulum & jus amisimus Custodiæ S. Sepulchri, nobis ex vi Instituti approbati à S. Sede Apostolica, & ejusdem Privilegiis confirmati, competens & adjudicatum; cui nec legitimè renuntiavimus, nec judicialiter ac justitialiter illô privati & abjudicati sumus. Nos enim in hoc Regno Poloniæ, Hungariæ, Germaniæ, Franciæ, Aragoniæ aliisque, fundati Canonici Sanctissimi Sepulchri, ii profectò existimus, qui de illorum linea descendimus, quos Dominus ad terram sanctam, tanquam populum peculiarem in servitio locorum sacrorum, ibidem sibi elegit & constituit. Adeoque hujus originis semper memores, si non personali obsequio, manuali saltem opere, ejusdem Sanctissimi Sepulchri habitam olim manutentionem remonstremus, per ejusmodi usum licitum & validum cultui sacro loco impensum, qui ordinatur, conducit, ad gloriam venerationem Sanctissimi Sepulchri Christi promovendam & permovendam. Ac per hoc ipsum declaremus, quia idem jus antiquæ possessionis perpetuò conservamus. Nec nominetenus sumus Custodes Sanctissimi Sepulchri, ut quamvis pro nunc corporali apprehensione illud non retinemus, continuâ tamen, nec interruptâ ejus honoris memoriâ, defensione, promotione juris competentiam renovemus, ne penitus silendo, ignorantiam & oblivionem præfatæ possessionis Sanctissimi Sepulchri Christi Custodiæ, in aliis generemus, & ob interruptam, diuturnam actuum circa illud intermissionem, adversarios hac in parte pacificè toleremus.

Præbuit sat dignissimum exemplum, quoad præsentem intentionem, Reverendissimus Jacobus Radlinski, S. Theologiæ Doctor, in scientiis meis quà Philosophicis, quà Theologicis Professor olim æstimatissimus; deinde Præpositus Lezayscensis & Custos; nunc calculo magnorum in Ordine Nostro meritorum Præpositus Generalis Infulatus; dum ille exactè huic instituto satisfaciens, non solùm supra expositis mediis, sed etiam & plurimorum in publicam lucem editione librorum, honorem S. Sepulchri promovit.

 Hac

Hac ergo via demonſtrata, licet ad eandem collimo metam inſtituto meo præfixam, diverſis tamen modis ac mediis; ut vel ſic appareat, multifariè multisque modis, loqui poſſe pro gloria Sepulchri Chriſti. Etenim circa unum idemque objectum, plurimas illasque diverſas dari cognitiones, nemo ex rationalibus negat. Circa textus eosdem Sacræ Scripturæ, milleni & plusquam leguntur Commentarii, Concionatores, Aſcetæ, quorum quisque ſuo ſenſu abundat. Si enim non tot, quin plures reperiuntur Authores, qui de ſola Cruce Chriſti integros Tomos evulgarunt indefeſſô ſtudiô, ſingulari diligentia, conquiſitis undique teſtimoniis, in unum congeſſerunt, ut laudes S. Crucis eò fortiùs, unitis viribus ſtabilirent. Si de ſolis Sepulchralibus linteis Salvatoris Chriſti, alii de aliis pretioſiſſimis Sepulchri Chriſti reliquiis amplè egerunt, ſolerter indagarunt: Noſtra intereſt, ut etiam pro honore & gloria Sanctiſſimi Sepulchri JESU, eam adhibeamus operam, quâ maximè dilatetur, magnificetur ac pateat æternis ſæculis. Noſtræ eſt curæ ſolicitique laboris, omnes artes & ſtudia eò impendere, ut congeſtis undique documentis tam propriis, quàm alienis, pro encomio Divini Monumenti militantibus oſtendamus digniſſima, quamvis ſparſim, ſatis pro gloria ejusdem Tumuli Chriſti, decertaſſe Nomina.

Quod ut exactiùs præſtem & ordinatiùs, inter alios modos præfatæ executionis, qui mihi occurrere poterant, hunc elegi (ſalvo aliorum meliori judicio) rectum eſſe, ut gloriam ejusdem Sepulchri Chriſti, quam graphicè, pathetice & manifeſtè, Divinus Augur Iſaias, præ omnibus aliis Prophetis, cecinit & declaravit univerſali vaticinio, dicens: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, particularibus inductionibus, probationibus & exemplificationibus deducam ac demonſtrem. Hoc enim prophetico teſtimonio, quid unquam pro honore Monumenti Sacri, augurare poterat glorioſius? dum emortui Chriſti domicilium, in gloria ſemper eſſe comprobavit.

Cùm autem uſitatum ſit in ſcripturis, juxta doctrinam Expoſitorum, ut unum tempus, quodcunque illud ſit, accipiatur ampliativè pro alia etiam temporis differentia; hæc prophetica propoſitio Iſaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*; pro illo tempore prolata, ratione annexæ ſibi conjunctionis *Et*, tempus futurum, quod indicabat, ſeu certò futuram gloriam Sepulchri Chriſti, ſignificare videbatur: Nihilominus tamen, accipi poteſt & pro

præter-

præterito: & erat glorioſum ante Iſaiam, nempe in figuris veteris teſtamenti: & nunc prolata, poteſt & pro præſenti accipi, ut deſignet gloriam S. Sepulchri, tum poſt mortem Chriſti, ex ipſa depoſitione ac collocatione Corporis Chriſti in illo, ac cæterorum quæcunque protunc evenerunt; tum quam habuit per tot ſæcula poſt reſurrectionem Chriſti ex illo, & hucusque in præſenti habet. Itaque ut pateat amplitudo gloriæ Sanctiſſimi Sepulchri, quæ per omnes ſtatus ſæculorum fuit dilatata, per Iſaiam dicta propoſitione, licet ad unum tempus ſignificatum prolata; hunc terminum: *Erit glorioſum*, per omnes temporum ampliationes accipiam & extendam, taliter nimirum: Libro primo oſtendam Sepulchrum Chriſti fuiſſe glorioſum in figuris veteris teſtamenti ante Iſaiam; videlicet præcipua nomina ſubſtantiva Veteris Teſtamenti, quæ ordine Alphabeti reperiuntur in Concordantiis Bibliorum, applicabo & oſtendam convenire, ſive in illis figurari Sepulchrum Chriſti; nempe quòd ſub hoc nomine, tale factum includente, intendatur ſignificari illud. Juxta doctrinam enim Commentariorum, ſola appellanda eſt figura, quam intendit Spiritus Sanctus ſignificare: idque tum ex ratione generica ejusdem tituli, quòd talis titulus conveniat Sepulchro; tum ex ratione ſpecifica & reſtricta ad Chriſti Sepulchrum, quòd tale nomen, attentis perſpectisque adjunctis & circumſtantiis præcipuis, ſpectataque tota, ſive in majori parte figuræ ſerie, optimè gerit typum Sepulchri Chriſti, ex ratione uniformitatis ac cohærentiæ deprehenſæ. Idque non caſu, vel ſoliusmet proprii ſenſus interpretatione; (quanquam interpretandi data facultate, licitum eſt uti) ſed ſic ordinante Spiritu Sancto inſpirati, locuti ſunt ſancti homines & multi Doctores. Librò Secundò, ex propheticis teſtimoniis & oraculis ferè omnium Prophetarum, ex multis textibus enuntiabitur gloria Sepulchri Chriſti. Librò tertiò oſtendetur, qualiter poſt Iſaiam ab illatione Corporis, & à vacuitate illius, Monumentum ſit glorioſum.

Et hæc eſt materies præſentis Operis, quam Authoritate Sacræ Scripturæ, Sanctorum Patrum, Doctorum, Expoſitorum, Hiſtoricorum, fide dignorum ac probatorum Authorum, quos quâ potui diligentiâ, conatu, agens protunc Præpoſitum Conventûs Sanctæ Hedvigis, per omnes ferè in Metropoli Poloniæ Urbe Cracovia, ac illi vicinas Bibliothecas inquiſivi, & ex ipſis fontibus (dulciùs enim ab ipſo fonte petuntur aquæ) hauſi, legi; firmo dicta mea, & allego fideliter; ſimiliter & numerum foliorum pono, qui

in editione tali notabatur; quid ex incidenti sive occasionaliter, sive ex professo in laudem S. Sepulchri consignarunt, horum in continenti dicta meum intentum stabiliant cogitatum, & collectam hîc teneant. Sicque evidenter pateat, in omni differentia temporis Sepulchrum Christi fuisse gloriosum: Adeoque semper verissimam fuisse prædictionem Isaiæ de gloria Sepulchri Christi, quæ hîc literaliter, figuraliter, allegoricè, mysticè, tropologicè, historicè probabitur. Idque multorum etiam alienorum Authorum textuum & sententiarum allegatione. Neque id vertendum vitio; Sepulchrum enim Christi erat alienum, & tamen gloriosum. Præcipuus enim in dignissimo suo Sermone de Sepulchro Christi Encomiastes D. Bernardus citandus infra, librô 2dô sub textu primo Isaiæ; antiquitatem gloriæ Sepulchri Christi ex eodem textu Isaiæ deducens, licet novam sua laude ostendat intuentibus, antiquam autem apparere, eodem testimonio probat. Ut nimirum in deducenda ejusmodi gloria, *adsit de novitate jucunditas, & de vetustate non desit authoritas*, inquit idem. Adeoque conformiter ad sensum S. Doctoris, præsens dispositio, novam jucunditatem in probatione gloriæ Sepulchri Christi exhibebit; antiqua verò allata aliena testimonia, vetustatem apparere declarabunt.

Quia vero Librô 1mo, sub variis nominibus gloriosis, in quibus reperitur figura vel allusio ad Christi Sepulchrum, non de integro citatur series sacræ historiæ, quæ applicatur ad Christi Sepulchrum; proinde lector ut ejusmodi applicationem meliùs intelligat, relegere sibi velit caput vel sensum Sacræ Scripturæ, suo loco citatæ.

Finis autem, scopus, ratio ejusdem operis est, tum hæc, ut per patefactam Sanctissimi Sepulchri gloriam memoriæ nostræ, Christi mors, passio, aliaque mysteria menti nostræ ac cordi perpetuo hæreant, recolantur, ac amore singulari prosequantur. Cùm enim juxta S. Aug. Legislatorem nostrum, *non ob aliud Monumenta dicuntur, ea quæ insignita sunt sepulchra mortuorum, nisi quia eos, qui viventium oculis subtracti sunt, ne oblivione etiam cordibus subtrahantur, in memoriam revocant, & admonendo faciunt cogitari. Nam & memoriæ nomen id apertissimè ostendit, & Monumentum, eò quòd moneat mentem, id est admoneat, nuncupatur.* Ex quo & Isidorus ait: *Monumentum ideo nuncupari, quòd mentem moneat ad defuncti memoriam: Cùm enim* (subdit) *non videris Monumentum, oblivisceris mortuum; cùm autem videris, monet mentem, & ad memoriam te* redu-

Libr. de Cura pro mort. agend. cap. 4.

Libr. 15. Orig. 11.

reducit, ut mortuum recorderis. Proinde & Christus pro salute nostra mortuus & sepultus, quamvis oculis corporeis subtractus, ne oblivione è cordibus nostris excidat, sed continuò revocata in memoriam ejus merita, beneficia, mysteria, admoneant nos de iisdem debere cogitare & amare eadem; ad refricandam hanc reminiscentiam tam in mente, quam in corde, præsens tibi, quilibet benevole spectator, exhibeo Monumentum, expono Sepulchrum Christi, ut per subjectum oculis Mausoleum, ille passus & Sepultus, quotidie in memoria innovetur, corde versetur & ametur, illi trabali clavo, ut dicitur, affigatur. Tumuli Christi inspicientes gloriam, beneficiorum ab eo acceptorum, pensemus & reducamus gratitudinem. In Vita S. Nicolai de Tolentino tradit Bzovius, quòd octo diebus, antequam excederet, jussit ob oculos poni sibi devotam imaginem Christi, è Sepulchro umbilicotenus emergentis. In eam semper intentus, copiosum imbrem lachrymarum spargebat, deprecans, ut ab incendiis inimici, calcaneum vitæ illius observantis tutus esset. Dies exitus nostri semper est incertus: hinc omnibus fidelibus pono ob oculos hanc devotam effigiem gloriæ Sepulchri Christi, ex quo per resurrectionem suam emersit, ut quicunque hanc legendo delineatam à me ejus imaginem, variis coloribus Scripturarum, penicillis authoritatum depictam inspexerit, spargat copiosum imbrem lachrymarum, orans, ut quilibet eorum, per mysteria mortis, sepulturæ & resurrectionis Christi, liber sit in articulo mortis suæ ab incendiis inimici. Tum ut refutem scommaticè duram in S. Sepulchrum Lutheri blateriam, qui referente Cardinali Bellarmino de reliquiis Sanctorum, libr. 2. cap. 3. fol. 2005. sic effutiit in libr. de abolenda Missa. *Deo non majorem curam esse de Sepulchro Domini, quàm de bobus.* Et Jacobus Gretser in Hort. Cruc. 2. part. fol. 116. ita refert: *Lutherus blasphemat, quia Sepulchrum, in quo Dominus jacuit, & quod Saraceni occupant, tantum curat Deus, quantum universas vaccas in Helvetia.* Huic tam blasphemo sermoni obstruetur os, vel ipso Sepulchrali Christi lapide, dum hìc ostendetur, quantum Deus habuit, habet & habebit curam sui Monumenti. Tum ut hoc modernum Opus, prosit omnibus exhortaturis pro die Parasceves, penes extructa splendida Sepulchra; Meditaturis de Sepulchro Christi; promoventibus apud Dominos terræ vindicationem ejusdem è manibus Turcarum; permoventibus ad devotionem plurimorum ad illud, quam pauci nimis habent; demum in Ecclesiis Ordinis Nostri

Annal. Eccl. Tom. 14. anno 1306. fol. 88.

 strì

ftri, pro Feftis Sancti Sepulchri, tum ubi funt Capellæ & Confraternitates, vel Ecclefiæ in honorem ejus dedicatæ, concionaturis.

Tu itaque Sacrofanctum Sepulchrum JESU, eris corona gloriæ in manu Domini, id eft in cura & tutela Dei, qui cœpit opus bonum ad laudem & gloriam fuam, perficiat. Tu gloria Jerufalem, tu lætitia Ifràël, tu honorificentia populi noftri. Ad te, illâ notâ ac fignô proprio Chriftianis militibus, S. Sepulchri defenforibus, clamo, de quibus Rogerius teftatur de bello facro; quòd cum Saraceni quoddam Caftellum, in quo erant Chriftiani, oppugnaturi & demolituri accederent, videntes Chriftiani, qui erant in Caftello, claufis portis afcenderunt in altum, clamantes alta voce fignum Chriftianorum, videlicet: *Adjuvet nos Chriftus Dei Filius, & Sanctum Sepulchrum ejus.* Ad hanc vocem Pagani (adjungit Rogerius) exterriti, fugerunt in montana, relictô Caftellô, & Chriftiani falvi facti funt. Hac inquam voce mihi nativa ac propria, fuppetias auxiliares petiturus, vociferor totis præcordiis: *Adjuvet me Chriftus Dei Filius, & Sanctum Sepulchrum ejus.* Da Chrifte adjuvantem gratiam, Sepulchri tui defenfuro gloriam, ut ad fupra dictam vocem, exterrita omnia obftacula, invaletudo adverfa, peccandi materia, cæteraque impedimenta fugiant. Sperantes in tuo adjutorio, allidi quofcunque impetus ad hanc petram fanctam, & impingi tanquam in fcopulo refiftente, omnes criticorum cenfuras diffolvendas & conterendas. *Quis enim* (inquit Aufonius) *nifi Divorum numero optatus, poterit libellum ab obtrectatorum linguis calamifque incolumen adftruere.* Non deterrent nos à ftudio, eventilati à detractione literarum apices, legant, qui volunt; qui nolunt, abjiciant & recedant, firmo præfidio Sepulchri Chrifti antro protecti, nos tutamur & tuemur, in abditis illius gloriæ noftram fecuritatem, ab omni harum tinearum, quæ libros rodunt, feu irrident morfu, tutam quietem quærimus ac ftatuimus.

Annal. Eccl. Tom. 14. anno 1306. fol. 88.



EPI-

EPIGRAMMATA

In Librum Doctissimi AUTHORIS à Studio Theologico Cracoviensi Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri A. D. 1755. Die 12. Martii.

PROPOSITA.

EPIGRAMMA I.

In scribendo hoc opere Author primo recursum fecit ad Romanas Bibliothecas.

Ut meliùs Sacrum posset conflare Volumen,
Palladis Italicæ postulat Author opem.
Biblio - Romanas - thecas, & Scripta requirit,
Cunctorum lustrat, colligit Acta Patrum:
Roma Caput Fidei, Romam se contulit Author,
De capite ut tanto disceret omne bonum.
Nec Caput Authoris potuit sapientius esse:
Quam dum de Capitis fonte fluenta bibit.

II. *Idem*

II.

Idem Author 2do fecit recurſum ad Publicam, Ampliſſimam, Celeberrimam Bibliothecam ZALUSCIANAM Varſavienſem, præſertim ad Illuſtriſſimum Reverendiſſimum Dominum Joſephum Andream Comitem in Zaluskie ZALUSKI, Supremum Regni Poloniæ Referendarium, Scientiarum & Literatorum PRIMATEM, ac PRINCIPEM, qui pro Stemmate habet Agnum.

Bibliothecarum Romæ dum ſcripta Tomosque,
Scrutatus fuerat, legerat Author opes:
Bibliotheca ſuæ venit ZALUSCIA menti,
Theſauros ejus poſtulat, atque vocat.
Annuit his precibus, JOSEPH Zaluscius Agnus,
Biblio - de - theca dat monumenta ſua:
Quæ magis addebant laudem, pretiumque Sepulchro,
Authorisque pios exacuere ſtylos.
Et bene providit Libro, Doctiſſimus Author,
Prudenter votis conſuluitque ſuis:
AGNUS enim Cæli clauſus fuit ore Sepulchri,
Per triduum propria carne quievit ibi:
AGNUS ei proprios, debebat cedere flores,
AGNUS debebat vellera ferre ſua.

Aliud

Aliud ſuper eodem.

Sindone Joſephus Cæleſtem veſtiit AGNUM,
Dum poſuit Tumulo ſaucia membra novo:
Hunc AGNUM Joſeph ZALUSKI, cinxit acutis
Biblio - de - theca ſenſibus, atque Libris.

Aliud ſuper eodem.

Sicut de Tumulo ſurrexit Cælicus AGNUS,
Atque triumphavit, fregit & Arma Stygis:
Biblio - de - theca Joſephi, & Principis Agni,
ANDREÆ KOSTKÆ clarior AGNUS ovat.
Pulchrius & Tumulus, Divini proſpicit AGNI,
Ornatum dum ſe, tot videt eſſe Libris!

Aliud ſuper eodem.

Qui Doctor propria præunxit laude Sepulchrum,
Dotibus & factis candidus AGNUS erat:
Suppetias laudum juſte quæſivit ab AGNO,
AGNUM ut Cæleſtem, pulchrius ore ſonet.

III.

Bibliotheca Libris radians vitale Sepulchrum eſt:
Nam vivos in ſe fert, ſepelitque Viros:
Et ſic ZALUSKI Joſeph ſepelivit ad intra,
Ut ſibi ſit Regnum, Bibliotheca ſua!

Vivere nec possit, sine Biblio - munere - thecæ,

Illa sibi requies, Regia, Vita, Domus!

Hinc bene vivifico Christi, Sanctoque Sepulchro,

Congrua, conformis, conveniensque manet:

Ex hoc vitali JOSEPH, KOSTKÆque Sepulchro,

Dona Sepulchralis laudis, hic Author habet:

Pulchrius est quidnam? quàm de vitale Sepulchro,

Viva DEI Tumulo, scribere vota, sonos.

IV.

Idem supremus Referendarius Regni, de sua Bibliotheca, specialiter communicavit Authori Libros, de Sanctissimo Christi Sepulchro, tractantes.

Tantus in Authorem JOSEPHI candor, amorque!

Creverat, & toto corde refusus erat!

Ut sibi vel totam concredere Bibliothecam

Vellet, si dandi causa, modusque foret:

Sed tamen Authores hos, passim miserat illi,

Qui Tumulum scriptis excoluere suis:

Et nihil Authori placuit feliciùs unquam!

Uberius, melius, nil sibi quisque dedit!

Quàm dum donavit laudes, radiosque Sepulchri,

Ex quibus ille suum, condere posset Opus.

Aliud

Aliud ſuper eodem.

Sarmatici JOSEPH SAPIENS celeberrimus Orbis,
Authori quando Scripta, Librosque dedit;
Qui Tumulum Chriſti devota mente ſonabant,
Et deſcribebant facta ſtupenda Loci:
Quid quæſo voluit? voluit laudare Sepulchrum!
Orator Tumuli quæſiit eſſe DEI!
Tangere quod nequiit noſter Doctiſſimus Author,
Supplevit totum, Maximus iſte COMES.
Magne COMES, quando laudas, reſonasque Sepulchrum,
Te Tumuli Chriſti Tumba Sacrata beet!
Ne videas properæ citiùs diſcrimina mortis!
De Tumulo hoc, vitæ munera longa feras!

V.

Idem Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Referendarius Regni, Authoritate ſua id effecit, ut Liber Authoris faciliori ſumptu Typis Lipſienſibus imprimeretur.

Ut Liber iſte patet toto collectus ab Orbe,
Sumptibus & magnis indiguere Typi:
Authorem verò ne tanta expenſa gravaret,
JOSEPHI Comitis cura, laborque dedit:

Sic geminô Titulô Liber iste, est debitus Illi,
Author & æquali jure ligatus adest:
Primo pro Libris transmissis, sede Librorum,
Tandem pro studio, præsidioque suo:
Quantus amor COMITIS Doctores fulget in omnes!
Quos docet in Libris, adjuvat Arte typi!

VI.

Author Operis Supremo Referendario Regni gratias refert pro communicatione Librorum de sua publica Bibliotheca Varsaviensi, & pro porrecta Typographia, in qua minori sumptu, posset istud opus imprimi.

Fama triumphalis Regno signata Polono,
Æthereas auras, & monumenta quatit:
Manibus è Nostro translatis corpore mundi,
Ingenuè defert nuntia verba nova:
Maxima quòd Tumuli resonet modò gloria Christi,
Quam Liber impressus prædicat, atque docet.
Istius Famæ monitus sermonibus Author,
Non potuit loculis ora tenere suis:
Sed magis excusso de sese pulvere mortis,
Ad Comitem JOSEPH verba profundus ait:

Quod

Quod meus in lucem prodiverit iſte Libellus,
Hoc fecit pietas, dexteritasque Tua:
Nam me juviſti Scriptorum mole Sacrorum,
Quos tenet, & ſervat Bibliotheca tua:
Tuque Typographicæ curâſti culmina ſedis,
Quæ paucis numeris imprimat iſtud Opus.
Pro tanto zelo, ſtudio, tum cordis amore,
Sit tibi perpetuò gratia, cultus, honor!
Sicut adornâſti Divini Templa Sepulchri,
Amplis theſauris, divitiisque Sacris:
Opto tuum exornet, ſic JESUS erigat AGNUM;
Et dignum Cæli det, faciatque Thronô!
Unum quique pedem, nunc Victor tendit in altum,
Poſt ambos moveat, tendat ad Aſtra Pedes!
Sæcula vive COMES! per ſæcula regnet & AGNUS!
Vellere Doctores qui tegit, atque fovet.
His dictis Author propriam ſeceſſit in urnam,
Judicis expectans ſigna futura DEI.
De Tumulo Chriſti, expectans ſolatia vitæ,
Quod tantis ſcriptis extulit, atque Stylis.

VII.

Ad conficiendum iſtud Opus revidit Author per multos annos, omnes Bibliothecas Cracovienſes.

De Chriſti quando cœpit tractare Sepulchro,
Author laudati propoſitique Libri:
Bibliothecarum Craciæ pervolverat Urbis
Libros : inſpexit cuncta volumna, Tomos.
Nullus erat Doctor, quem non ſcrutetur ad ungvem,
Quem non ſpectaret, nullus in Urbe Liber.
Biblio - de - thecis cunctis dum condidit unum
Librum : tam pulchrum dum bene fecit Opus.
Bibliotheca poteſt, unus Liber iſte vocari!
Authoris pariter, Bibliotheca Caput!

VIII.

Idem Author revidit etiam totam Bibliothecam Miechovienſem, à ſex ſæculis initiatam, & antiquiſſimis manuſcriptis celeberrimam.

Sæcula ſex quotquot genuere volumina priſca,
Quæ ſcripſere manu nomina prima Patrum:
Hæc Author propriis oculis, ſtudioque revidit,
Ut gemmas tumuli comperiiſſet ibi:
Prima fuit ſedes Miechovia lecta Sepulchri,
Quam ſibi Fundator JAXA Parensque dedit:
Ex illa decuit primas decerpere gemmas,
Pro Tumuli Chriſti laudibus, atque metris.

Aliud

Aliud ſuper eodem.

Quo dignus fuerat Fundator JAXA triumpho,
Dum Tumulo Chriſti, tot Bona vaſta dedit:
Author conſimili condignus laude, trophæis,
Dum Tumulo, mentis tot Bona Sacra refert.

IX.

Dum Author hujus operis, illud Typo imprimit, moritur.

Dum Venceslaus Scriptor Cultorque Sepulchri,
Omnia committit ſcripta parata typo:
In medio tanti, Sacri, doctique laboris,
Extremum vitæ clauſit in Orbe diem!
Cenſeo raptus erat, Chriſti dulcore Sepulchri,
Accenſusque fuit totus amore ſui!
Sic non tam fatis, quam ſolo tactus amore!
Deſeruit miſeri tecta, laresque ſoli.

X.

Qui tam multa dedit præconia digna Sepulchro,
Totus in hoc, toto corde ſepultus erat!
Ut verò pariter corpus tumularet in illo,
Corpore cum proprio, migrat ab Axe Soli.

Dum cor & corpus credit, donatque Sepulchro!
Et quid plùs potuit sacrificare DEO?

XI.

Quòd mors peccati, Christi sit victa Sepulchro,
Id nos perfecte, prædocet ipsa Fides,
Hic Doctor quando laudavit jura Sepulchri,
Invidit tantum mors opus, atque bonum.
Sic hunc Doctorem de vasto corpore Mundi,
Ante suum tempus, mors properata rapit.
Sed nil proficies ulciscens Harpya mortis,
Nam Doctor proprii vivet in Auge Libri!
Vivet in hoc ipso, Christi florente Sepulchro,
Ex Cathedra Tumuli, dogmata Sacra feret.

XII.

Ex Commissione Supremi Referendarii Regni, Illustris & Excell. Dominus Laurentius Mizlerus, Philosophiæ & Medicinæ Doctor, S. R. Majestatis Consiliarius & Medicus Aulicus, plurimum incubuit ad impressionem hujus Operis.

Dum

Dum Liber Authoris prelo concreditus esset,
Ne tardata foret Litera vel quis apex:
MIZLERUS Doctor, Doctorum verus amator
Effecit studiô, sedulitate sua.
Per quod monstravit quantum pensaret, amaret!
Divini Tumuli gesta, trophæa, decus!
Ostendit quantum Scriptorem ponderet Ipsum,
Cujus promovit cordis, & oris Opus.

XIII.

Hæc non prima fuit Doctori gratia Nostro,
Quam sibi MIZLERUS Doctor amicus habet.
Et Lechici Magnus scriptor Rudawscius olim,
MIZLERI Docti gaudet amore pari:
Quem JUNOSSARUM grandi de sede Librorum
Acceptum, propriis sumptibus ipse premit:
Isti Scriptores ambo post funera vitæ,
MIZLERI vivent Flamine, corde, sinu!

XIV.

Corpora qui terræ medicinis servat acutis
Scriptorum mentes servat & Ille magis!
Corpora nam servare potest, nisi tempus ad arctum,
Æternum servat scripta, Librosque typis!

XV.

Consiliis gravibus prodest qui Regibus orbis,
Authorum scriptis, consulit Ipse simul:
Ne pereant: potius per sæcula cuncta perennent!
Consilia ista manent, munere digna Poli!



ELEN-

ELENCHUS
LIBRORUM, CAPITUM, ET PARAGRAPHORUM
HUJUS OPERIS MATERIAM EXHIBENTIUM.

LIBER I.

In quo vaticinium, Iſaiæ Prophetæ de Sepulchro Chriſti hoc: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, accipitur ampliativè ad tempus præteritum, oſtenditurque quomodo fuerit glorioſum ante Iſaiam.

LIBER II.

LIBER III.

In quo demonſtratur gloria Sanctiſſimi Sepulchri, tempore depoſitionis Corporis Chriſti in illud, & poſt factam Reſurrectionem Chriſti.

§. I. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex Viſitatione Beatæ Virginis Mariæ, ac illius amore.

§. II. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex Cuſtodia Sanctorum Angelorum.

§. III. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex Viſitatione S. Mariæ Magdalenæ, ac aliarum Sanctarum Mulierum.

§. IV. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex Viſitatione Sanctorum Apoſtolorum & Diſcipulorum.

CAPUT. III. Sepulchrum Chriſti glorioſum, tàm ob myſticam in ſe ipſo repræſentationem rerum ſummè dignarum, quàm ſui in rebus ſat glorioſis.

§. I. Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex myſtica repræſentatione principalium myſteriorum.

§. II. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex myſtica repræſentatione ſui in Beatiſſima Virgine MARIA, & Beatiſſimæ MARIÆ in illo.

§. III. Sepulchrum Chriſti glorioſum, quia fuit typus Eccleſiæ, Prædicationis ac promulgationis Evangelii; Sacræ Scripturæ; virtutum Theologicarum.

§. IV. Sepulchrum Chriſti glorioſum, quia illud repræſentant principalia Sacramenta, Baptiſmus, Euchariſtia, pœnitentia.

§. V. Sepulchrum Chriſti repræſentat Altare, Menſa, Ciborium, Calix, & Ceremoniæ, Ritusque Miſſæ.

§. VI. Sepulchrum Chriſti eſt repræſentativum Religionis ac Votorum illius.

§. VII. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex nonnullis Figuris Novi Teſtamenti.

CAPUT. IV. Sepulchrum Chriſti glorioſum demonſtratur, ex mirabili ſui inventione, in eoque ſive penes illud repertis inſtrumentis Paſſionis. Ex Eccleſiis, Capellis, Monaſteriis, fundatis in honorem S. Sepulchri.

§. I. Sepulchrum Chriſti glorioſum ex mirabili ſui inventione, repertisque inſtrumentis Paſſionis Chriſti.

§. II. Se-

CAPUT. VII. Sepulchrum Christi gloriosum demonstratur ex miraculis; & expeditionibus bellicis pro illo recuperando decretis, ex muneribus & donis ad illud oblatis.

§. I. Sepulchrum Christi gloriosum ex miraculis.

§. II. Sepulchrum Christi gloriosum demonstratur ex expeditionibus bellicis, pro eo vindicando decretis ac susceptis.

§. III. Sepulchrum Christi gloriosum ex muneribus & donis ad illud oblatis.

CAPUT. VIII. Sepulchrum Christi demonstratur gloriosum ex Festo, Missa & Officio; Ex Confraternitatibus in honorem S. Sepulchri erectis. Indulgentiis iisdem concessis. Ex Sepulchris die Parasceves in repræsentationem Hierosolymitani extructis. De quibus singulis Paragraphis & ultimo de Officio Custodum S. Sepulchri.

§. I. Sepulchrum Christi gloriosum ex Festo, Missa, & Officio in honorem illius instituto.

§. II. Sepulchrum Christi gloriosum ex Confraternitatibus in honorem ejusdem erectis, & Indulgentiis.

§. III. Sepulchrum Christi gloriosum ex erectis Sepulchris die Parasceves.

§. IV. De Officio Custodum Sanctissimi Sepulchri.

§. Ultimus. Sepulchrum Christi gloriosum ex sui hucusque conservatione.



LIBER

LIBER I.

In quo vaticinium Isaiæ Prophetæ, de Sepulchro Christi hoc: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, accipitur ampliativè, ad tempus præteritum, ostenditurque, quomodo fuerit gloriosum ante Isaiam.

Ut manifeste cunctis appareat sæculis, gloria Sanctissimi Sepulchri, hoc Libro primo demonstrabitur, Sepulchrum Christi fuisse gloriosum, etiam ante Isaiam: adeoque hoc futurum, *erit*, accipitur pro præterito, scilicet: *Et erat gloriosum*, quatenus præcipui, gloriosissimi tituli, ac nomina honorifica, rerum inanimatarum Veteris Testamenti, quæ ordine Alphabetico, reperiuntur in Concordantiis Bibliorum, ante Prophetiam Isaiæ, fuerunt præfigurativa, adumbrativa & expressiva Sepulchri Christi, per ostensam multam convenientiam, & quamlibet comparationem, cum præcipuis adjunctis, bene quadrare, ac typum gessisse gloriosi Sepulchri Christi. Quos titulos & nomina, illorumque institutam mutuam inter se applicationem, cum Sepulchro Christi, ordine Alphabetico dispositos quatuor capita, cum suis Paragraphis enumerabunt.

CAPVT I.

Enumerantur tituli gloriosi, ex initialibus literis Alphabeti, A. B. C. D. F. G. Veteris Testamenti, & adaptantur gloriæ Sanctissimi Sepulchri.

Inter varia deducendæ gloriæ, ac probandi honoris argumenta, hoc etiam non postremum docetur, ac dicitur, si res aliqua cum potissimis ac præcipuis comparetur. Satis honoris & gloriæ Dan consecutus est dum eodem, quó alii, Iudicis Supremi titulo benedicitur: *Dan judicabit populum suum, sicut & alia Tribus in Israel.* Nec alio usa dicendi loco facundissima Thecuitis, quô majestatem Regiam, quô sublimem attolleret Davidis Sapientiam, nisi à similitudinis fonte, petito argumento: *Sicut enim Angelus Domini, sic est Dominus meus Rex.* Et iterum: *Tu autem Domine mi Rex, sapiens es, sicut habet sapientiam Angelus Dei.* Dum itaque gloriam Sanctissimi Sepulchri, ante Isaiam deduco probandam, hac

Gen. cap. 49. v. 16.

2. Reg. c. 14. v. 17.

Ibid. v. 20.

hac utor formâ: dum consideratis præcipuis illisque gloriosissimis titulis, ac nominibus Veteris Testamenti, ordine Alphabetico digestis illa assumo, in insigne signum, ac præclarum prototypon Sanctissimi Sepulchri, ita, ut perpensis utrobique circumstantiis, honori horum titulorum servientibus; illas, quantum fieri potest, firmando Authoritate Doctorum, accommodare intendo gloriæ Sepulchri Christi, adeoque sic fuisse ante Isaiam gloriosum, in titulis ac nominibus gloriosis, præfigurativis, ac præcontinentibus futuram gloriam Sepulchri Christi.

§. I.

Ex initiali litera A. B. hi tituli Veteris Testamenti, scilicet AGER, ARCA Noe, ARCA testamenti, ARA & ALTARE, BASIS, demonstrant gloriam Sepulchri Christi.

AGER.

Cum Philippus Rex Franciæ, & Henricus Rex Angliæ, itineri Sancti Sepulchri se devovissent, ac in eliberationem illius de manu infidelium, vitam honorem fortunam suam consecraverunt, in signum hujus servitii, Rex Franciæ cum suis Ducibus, cruces rubeas assumpsit, regiis assutas paludamentis, ac chlamydibus, *se cruce consignant. Obsequiumque Christo spondent, Dominique Sepulchro*; in eodem loco, in memoriam hujus facti isti duo reges, fundata ibi Ecclesia & Cruce erecta, inter se fœdus perpetuo percutientes, vocarunt ipsum locum: *Agrum Sanctum*; eo quod ibi sacris crucibus sunt insigniti. Cum me, non solum Professione Religiosa, sed & præsentis operis fœdere, totum devoverim in obsequium ac honorem S. Sepulchri, & bene noverim prima fundamenta Ordinis mei, ibidem jacta fuisse, & inde crucis rubeæ insigne, quod gesto in pectore originem traxisse; accingendo me ulteriori viæ, vindicandæ gloriæ ejusdem Sepulchri Christi, secutus vestigia Regum eundem ipsum locum primô titulô voco: *Agrum Sanctum*. Qui titulus, quod in generali Sepulchro Christi conveniat, colligitur tum ex D. Maximo dicente: *Ex quo Dominus JESUS, sepultus in terra est, veluti disrupta, ab eo exarata terra, omnes quos retinebat mortuos, germinavit*; tum Præsul Hvetius testatur: *hortum illum Josephi Arimathensis, culturæ idoneum*; & Franciscus

Rigordus Gothus de gest. Philip. Franc. fol. 181. num. 50.

Homil. de Cruc. prof.

in Demonst.

ciſcus Quaresmius in Elucid. Terræ Sanct. Tom. 2. lib. 5. cap. 19. *Sepulchrum Christi Ager vitæ, cœli terræque theſaurum continens*; tum quod magna Judæorum invidia erga crucem ac locum Reſurrectionis Christi, ægrè graviterque eorum ſanctitatem ferens, humo obruerat, locumque Sepulchri exaggeratum, fimo reſperſerant, ut paulatim tantum Christi, & noſtrum decus, temporis oblivione deleretur, & à Christianis neque ſciri amplius, neque inveniri poſſit; quæ poſtea ab Imperatrice Helena detecta, inarata prius, injecta terra; & ut inquit S. Ambroſius: *Aperit itaque humum, decutit pulverem*, modo agriculturæ conſono, Crucem Dominicam, una cum Sepulchro Christi eruit. Ad hunc itaque titulum vocamus primò gloriam Sepulchri Christi inſpiciendam, illo invitatorio ſponſæ: *Veni dilecte mi, egrediamur in Agrum*: ſuper quae verba Reverendiſſimus P. Jacobus Radlinski, S. T. Doctor, Ordinis Noſtri Præpoſitus Generalis, in Conſid. 16. dicit: *Per hunc itaque Agrum, poteſt intelligi Ager Sepulchri Christi.*

Evang. Propoſ. 9. fol. 946. Orat. in funer. Theodoſ. Cant. 7. num. 11. Lib. Sepultur. Vivens.

Et primò egrediamur in Agrum Abrahæ Patriarchæ, de quo lege integrum caput Geneſ. 23. ſed antequam ad eundem ſcrutandum, ac cum Dominico Sepulchro conformandum penitiùs accedam; non tranſmittendum cenſui, quod in Concordantiis Bibliorum, ſub titulo Ager, adjectus in contiguo reperiatur Ager, in quo occiſus eſt à nefando fatricida, innocuus ſine culpa Abel: *Cumque eſſent in Agro conſurrexit Cain, adverſus Fratrem ſuum Abel, & interfecit eum*: & ex tali cohærentia titulorum Agri Patriarchæ, cum agro Abelis, deſignatam infero vicinitatem loci Calvariæ, in quo à gente ſanguine juncta, hic Frater & caro noſtra Christus occiſus eſt, inſons Abel: cum loco Sepulchri Christi, figurato in ſpelunca duplici Abrahami. Hunc enim non prope diſtare, à loco occiſionis Christi docet Joannes Evangeliſta. *Erat autem in loco, ubi crucifixus eſt JESUS hortus, & in horto monumentum*; & ſubdit: *ibi ergo poſuerunt JESUM.* Et Jacobus de Vitriaco S. R. E. Cardinalis teſtatur: *Is autem, qui dicitur Calvariæ locus, Hebraice autem Golgotha, Eccleſiæ Dominici Sepulchri vicinus, inter loca ſancta magnam obtinet dignitatem.* Imo uterque hic locus, tam Crucifionis, quam Reſurrectionis, ſub uno eodemque tecto comprehenditur; ut præter dictum Eminentiſſimum, Adrichomium, Burchardum, teſtatur Bernardus de Brendeybach oculatus teſtis

Gen. cap. 4. v. 8. Joh. 19. v. 41. Hiſt. Hieroſ. fol. 1079. cap. 61. n. 40.

in sua peregrinatione : *Golgothana autem Ecclesia adhæret isti* (id est Ecclesiæ S. Sepulchri) *& est oblonga, loco chori S. Sepulchri Ecclesiæ adjuncta, sed parum demissior. Sunt autem tamen ambæ sub uno tecto.* Et Wilbrandus Olderburgensis: *Sciendum, quia mons Calvariæ, qui modicus est, ut quidam colliculus intra parietes Ecclesiæ continetur:* Imò ita adhærere atque conjunctam esse Golgothanam, sive Montis Calvariæ Ecclesiam, teste Dubliulio, ut ex duabus una esse videatur. Hic nempe contiguus situs probavit Agrum Abelis, designantem in loco Calvariæ mortem Christi, extiturum non distantem à Sepulchro. Tum quod agendo de Sepulchro Christi, debemus esse memores & loci mortis; dicendo cum Eminentissimo Cardinali Bellarmino : *Et quomodo quæso juxta Isaiam cap. 11. esset Sepulchrum ejus gloriosum, si deberemus oblivisci mortis Domini:* Tum quòd gloriæ Sepulchri Christi multum conducat, veritas de morte Christi: Decrevit enim DEUS, ut Pilatus prius juridicam instituerèt, de morte Christi verificationem, ac tam sedulam investigationem antequam tumulo traderetur corpus; cujus rei, hanc dat rationem Hieronymus de Lanuza Episcopus; *ut enim à Sepulchro, sumeret gloria nominis ejus initium, oportebat, ut omnibus mors ejus innotesceret manifesta:* Proinde & mons Calvariæ, dum sit collateralis Sepulchro Christi, suâ adiacentiâ extollit gloriam ejus. Ita dicit S. Cyrillus Hierosolymitanus: *Golgotha hic mons Sanctus & conspicuus, eminenter testatur, Sepulchrum Sanctitatis.* Et Quaresmius hanc dat rationem, quod etiam si aliqua videntur esse humilia, abjecta, ac infimæ apud homines æstimationis, si autem sint adjecta rebus dignis, magis solent æstimari & pro meliori commodo appeti ac desiderari. Sic locus Calvariæ propter supplicia damnatorum, inglorius ac infamis, futurus est, aliquando celebris, propter vicinitatem ad viri nobilis, imò Domini gloriosissimum Sepulchrum. Rem istam idem Quaresmius, his verbis concludit loco citato : *Licet enim Calvariæ mons, venerabilis sit, quia Dominus noster in eo crucifixus fuit, tamen frequentiùs veneratur, & ampliùs æstimatur, ob proximum Dominicum Sepulchrum, ad quod venerandum fluunt ex totius mundi partibus gentes.* Si adeo insignis & celeberrimus evasit mons Calvariæ, ob consummatam in cruce Christi passionem, dum eidem adjungitur gloriosissimum Sepulchrum, vide in quantam hi duo loci, deveniunt æstimationem & dignitatem? sicut aurum

Hierosl. Hodoep. fol. 16.

Tom. 2. lib. 2. fol. 937.

Homil. 47. Sabb. Sanct.

Catb. 10. fol. 73.

Tom. 2. lib. 5. cap. 10. fol. 516.

rum auro additum, gemma adamanti, corona emerito capiti, in majorem assurgunt valorem. Adeoque & inter fideles ex tali conjunctione, nihil gloriosiùs æstimandum est, Cruce & Sepulchro Domini. Et hanc propinquitatem, exhibet habitus Ordinis nostri, cruce rubea in parte cordis insignitus; & enim cor monumentum Christi gerit, & gerere debet, in eodem latere crux assuta, sanguineam Christi exprimit passionem; ut eodem nexu Crux mortis, cum loco Sepulchri cohæreat; moneatque nos, Sepulchrum spirituale cordis nostri, semper esse proximum loco passionis Christi, videlicet per continuam ejus meditationem & imitationem.

Præterea, non solùm ex hac reflexione, vicinorum titulorum sibi, sed etiam in seipso, ager ille Abelis, videbatur in hoc, typum gessisse Sepulchri Christi: quod sicut illê, assumitur à Deo in ultorem vindictæ, contra germanum Fratrem, ac veridicum testem consummatæ occisionis; ita & Ager Sepulchri Christi, in quem cæsus fuit, & corpore cecidit Christus, verum testimonium perhibuit mortis Christi. Quærit enim hîc D. Ambrosius: *Cur non* Lib. 2. de Abel cap. 9.
accusat Frater? non vox ipsius? non anima? Sed Sanguis; idque non dixit: de Fratris clamat corpore, sed de terra clamat; & si Frater parcit, terra non parcit, ipsa est in se testis & judex. Respondeo ego ad hanc quæstionem, ex simili eventu Agri Sepulchri Christi: Verè sanguis, innocentis Abelis Christi, dum copioso profluvio, in morte effusus fuit, tacere videbatur: *Obmutui & non* Psal. 30. v. 10.
aperui os meum. Abel ipse Christus, patrocinari occisoribus auditus est in morte; *Pater, dimitte illis, nesciunt enim, quid faciunt*; Luc. 23. v. 24.
at postquam in Agrum Sepulchri, corpore prostratus est Christus, postquam terra illa, sanguine ejus madida, aperuit os suum, id est intra se suscepit sanguinem Christi, jam ille Ager, serius imminentis vindictæ ultor extitit, dum Sepulchrum ejus, veræ occisionis, fidelissimus, & asperior testis evasit. Et qui hoc scelus commiserunt, ex aspectu Sepulchri videant & confundantur; ita invehitur S. Aug. Serm. 53. de Temp. *Aspicite Pharisæi vacuum Sepulchrum, & impietatis vestræ cognoscite sacrilegium.* Veritatem mortis Christi de Sepulchro, declarat D. Thomas, Doctor Angelicus in corpore: *Dicendum, quòd conveniens fuit Christum sepeliri. Pri-* 3. par. qv. 51. art. 1.
mo quidem: ad comprobandam veritatem mortis, non enim in Sepulchro aliquis ponitur, nisi quando jam de veritate mortis constat. S. Petrus

Serm. 61. in Symb. trus Chryſologus: *Audis ſepultum, ut ſcias, mortem non fuiſſe perfunctoriam, ſed veracem.* Idem Serm. 60. in Symbol. Apoſtol. in hac verba: *Sepultus* inquit: *Sepultum dicis, ut veram carnem Chriſti, mortemque non perfunctoriam, prohibet confeſſio Sepulturæ.* Didacus de Celada: *Siſtitur Sepulchrum Chriſti, mortis teſtis, vitæ hoſtis, ut inimico ore, vita à mortuis fideliter aſſeratur, & à mortalibus credatur fidelius.* Hunc ipſum Agrum Sepulchri Chriſti, pro veritate mortis Chriſti, aſſumpſit pro teſte, per os ſuum S. Lucianus Presbyter Antiochenus, caſtimoniâ, ac eruditione præcipuus, in facie ipſius Tyranni, ad cujus tribunal, cum adductus fuiſſet, inter alia præclara dicta, hoc adjunxit: *Si minus adhuc creditur, adhibebo vobis etiam loci ipſius, in quo res geſta eſt, teſtimonium. Adſtipulatur his, ipſe in Hieroſolymis locus, & Golgothana rupes, ſub patibuli onere diſrupta. Antrum quoque illud, quod avulſis inferni januis, Corpus denuo reddidit animatum.* Ecce Ager Sepulchri, veri homicidii Chriſti, teſtis & vindex. Hunc clamoroſum teſtem, inducere jubet S. Leo Papa, Juvenali Epiſcopo Hieroſolymitano, dum invictiſſima Catholicæ fidei documenta, & Evangeliſtarum prædicationem teſtificatione ſacrorum locorum Crucis & Sepulchri, ad quae degebat dictus Epiſcopus, jubet eum defendere, his verbis in Epiſt. 72. ad eundem ſcribens: *Hoc tibi ipſa Crux, indeſinenter loquitur, hoc lapis clamat Sepulchri, in quo Dominus humana conditione jacuit, & de quo Divinâ potentiâ ſurrexit.* Sed hæc licet ex vicinitate verborum, facta alluſio, non incongruè tamen, cum articulus de Sepultura Chriſti, ſit annexus articulo de morte Chriſti. Et Eugenius Papa in Epiſt. ad Ludovicum Franciæ Regem, vocat *glorioſum Sepulchrum, paſſionis Salvatoris memoriale.* Et dum tuum Sepulchrum adoramus Domine, tuam glorioſam recolamus paſſionem. Vel ut inquit Hieronymus Povodovius, Canon. & Archypresbyter Cracovien. *Chriſti Sepulchrum, ex contumelia Crucis glorioſum.*

In Gen. fol. 65.

Samuel Nakielski fol. 48

Serm. 4. p. 1. in marg.

Nunc jam luſtremus Agrum Abrahæ Patriarchæ, quomodo hic figuram Sepulchri Chriſti declaravit. Primò, erat ille Ager extra civitatem, ut videmus in ſimilibus; & plurimi (aliquibus exceptis) Iudæorum extra Urbes ſepeliebantur. Non ab ſimili modo, & Sepulchrum Chriſti, erat extra civitatem. *Locus Sepulchri Domini* (*inquit* Jacobus de Vitriaco) *qui loco illi, id eſt Golgothæ, proximus eſt,*

Hiſt. Hieroſ. c. 60. num. 30.

eſt, ſub monte Calvario, uſque ad tempora Helii Adriani Imperatoris extra civitatis portam. Ob has fortè cauſas; quia Deus, qui huc uſque voluit perennare Sepulchrum ſuum in glòria, deſolandæ funditus Civitati, noluit tantum, intra muros ejus, collocare præſidium. Tum, quòd etiam ampliſſima illius Civitatis latitudo, eſſet perexigua ad continendum intra ſuum ambitum, Chriſti Sepulchrum, ad quod adeundum, totius orbis populus, turmatim acceſſurus erat, ipſis campis & agris patere debuit. Tum ubi murmur continuum, divagatio ſenſuum per compita, tranſitus variarum perſonarum, ibi non ſecurè quieſcit Chriſtus, non locat Sepulchrum; ſed in corde pacifico, ac à tumultu curarum ſæcularium turbulentisque negotiis ſemoto. *Qui habet caſtum cor, ibi diſcumbit Chriſtus*, inquit S. Chryſoſtomus. Homil. de præp. Advent. Domin.

Secundo, extrema pars illa Agri in qua erat Spelunca, quam petiit Abraham, erat alienæ poſſeſſionis, ſcilicet Ephron filii Seor. Sed quid eſt? Ergo ne ille princeps Dei, *quem præ multitudine poſſeſſionis ejus, terra non poterat capere*, unius glebæ privatur lira, cui dilectam ſuam tradat mortuam? Ergo ne Deus, cujus ſemini univerſam promiſerat, ſub pede ſtantis terram, Patrem multitudinis, ad talem redegit ſtatum, ut nec portionem proprii retineret fundi, humandæ conjugi? Præſens hoc factum, futurum indicabat: Dei Filium, cujus eſt terra & plenitudo ejus, ita in ſuſcepta carne fieri inopem, ut nec ſuum voluerit habere Sepulchrum, quô ſuam condat dilectam; ſeverus adeo paupertatis obſervator. *Per hoc enim* (inquit Doctor Angelicus) *conſiderari poteſt paupertatis abundantia pro nobis ſuſceptæ, nam qui domum in vita non habuit, poſt mortem quoque in alieno Sepulchro reconditur.* Deinde Abraham, quia ſe peregrinum & advenam ſciebat, propterea etiam ultimo commodo præſtando, ſufficientiam terræ non poſſedit, jure propriæ hæreditatis. Quia ſcilicet Chriſtus futurus in terra viator, nec de naturali ſibi jure, retenturus eſt illius ſoli partem, cujus Dominus & hæres eſt, ſed Joſeph ab Arimathæa in ſuum monumentum, tanquam peregrinum ſuſcepturus eſt; Ad hunc ſenſum ait Rdmus Hieronymus de Lanura: *Abraham magnus ille Proavus credentium, licet intelligens ſe peregrinum eſſe ſuper terram, noluerit in illa poſſidere vel paſſum pedis proprium; Chriſtus non longam in Sepulchro tractaturus eſt moram, non ultra triduum, ut non neceſſe erat, ut proprium ſibi effoderet Mauſolæum.* Ter-

Geneſ. 13.

3. part. qv. 51. Art. 2. ad 4.

Homil. 49. de Reſur. Dom. §. 10.

Tertio. Ut Agrum illum, sibi suæque charæ posteritati, in sepulturam possideret *Abraham appendit quadringentos siclos argenti, probatæ monetæ publicæ*; hæc emptio Agri apud Ephron, figura fuit, quod Christus in eo loco Sepulchrum habiturus erat, ubi Adam sepultus. Ephron enim apud quem Abraham emit Agrum, interpretatur pulvis, & significavit Adamum, Abraham autem emens, erat typus Christi, qui pretium sui sanguinis appendit, ut possideret Sepulchrum Adami, simulque ei consepeliretur. Id confirmat Jacobus Pintus: *Habes hujus Agri & Sepulturæ, nonnullam umbram, in spelunca illa duplici Agri Ephron* (qui pulvis interpretatur) *ab Abraham in possessionem Sepulchri coëmpta, & plena mysterio. Ager enim ille Ephron, id est pulveris, Sepulchrum signat prioris Adæ* (quippe cui dictum est, pulvis es, & in pulverem reverteris) *cum spelunca duplici; quia ubi primus Adam, ibi teste Augustino, Hieronymo, Athanasio, secundus est crucifixus & consepultus. Ut Ager Ephron, hoc est Adæ, à secundo Adam, cujus Abraham typus erat, siclis argenteis redimeretur, ejusque sepulchrum sapientiæ Dei thesauro ditaretur, nisi quod pro siclis* (si quidem esset Sepulchrum ejus gloriosum) *datum est pretium sanguinis, & Ager sepulturæ, Ager sanguinis dictus, qui nobis sanè thesaurus pretiosior fuit.* Præterea juxta Hugonem Carensem Cardinalem hîc, Ephron interpretatur: *Visio sempiterna*, apud quem appendit Abraham pecuniam, quam postulaverat; quasi Christus non alibi empturus erat Sepulchrum hoc, pretio sanguinis sui, nisi apud Ephron, id est in Ierusalem, quæ interpretatur: *Visio pacis*; Ad cujus Sepulchri valorem, solenni contractu inito, similique cum Abrahamo taxato pretio, appendit per quadragenarium numerum monetæ, quadraginta horas, inæstimabilis temporis, quibus in Sepulchro jacuit: sicut testatur Petrus Damianus, in Epist. ad Petrum Cerebrosum Monachum, his verbis: *Qui etiam sicut horis quadraginta in Sepulchro mortuus jacuit, ita nihilo minus post resurrectionem suam, diebus totidem cum discipulis fuit.* Idem Epistolar. lib. 6. Epist. 7. *Accedit huic numero longe clarior gloria, cum & ipse Dominus quadraginta horis, jacere dignatus est in Sepulchro.* Et solemnitatem hujus temporis, exprimit solennis devotio, quadraginta horarum; habetur apud Henricum Spondanum, his verbis: *Exprimunt autem illæ quadraginta horæ, tempus quô Christi Sacrum Corpus in Sepulchro jacuit, licet non fortè ad amussim respondeat,*

Gen. 23. v. 16.

De Christ. crucif. lib. 6. lit. I. loc. 3. num. 35.

Comment. in Gen.

Apud Gretser. de discipl. fol. 197.

Tom. 2. an. 1556. fol. 565.

deat, quô omni tempore expoſita Euchariſtia ſacra, publicè in altari, à frequenti populo viſitatur.

Quartò, ille Ager habebat ſpeluncam duplicem: *Confirmatusque Ager quondam Ephronis, in quo erat ſpelunca duplex*: porro hæc ſpelunca erat duplex; vel quia duas habebat cryptas, ut vult Procopius. Sepulchrum Chriſti, ſic deſcribitur ab Alexandro Natali Ordinis Prædic. Pariſienſi Doctore: *Duplex crypta erat in Sepulchro JESU, quæ etiamnum viſitur, præcipua una & intima, in qua reconditum fuit Sacrum ejus Corpus, extima altera, & tanquam aditus ad aliam.* Expoſit. ſuper Matt. cap. 28. Idem fatetur & Petrus Hvetius, his verbis: *Nam quod ii de duplici crypta Sepulchri JESU referunt, id hodieque viſitur & nos ab oculatis teſtibus, & fide dignis plerisque accepimus.* Demonſt. Evang. propoſ. 9. fol. 946. Vel duplex; quia ſecundum aliquos apud Lyranum, ibi erat duplex ædificatio, una inferior & altera ſuperior. De Sepulchro Chriſti ſcribit S. Auguſt. lib. 11. de conſen. Evang. cap. 24. *Et certè Marcus idem ſignificat, nam in monumento exteriori Angelus ſedebat ſuper lapidem, qui clauſerat oſtium interioris; huc primum ingreſſæ ſunt mulieres, deinde in monumentum interius, nam ſpelunca interior erat in rupe operis excavata.* Hieronymus Natalis Soc. JESU: *In horto duplex Spelunca, anterior amplior & patentior, quaſi interioris veſtibulum.* In adnot. in Evang. fol. 401. Vel duplex propterea juxta Dorothæum in vita Prophetarum, in Ezechiele, quod flexuoſa eſſet, & abdita ſupra planum ac tellurem edita, & in petra quadam ſuſpenſa. De Sepulchro Chriſti teſtatur Hieronymus de Lanuza: *Non fuiſſe Sepulchrum defoſſum in terra, nec de lapidibus ſectis, aut terreis extructum, ſed de petra exciſum, non deorſum ſubtus terram, ſed altiùs elevatum, inſtar abaci, talia quippe ſolebant eſſe Sepulchra Judæorum.* Homil. 49. de Reſur. §. 10. num. 4.

Quintò demum, finis appetiti tam ſollicitè Agri fuit, *ut ſepeliam mortuum meum.* Non alius etiam Sepulchri Chriſti. Abraham enim gerebat perſonam Verbi Divini, ex cujus ſemine incarnanda erat. Sara conjunx, videlicet natura humana, per intimam unionem, copulata Verbo Divino; pronomen iſtud *meum*, expreſſit indiſſolubilem, etiam in Sepulchro, unionis nexum cum eodem Verbo Divino, ut verè in illo Sepulchro dicat Filius Dei: *Sepelivi mortuum meum;* licet enim anima in illo triduo fuerit ſeparata à corpore, neutrum tamen ſeparatum fuit, à perſona Filii Dei, ut fides

docet, & D. Thomas 2. part. qv. 52. art. 3. in corp. adeoque nec in Sepulchro, humanitatem disunitam dimisit, quam sibi per hypostaticam conjunctionem, fecit propriam Deus Verbum.

Sepulchrum Christi est Ager, in quem Sanctus Isaac, videlicet Christus, *inclinata jam die*, quia ut habetur in hymno apud Marcellum Francolinum: *Vespere clauduntur, Christi membra Sacra Sepulchro*; vel apud Glossam in cap. 1. de celebrat. miss. *Tumulo completa reponit.* Vel ut D. Ignatius scribit: *Sepultus est ante occasum solis.* Hoc itaque tempore, *egressus est ad meditandum in Agro.* Si enim juxta D. Gregor. lib. 6. moral. Sepulchri nomine, vita contemplativa signatur; Christus dum in cruce activam transegisset vitam; ingressus Agrum Sepulchri, in intimis sese abscondit, ut veluti quietæ contemplationis studio vacaret, & fugiens tumultum urbis, populi frequentiam, sub puro àére, aperto cœlo extra urbem, secessit in Agrum Sepulchri, familiariùs sanctæ vacaturus meditationi ibidem. Cui proposito subservit dictum S. Augustin. in Genes. libr. 4. cap. 10. *Ipse quippe die Sabbathi* (accipit hìc partem pro toto) *requievit in Sepulchro, eumque totum diem habuit cujusdam vocationis, posteaquam sexto die, id est Parasceve, consummavit opera sua*, id est vitam activam peregit in Cruce. Et per Psalmistam dicit: *Et meditatus sum nocte cum corde meo*, vel ut alibi, *in cubili*, scilicet in Sepulchro, quiescens, triduanas absolvit collectiones, modo ab ipsomet quasi sibi præscripto Matth. 6. v. 6. *Tu autem cùm oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* Taliter ergo Isaac Christus, in agro Sepulchri meditatus est, dum ingressus cubiculum suum, scilicet Sepulchrum, clauso super se ostio, tum advolutione lapidis ad ostium monumenti, tum sigillatis foribus, tum armata manu custodum conclusus, oravit Patrem suum in abscondito, in summa pace, tranquillitate, & silentio positus, tam profunda, subtilia divina colloquia seu prædictiones de morte, Sepultura resurrectione sua adimplevit. Quotiescunque sanctæ vacaturus es meditationi, non mortalium Sepulchris, ut S. Zeno, in Sepulchrum quoddam se conferens, Divinæ vacabat contemplationi, multique id faciebant sancti; sed huic Divino mentem tuam divagantem include. *Nullus te prohibere poterit, quin in monumento ejus sepelias mortuum tuum*, ut mentalis orationis tuæ fructum percipias meliorem. *Sepulchrum hoc sanctissimum,*

Cap. 18. de complet.

Psalm. 76.

Genes. 23. v. 6.

Tom. 2. libr. 5. cap. 22.

ctissimum (inquit Quaresmius) *sit nostræ contemplationis & actionis objectum, & ejusdem medium & adminiculum.*

Sepulchrum Christi est Ager, cui benedixit Dominus. Agri illius benedictio, juxta Expositores S. Scripturæ consistebat in tribus; primò in odore suavi & fragranti, ut innuitur ibidem: *Sicut odor Agri pleni*; Secundò in rore cœli, à quo Agri vegetantur, aluntur & crescunt; tertiò in pinguedine terræ, scilicet in ubertate fœtûs. Ager Sepulchri Christi, taliter fuit benedictus: primò in odore suavi & fragranti. Sepulchrum Christi est Ager, odorem vitæ Christi spirans. Id probant verba illa Cantic: *Dum esset rex in accubitu suo, nardus mea dedit odorem suum.* Id est dum esset Rex Christus in Sepulchro suo; non desunt enim, qui per sponsi accubitum & reclinationem, intelligant hic Sepulturam, atque triduum illud, quo Christi Domini Cadaver, accubuit seu recubuit, & reclinatum est in Sepulchro, Ludovicus Sote-Major super hunc locum exposit in Cant. testatur. Et pro tunc aromata & unguenta dederunt odorem suum; Idem S. Th. Magister, dicta verba, sic de Sepulchro Christi, pleno fragranti odore intelligit, dicens: *Quare jure merito, ut alias arcanas causas & rationes omittamus, potuit dicere Propheta de monumento illo Christi: & erit Sepulchrum ejus gloriosum; quin etiam potuit dicere sponsa hîc de Sepulchro, vel Sepultura Christi Domini, Regis & sponsi: Dum esset Rex in accubitu suo &c. ut videlicet sit quædam allusio ænigmatica atque etiam Prophetica, ad mixturam illam myrrhæ & aloës, sive aromata, quibus legimus Nicodemum unxisse corpus JESU, antequam illud in Sepulchro reponeret.* Tum quia Ager ille, locusque ubi recondita jacebant passionis & resurrectionis ejus insignia, crux, clavi & monumentum, dum opera fossionis est adhibita, ad illa detegenda, subito terra commota est, *& aromatum miri odoris vaporem exhalavit*, ut inquit Adrichomius. Secundò Ager Sepulchri Christi, in eo fuit specialiter benedictus, quia imbutus ac madidatus fuit rore cœli, quem sancti Patres postulabant dicentes: *Rorate cœli desuper.* Hic ros cœli, nempe Christus salubriter Agrum Sepulchri irrigavit, charismatum cœlestium stillicidiis aluit, & nunquam in sua gloria, veneratione, visitatione, cultu sterilescit, sed continuo in superabundantibus gratiis crescit. Tertiò quantùm in ubertate pinguescit, collige ex ipso edito fructu, nempe Corpore Christi, quô fœcundatus, copiosam

Genes. 27. v. 7.

Cap. 1. v. 11.

Cant. Interpret. fol. 417.

fol. 111.

piosam fertilitatem salutis nostræ protulit. Qui Ager Sepulchri licet petrosus fuit, excrevit tamen in magnam frugem ex qua colliguntur uberrimæ gratiæ divinæ, & ex hoc marmore Sepulchrali germinavit granum nobilissimum Christus, quale nulla gleba protulit. *Incidat hoc quamvis generosum in marmora granum. Lætius at germen gleba nec ulla dabit.* Tum ob rationem naturalem fœcunditatis Agri, quam adfert Reverendissimus Jacobus Radlinski, Ordin. Nostri Generalis, consid. 16. in Cantic: *Ager benigno sole illuminatus, adustus & decoctus, fertilissimos nobis fructus profert; Ager Sepulchri Christi benignissimò sole, quia ipso Christo illustratus, perfusus, atque totaliter repletus est, nonne igitur amplissimos fructus generabit nobis? si illum frequenter adeamus, & promptissimè visitemus.*

Joann. David in Parad. Sponf. fol. 194. n. 49.

Sepulchrum Christi est Ager Josephi, ex quo consurrexit manipulus, & stetit, quem circumstantes alii adorabant. Hic enim manipulus erat Christus Dominus, plenissimus ac fertilissimus, meritorum saturantium nos in vitam æternam. Quem manipulum multi ligarunt Judæorum, nunc funibus, nunc catenis, & ligno crucis triturarunt. Sed Joseph ab Arimathæa è ligno crucis hunc colligens, manipulum, jam maturum morte ac redemptione, suavioribus religaverat vinculis linte aminum. Propterea illius Ager tantæ felicitatis fuit, ut soli contigerit, ex illius solo, hunc consurgere per resurrectionem manipulum, qui regnum portendebat, Regemque præsignabat, quem adorarunt Fratres, seu Discipuli, & magni Reges inclinabant se eidem.

Genef. 37. v. 7.

Sepulchrum Christi est Ager ille, de quo Levit. cap. 27. v. 16. dicitur: *Homo si Agrum possessionis suæ voverit, & consecraverit Domino, juxta mensuram sementis æstimabitur pretium.* Joseph ab Arimathæa ille fuit homo, qui Agrum hunc, scilicet Sepulchrum, suum vovit & consecravit Domino, in illo eum sepeliendo. Metire igitur quilibet, & appretia gloriam Sepulchri Christi, juxta sementis pretium. O quanti valoris est Ager iste, dum in se infiniti pretii continet sementem! Imò tempus æstimationis illius, quod ibidem adjungitur vers. 17. *Si statim ab anno incipientis Jubilæi voverit Agrum, quanto valore potest, tanto æstimabitur*, benè subservit æstimandæ dignitati Sepulchri: Dum mortuus est in Cruce Christus, tunc inchoatus est annus Jubilæi, annus redemptionis, tunc Christus prædicavit captivis indulgentiam, clausis apertionem, &

Annum placabilem. Ab hujus Anni exordio, vovit Joseph ab Arimathæa, hunc Agrum Sepulchri Deo destinando, ad eum sepeliendum. Quantùm ergo valuit tunc, dum in se Christum sementem continuit, tantùm omni sæculorum tempore æstimandus est.

Sepulchrum Christi est Ager ille, de quo 1. Reg. cap. 20. v. 5. *Dimitte ergo me, ut abscondar in Agro usque ad vesperam, diei tertiæ.* Videns enim David ab invido sibi Saule, interitum suum de die in diem præstolantem; ut solatium sibi adferret, spem salutis suæ faceret, vitam suam tutam reddere velit; petiit à Jonatha, intimo amico suo, ut tantisper absconderet se in agro per tres dies. Efficacissimum remedium tutelæ vitæ suæ providit & elegit David, tali excogitato modo, cùm se videret insidiis appeti, in latebras se certi Agri abdidit. Sed quid securitatis & spei vitæ, per illam absconsionem trium dierum in Agro, conspexerat David? Mysterium Sepulturæ Christi latere hìc arbitror; quia in his Agri Sepulchralis latebris, triduò delitescens Christi Corpus, insidiatores effugiet, pericula mortis evadet, sanus & integer vitæ apparebit. Certè non postremam malignitatem & persecutionem invidi ac malevoli Judæi exercuerunt contra Christum, nolentes super se eundem regnare: talium ministrorum iniquorum usus est operâ sathanas, in debellatorem sui Christum. Et eousque hi inimici persequi non destiterunt, donec eum morti traderent. Quamvis ipsa hæc verba, innocentiam Christi contestentur, quæ de se, in eodem capite, immediatè pronuntiavit David: *Quid feci? quæ est iniquitas mea, & quod peccatum meum* (in vos ô Judæi) *quia quæsivistis me interficere?* Et tali pessimo facto, non amplius sperarunt eum vivere & regnare, uti Saul Davidem. Verum per intimum Christi amicum Josephum ab Arimathæa, *qui & ipse erat discipulus JESU*, pe- Matth. 27.
titio exhibita: *Accessit ad Pilatum, & petiit Corpus JESU*, ut tan- v. 58.
tisper in latebras Sepulchralis Agri, per triduum abderet Corpus
Christi; *& sic vita vestra abscondita est cum Christo in Deo.* Post Ad Coloss.
quod triduum solatium vitæ suæ nobis adferet, spem salutis faciet, cap. 3. v. 3.
potentiam majorem ostendet, victoriam de morte, de diabolo triumphum referet. Et ubi insidias per mortem structas declinavit, inde redivivus, absque injuriosa sui Corporis læsione, in manifesto apparuit, & regnum pollicitum sibi à Patre, *sedere te faciam in throno meo*, capessit.

Sepulchrum Christi est Ager Regalium Sepulchrorum, de quo 2. Paralipom. cap. 26. v. 23. Tum quia sicut in illo Agro sepultus est Ozias, eo quod esset leprosus, ut ibidem dicitur: *Dormivitque Ozias, & sepelierunt eum in Agro regalium Sepulchrorum, eò quod esset leprosus*, ita Christus Rex ob lepram, quâ Corpus ejus undique

Isai. c. 1. v. 6. scatuit. *A planta pedis, usque ad verticem Capitis, non est sanitas in*

Luc. 4. v. 29. *eo:* Urbe pulsus: *Et ejecerunt eum extra Civitatem*, ad instar Oziæ Regis, usque ad diem mortis suæ, hoc morbo laborans, ut testa-

Libr. 1. cap. 10. fol. 13. tur B. Virgo in revelat: B. Birgittæ: *Deinde depositus est de Cruce, quem ego recepi in genu meum, quasi leprosum & totum lividum.* Hic inquam Rex Ozias, Christus leprosus, sepultus est in Agro regalium Sepulchrorum; tum quod Ager ille Sepulchri, in tanta habebatur observantia, reverentia ac cultu, ut ab Imperatoribus, Regibus, Dominisque terræ studiosè coleretur, sceptris, coronis, Regalibusque submissis insigniis, verè Regius Ager diceretur. Tum quòd ibi per vota Religiosa emissa, deposito Regali apparatu, Reges ac Reginæ, variique homines sæculares, per abdicationem mundanæ vitæ, apud Canonicos Ordinis Nostri, ibidem degentes, in loco Sepulchri Christi spiritualiter sepeliebantur. Tum Ager regalium Sepulchrorum, etiam quoad corporalem, ad Sepulchrum Christi, Regum sepulturam. Ibi enim singulari ad Sepulchrum

Decad. 6. cap. 10. Domini honorandum affectu, Authore Sandæo, Godefridus, recuperator Terræ Sanctæ, primus Hierosolymorum Rex, locum

Trithem. in suo Chron. tom. 2. n. 94. sepulturæ, ad Domini Sepulchrum promeruit. *Godefridus juxta Sepulchrum Domini tumulatur.* Ibi sepultus est Balduinus II. Balduinus III. Rex Hierosolymorum, & post Canonicus Ordinis Nostri. Balduinus IV. solenni Principum pompâ, funeratus, mœrentibus publicè cunctis, Tyrensi Archiepiscopo, pro Æde S. Sepulchri ipsum laudante, ut habetur apud Tyrium, in continuatione belli

Lib. 1. c. 3. fol. 6. sancti. Ibi Fulco Comes Turonensis & Andegavensis, IV. Rex, occurrente universo clero & populo, in Ecclesia Dominici Sepulchri, inter alios felicis memoriæ Reges ejus Prædecessores, per

Tyr. Archiep. lib. 15. c. 17. manum Domini Wilhelmi, venerabilis Hierosolymorum, & piæ recordationis Patriarchæ, Regiâ magnificentiâ sepultus est. Ibi

Hist. Hierosf. libr. 10. c. 16. num. 10. juxta Albertum Ecclesiæ Aquensis Canonicum, ac custodem, Rorgius, qui dono Regio, Cayphas præerat, in stillicidio porticûs Ecclesiæ Dominici Sepulchri, honorificè & Catholicè sepultus est.

Rex Regum Chriſte, qui me regali inſignivisti charactere, ſcilicet Sacerdotiô, exhibe mihi hanc gratiam tuam, ut in illo Agro regali Sepulchri tui, ſepeliatur omne diſconveniens tuo honori, ut jam tibi Regi virtutum, perpetuum in amore & obſequio exerceam famulatum, & à Sepulchro tibi ſervire, adeoque regnare incipiam.

Sepulchrum Chriſti eſt Ager, in cujus egreſſum ſedulò, dilectum Chriſtum, ſponſa, natura humana, invitat his verbis: *Veni dilecte mi, egrediamur in Agrum, commoremur in villis. Mane ſurgamus ad vineas, videamus ſi floruerit vinea &c.* Hic enim Ager, exprimit Sepulchrum Chriſti, in quem ingreſſus, commoratus eſt aliquantisper, & tandem manè ex illo ſurgens, declinavit, ut videret vineam ſuam, an floreret, id eſt Diſcipulis ſuis apparuit, deſiderans illos refloreſcere in lætitia, in cordis amœnitate, de viſa manifeſtè reſurrectione de Sepulchro. Ita in hunc locum Interpret. in Cantic. commentatur Philo Carphatiorum Epiſcopus: *Tunc enim ſponſus pernoctavit in vicis ſeu villis, & pagis, cum & duabus noctibus jacuit in Sepulchro, & die tertia ante lucem ſurrexit; tunc enim diluculo ſurrexit ad vineam electorum, quos & ſanctis moribus florere, & vita honeſtisſima fructificare deſiderat.* Cant. 7. v. 11. Bibliot. Vet. PP. Tom. 4. fol. 590.

ARCA Nòé.

Nefas eſt dubitare, myſteria multa Chriſti, per ſæcula eventura, hanc Arcam deſignaſſe, teſte Pererio; adeoque & de convenientia hujus tituli, cum Sepulchro Chriſti, minime dubitandum, quòd hæc Arca deſignabat Sepulchrum Chriſti, in quo myſterium Reſurrectionis eventurum erat. Imò tam expreſſi eventus ab utrinque conſiderati, non ſinunt dubitare, Arcam Nòé figurare Sepulchrum Chriſti. Arca Nòé fuit ſpeciale opus, ad hoc præparatum & conſtructum, ut in illa, ab univerſali diluvio, liberaretur humanum genus, & ſubſiſteret propagatio viventis creaturæ, ut Genes. 7. v. 3. *ut ſalvetur ſemen ſuper faciem univerſæ terræ*; Sepulchrum Chriſti, ſimili exundationis diluviique infortunio, & tandem ſalvationi deſtinatum eſt. Conſpiraverat totus Hieroſolymorum orbis, generatio prava & adultera, in cædem ſui Conditoris, omnis quippe caro corruperat viam ſuam, ultore in Filio Deo, & criminum vindice, rupti ſunt omnes fontes abyſſi magnæ, id eſt Libr. 10. ſuper Geneſ.

omnes

omnes venæ, & cataractæ cœli apertæ; id eſt in Corpore Chriſti, ex quinque locis præcipuis, facta eſt grandis pluvia Sanguinis decurrentis in terram, tam ingens, ut mare rubrum videretur. In hoc tamen profluvio, unica totius juſtitiæ, ac perfectionis Nòémi, ac generationis Noeticæ, Salvatrix firmiter ac ſolidè, absque metu periculi ac jacturæ, Divina methodo conſtructa Arca, his Sanguineis circumfuſa procellis, Sepulchrum; ex quo orbis reſtauratus tunc prodiit, dum in ſemine ſuo Chriſto redivivo ex Sepul-
Sermon. 59. de Symbol. chro, ſanus & incolumis evaſit. *Sepultus eſt*, (inquit S. Petrus Chryſologus) *ut ex illius ſemine Corporis, omnis humanorum corporum ſatio, vitalem ſurgeret, & levaretur in meſſem.* Sicut enim, ſi Arca illa non fuiſſet præſervativa & conſervativa ab inundatione pœnali, induſorum corporum in illa, nullum extaret veſtigium humanæ conditionis; ſic, ſi Sepulchrum Chriſti, non eſſet præ-
3 part. qv. 51. ſervativum Corporis Chriſti à putrefactione communi; *Magnum inde* (ait Doctor Angelicus) *fuiſſet detrimentum ſalutis humanæ.*
Pſalm. 29. Ut in Perſona Chriſti loquitur Pſalmiſta: *Quæ utilitas in Sanguine meo, dum deſcendero in corruptionem*; id eſt, interpretatur idem S.
Ibid. Art. 3. ad 1. Doctor, *ſi Corpus meum putreſcat* (in Sepulchro) *perderetur effuſi Sanguinis utilitas.* Ut ergo Arcam Nòé, ſic Chriſtus Sepulchrum, pro mundi ſalute, introivit. Quanta igitur fuit gloria Arcæ, conducentis ad vitam temporalem univerſi, longè excellentior Sepul-
S. P. Theod. Studita in ador. Cruc. Oda 9. chri Chriſti, ex quo vitam cæleſtem accepimus, *Sepulchrum tuum Chriſte, vitam mihi produxit*, & in quo noſtram ſalutem operatus eſt; ut hæc verba Pſalmiſtæ: *Deus autem Rex noſter ante Sæcula,*
Pſalm. 73. *operatus eſt ſalutem in medio terræ* accommodat Sepulchro Chriſti Reverendiſſimus Jacobus Radlinski, Generalis Ord. Noſtri Conſiderat. 76. ubi in fine dicit: *Expende igitur, quanta ſit gloria & excellentia Sepulchri, in quo Chriſtus non mundum, non cœlum, non terram, ſed rem ſummè neceſſariam, videlicet ſalutem noſtram operatus eſt.*

Deinde omnis illa diſpoſitio Divina, quæcunque demandata fuit Nòé, in conſtructione Arcæ, fuit expreſſiva formæ ac ideæ Se-
Gen. 6. v. 14. pulchri Chriſti. Primò enim Deus juſſit, facere Arcam, *de lignis levigatis*, ſeu ut Septuaginta legunt: *de lignis quadratis*, figurativis Crucis Chriſti. De Sepulchro licet univerſi teſtentur ſcriptores Evangelici, illud ex natura ſua eſſe lapideum, nihilominus tamen, materia gloriæ Sepulchri eſt Crux, tum quia longa annorum

ſerie

ſerie in ſe Crucem Domini conſervabat, ac ab omni putrefactione, ſicut Corpus Chriſti, præſervavit; tum quòd illius portio, ſub Duce Godefrido, in parte Eccleſiæ Reſurrectionis inventa, per Canonicos proceſſionaliter delata, primùm ad Domini Sepulchrum. Tyr. lib. 9. cap. 4.

Secundò. *Manſiunculas in Arca facies.* In Arca Sepulchri Chriſti variæ fuerunt manſiunculæ, ut colligitur ex Sylveira dicente: *Monumenta Judæorum, erant eô modô fabricata, ut poſſet quis habitare in eis; nam erant veluti domus quædam, exciſæ in rupibus, quæ ſuis portis claudebantur, ac multos recipere poterant. Quod patet ex Chriſti Sepulchro, in quod Petrus & Joannes introierunt & tres illæ Mulieres, portantes aromata ingreſſæ ſunt.* Tom. 2. lib. 4. f. 435. num. 8. Et in particulari, habebat ibi præter Deum in Corpore decumbentem, principaliter B. V. MARIA ſuam manſiunculam (non manſionem, quia ad Sepulchrum Chriſti tantum humiles habitant, & in illud recipiuntur) quia licet corpore etiam habitare ibidem obnixè contendebat, cùm id præſtare non poſſet, cor & affectum ſuum illi incluſit. Si de ſe ipſa fatetur in Revel. B. Birgittæ: *Deinde poſuerunt eum in Sepulchro. O! quàm libenter tunc poſita fuiſſem viva, cum Filio meo, ſi fuiſſet voluntas ejus.* Libr. I. Cap. 10. fol. 14. Subjungit in Perſona ejusdem S. Bonaventura: *Sed ex quo non poſſum corpore, ſepeliar tamen mente, animam meam in tumulo ſepeliam cum corpore Tuo.* Medit. vit. Chriſt. Cap. 82. fol. 520. Habebant manſionem ſancti Angeli, continuò ibi reſidentes, illis circumquaquè refertum fuiſſe dicit Lucas Burgenſis: *Fuit Monumentum illud, quod Dominus ſua tum morte, tum vita conſecrarat, honoris Domini cauſa, plenum Angelis.* in Luc. Tum quòd ante ipſam cameram intimam, in qua reconditum fuit Corpus Chriſti, eſt extima altera & tanquam aditus ad alteram & veſtibulum; *Angeli Sacellum* appellant, quòd illic Angelus revixiſſe Chriſtum mulieribus nuntiavit. De quo præter Petrum Vallenſem, Tom. I. meminit & Conradus Hietling in peregrino affectuosè per terram S. & Jeruſ. conducto, his verbis: *Priusquam intratur ſanctiſſimum Sepulchrum, intranda eſt Capella Angelorum, ſic dicta, ob ſeſſionem Angeli ſuper lapidem.* Manuduct. 10. lib. 2. fol. 100. Habebant manſiunculam & Diſcipuli. Hi enim licet non valebant diu manere juxta Sepulchrum, propter metum Judæorum, abierunt ad ſemetipſos, id eſt ad hoſpitia ſua, & illuc ubi habitabant, ad Monumentum currebant, advertente Ludolpho Carthuſiano de Saxonia; 2.p c.71.n.30 tamen dilecta corda ibi erant, ubi & Magiſter, juxta illud: *ut ubi ego ſum,* Ioan.12.v.26

illic & Minister meus erit. Habebat mansiunculam, & præcipua Sepulchri Christi cultrix, Maria Magdalena, sic de illa testatur B.
in cap. 28. Matth. Dionys: Carthusian: *Mansit illa juxta Sepulchrum, tuncque apparuit ei Salvator.* Habebant mansiunculas tot viri sancti, in contemplatione & meditatione manentes penes Sepulchrum Christi; constat de S. Gregorio Patriarcha Armenorum, qui per septem annos ad Sepulchrum Christi manebat. Deinde universus Ordo noster, specialem ad Sepulchrum Christi designatam habuit mansionem, Domum Patriarchalem, ac suum Claustrum, de quo in libr. 3tio dicetur. Demum ex toto ferè Christiano populo, suam quisque habet mansionem, teste Petro Bellono *Christianæ religionis populi, Hierosolymam ablegare solent homines, qui in Urbe apud Sepulchrum habitent, plures vel pauciores pro regionis ratione.*

Observ. l. 2. cap. 85.

Faxit Deus, ut ad normam Magdalenæ, de qua loquitur Vincentius Brunus, quod quando occludebant saxo os Sepulchri, fuit ibi simul occlusus illius spiritus. Utinam omnium peccatorum corda, nunc jam aperto concludantur Sepulchro, in eo mens & cogitatio omnis inclusa teneatur. Utinam & in hac Arca Sepulchri, mansiunculæ vel angulum unum reperiamus, in quo præstiti in illo beneficii, semper memores maneamus. Licet enim tantæ materialis capacitatis non sit, ut Arca; infinitæ tamen in angustia virtutis, ut pro amplitudine gloriæ suæ, corda omnium capere sufficiens sit. Proinde cum Benedicto Hàéfteno, Ordinis S. Benedicti Præp: hoc utor metro:

Medit. 52. 1. punct.

In Schol. cord. lect. 16.

Cor cordis, vitæque meæ, quô vita Sepulchro
Conditur; hoc vitam, cor quoque claudo meum.

Hanc autem mansionem non alio fine, motivo quisque habere cupiat in Sepulchro Christi, nisi conformiter ad mansionem Arcæ; nimirum, ut manentes ibi species salvarentur, super terram; ita quilibet homo, si non corporalem, Spiritualem tamen sibi eligat mansionem in Sepulchro Christi, ut ibi mente & corde amando Christum, possit in æternum salvari, & non perire. Nemo periit, quicunque Arcam ingressus est; non peribis, si bona fide, casto amore, ingredieris Sepulchrum Christi. Hoc enim est secura in naufragio hujus mundi mansio, tuta in procellis tentationum habitatio. Non accedet ad te malum, non illi procellosi vortices inferni, allident te ad scopulos demersionis sui profundi,

ſi te huic concredes onerariæ; modo tantùm in octavo numero, id eſt in perfecto octonario virtutum beatarum, hanc ingreſſus fueris Arcam. Facias manſiunculam vel modicam in Sepulchro Chriſti, & nullæ aquæ, id eſt populi multi, affectiones terrenæ & mundanæ, te abſorbebunt vel opprimment. Non alius facit manſionem in Arca, niſi Nòé, de quo dictum à Patre, *quia iſte conſolabitur nos ab operibus &c.* & quia erat juſtus, atque perfectus in omnibus generationibus; quia in Arca Sepulchri non alius locandus erat, niſi Chriſtus Dominus, qui nos conſolatus eſt ab operibus & laboribus in terra, cui maledixit Dominus; & qui erat juſtitia & perfectio, & ambulavit cum Deo, nempe fuit verus Deus. Nec tu aliter manſionem habere poteris in Sepulchro, niſi ſis juſtus, perfectus, & habens gratiam coram Domino, ambulans coram eo; nimirum in frequenti profectu virtutum, proſpere procedens; Itaque reperire manſionem in Sepulchro Chriſti, pro maximo tibi vertas beneficio, & ſalutis parte. E contra non habere ſpiritualem in hac Sepulchri Arca manſionem, extremum & maximum arbitreris ſupplicium, & manifeſtum naufragii periculum.

Tertiò, juſſit Deus bitumine linire Arcam intrinſecus & extrinſecus; ita & Sepulchrum Chriſti, fuit bitumine linitum intrinſecus & extrinſecus. Illa enim bitumine linitio, ſeu præcuſtodita cautela, primò exprimere videbatur, multam diligentiam Phariſæorum, in cuſtodiendo Sepulchro, qui magno munimine, tanquam bitumine, linierunt Arcam, dum Sepulchrum militari ſtatione, indefeſſa ſollicitudine vallantes, undique circumeunt, ut ad illud nemini pateat aditus, ſicut nec aquæ ad Arcam; ut fatetur S. Maximus: *Tanta ſollicitudine obſtruxit Sepulchrum impietas, ut id non prævaleret manus humana deſtruere, niſi ſola virtus reſurrectionis aperiret.* Serm. 3. in Paſch. In ſuper illo bitumine, ſignificavit Deus omnem munitionem, fortificationem, ac circumſpectam Sepulchri ſui tutelam; & illo bitumine jam in figura liniebat, & obſtruebat ora iniquorum Judæorum, aſſerentium blaſphemè, in Sepulchro fuiſſe quoſdam cuniculos, & rimulas effoſſas à diſcipulis, per quas furati ſunt Chriſti Corpus. Sicut enim Deus juſſit Arcam ideo intus & de foris linire bitumine, quod juxta D. Ambroſ. eſt vehementis ad conſtringendum naturæ, ne per fiſſuram aliqualem

lem Arcæ aquæ ingrederentur, eamque submergerent; ita Deus suo Sepulchro, tantam tutelam providit, dum in rupe illud excisum esse voluit, seu rupem ipsam ferrô excavatam pro Sepulchro elegit, non alio ex motivo, nisi ut futuris Judæorum fraudibus, præcluderet aditum, quod per subterraneas fissuras penetrare ad Sepulchrum Christi, res fuerit immensi operis, & impossibilis tentaminis, sicut linitâ bitumine Arcâ intus & extra, aquarum penetratio. *Talis enim est Christi Sepultura, quæ fraudem, iniquitatemque non habeat*; inquit S. Ambros. Adeoque sicut Arca fortissimè munita, adversus certamen futurum cum rabidis procellis, non est passa ullum naufragium ac submersionem; ita Sepulchrum Christi, tam firmiter ac operosè fuit provisum, ut nulla in illo, paterent furti, sive effractionis aut violationis indicia, quibus iniquè certant Judæi, per quæ fides veræ resurrectionis naufragium pateretur, & Sepulchrum suæ gloriæ jacturam ac damnum subiret. Loquitur ad hunc sensum Josephus de la Zerda Benedictinus: *Vide prærogativam Sepulchri; excisum est de petra, ne vel rimula pateat, per quam incorruptionis fides, victoriæque de morte triumphus posset periclitari.* Præterea hæc geminata linitio, significabat duplicem, scilicet intrinsecam, ab intra jacente Deo, & extrinsecam Dei protectionem ac præsidium, quô fuit tutum & securum ab hostium ruina, Sepulchrum Christi. Ut enim decumani fluctus, licet magno impetu, fervore, ac ingenti tempestate procellarum, insiliebant in Arcam, nocere illi tamen non poterant, tam stabiliter instructæ; sic Sepulchrum Christi, ita Divina Providentia singulari præsidio communivit, ut quamvis hostiles impetus, contra illud fremerent, id tamen nequaquam passum est aliquod vel minimum naufragium. Si sola navis, quâ vehebatur S. Cerboni Episcopi Populoni corpus, immunis fuit à pluvia, circumquaque depluente, omnibus aliis dissipatis, suborta ingenti tempestate, quantò magis huic Arcæ Sepulchri Christi, majori auxilio ac præsidio fuit Corpus Numinis. O! quoties Sanctissima Arca! *circum dederunt te, sicut aqua*, tot barbaræ gentes & nationes: *Aquæ populi sunt & gentes & linguæ*, tota die, seu perpetuô ac continuô ferè temporum fluxu! O quoties! dicit S. Sepulchrum: (& lapides pondera vocis habent) *omnes fluctus tuos induxisti super me*, scilicet omnes calamitates, clades, bella, qua me obruere, demergere inten-

In Luc. cap. 24.

Academ. 23. n. 10. fol. 355

Apoc. 7.

Psalm. 87.

intendebant; sed tu Domine, ita me bitumine, scilicet tuo conservatione undique oblinisti, ut semper tutum ac securum, etiam in suborta tempestate manerem. Disce hinc, si vis in corde tuo figuram Sepulchri Christi gerere, ad instar Arcæ, debes esse & corpore extrinsecus Sanctus, & corde intrinsecus purus, hoc est intus & foris bitumine circumlinitus. Deinde quotiescunque ingentibus, sive furoris, iræ, sive concupiscentiæ, vel proximæ occasionis peccandi, jactaris fluctibus, hoc utere medio, quod adhibuit, teste Palladio Episcopo, Virgo quædam nomine Alexandra, evitans insanum amorem, relicta Civitate, in monumento se inclusit annos decem; meliùs tuæ providebis securitati, si in simili periculo, Arcæ Sepulchri Christi, te incluseris, pudicitiæ tuæ procellas repulsurus. In Lausanica hist. cap. 4.

Quartò Arca habeat præscriptam sibi à Deo dimensionem, longitudinis, latitudinis & altitudinis. Sepulchri Christi omnis mensura ac Geometrica dispositio, debet accipi à Corpore Christi. Si enim juxta D. Antoninum Archiep: Florentinum, mensuræ ipsæ longitudinis, latitudinis & altitudinis, significabant Corpus humanum Christi, in cujus veritate ad homines prænuntiatus est venturus, & venit, quod ipsum planè deducens subdit: *Unde facta est Arca in hujus figuram*; adeoque & Sepulchrum Christi, quod reformatum fuerat, respectivè ad solum Corpus Christi capiendum, mensurari debet proportionatè ad idem Corpus Christi sepultum, & sic fiet æqualis commensuratio Sepulchri cum Corpore Christi jacentis, æqualem habentis dimensionem cum Arca Nòé. Part. 2. hist. tom. 1. c. 2. §. 1. de Arca.

Quintò. Præcipit Deus Nòé: *Fenestram in Arca facies, & in cubito consummabis summitatem ejus, ostium autem Arcæ pones ex latere.* Singulæ hæc dispositiones reperiri in Sepulchro Christi videntur. Sepulchrum Christi, licet juxta Joannem Collovicum *fenestram nullam habeat*, quod ipsum fatetur personalis testis Brendeybach: *Nulla fenestra est, mittens lumen intus*: habet tamen lumen suum, non tam illas materiales, lampades, quæ pendent supra Sepulchrum Domini, lucem continuam ministrantes, ut testatur Sanutus; sed lux de lumine, lux quæ illuminat omnem mundum, lucerna ejus est Agnus, à quo omnis claritas Dominico accedit Sepulchro. Summitas consummata in cubito, quatenus cubiculum Sepulchri Domini, altius non est, quàm ut manus elevari modi- vers. 16. Itiner. Hierosol. libr. 2. In Pereg. ad Sepulchr. Fidel. Cruc. lib. 3. p. 14. cap. 8.

De loc. Sanct. fol. 488. modicè possit, de quo Beda: *Monumentum Domini in petra rotundum, cujus culmen, intrinsecus stans homo, manu contingere potest*; quod firmat & Haymo. Ostium autem ex latere, tunc fabrefactum est in Sepulchro, cùm in se recepit Corpus Christi, cum ostio lateris perforati: Tum idem Joann: Cottovicus, loco citato describens Sepulchrum Christi, dicit, esse versùs orientem, ostium è rupe excisum, humile admodùm, ita, ut non nisi curvatus transire possit, per hoc ostium in cryptam ipsam intratur, in qua ad dexteram ipsum est Sanctum Sepulchrum, candido marmore obductum. Ad similitudinem terminorum, pressiùs Ludolphus Alemannus descript: *Qui videlicet locus* (id est Sepulchrum Domini) *non desuper, sed à latere meridiano, per totum est patulus &c. aperturam habens à latere, & non superiùs.*

Sextò. Mandavit Deus, ut in Arcam bina inducantur: *bina ingredientur tecum, ut possint vivere.* In Arcam Sepulchri Christi duæ naturæ, una suprema ac perspectissima, Divina scilicet; altera illi subjecta, scilicet humana, ingressæ, sociali comitatu. Joseph & Nicodemus, hi duo portantes Corpus Christi, primò introierunt: duos Angelos nominant Lucas & Joannes, sedentes ad Sepulchrum Maria Magdalene, & altera Maria, venit videre Sepulchrum. Et de Discipulis Domini: *Hinc currunt duo pariter. Ad gloriosum tumulum*; ut Joan. cap. 20. dicitur: *Exiit ergo Petrus, & ille alius Discipulus, & venerunt ad Monumentum currebant autem duo simul.*

Septimò. In Arca Noë, fuerunt habitantia varia genera creaturarum & animalium. Ad Sepulchrum Christi ingens hominum multitudo, præter christianos diversarum nationum, & sectarum convenire solet: Græci, Armeni, Syri, Nestoriani, Jacobitæ, Georgiani, Abassini, Maronitæ, Indi, aliique permulti, hinc inde habitantes, habentes alios, & alios ritus, & mores atque observationes dispares prorsus, qui omnes se Christianos gloriantur; ut superiùs adductus Brendeybach testatur: pluribus tamen sunt involuti erroribus & hæresibus, omnes confusè, singuli suâ linguâ rituque orant, hymnos cantant ad Sepulchrum Domini, Authore Cottovico in sua peregrinatione. Singulæ istæ nationes, peculiare habent sacellum, quoniam in quibusdam articulis inter se differunt, & aluntur pecuniis, quas Principes singularum Provinciarum, illis

mittunt: solis Latinis Sepulchri custodia est commissa. Continentia animalium & volucrum cœli in Arca Sepulchri, fuit designata in linteo viso à S. Petro Actor. 10. *in quo erant omnia quadrupedia, & serpentia terræ & volatilia cœli.* Hoc enim linteum, propriè fuerat linteum, seu sindon munda, in qua Joseph corpus involvit Domini, testante S. Hilario: *Et quidem in hoc eodem linteo, reperimus de cœlo, ad Petrum universorum animantium genera submissa.* Et D. Ambros. Commentar. in Luc. cap. 24. *Bonum linteum misit Joseph, & fortasse illud, quod Petrus vidit è cœlo ad se esse demissum, in quo erant genera quadrupedum & ferarum & volucrum, ad similitudinem gentilium figurata.* Quod scilicet sicut in Arca Nòé fuerunt animalia immunda, idque binario numero, ita ad Sepulchrum Christi, cujus signum fuerat linteum, plenum quadrupedibus, infideles Pagani ac Hæretici, ad agnitionem veræ fidei Romanæ Ecclesiæ redibunt. Et ad idem Christi Sepulchrum, alia animalia scilicet christiani peccatores convertentur. De qua Sepulchrali Christi Arca, illud Psalmistæ dici possit: *Animalia tua habitabunt in ea.* Hujus versûs explanatio à Lorino hîc, benè aptatur Sepulchro Christi: Glossa enim Interlinearis per animalia intelligit gentes mansuefactas & conversas, quæ plurimæ ad Sepulchrum Christi sunt conversæ ad Deum: Chaldæus per animalia intelligit Angelos; vocare enim solent Hebræi, Angelos, nomine Animalium, quorum Angelorum innumerabilis multitudo, ad Sepulchrum Christi manet. Munda verò numerô septenario; id est Viri Sancti, septiformi gratiâ Spiritûs Sancti pleni, Sepulchro Christi aderunt. Volucres autem cœli, Viros religiosos, contemplativos, ac sola cœlestia petentes, indicare videtur, qui à Sepulchro Christi, ad sublimem evecti sunt statum ac perfectionem. Tu, qui es ferum ac indomitum animal, in tuis bestialibus appetitibus, nativa vi repugnantibus legi Divinæ ac professioni tuæ, include illos in Sepulchro Christi, & morigeratus, tractabilior, ac pacatior fies. *Absit enim, ut Dominus JESUS, à brutis animalibus & insensatis, Sepulchrum sui Sanctissimi Corporis visitari velit.*

In Matt. fol. 424.

Psalm. 67.

Alb. Aqven. Hist. Hierosl. lib. 1. fol. 196. num. 40.

Octavò. Jacobus Edessenus, ex prisca traditione Seniorum affirmat, *Nòé Arcam, cùm esset cum liberis suis conscensurus, impendente diluvio, secum in illam intulisse ossa Adami;* præsidium sibi in illo communi naufragio allatura. Sanctiora longè secundi Adami, in

Part. 1. cap. 14

in arcam Sepulchri illata ossa, & à totius Urbis Hierosolymæ eversione, & diutiùs, quia hucusque, ab omni illam conservant periculo.

Nonò. In arca Nòé, octo animæ salvæ factæ sunt, ut testatur D. Petrus; ex Sepulchro die octava, scilicet die Dominica facta resurrectio, salutem animabus attulit. Sicut enim quietis Christi in Sepulchro, fuit figura quies Nòé in Arca; ita dies octava scilicet Dominica, Resurrectionis ex Sepulchro, figurabatur in die egressùs Nòé ex Arca, in qua octo animæ salvæ factæ sunt. *Qui ergo in hac die resurgere dignatus est, octonarium numerum ad resurrectionem*
Homil. in die *pertinere monstravit*, & subdit: *in cujus typo vel figura octo animæ in*
Pasch. fol. 258 *Arca Nòé salvæ factæ sunt*: inquit Haymo Episcopus.

Demum columba emissa à Nòé, & reversa in Arcam, significabat, animam innocentissimam Christi Domini, quæ in specie columbæ, egressa ex Corpore illius. Prodit enim memoriæ S. Ephrem columbam è templo evolare fuisse visam tunc, cùm in morte Christi velum scissum est; quia scilicet Anima Christi è templo Corporis ejus, evolavit ad limbum. Iterum ad Arcam Sepulchri clausi reversa, portans ramum olivæ, scilicet reflorentissimum & revirescens ab omni corruptela, Corpus Christi reassumens; vel lætum nuntium futuræ resurrectionis, in proximo adferens. Vel si per istam columbam, intelligitur Spiritus Sanctus, hunc Deus Pater misit in Arcam Sepulchri, quo vivificaret Corpus Filii sui; ut diserte asserit Rupertus à Josepho Mansi adductus his verbis: *Per Nòé Christus significatur* (inquit Rupertus Abbas) *per Arcam, Sepulchrum, vita verò per Spiritum; adeoque Spiritus Sanctus, eo in loco vult innuere, quòd Deus Pater, post ingens illud Sangvinis diluvium, Filii sui in Sepulchro quiescentis memor, suum ad ipsum vivificandum miserit Spiritum.*

Tandem ex Arca, non egreditur eòúsque Nòé, quoúsque
Genes. 8. v. Deus non intimaret ipsi suum mandatum: *Egredere de Arca tu.* Ex-
16. clamat Rupertus: *Quid cogitatis fuisse egredi Noemum de Arca? egredi sanè de Sepulchro*, in quo Christus tam diu jacuit, donec adveniret voluntas Divina, impletiva ac manifestativa mandati, executivæ egressionis in tempore præfinito, dicens per os Psalmistæ:
Psalm. 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuæ*, quasi diceret: exurge Domine ex requie tua, tu ad vitam immortalem, ad dexteram Patris consessurus; Arca vero id est Sepulchrum

tuum

tuum, quod sacratissimo corpore sanctificasti, surgat ad honorem, gloriam, venerationem ac visitationem, ut indivisibiliter honor tumuli venerandi, crescat ex gloria sanctissima dignitatis & nominis tui Christe, quem tu salvo tuo egressu, nobilitâsti & decorâsti.

ARCA TESTAMENTI.

In sacris literis veteris testamenti, Arca frequenter *Gloria Dei* appellatur, & quasi Synonimicè gloria pro eodem, quod Arca, in multis textibus accipitur; ut fusè probat Franciscus de Mendoca in Libr. 1. Reg. cap. 4. Dum Sepulchrum Christi, in Arca testamenti fuguratum esse assero, eo ipso in hoc titulo gloriosum esse demonstro: quasi dicere Sepulchrum Christi Arcam testamenti, idem est dicere gloriam seu gloriosum ante Isaiam. Titulum hunc Arcæ, Sepulchro Christi tribuit Joannes Thaulerus in Exercit: de Vit: Christi: *O Sacrum Monumentum! o Arca gloriosa!* Et adducta verba Psalmi 131. *Surge Domine in requiem tuam, tu & Arca Sanctificationis tuæ*, S. Gregorius hom: 20. in Ezechiel: explicat de Sepulchro, ex quo exsurrexit in requiem suam, cùm Carnem suam de Sepulchro suscitavit. Et Quaresmius Tom: 1. libr: 2. cap: 69. fol: 687. dicit: *Arca sanctificationis, gloriosi Sepulchri tui figura.* Præterea Descriptores S. Sepulchri, in Itinerariis suis referunt, quod ad parietem petræ Sepulchri Christi, stat marmorea Arca, coloris subnigri, alta & lata unius circiter cubiti, longitudo ejus, æquiparatur longitudini petræ, quam licet plurimi existiment esse aliquod Altare, aliqui tamen existimant, marmoream Arcam esse Sepulchrum, in quo Corpus Christi Domini depositum fuerat; quod ipsum tradit & R. P. Thomas Mtodzianowski, inter descriptiones Sepulchri Christi, adductus ab Authore Ordinis Nostri sæpius jam memorato, his verbis: *In illo autem cubiculo, ut ita dicam* (scilicet Sepulchri Christi) *est Arca quædam, & in hac ipsa realiter quiescebat Corpus Domini JESU; hæc Arca est modo tecta marmore albo, & in hoc loco Sacrificium Missæ celebratur.* Tum si locus, ubi natura cor reposuit, Arca à Medicis appellatur; Filius hominis, dum in corde terræ reponitur, loco nomen Arcæ indidit.

num. 21. fol. 256.

Cap. 54. fol. 295.

Sepultur. Vivent. fol. 627.

Häésten in Schol. cord.

Deinde Sepulchrum Christi, quam plurimam habuit similitudinem, & maximam convenientiam, per omnes eventuo cum Arca

testamenti, ex multis rationibus. Sic primò, ex ratione vocabuli; tum quia sicut Arca hæc vocabatur, *testificatio*, ut Exod. Cap. 26. v. 16. *tabernaculum testimonii* ac *testimonium*: ut ibidem Cap. 30. v. 6. & Numer. 7. v. 4. Ita Sepulchrum Christi fuit testificatio, non solùm veræ mortis illius, ut dictum, sed etiam veræ resurrectionis, ut inquit S. Chrysostomus: *Sepulchrum Christi, resurrectionem ubique testatur.* Et Arias Montanus Comment: in Isaiæ textum: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum.* fol. 275. *Christi Sepulchrum gloriosum & celebre, propterea futurum, quòd & mortis, pro hominum salute, susceptæ, & admirandæ resurrectionis, argumentum & testimonium præberet.* Sepulchrum enim reseratum, apertam Christi resurrectionem testabatur & prædicabat, dum Angelus, illo teste, eandem demonstrat dicens: *Ecce locus, ubi posuerunt eum*; ac si dicat Angelus: Vultis certificari de ejus resurrectione, videte locum, ubi positus erat Dominus. *Si verbis meis non creditis, vacuo credatis Sepulchro*, ut sic explicat hæc verba D. Hieronym: in Matth: Talem, tanquam ex antecedenti, ex Sepulchro, fidelis resurrectionis Christi, subinfert illationem, ac bonam probat consequentiam, & S. Chrysostomus: *Quod si nulla fraus admissa fuerit, Sepulchrum vero repertum est vacuum; perspicuum est, quod procul dubio, & citra controversiam resurrexit.* Est testimonium Omnipotentiæ Divinæ; quód enim è clauso corpus exivit Sepulchro, Omnipotentia Divina hoc effecit. Est testimonium dominii Divini; ex Sepulchro enim demonstravit se non solùm vivorum, sed & mortuorum esse Dominum. Est testis ejus gloriosæ Majestatis; quod deducitur ex Origine homil. 7. in Exod: in figura horum verborum Exod. cap. 16. v. 7. quæ dixerunt Moyses & Aaron ad filios Israel: *Vesperè scietis, quòd Dominus eduxerit vos de terra Ægypti, & manè videbitis gloriam Domini.* Quia nimirum juxta eundem, tunc à Judæis ad vesperam cognitus est Dominus, & manè visa est gloria & Majestas Domini, quando, ut dicitur in Evangelio Matth. 28. *Vespere Sabbathi, quæ lucescit in prima Sabbathi, venit Maria Magdalene & altera Maria ad Sepulchrum, & viderunt lapidem revolutum à monumento.* Et centurio & custodes dixerunt: *Verè hic Filius Dei erat.* Adeoque venientes mulieres valde manè ad Sepulchrum, & invenientes Angelum sedentem in eodem, virtutem agnoverunt resurrectionis, & Majestatem gloriæ Divinæ. Certè enim illa revolu-

tio

In Expos. Ep. ad Corint. cap 15. homil. 38.

Super Matth. cap. 27. v. 65.

tio lapidis à Monumento, & vacuitas à Divino corpore, nonne fuère, apertæ gloriæ Christi, ac illius Majestaticæ dignitatis, signa & indicia? Sepulchrum Christi, est testis bonitatis erga genus humanum, ex qua conservavit corpus, nec subjecit corruptioni, sed illud ex Sepulchro eximiis nobilitavit dotibus, ac in tantam reservavit gloriam. Est testis humilitatis; quia se Christus ad ima terræ sepulchralis demisit. Est testis libertatis perfectissimæ, ut deducit S. Thomas 3. p. q. 51. Art. 1. ad. 1. *Dicendum, quod Christus sepultus, se inter mortuos liberum fuisse ostendit in hoc, quod per inclusionem Sepulchri, non potuit impediri, quin ab eo resurgendo exiverit.* Hinc ex hoc epitaphio Sepulchri, ab Angelo præfixo: *Surrexit, non est hic,* colligit eandem libertatem Joannes Sophranis in Commentario illustrato: *Aliorum enim hæc est inscriptio propria: Hic situs est: vel Hic jacet. At in Sepulchro Domini alia omnia; Angelus enim mulieribus apparens, hanc quasi inscriptionem posuit monumento Christi: Hic non est. De aliis: Hic est. De Christo:* Hic non est. *Cur id? quia aliorum omnium, dum mortui sunt, nulla est alia possessio, præter Sepulchrum; contra Christus, inter mortuos liber, Sepulchrum ita ingressus est, ut libere inde discesserit, quando voluerit.* Sicut ergo horum expressorum attributorum Divinorum, ita & tot aliarum Christi virtutum, ac perfectionum, Sepulchrum est testificatio. Deinde sicut Arca dicta est propitiatorium, eo, quod Deus ibi placabatur, & propitiabatur populo: Sepulchrum Christi à S. Matthia Episcopo Hierosolymitano, dictum propitiatorium peccatorum, ut habetur in illius Oratione, in Vitis Sanctorum Ordinis Nostri. Est item locus placationis; in illo enim Christus Deum nobis placabilem reddidit; ad illud orantes populi, remissionem suorum peccatorum sunt multi consecuti; & Deus universo Ordini Nostro quàm maximè propitius fuit ad suum Sepulchrum, illum ampliando in tot dignitatibus Ecclesiasticis, virtute & eruditione propagando.

Digress. 2. cap. 9. fol. 514.

Ex ratione contentorum, figuram gessit Arcæ, Sepulchrum Christi. Sicut enim in Arca continebatur primò Urna aurea habens Manna; Sic Sepulchrum Christi, omni pretiosius auro, Manna cœleste complexum est, Panem vitæ, omne delectamentum in se habentem, dulcedinem Divinitatis: *O Sacrum Monumentum! O Arca gloriosa!* (sic illud nominat Angelus Paciuchellius) *in qua paradi-*

Discur. Moral. 14. de Se-

pulc. Redemp. fol. 507. *paradisi Manna conservatur.* In Arca fuit Virga Aaron; in Sepulchro Christi Caro, per virgam illam designata, ut Paulus de Palatio: *An non virga Aaronis, priùs sicca & mortua, postea verò uno instanti frondibus, foliis, & fructibus virens, Christi Corpus significabat, in Sepulchro siccum, sed in resurrectione in uno momento decoratum?* Deinde in eodem Monumento, sive non procul ab illo continebatur, virga Crucis Christi, quæ tunc effloruit, quando è ruderibus terræ, simul cum Sepulchro, magna admiratione in virorem pullulavit, & à Macario Hierosolymitano Episcopo mulieri animam agenti, sive jam cadaveri, ut Baronius ex Paulino, applicata, spiritum vitæ restituit. Tertiò in Arca continebantur tabulæ legis scriptæ; in Sepulchro Christus contentus, in quo est omnis plenitudo legis. Præterea in eodem Monumento, inventa est Crux, in qua fuit scripta lex gratiæ; & insuper tabula illa scripta à Pilato, cum titulo Domini JESU, in quo nomine tota lex pendet & Prophetæ.

InMatth. cap. 28. fol. 1128

Annal. Tom. 3. fol. 354. num. 46.

Ex ratione ornamenti externi & custodiæ. Tum sicut Arca habebat templum, propter conservandam sui gloriam constructum; sic & supra Sepulchrum Christi fuit Augusta Ecclesia. Bellarminus: *Ergo sicut super Arcam extrui potuit Ædes, ita etiam supra Christi Sepulchrum.* Tum quia sicut Arca, habebat supra se coronam auream, ut præcepit Deus Moysi: *Facies supra, coronam auream per circuitum;* ut ab hoc signo, Arca facile Princeps ac Regina, omnium rerum videretur; sic supra Sepulchrum Christi Crux, tanquam pretiosissimum diadema, ac corona imposita eminebat. De qua sic Beda in libello de locis sanctis, in descriptione S. Sepulchri: *Nam extrinsecus usque ad culminis summitatem, totum marmore tectum est, summum verò culmen auro ornatum, auream magnam gestat crucem.* Et Illmus Haymo: *Super Sepulchrum autem, Christiani Crucem Auream, miræ pulchritudinis statuerunt, appendentes ante eam pharum argenteam, cum lampadibus.* Et quatenus non solùm ornamento & decori esset, sed etiam, ut ab hoc signo facile & Regis Regum, ac Salvatoris Nostri Sepulchrum dignosceretur. Super eundem, Christi Sepulchri, lapidem, omni lapide, pretiosior apparebat Corona; de qua sic S. Laurentius Justinianus: *Tunc universi, qui aderant, Corpus deponentes de ligno, supra lapidem propè jacentem, collocarunt, seriatim in modum Coronæ, tam mares quam fœminæ*

Tom. I. cap. 4. de Cult. Sanct. libr. 3.

Exod. 25. v. II.

Cap. 2. fol. 488.

Homil. de Temp. in die Pasch. fol. 259.

fœminæ composuerunt se. Circumdabant Sepulchrum Christi, tot coronæ aureæ Regum Hierosolymitanorum, qui ad Sepulchrum Christi coronabantur, ut de Balduino de Burgo, Comite Edessano, II. Rege Hierosolymorum, testatur Sanutus: *Omnium igitur consensu, in Resurrectione Domini, in Ecclesia S. Sepulchri, Rex Hierusalem coronatus est, secundo Aprilis.* Et de Friderico II. Imperatore scribit Odoricus Raynaldus Tarvisinus, Congreg: Orator: Presb: *Summo manè, ipso die Dominico, Sepulchrum intravit, vestibusque indutus regalibus, capiti suo imponit diadema.* Ambiebant verticem Sepulchri, tot Triregia Pontificum, Imperatorum & Imperatricum, Regum & Reginarum Coronæ, Ducum Mitræ, quæ honoris causâ, subjectionis, ac venerationis, illius appensæ fuerunt culmini. Addit & speciale decus, Corona Baldvini III. quam ille Sanctissimo adferens Sepulchro, in ejus consentaneam hæreditatem, ac magis debitam resignavit dignitatem, factus Canonicus Regularis per professionem in manibus Patriarchæ, servitio S. Sepulchri magis voluit præeminere, quàm Imperio: ut de hoc Rege idem Marinus Sanucus Torsellus: *Coram Patriarcha & Baronibu , se regali exuens dignitate, dixitque se velle Christi amore, in pa perie mori, & Canonicorum Regularium S. Sepulchri habitum sumpsit, ubi & Sepultus est.*

Fidel. Cruc. lib. 3. p. 6. cap. 9. f. 157. num. 50.

Ann. 1229. num. 13.

Fidel. Cruc. lib 3. p. 6. f. 162. n. 20.

Præterea supra Arcam, fuerunt duo Cherubini sedentes, expansis alis, operientes oraculum, ut Exod: cap. 25. v. 18. idque hi Cherubim, habuerunt humanam speciem & formam; ut dicit Cornelius à Lapide hic; Ad Sepulchrum Christi fuerunt primò, duo Cherubim, scilicet Joseph ab Arimathæa, & Nicodemus, qui Cherubica fortitudine, impetrato Corpore, plus meruerunt ultra Cherubinos Arcæ, non alis, sed manibus propriis, involventes Corpus Christi in sindone, intulerunt illud in Sepulchrum. Quod ipsorum munus ultra Cherubinos Arcæ, extollit & ipse Epiphanius: *Josephus & Ni odemus, Cherubim antecesserunt, Deum Cherubim in se ipsum extollentes & gestantes. Antecesserunt alis præditos, Ministri Dei effecti, qui non alis, sed Sindonibus Dominum contexerunt & honorarunt.* Et doctissimus Sylveira Commentator: *Joseph & Nicodemus Deum Sepulchro velan , quod omnino à se dimittunt, & totum Deo consecrant, ex quo illustrissimi hi duo viri, Seraphinis præferendi sunt.* Secundo duo Cherubim super Arcam sunt duo Angeli,

Homil. in Christ. Sepulchr.

Tom. 3. lib. 8 de Sepulchr. Christ. qv. 10 num. 64.

geli, qui intus erant in Sepulchro, in veste candida: & hæc verba Luc: 24. v. 4. *Ecce duo viri*, id est duo Angeli, specie seu forma virili, intelligit Tyrini, qui ad illud, tanquam ad sæculorum negotium respiciebant; ut B. Amadæus Episcopus Lausaniæ homil: 6. de laud: B. Mariæ: *Duo Cherubim super propitiatorium, in utraque summitate, duo sunt Angeli, quorum unus ad caput, & unus sedit ad pedes, ubi positum erat Corpus Christi.* Ad hunc sensum Quaresmius allusionem facit: *Et nonnè ad Sanctissimum Sepulchrum, sicut ad Arcam Dei, sicut ad negotium sæculorum respiciunt, & qui in cœlo habitant Angeli, dum ad ipsum veniunt, & ut quondam Cherubim, erant super Arcam testimonii, ita Angeli apparuerunt, super Arcam Sepulchri, ad caput, ad pedes, ubi positum erat Corpus JESU.* Insuper Cherubini duo, sunt duo Sepulchri Christi custodes, primus Cherubin Angelus Gabriel, qui ipse secundum Franciscum Lucam apud Sylveiram, revolvit lapidem à Sepulchro, & sedebat super eum, tanquam fortis defensor & primus custos. D. Hieronymus in Matth. ait: *Sedebat, ut esset Custos Sepulchri Dominici.* Et Jacobus Tyrini: *Mansit autem Angelus, sedens super lapidem, ut Sepulchro custos adesset*, idque in simili forma ad instar illorum in Arca, scilicet in juvenili: *Viderunt juvenem sedentem in dextris*; id est, ut Tyrini Angelum juvenili, forma sedentem in dextris, seu dextro latere Sepulchri. Secundus Cherubin supra Sepulchrum, D. Jacobus Minor, Apostolus, Ordinis Nostri primi, in Ecclesia Hierosolymitana Patriarchali Fundator, primus dignitate Episcopus, Angelus in specie humana, quia in Corpore humano, Angelice vixit, ut veritatem præbet S. Antiochus homil: 72. *Beatus Jacobus Domini Frater, Angelicam vitam in terris, cùm vixisset, omnium suffragiis, dici promeruit, justus.* Et hic Angelus, ante illum adhuc propriori, à Beatissima, tanquam dispensatrice dignitatum, penes depositionem Filii sui è Cruce, honore potitus, ex electione Spiritus S. officio custodis insignitus, ut testatur Petrus Lúll: *Post aliquot autem suspiria ad se rediens* (scilicet B. Maria Mater) *nuntiavit cognato suo Jacobo, ex instinctu Spiritûs Sancti, quòd ille Hierosolymis, Custos Sepulchri sui Filii, Prædicator, & Episcopus Fidelium, Propagator passionis & mortis Christi, esse debeat.*

Tertiò: duo Cherubim super Arcam juxta Montanum & Thomam Bozium, erant virili ac muliebri habitu distincti, & indicabant

Biblioth. Vet. PP. Tom. 15. fol. 318.

Tom. 2. libr. 5. cap. 21. fol. 551.

Tom. 3. libr. 9. qv. 10. num. 69.

Cap. 28. v. 2.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 1. fol. 1136.

Rndmus Jacobus Radlinski, Libr. Sepult. Vivent. in Præfat.

Libr. 9. de

bant diversitatem sexûs; quia tam Beatissima Virgo Maria cum sanctis mulieribus, & innumerabili multitudine sanctarum matronarum, quàm Apostoli, Discipuli Christi, ac insignes pietate Viri, aderant Sepulchro, cum zelo & affectu illud visitare. Iidem Cherubini sic diversi, præfigurabant in sexu virili, primævos Ordinis Nostri Patriarchas, Episcopos, Suffraganeos, Patresque, qui in Cherubica etymologia designati (nam juxta D. Hieron: primarium & genuinum Cherubin etymon, hoc est princeps, moderator, & gubernator) erant Principes moderatores, & gubernatores Sepulchri Christi, ut Petrus Lûll: *Ex hoc itaque fine, quatenus Christus apud suum tumulum continuo custodiatur, glorificetur & extollatur, Jacobus Apostolus, minor nominatus, instituit Religiosos apud Sacrum Sepulchrum à quibus Apostolicâ Regula & statuta, quæ protunc non in charta, sed in cordibus eorum scripta erant, sedulo conservarentur.* Fuerunt praterea ex auro purissimo, sicut illi in Arca; quia non ex alia materia, nisi fulgentissimi auri, scilicet vitâ Apostolicâ, observantiâ Regulari, charitate erga Deum & proximum ignitâ, quam S. Augustinus in principio Regulæ suæ præscriptæ, seriò commendavit, conflati, ac hoc nobilissimô metallô fulgidi. Habuerunt vultus suos, versos ad propitiatorium; quia nunquam tam mentem suam, quæ est vultus internus animæ, quàm visum corporalem retrahebant à Dominico Sepulchro, quod Arcam repræsentabat; sed semper ad hoc Sanctissimum propitiatorium, vultus versos habebant, prospicientes semper majori ad illud cultûs Divini propagationi, illius frequentiori ac populosiori adorationi, devotioni, amplitudini; ad illud vultu fixo ac verso continuò orantes. Sic de illis Noster R. P. Samuel Nakielski: *Quid de Majoribus Nostris Canonicis Hierosolymitanis censes? quanta illis mentis lætitia, in Ecclesia S. Sepulchri Ordini Nostro perpetuò hæreditaria, cui hoc futuræ immortalitatis nostræ pignus, gloriosæ videlicet Resurrectionis suæ Sepulchrum, Dominus reliquerat, Divinus Officiis jugiter insistebant.* Duo similiter erant, tum quia duplici dignitate, scilicet Episcopali & Patriarchali honorati, & decorati; tum quia mutuam inter se charitatem servabant, more Apostolico, exactissimè viventes, & juxta Regulam S. Augustini, unanimes habitantes. Postremò velabant alis Arcam, tum per sublimem perfectionem, ad Sepulchrum Christi in altum tendendo virtutis; tum alis, seu pennis & calamis, extollentes Sepulchri Christi

Sign. Eccl. Sign. 36.

In Mausol. S. Jacob. Chronol. Mystic. Cap. I.

Libr. de Antiquit. 2. cap. 9. fol. 129.

Chriſti honorem, prærogativam & gloriam; adeoque ſic illorum elevatâ pietate & doctrinâ, tanquam ſub alis Cherubinorum, latebat ac tegebatur Sepulchrum Chriſti, tanquam ſanctitatis inſigne, ac doctrinæ Cathedra. In altero ſexu exprimebantur, Angelicæ innocentiæ Cherubinæ, ſanctæ Canoniſſæ ac Virgines Ordinis Noſtri, quæ ut filiæ Regum in honore, S. Sepulchrum delectaverunt, aſſiſtentes Hieroſolymis in veſtitu deaurato, hoc eſt ex ampla fundatione Reginæ Meliſendis, uxoris Fulconis Tertii Hieroſolymorum Regis in Bethania, qui locus Eccleſiæ Dominici Sepulchri, erat proprius; ibi habentes nobile cœnobium ſuum, ſub directione Sororis Reginæ præfatæ, de conſenſu Domini Patriarchæ, famulantes S. Sepulchro, ac titulo cuſtodiæ ejusdem inſignitæ, uti & de Stephania Abbatiſſa Eccleſiæ MARIÆ Majoris, quæ Hieroſolymis ante Sepulchrum Domini ſita eſt, nobilis carne & moribus fœminæ, meminit idem Tyrius: Nunc poſt amiſſa loca Sancta, & expulſionem à Sepulchro Domini, alis ſed nigris velant Sepulchrum Chriſti, dum exiſtentes in Galliis, & ſimili ad inſtar Canonicorum Ordinis Noſtri habitu utentes, veſtes nigras gerunt, in ſignum mœroris, quo affici Chriſti fideles tenentur, eo quod Chriſti Domini Sepulchrum, in ditione barbarorum extet. His ipſis terminis R. P. Philippus Bonanni Soc: Jeſu, in Catalogo Ordinum Religioſorum, in Eccleſia militanti, part: 1. ſol: 31. de Canoniſſis S. Sepulchri, ejus rei rationem dat. Adeoque Sepulchrum Chriſti, ad inſtar Arcæ, per circuitum munitum fuit per utriusque ſexûs Religioſos, ut inimico etiam ore fatetur Munſterus Hæreſiarcha libr: 5to. Poſtremo per duos Cherubim ſuper Arcam, intelligi poſſunt, duo Ordines deputati Cuſtodiali miniſterio S. Sepulchri. Primus Ordo Noſter jure hæreditario, vi inſtituti ſui, à prima poſſeſſione perſiſtens. Alter Ordo Hoſpitalariorum, poſtea Rhediorum, & nunc Melitenſium Equitum, quibus erat injuncta defenſio Terræ Sanctæ & Sepulchri Chriſti; de quibus Guillermus Brito canit: *Cura quibus ſpecialis ineſt, pro poſſe Sepulchrum Vivendo, Sacra ſub Religione tueri.* Ultimo per eosdem duos Angelos, habentes vultus verſos ad Arcam, intelligi poteſt univerſitas creaturarum, cœleſtis ſcilicet & terreſtris, quia utraque, hanc Chriſti Sepulchralem Arcam reſpiciebat. Cœleſtis intendebat oculos, ut ex illa quantocyus in immortali natura humana, ſe ſuperiore

futura,

Willerm. Tyrius lib. 15. cap. 26. fol. 887.

Libr. 19. cap. 4. fol. 958.

futura, adoraret Deum Hominem. Terrestris intendebat oculos, quam maximum bonum suum, æternumque commodum beatæ patriæ ac fruitionis Dei, per futuram resurrectionem expectans avidissimè. *Denique* (ut ad propositum dicit Quaresmius) *omnes, qui sunt, præcesserunt & sequuntur ad hoc Sepulchrum oculos conjiciunt, salutem, commodumque ob Christi Resurrectionem expectantes.* Tom. 2. libr. 5. cap. 21. fol. 552.

Ex ratione custodiæ, in hoc primò videtur convenire cum Arca testamenti, Sepulchrum Christi, quòd sicut Arca fœderis à Levitis portabatur, quia hoc illorum *Officium erat*, ut inquit Beda; *hæc Levitarum lex*, Numer. 8. v. 24. *excubabantque Levitæ in custodia Sanctuarii*, Numer. 18. Ita & ad Sepulchrum Christi excubabant, illud portabant, seu manutenebant Canonici Regulares in Levitis figurati; juxta Joannem de Nigra Valle, Ordinis Præmonstratens: S. R. E. Bibliothecarium: *Ordo Canonicus in veteri testamento, à Levitis, quorum cum Ephod linea, in tabernaculo, & in templo Domini, jugiter assistere & ministrare, mysticè inchoàtus est.* Et sicut soli Levitæ, tali fungebantur ministerio, ut dicit David 1. Paralipom: cap. 15. v. 2. *Illicitum est, ut à quocunque portetur Arca Dei, nisi à Levitis, quos elegit Dominus ad portandum eam, & administrandum sibi usque in æternum*; ita non ab aliis portabatur Sepulchrum Christi, nisi à solis Canonicis Regularibus, Custodibus S. Sepulchri, quia *soli Canonici Ecclesiæ Resurrectionis Dominicæ, speciali gaudent prærogativa, dicentes, & ad oculum demonstrationem facientes*: Surrexit Dominus de Sepulchro, his verbis pro honore nostro, loquitur Eminent. Cardinalis Jacobus de Vitriaco, Patriarcha Hierosolymitanus. Nosque elegit Deus, administrandum sibi ab Sepulchrum suum; hoc nobis primarium munus, ac finem injuncti ministerii imponens, ex vi Instituti nostri, quo specificamur, distinguimur & diversificamur ab aliis quibusque Ordinibus, etiam Canonicis; nempe Custodia S. Sepulchri; adeoque testimonio resurrectionis Domini, quod probat, Jacobus Radlinski, S. Th. D. Ordinis Nostri, in Libro à se edito sub titulo: *Norma vitæ Apostolicæ*, part. 1. cap. 2. fol. 68. Hist. Hierosol. cap. 16.

Secundò. Custodia Arcæ, prænotabat Custodiam Sepulchri Christi. Tum ex hac ratione; sicut ad Arcam custodiendam, fuit deputatus Eleazar, filius Aminadab, ut habetur 1. Reg. cap. 7. v. 1. *Eleazarum autem filium ejus sanctificaverunt, ut custodiret Arcam Do-*

mini. Ita ad custodiendum Christi Sepulchrum fuit destinatus à B. Virgine MARIA D. Jacobus Minor, Frater Christi: de quo scribit S. Ignatius Epistol. 2. ad Joannem Seniorem, quòd fuit *Christo JESU simillimus facie, & vitâ, & modô conversationis, ac si ejusdem uteri frater esset gemellus.* Et sicut Eleazarus, per hoc dicitur esse sanctificatus, quia huic custodiæ illum præfecerunt, ut Vatablus, Isidorus, aliique apud Mendocam; & quatenus dignus esset, Arcam custodire; ita S. Jacobus, qui fuit præparatus ad Sepulchrum dignè custodiendum, non postrema excelluit Sanctitate, de quo scribit S. Hieronymus: *Vir tantæ Sanctitatis & rumoris in populo, ut fimbriam vestimenti ejus certatim cuperent attingere.* Vide hîc præfiguratum, quòd omnis Custos Arcæ S. Sepulchri, debet non parvam curare Sanctitatem, sed de integro sanctificari, ad hocce ministerium obeundum. Insuper sicut juxta D. Bernardum: *Consistit coram Arca fœderis, ante testamenti tabulas, & urnam auream habentem manna, & Virgam Aaron, & propitiatorium solenniter infulatus*; ita ante Sepulchrum Christi, Patriarcha cum Archiepiscopis sibi subjectis, in Mitra, baculo sandaliis, ac aliis insigniis Pontificalibus, ex privilegio dignitatis Sepulchri Custodiæ, ante illud consistebant solenniter Infulati.

In libr. 1. Reg. fol. 468.

In Cap. 1. ad Galat. ad finem.

Jacobus Vitriacus Histor. Hierosol.

Ex ratione reverentiæ: Sicut enim Judæi in magna reverentia ac cultu, habuerunt Arcam; sic adhuc in longe majori observantia, ab omnibus fidelibus Christianis habetur, colitur, ac veneratur Sepulchrum Christi; cujus supra Arcam tantò altior erat excessus sanctitatis, quantò sublimiorem intrinsecus gestabat Divinitatis Majestatem; ut ad illius veram ac realem præsentiam Divini Corporis, evanescat penitus sanctitas illius Arcæ. Quod cognoscit Bernardus Brendeybach, insistens verbis S. Hieronymi Epist. 17. ad Marcell: in simili dicentis: *Incompertum extat nemini, quantô antiqui studiô & veteres Judæi, Sancta Sanctorum, tum venerabantur, tum frequentabant, quia ibi erat Arca testamenti cum Cherubin, ibi tabulæ legis, manna quoque & Virga Aaron, quæ fronduerat, continebantur, quæ tamen omnia & singula, ut Vas electionis Paulus differit, non nisi umbra erant futurorum. At nonne apud nos venerabilius, longe est JESU Christi Sanctum, gloriosissimumque Sepulchrum? quod quoties fidelis quisque ingreditur, toties mentis ac fidei suæ oculis, involutum Sindone videt Salvatorem, paululumque procedens, lapidem conspicit*

Transmarin. peregrin. ad Sepulchr. Domini.

ſpicit revolutum; Angelum quoque ſuper ipſum ſedentem, & ſudarium cum linteaminibus oſtendentem.

Secundò in ſignum reverentialis cultûs, primariæ Urbes Palæſtinæ, ſuis expreſſæ nominibus, Numer: 17. multa donaria Arcæ conſecrarunt, omnes fuerunt Metropoles, ut Joſ. 73. num. 3. habetur; ita Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, Sepulchro Chriſti glorioſæ, Rex Balduinus, approbante Romano Pontifice Paſchali, quascunque Urbes, quascunque provincias, ſudoribus bellicis, & regia ſollicitudine, quas per Dei gratiam poſſet vindicare, & de poteſtate hoſtium violenter eripere, ejus regimini dignitatique ſubjecit, ob amorem Sepulchri Chriſti. Acceſſere planè innumeræ, oblationes quas non ſolùm Metropoles Chriſtianarum Urbium, ſed Regnorum, ſanctiſſimo Sepulchro dederunt. Imperium, Francia, Hiſpania, Sicilia, Venetia, Neapolis, Maltha, Anglia, omnes ferè Orbis Urbes, in ſignum reverentiæ tam munera, quam incolæ, ſe ipſos, animasque ſuas, pro ſingulari dono donaverunt ac dedicârunt. Qualiter de Victoribus noſtris, recuperatoribus Hieruſalem, ſcribit Baldricus Archiepiſcopus: *Ad Sepulchrum Salvatoris deoſculandum, catervatim properaverunt, & ibi gratulabunda donaria, & hoſtias pacificas obtulerunt.* Hiſt. Hieroſol. libr. 4. fol. 134. n. 26.

Tertio. Sicut illæ vaccæ, quæ erant junctæ ad plauſtrum trahentes Arcam, ita reveritæ ſunt illam, ut recto tramite, nihil quidquam declinantes à via, procederent mugientes; ita & ad Sepulchrum Chriſti adorandum Maria Magdalena adveniens, recto curſu & tramite, properabat gemens. De qua S. Odo Abbas Cluniacenſis, in hac figura Arcæ loquitur: *Cujus mulieris conſtantia, in libro Regum pulchrè præfigurata eſt, quando Allophyli vaccas fœtas applicarunt ad plauſtrum, vituloſque earum recluſerunt domi.* Serm. de S. Magdalena. Ibant autem ſicut ſcriptum eſt, vaccæ in directum per viam, quæ ducit Bethſamet pergentes & mugientes, nec tamen ad dextram vel ſiniſtram declinantes; *ita & B. Maria Magdalena, cupiens Sepulchrum Domini inviſere, quaſi mugiens & gemens, quæ ad tempus præſentiâ Domini ſui privata fuerat, incedebat.* Eandem figuram applicat & Haymo ad Sanctas Mulieres, quæ absque ulla declinatione, & metu militum cuſtodum, vel Judæorum terrore, properabant ad inviſendum Sepulchrum, ſic dicens: *Adventus Mulierum ad Sepulchrum, pulchrè præfiguratus eſt in libro Regum, quando Allophyli Arcam Domini* Homil. in die S. Paſch. fol. 258. col. 2.

ni captam, in terram Iſrael remittentes, junxerunt duas vaccas fœtas ad plauſtrum, vitolosque earum recluſerunt domi, & ſicut ſcriptum eſt. Ibant vaccæ in directum per viam, quæ ducit Bethſamis, pergentes & mugientes, nec tamen ad dextram, vel ad ſiniſtram declinantes. *Ita & hæ mulieres, pergentes Dominicum Sepulchrum inviſere, quaſi mugientes & gementes dicebant.* Quis revolvet nobis lapidem? *nec tamen propter ſexus fragilitatem, nec propter magnitudinem lapidis, nec propter metum cuſtodum, à cæpto itinere declinabant.*

Quartò. Sicut Arca, propinquum ad ſe ingreſſum, nullius impuri patiebatur, & ut Hebræi apud Abulenſem, referente Mendoca cenſent, quòd impuræ fœminæ, tanquam aliqua vi occulta perculſæ, coram Arca corruebant, quaſi non poſſet ibi in proximo ſtare, earum improbitas; ſic nemo ſpurcorum Turcarum, auſus fuit ingredi S. Sepulchrum, arcente illos ab aditu Divina vi, ac quodam occulto metu illius loci. Et illæ impuræ Mulieres repulſæ ab Arca, quid aliud indicabant, niſi primam Coſmianam Germani Patritii Uxorem, quæ cum nocte quadam, Sanctæ Dominicæ, ſola adorare vellet Sacrum Dei noſtri Sepulchrum, & cum appropinquaret januæ Sacrarii, apparuit illi viſibiliter ſancta Dei Genitrix, & illi prohibuit acceſſum ad Sepulchrum dicens: *Quomodo, cum noſtra non ſis, huc audes ingredi? Crede mihi mulier, huc non ingredieris, niſi nobiscum ſenſeris in fide*; erat enim de hæreſi Severi Acephali. Alteram Mariam Ægyptiacam, quæ in ſua impuritate, pariter volens introire Eccleſiam Dominici Sepulchri, magno conatu repulſa & ejecta, repentina aliqua prohibita virtute. In deſcriptione ſuæ peregrinationis teſtatur Brocardus, Ord: Prædic: quod ante occidentale oſtium Eccleſiæ Sepulchri Chriſti, foris eſt locus, ubi Ægyptiaca Maria meretrix, divinitus prohibita eſt ingredi Sacram Eccleſiam, & illuc orans ante B. V. MARIÆ imaginem, meruit conſolationem per reſponſum: Fuſius vide Libr: 3tio in Catalogo Sanctorum, Viſitantium Sepulchrum Chriſti.

Sophronius in Prato Spirit. cap. 30.

1. part. cap. 2. §. 46.

Ex ratione beneficiorum & privilegiorum, conveniebat Arca teſtamenti, cum Sepulchro Chriſti. Tum quod ſicut Deus propter Arcam, benedixit domui Obededon, ut 1 Reg: cap: 6. v. 11. Similiter poſtquam alacri animo accepit eam Aminadab, totam ejus domum implevit benedictione; ſic Deus primò Hieroſolymæ, tum Regnis, Domibus benedixit, dum Sanctiſſimè hæc Arca, per puritatem

ritatam vitæ tractabatur, amplexabatur, & colebatur. Inde Deum auxiliantem, benefacientem, Christianæ devotiones arbitrabantur. Illius stante honore, stabant Respublicæ, ruente defensione, visitatione, ruere videbantur, diminui, avelli & interire. Benedixit omnibus Imperatoribus, Regibus, Ducibus, Proceribus, qui alacri animo in tutelam, defensionem ab hostibus, recipiebant Arcam Sepulchri Christi. Benedixit propter hanc Arcam Sepulchri, universo Ordini Nostro, in tot Sanctis Patriarchis, Archiepiscopis, Episcopis, Legatis, quem catalogum vide apud Aubertum Miræum Bruxellensem, in notitia Episcopatuum Orbis Christiani, & Nostrum Samuelem Nakielski, de Statu & Antiquit: Ord: Nostr: Benedixit in tot Ecclesiis, quas enumerat in sua Bulla Cœlestinus Papa II. in duobus millibus & octuaginta octo Claustris, regimini & gubernio Ordinis Nostri subjectis & incorporatis. Res ista patet ex Bulla Nicolai Pontificis, in publico Instrumento Patriarchæ Hierosolymitani inserta.

Libr. 1. capit. 13. fol. 62.

In promptuar Antiq. Miechov. fo. 305

Secundum privilegium, dimanabat ab Arca, quod portantes illam boves, nulli jugo aut oneri erant subjecti, ac illius prorsus expertes 1. Reg. cap. 6. v. 7. *quibus non est impositum jugum*; id enim spectabat ad honorem Arcæ, ut à quibus Arca, sacrum in terris oraculum vehebatur, non debuerunt prophanis ac sæcularibus usibus amplius subesse, ut D. Gregorius. Simile privilegium concessum est propter Sepulchrum Christi Ecclesiæ Hierosolymitanæ; De qua id habet Paschalis in sua Bulla: *Dignum est enim, ut Sepulchri Dominici Ecclesia, secundum fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat, & Turcorum seu Saracenorum jugo libera, in christianorum manu abundantiùs exaltetur.* Hoc privilegio insigniti sunt & Canonici Ordinis Nostri, primario servitio, manutentioni, ac portituræ Arcæ destinati, ut essent jugi ac oneris in expertes, ab omnibus aggravantibus exactionibus indebitis, insolitis ab omni sæculari jurisdictione potestate ac dominio, totaliter & perpetuò, Authoritate Apostolica, Summorum Pontificum exempti, scilicet ob respectum Sepulchri Christi. Vel secundum sensum moralem, hoc privilegium habere debent custodes Arcæ, intolerabili jugo sive peccatorum oneri, nunquam subjecti, liberrimi in conscientia, à sæcularibus curis alieni, soli Deo, jugoque obedientiæ, (quod suave & leve est) sint subditi; cum dicat Guibertus Abbas: *Pium Sepul-*

Libr. 1. Dialog. cap. 2.

Tyr. Archiep. Hist. Hierosf. lib. 11. c. 28. fol. 813.

Histor. Hie-

rosol. lib. 14. n. 50. fol. 539. *Sepulchro Christi subjugare verticem*; quia ita Custodientes, portantes Sepulchrum Christi conducunt ad ejus honorem.

Tertium privilegium proveniebat ab Arca, quod Levitæ, portitores, nullum pondus sentiebant; ita ex his scripturæ verbis: 1. Paralip. 15. n. 16. *Cumque adjuvisset Deus Levitas, qui portabant Arcam fœderis Domini*: Asserit Lyraranus, & pro isto miraculoso privilegio, factam esse immolationem; ibidem subjungitur: *immolabantur septem tauri & septem arietes.* Sic omnes sive divinis officiis, ministeriis, servitiis; sive scriptis, concionibus, sive sumptu ac fortunæ dispendio; promoventes, celebrantes, laborantes pro honore S. Sepulchri; nullam defatigationem, lassitudinem, onus, gravitatem experiuntur. Hoc expressit Angelus Custos, docens super lapidem Sepulchri, Mysterium Resurrectionis Christi, & loci dignitatem subtiliter demonstrans sedendo: *Sedebat, inquam,* (dicit Severianus in Catena) *cui nulla inerat lassitudo, ut fidei Doctor, ut resurrectionis Magister*; & D. Chrysologus Sermon: 75. *Cœlestis natura, ignorat lassitudinem, nescit laborem, sed factus est lapis, vas Angelicæ sessionis, doctrinæ cœlestis cathedra*; ita & humana natura, prorsus est expers oneris, minimè ingvavescit, dum honorem, cultum, ampliationem, ac dilatationem amoris Sepulchri Christi, ulterius semper promovet ac convehit, sive ex Cathedra, sive quocunque tractùs modo. Pro quo beneficio gratam referes victimam, si sive peccata mortalia septem, sive quinque sensus externos, ac duas præcipuas animæ potentias, intellectum & voluntatem, ad Arcæ holocaustum, immolaveris.

Ex ratione potentiæ, in multis gessit, figuram Arcæ Sepulchrum Christi. Tum quia, sicut juxta Arcam, Allophyli statuerunt idolum Dagon; ita Deus permisit, ut per annos circiter centum octoginta, in loco Resurrectionis, simulacrum Jovis poneretur. Sed sicut surgentes diluculo Azotii, viderunt prostratum Dagonem ante Arcam Domini; sic valde manè venientes mulieres, viderunt prostratum ac devictum diabolum, per factam aperturam Sepulchri, quæ fuit index Resurrectionis Christi, adeoque & prostrationis diaboli. Et tandem dissimulatam aliquantisper, potentiam suam suspendens Deus, usus est adjutor in opportunitatibus, in manu mulieris Sanctæ, Imperatricis Helenæ, dejiciens à loco Sepulturæ suæ, Dagonem seu idolum Jovis. Ad quod factum

ctum Isidorus Pelusiota inquit: *Sepulchro Christi cesserunt illustria idolorum templa, quia dum venerandum Christi Sepulchrum, cachinnis petulantibus* (Gentiles) *excipiunt, ut eo magis risu digna fiant ipsorum illustria templa, quippe quæ deriso ab ipsis cesserint Sepulchro.* Et sicut Dagon coram Arca, truncus remanserat; sic diabolus ad Sepulchrum Christi, infirmæ & nullius est fortitudinis, de obsessis corporibus foris ejicitur, truncatus ac demolitus manet, & nequit subsistere, ante hanc Arcam Sepulchri JESU. Ad hunc sensum & locum, egregiè Hector Pintus, Lusitanus, Commentar: in Ezechiel: Cap: 7. dicit: *O admirandum Sepulchrum! O Arca fœderis Divina! in qua fuit absconditus panis Cœlestis: Cum quondam Arca Domini capta à Philisthæis, ad templum Dagonis deferretur, cecidit in terram Dagonis simulacrum. Quæ est anima, in qua non ruat simulacrum falsæ lætitiæ, & vanitatis idolum, quod peccator fabricatur in illa, si hujus Sancti Sepulchri in eam memoria ingrediatur?*

Libr. 4. Epist. 27. ad Olympiodor. pag. 13.

pag. 88.

Præterea sicut juxta Petrum Blesensem, Arca posita juxta Dagonem, à virtutibus non cessavit; ita Sepulchrum Christi, quamvis permiserit Deus, poni ante Dagonem, id est Gentem Machometanam: *Et nunc* (inquit Quaresmius) *non typicam illam o Deus, sed veram sanctificationis tuæ Arcam, Sepulchrum tuum venerandum, permittis sordidissimis manibus, & sacrilegæ potestati immundorum infidelium*, tamen etiam ad idolum Machometi situm, seu existens in ditione Turcarum, non cessat à virtutibus. Ibi enim dæmones fugantur, infideles convertuntur, peccatores ad pœnitentiam redeunt, mortui vitam, cæci visum, infirmi sanitatem, afflicti consolationem recipiunt, aliasque innumeras potentiæ suæ manifestat operationes. Tum quia, sicut Arca, dum transiret de civitate in civitatem, de domo una ad alteram, licet *fiebat pavor mortis in singulis urbibus, & gravissima valde manus Dei, & ascendebat ululatus uniuscujusque civitatis in cœlum*; ut 1. Reg: cap: 5. n. 12. dicitur: nihilominus tamen in tanta calamitate, Arca semper salva & illæsa remansit: sic dum Arca Sepulchri Christi, de gente in gentem, de potestate Christianorum, ad manus Infidelium deveniebat, ó quantæ strages! quanta bella! quantæ clades! *Foris vastabat gladius, intus pavor*, numerus interfectorum, soli Deo numerandus; Sepulchrum tamen Christi, tantæ erat potentiæ ac fortitudinis, ut nulla illi noceret plaga & adversitas. Ita Cosmas Magalia-

Epistol. 124.

Tom. 1. libr. 2. cap. 69.

Comment. in Josu: Sect. 5. par. 2. fol. 5. n. 10.

nus Bracharensis: *In tanta rerum perturbatione, & Regni Hierosolymitani, tam varia ab uno Dynasta in alium, dissolutoria quadam vicissitudine, facta translatione, intacta semper permansit sancti sepulchri religio, quod ita fore prædictum est ab Isaia:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum.

Accedit; sicut Arca erat singulare præsidium, in rebus arduis, præsertim in bellis; illâ animabantur exanimes, ac trepidi fortificabantur ad prælia, ut ex ejus præsentia, debellandos sine dubio sperarent hostes. Indicat id consultatio Hebræorum 1. Reg: cap: 3. n. 3. *Adferamus ad nos de Silo, Arcam fœderis Domini, & veniat in medio nostri, ut salvet nos de manu inimicorum nostrorum.* Illam in difficillimis præliis contra hostes admovebant; illa in medio castrorum locata, in prima fronte exercitûs; ad ejus conspectum & elevationem, pugna feliciter gesta, & victoria reportata. *Cumque elevaretur Arca, dicebat Moyses: Surge Domine, & dissipentur inimici tui, & fugiant, qui oderunt te, à facie tua. Numer: 10. v. 36.* Hæc tota potentia fortiori titulo, conveniebat Sepulchro; quia S. Chrysostomus, totam Arcæ potestatem, dicit provenire ex illis tabulis Divinæ legis, quæ in illa includebantur. Potentior Arca Sepulchri; quia non tabulas, sed ipsum Legis latorem, ac datorem legis Deum continebat, & Dei præsentiam non indicabat, sed eadem Arca Sepulchri, fuit oraculum ac receptaculum Divinæ Personæ Verbi, unitæ corpori, ac ipsius præsentiæ Divinæ pignus ac specimen peculiare. Hæc inquam, majoritas potentiæ S. Sepulchri eluxit, & in aliis arduis casibus. Primò enim Sepulchrum Christi, fuit populi Christiani munimentum & fortitudo, illô tanquam incentivô & stimulô belli, animabant & concitabant se illi invictissimi Heróës, toto sæculo celeberrimi, sacri belli Duces ac milites: Testis est Aloysius Novarini, his verbis: *In Christum & Christi Sepulchrum fidebant fideles, ut plerique prælium inituri, Sepulchrum ejus invocarent, clamabant quippe, ut est apud Rogerium in Annalibus Anglicanis: Adjuvet nos Christus, Dei Filius, & Sanctum Sepulchrum ejus.* Et in Gestis Francorum narratur, quomodo nostri in prælia, etiam difficillima, audacissimi & paratissimi; habentes in fronte seu mente, auxilium Sepulchri Christi, eôque confisi, dant veloces, in prælia manus: *Christi Nomine invocato & Sancti Sepulchri, confidentes itinere, juncti simul, pervenimus contra eos* (id est

Lib. 11. Schediam Sacrophan. c. 21. n. 167.

pag. 13. n. 10

eſt Turcas) *ad bellum, eosque invaſimus, uno corde & animo.* Secundò Sepulchrum Chriſti, ſpes fortunata bellantium, cauſa triumphorum, radix victoriarum, certiſſima hoſtium ſtrages, inimicorum terror, impiorum clades. In iisdem Geſtis ibidem; obtentum trophæum de Turcis, virtuti Dei & Sepulchri, altribuitur his verbis: *Sic ſuperati ſunt inimici noſtri virtute Dei & S. Sepulchri, & ulterius non valuerunt talem virtutem habere, neque in voce, neque in opere, ſicut priùs.* Et ſic impletum eſt hoc Scripturæ in figura Arcæ teſtimonium: *Cumque elevaretur Arca*; ſeu cum voce & corde, in altum proferretur, & invocaretur in voce exultationis, Sepulchri Arca, dicebat Patriarcha, dicebant Duces: *Surge Domine, & diſſipentur inimici,* id eſt hac virtute, qua ex Sepulchro debellaſti diabolum, contere fortitudinem inimicorum Eccleſiæ tuæ. In iisdem Geſtis patet ex narratione noſtrorum: *Nos itaque in Nomine JESU Chriſti & Sancti Sepulchri, incœpimus bellum, & Deo juvante devicimus eos, Turci verò tremefacti arripuerunt fugam.* Si vita hominis, multo magis vita religioſi, militia eſt ſuper terram, tot cum adverſariis & quidem potentibus, indictum bellum difficillimum: Hebræi Arcam in medio caſtrorum locabant, ut ſic à quoquam circumſpecta, animarentur ad prælia fortiter obeunda, tu in nobiliori medio, ſcilicet in corde, ſtatue Sepulchrum Chriſti, cùm & in medio terræ ſit ſituatio ejus, ut ſic omnes potentiæ animæ tuæ, ſenſusque externi, præ oculis habeant memoriam Sepulchri Chriſti, à cujus conſpectu loci, ad omnia ſpiritualia prælia, etiam atrociſſima, animeris fortiter illa aggrediendo; & præſtò auxilium aderit tibi: habebis ſuccurſum ab Arca Sepulchri auxilii Divini, cui confiſus, gloriosè de tuis triumphabis inimicis. Modo adverte id, quod de Arcæ potentia dicit S. Auguſtinus: *Legis transgreſſores, nequaquam legis Arca tuetur.* Et in ſimili de Sepulchro Chriſti ſcripſit S. Hieronymus in Epiſt. ad Paulinum: *Crucis & Reſurrectionis loca proſunt his, qui portant crucem ſuam, & cum Chriſto reſurgunt quotidie, qui dignos ſe tanto exhibent habitaculo.*

num. 30.

p. 21. n. 30.

De mirab. Script. cap. 7.

De Inſtitution: Monach.

Ex ratione Captivitatis, figurare videtur Arca teſtamenti in hoc, Sepulchrum Chriſti; quòd ſicut pugna illa Philiſthinorum, de qua libr. 1. Reg. cap. 4. n. 10. in qua cæſus eſt Iſràël, & facta eſt plaga magna nimis, & ceciderunt de Iſràël triginta millia peditum, fuit figura belli ſacri Iſraelis, id eſt populi electi, ex omnibus finibus

Chriſtianorum, cum Philiſthinis, id eſt Turcis, Saracenis & Perſis, in quo tot millia ſunt cæſa, nobiliſſimi & fortiſſimi de populo Chriſtiano. Ita captivitas Arcæ: *Et Arca Dei capta eſt*, præſignabat captivitatem S. Sepulchri; quia pridie capiendæ Crucis, & conſequenter S. Sepulchri Hieroſolymis, non obſcurum præceſſit omen & argumentum inter caſtra, ſcilicet lectio ejusdem libri, capitis, de Arcæ captivitate. Exclamat Auctor, qui expeditionem Friderici mandavit literis: *O res mirabilis! o terribile vicinæ cladis præſagium! Ea nocte in tentorio Patriarchæ, ubi erat S. Crux, in matutinali Officio, caſualiter venit legenda de Arca fœderis, à cunctorum audientium & intelligentium corda metu ſubito percelluntur.* Quod ergo cum Arca lectum eveniſſe, hoc augure, factum cum Sepulchro Chriſti; ut patet ex Chronico Alexandrino ad annum 614. ubi habetur: *Præter alias enim multas orientis Civitates, etiam Hieroſolyma à Perſis capta eſt, multis millibus in ea Clericis*, (videlicet Canonicis Ordinis Noſtri, pro tunc ibi exiſtentibus ad Eccleſiam Hieroſolymitanam) *Monachis, ſacris Virginibus occiſis. Incenditur Dominicum Sepulchrum*, (aliàs Eccleſia) *nobiliſſimaque Dei templa, & ut verbo dicam, pretioſa omnia quæque evertuntur. Veneranda Crucis ligna, unà cum vaſis ſacris, quorum innumerus fuit numerus, à Perſis auferuntur. Ipſe Zacharias Patriarcha captivus ducitur.* Et ſic impletum eſt illud Thren. 1. *Manum ſuam miſit hoſtis, ad omnia deſiderabilia ejus.* Quæ verba Rupertus Abbas intelligit de Arca, ita proportionate accipienda ſunt de Sepulchro Chriſti, quod non ſolùm omni ornatu, ſuppellectili pretioſa, ac maximo deſpoliatur decore, ſed etiam Cherubini, id eſt Sancti Præſules, Prælati, ac Canonici Ordinis Noſtri captivantur. Teſte Philippo Bonanni de Canonicis Regularibus S. Sepulchri Hieroſolym: tit. 30. *Cæterum Hieroſolyma iterum capta ab Infidelibus, Patriarcha cum Canonicis fugatis, aut interfectis.* Et ſicut duo filii Heli, mortui ſunt Ophni & Phinees; ita Cuſtodes Arcæ, id eſt Canonici Sepulchri Chriſti, illo capto, in occiſione gladii mortui ſunt, ſtrages noſtrorum innumerabilis fuit, plurimi trucidati, pauci fugati: conſtat ex literis Friderici Imperatoris: *Quin potiùs in ipſius Dei noſtri conſpectu, Sepulchro Domini inclyto, quod fuerat fidei Chriſtianæ viſibile monimentum, miſerabiliter occiderunt.* Et ex literis Roberti Patriarchæ, ad Galliæ & Angliæ Epiſcopos: *Prænominati perfidiſſimi* (id eſt Cherasmini) *Chriſtianos, qui*

Jacob. Gretſerus Tom. 3. lib. 2. c. 21.

Annal: Eccl: Odorici Raynald. an. 1244 fol. 582.

qui se infra Ecclesiam Sepulchri Dominici receptarant, ante ipsum Sepulchrum eviſceraverunt universos, & decapitantes Sacerdotes, qui in altaribus celebrabant. Et ſicut ſunt, qui exiſtimant filios Heli æterna damnatione ereptos, quod dicantur hoc loco, pro tuenda Arca occubuiſſe, ut adfert Mendoca in hunc locum fol: 227. Sententia verior eſt, tam Canonicos, Ordinis Noſtri tuentes Sepulchrum Chriſti, quàm omnes Chriſtianos illius defenſores, æterna morte ereptos eſſe, & palma Martyrii condecoratos. Eadem enim die, quâ à Saladino Ægypti Soltano, capta fuit Hieruſalem cum Sepulchro & Cruce Chriſti, S. Chriſtina Virgo in Caſtro Leonenſi conſtituta, Spiritu fertur cognoviſſe rem geſtam & multum exultaſſe, quod cœlum tot ſuſciperet Martyres, quot clades illa captæ Hieroſolymæ, ad Sepulchrum Chriſti proſtraret fideles. Tum eandem captivitatem Arcæ, confert cum iniqua occupatione S. Sepulchri ab Infidelibus, Joannes Comnenus Imperator Conſtantinopolit. in ſua Oratione, quam moriturus habuit ad Manuelem filium taliter: *Syriam ſum ingreſſus, atque Aquilæ inſtar, in ipſam Palæſtinam transvolaturum me opinabar, ubi Chriſtus extenſis in Cruce manibus, naturæ noſtræ ruinam, ſuo caſu erexit, & parvis guttis totum mundum univit, ac montem Domini conſcenſurum, ut Pſalmographus ſcribit, atque in loco ejus Sancto ſtaturum eſſe, & hoſtes, qui in circuitu ſunt, belli jure aggreſſurum, qui ut olim Arcam barbari, ſic ipſi loculum Domini* (Sepulchrum Chriſti hìc intelligit) *ſæpe jam armis occuparunt.*

Thomas Cantipras apud Surium 23. Junii.

Nicetas Choniat in Annal: lib. 6. fol. 8.

Deinde Arcâ captâ, Heli ab accepto nuntio, tam triſtis rumoris, de qua, quàm maxime ſollicitus erat, de repentè, præ vehementi dolore ex jactura Arcæ, magis, quam ſuorum filiorum, cecidit de ſella & mortuus eſt, dicit textus ſacer, *& Arca Dei capta eſt, cumque ille nominaſſet Arcam Dei, cecidit de ſella & mortuus eſt.* Hæc circumſtantia eveniens circa captivitatem Arcæ, quid quæſo aliud præſignabat, quam mœrorem ac lachrymoſum luctum Sanctorum Antiſtitum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ex capto Sepulchro Chriſti? *Unde meritò* (ſcribit Baronius de S. Sophronio) *non ſecus atque Heli, non ſupſtiterit ampliùs, ubi captam audivit ARCAM DOMINI, neque illi ſuperſtes eſſe cupierit.* Vel item præſignabat ex eadem occaſione eventuram mortem Urbani II. Pontificis Max. in Heli Sacerdote expreſſi. Sicut enim de Heli dicit ſcriptura ibidem: *Erat enim cor ejus pavens de Arca Dei*, ſcilicet, ut exponit Mendoca

Ann. Chriſt. 636. Tom. 8. fol. 339. Annal. Eccleſ.

1. Reg. cap. 4. v. 13.

ſuper hæc verba, ex cura paſtorali, quæ cor ejus excruciabat; ſic Urbanus II. nimis ſollicitus fuit, circa Sepulchrum Chriſti, è manibus impiorum eliberandum. Illius hic maximè, ferventiſſimus enituit zelus, dum totis præcordiorum viſceribus, non parcendo proprio labori, defatigationi; concivit, commovit ad viam Sepulchri, Summum ac diſertiſſimum agens pro illo Oratorem: De quo Pontifice, iſtis verſibus Domnizo Presbyter, apud Baronium canit: *Nam docuit Summus Pater, illos ire Sepulchrum. Ad Domini noſtri, locus ut purgetur, & hoſtis*; ac Spiritu Sancto dictante, invictæ propagini Heroum, Imperatoribus, Regibus, Comitibus, Ducibus, aliisque Auditoribus, hunc urgentiſſimum addebat ſtimulum, in ſua oratione facundiſſima: *Præſertim moveat vos, ſanctum Domini noſtri Salvatoris Sepulchrum, quod ab immundis gentibus poſſidetur, & loca Sancta, quæ nunc in honeſtè tractantur, & irreverenter eorum immunditiis ſordidantur.* Sicut ergo Heli, ex illa ſua maxima cura, & religione erga Arcam, non attenta filiorum morte, ſed ſola captivitate Arcæ audita, occubuit; ſic idem Urbanus, ex maximo zelo religionis S. Sepulchri, ac locorum ſacrorum, quorum charitas cordi, ac venerationi quàm maximè huic Pontifici inerat, auditâ captâ Hieroſolymâ ac Sepulchro Chriſti ab immundis canibus conculcato, ac in manus iterum Turcorum deveniente correptus fuit nimis dolorifera affectione: *Non eſt enim dolor, ſicut dolor iſte, cùm ii Sepulchrum poſſideant, qui Sepultum perſequuntur; Crucem teneant, qui Crucifixum perſequuntur*; inquit Scriptor Anonymus. Imò nec ſic lugenda ab Hebræis, erat capta Arca, quantò fletu deplorandum S. Sepulchrum unà cum Cruce: *Nihil æquè lugendum ætas antiqua protulit: quia nec Arca Domini, nec Reges Judæorum captivati, noſtri caſum temporis æquiparare poſſunt, in quoglorioſæ Cruci, Rex ducitur concaptivus*; & à glorioſiſſimo Sepulchro, tot trucidati, totque captivi in ſervitutem reducti, abducuntur. Hoc itaque lugubri acceptô nuntiô, elanguit cor, ac defecit, Spiritus in Urbano II. Rogerius in rebus Anglicis, de eo his verbis adnotavit: *Sed & Summus Pontifex, cùm intellexiſſet captam eſſe Hieruſalem, Sanctam Crucem, ARCAM DOMINI SS. SEPULCHRUM, velut alter Heli nimio dolore oppreſſus, brevi præſentem mortalem vitam, cum immortali altera commutavit.* Et ab hoc exemplo Heli, de Arcæ captivitate, invehitur D. Dionyſius Carthuſianus in illos, qui nullo

Anno Chriſti 1095.

Robert Monach. Hiſtor. Hieroſol. lib. X.

Hiſtor. Hieroſol. in Geſt. Francor. fol. 1154. n. 40.

Idem Anonymus fol. 1153

nullo unquam afficiuntur dolore, de occupato à Saracenis & Mahometanis Chriſti Sepulchro; Sic hoc loco Artic. 10. dicens: *Reprehendenti ſunt Chriſtiani quàm plurimi, qui de captione S. Sepulchri, & vaſtatione totius terræ Sanctæ, & ſacratiſſimorum locorum profanatione, parva aut nullâ afficiuntur mœſtitiâ;* Cum tamen Gvibertus Abbas, in hiſtor. Hieroſol. hoc pronuntiare audet: *Quæ magis Deum, certa eſt fide doluiſſe credendum, quàm manu prophana, captivatam Crucem atque Sepulchrum.*

Tandem. Arca capta, non ob aliud, niſi propter populi iniquitatem, flagitia Iſraelitarum; præſaga fuit, Chriſtianorum in oriente peccata & ſcelera, hoc afficienda ſupplicii genere, pœnâ, per captivitatem S. Sepulchri, inductâ. Cùm enim Sepulchrum Chriſti populi illius, totius fortitudinis fuerit trophæum, inſuperabile robur, ornamentum & munimentum, unde ſibi plaudebat, unde videbatur invictus, unde metuendus; ut in ſimili de Arca loquitur D. Auguſt. Hoc itaque ablatô, perit tota in Oriente Chriſtianitas, non manet tanta amplitudo, tantus ſplendor, tanta dilatatio ſuæ religionis. Ecce quantum inter alia bonorum diſpendia, attulerunt damnum, Chriſtiano nomini, peccata! dum illius deſignato cultui, poſſeſſionivè, tantum eripuere decus, ſortemque feliciſſimam. *Ergo propter peccata hominum* (inquit Walfriedus) Libr. de reb. *loca ſacra*, (quorum præcipuum eſt Sepulchrum Domini) *à Deo negligi, teſtis eſt Arca ab Allophylis capta, templum* (Sanctæ Reſurrectionis) *toties everſum & prophanatum, & multæ Chriſtianorum Eccleſiæ, nunc à barbaris vaſtatæ vel ſubverſæ, nunc ignibus vel fulminibus deſolatæ.* Eccl. cap. 13. Et in particulari, Arca capta ob hæc peccata, quæ nominat D. Iſidorus Peluſiota: *An non rabidus venter & crapula, & inſanus mulierum amor effecit, ut Ophni & Phinees, & Arca, & gloria & honore truncati, hoſtili gladio trucidarentur?* ſimilia vitia in iisdem perſonis; *fregerunt jugum regulæ, ruperunt vincula Statutorum, ſuperioribus inobedientes, prælatorum ſententias contemnentes, turbique otio marcidi, luxu defluentes.* Ut hæc aliaque, præter Emmum. Jacobum de Vitriaco, enumerat & Sanutus; effecerunt, ut S. Sepulchro privaremur. *Sepulchrum quoque ſuum ac cætera loca* (inquit idem) *tradidit* Cap 69. 71. *inimicis Crucis ſuæ, dicens: Puduit minus in peregrinis, quàm caſtris* Fidel. Cruc. *ſordere meis.* Vide, ſi eadem nota non ſit in te, ob quam iratus lib. 3. p. 8. Deus, in noſtram non permittit devenire poſſeſſionem. cap. 6.

ALTARE.

Gloriæ Dei peragendæ, locus destinatus Altare, in hunc con-
Exod. 24. v. 43. structum finem: *Sanctificabitur Altare in gloria mea.* In illo enim principaliter reponitur, consecratur Corpus Christi & Sanguis. *Quid est enim Altare? nisi sedes & Corporis & Sanguinis Domini*, quærit & re-
Lib. 6. contr. Pann. spondet Optatus Milevitanus. Ita gloriam S. Sepulchri in Altaris collocamus titulo, quod repositorium, sedes, receptaculum fuit corporis Christi mortui. Aras enim vocari Sepulchra, præter alios Authores, tenet Cornelius à Lapide super Isaiæ cap: 11. & super illa verba Apoc: 6. *Vidi sub Altare, animas interfectorum.* Imò & Altaria super Sepulchra erigi, patet in tot Basilicis & Ecclesiis; adeoque rectè super Sepulchrum Christi Altaria erigimus, in quibus dignitatem & gloriam ejus solenniter celebremus. Altare enim Se-
Medit. de Passion. Dom. fol. 439. Sepulchrum Christi exprimit. Vincentius Brunus: *Sepulchrum, in quo jacebat Corpus Christi, designabat Altare Domini, in quo mysterium Corporis & Sanguinis Domini conficitur.* Et etiamnum refert formam Altaris: his verbis testatur Conradus Hietling Ord: Minor:
In Peregr. affect. cord per Hierus. lib. 2. manuduc. 10. fol. 101. *Sepulchrum ipsum, quod pro Altari deservit.* Et Ecclesia primitiva, quæ olim ob magis expeditum usum, adhibuit lignea Altarea, cujusmodi erat Altare Principis Apostolorum, in Breviario in Dedicat: Basilicæ Salvat: die 9na Novembris habetur; postea sancivit: ut nemini liceat celebrare, nisi in Altari lapideo, consecrato & chrismate delibuto. Ob hanc etiam rationem, quam tradit Doctor Angelicus 3. part: qu. 83. Art: 3. ad 5tum: *quia Corpus Christi, in Sepulchro lapideo fuit reconditum.* Et Joannes Clericatus, Præposi-
De Miss. Sacrific. Decis. 13. num. 4. fol. 67 tus Patavinus, J. U. Doctor, in suis decisionibus, his verbis: *quia Sepulchrum Christi, quod repræsentat Altare, fuit excisum de petra.* Proinde Sepulchrum Christi, fuisse non solum Altare novæ legis, ut dicetur Libr: 3tio, sed etiam veteris legis, juxta S. Germanum,
Rer. Eccl. Contemplat. Patriarcham Constantinopolitanum: *Altare est propitiatorium, in quo offerebatur pro peccato, juxta Sanctum Monumentum Christi, in quo Altari, victimam se Christus obtulit Deo & Patri, per oblationem Corporis sui, ut Agnus immolatus.*

Sepulchrum Christi, censeo primò, esse Altare, quod Nòé æ-
Genes. 8. v. 20. dificavit Domino: *Ædificavit autem Nòé Altare Domino.* Sicut enim Nòé ædificavit Altare Deo, in gratiarum actionem, offerens super illud

illud holocausta, quòd salvus & incolumis, cum tota familia sua, in Arca evaserit ex illo diluvio; sic Christus, qui idem, quod Nòé, scilicet requies, juxta S. Ambrosium, post diluvium Sanguinis sui, incolumem, salvamque in sua humanitate, totam naturam humanam, in meliorem reducens immortalitatis statum ex Sepulchro, idem ipsum in Altare convertit, offerens super illud, holocaustum Corporis sui, tanquam Sacrificium latreuticum, seu gratiarum actionis. Unde sicut de illo Altari dicitur: *Odoratusque est Dominus odorem suavitatis*; Sic super Altare Sepulchri Christi, odoratus est Dominus odorem suavitatis, sive unguentorum, sive suavissimæ præsentiæ suæ. Sepulchrum item Christi, D. Ambrosius vocat *immortalitatis locum*, *Monumentum*, *in quo mors desinit esse mors*; & Sepulchrum Christi fuit terminus maledictionis Divinæ, & initium ac origo promanantis benedictionis. Vel per Nòé ædificantem Altare, intelligi potest Joseph ab Arimathæa, qui ex suo nomine idem significat, quod deponens, juxta D.Hieronym: id est Christum in Altare Sepulchri: & sicut Nòé erat vir perfectus, & ambulavit coram Deo; sic Joseph hic, juxta Lucam, bonus & vir justus dictus. Et hic post diluvium Sanguinis Christi, primò obtulit hoc Altare, in illoque quam maximè acceptissimam Deo Patri, in gratiarum actionem reposuit, ex Altari ligneo scilicet Cruce, in hoc lapideum hostiam; quod scilicet Filius ejus, per diluvium Sanguinis sui, liberaverit totum humanum genus.

Sepulchrum Christi est Altare; quod ædificavit Moyses, Exod. 17. v. 15. *& vocavit nomen ejus: Dominus exaltatio mea*; Primò ex eo, quia occasio erectionis illius Altaris erat hæc: quòd Moyse sedente super lapidem: *Sumentes igitur lapidem, posuerunt subter eum, in quo sedit*, & habente elevatas manus, vincebatur Amalec & exercitus ejus; pariter Christo in Cruce habente elevatas manus, ac posito super eum lapide, sub quo jacuit, victus est Amalec, scilicet dæmon cum suis asseclis. Secundò, quia Sepulchrum Christi, fuit *Domini exaltatio*, quod constat ex illo Psalmo, qui de Christo procedit, scilicet 109. in quo primò his verbis: *Judicabit in nationibus*; potestas judiciaria, in figura Moysis, competens Christo exprimitur. Subsequentibus: *conquassabit capita in terra multorum*; hostium, per descensum animæ in limbum, devictio. Ultimis: *De torrente in via bibet, propterea exaltabit caput*; exprimitur ex Sepul-

chro

chro Christi exaltatio. In hæc verba sic commentatur Paulus de Pa-
In Matth.cap. 28.fol.1125. lacio: *Torrens viæ, est mors, & dolores nostræ mortalitalis; omnes enim morimur, & sicut aqua dilabimur. De hoc torrente bibit Dominus, quia mortuus est, quia etiam jacuit in Sepulchro; licet enim jacuerit, exaltavit tamen caput, ut qui moriendo caput inclinaverat, resurgendo de Sepulchro, caput exaltaret. Verum ergo est: Ego dormivi & somnum cœpi, & exurrexi, quia Dominus exaltavit me*, Amalarius Fortunatus, Episcopus Trevirensis de Eccl. Offic: libr. 4. cap. 20. in hunc versum Psalm: *De hoc torrente Dominus in via bibit, quoniam mortem in transitu gustavit; atque ideo exaltavit caput, quia hoc, quod moriendo in Sepulchro posuit, surgendo super Angelos elevavit.* Tertiò, Sepulchrum est Domini exaltatio; quia Deus tunc maximè exaltatur in finibus inimicorum, dum Sepulchrum ejus, etiam inter hostes existens, frequenti visitatione veneratur. Ut ex his verbis Psalmistæ, Psalm: 7. v. 7. *Exurge Domine in ira tua, & exaltare in finibus inimicorum tuorum.* Radmus. Henricus Ludovicus Castaneus Rupipozæus, Episcopus Pictavorum, commentans declarat:
In Exercit. in Psal. fol. 15. *Exaltatur Deus quotidie, in finibus inimicorum nostrorum, seu potiùs inimicorum Crucis Christi, cum Crucifixi Salvatoris Sepulchrum apud Hierosolymam, Turcico jugo infessam, frequentissimis fidelium peregrinationibus illustratur & clarescit.* Quartò; quia Sepulchri Christi, potissima hæc inscriptio: *Dominus exaltatio mea*; quòd enim ad augem tantæ dignitatis evectum sit, quòd conservatum hucusque, Domino hoc imputandum, à Domino factum est istud. Deinde Josephus ait, quòd Moyses hanc Aram victori Deo posuit; Sepul-
S. Aug. Serm. 129. de Temp chrum Christi est Ara victori Deo erecta: *Triduana Sepulturæ mora, evidenter ostendit, quòd dum Corpus in Sepulchro jacuit, Anima illa de infernis triumphavit.*

Sepulchrum Christi, videtur exprimi, in illo præcepto dato
Exod. c. 20. v. 25. Moysi, de ædificando Altari lapideo: *Quod si Altare lapideum feceris mihi, non ædificabis illud de sectis lapidibus*; Exponens enim hæc verba Innocentius Pencini, Venetus, Ord: Prædic: per hoc Altare lapideum intelligit Sepulchrum Christi, sic dicens: *Altare lapideum, quia Corpus Christi, in Sepulchro lapideo, fuit reconditum.* Tum hoc mandato, designavit Deus, Sepulchrum lapideum Christi fore ex non dissectis lapidibus, *ne si ex multis lapidibus ædificatum esset, suffossis tumuli fundamentis, ablatus furto diceretur*, ait S. Hieronymus. Et

S. Ana-

S. Anastasius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, de rectis fidei Catholicæ dogmatibus, hoc de Sepulchro Christi scribit: *Non enim ex delectis lapidibus, concinno ordine inter se aptatis, ea structura Monumenti fuerat constructa, imò petra erat, nativam scabriem repræsentans, suspicionem ejusmodi submovens omnem.* Rationem hujus dat Sylveira; quia Deus Sepulchro suo voluit denotare unitatem, & ideo disponit, ut non ex multiplici lapide, sed ex uno esset exstructum; quia solum ubi est unio, ibi requies Christi invenitur. Tom. 5. lib. 8. qv. 12 num. 84.

Sepulchrum Christi, Altare ædificatum à Moyse; de quo Exod: 24. v. 4. Mane consurgens, ædificavit Altare ad radices montis, & duodecim titulos, per duodecim tribus Israël. Quia Christus manè consurgens, Altare, scilicet Sepulchrum, ædificavit ad radices montis Calvariæ. Indicat & lex illa Ecclesiæ, Concil: Turonens. II. Canon. 3. *ut Corpus Domini in Altari, sub Crucis titulo componatur*, exprimens Corpus Christi in Sepulchro, quod figuram Altaris gerit, teste Beda adducendo libr: 3. fuisse positum sub ligno Crucis, sub monte Calvariæ. Hinc juxta S. Germanum, Patriarcham Constantinopolitanum: *Ciborium est, ubi Crucifixio, vice loci, ubi Crucifixus est Christus. Quod Ciborium est vicinum Altari; vicinus enim erat locus, & fossa, ubi sepultus est Christus.* Rer. Eccles. Contempl. Hoc Altare, est sub titulo duodecim Sanctorum Apostolorum, judicantium duodecim tribus Israël. Tum, quia in Sepulchro Christi, erat imago duodecim Apostolorum, ut ostendetur sub titulo *LAPIS.* Tum, quia Sepulchrum Christi, in Festo Divisionis duodecim Apostolorum, in manus Christianorum deveniens, duodecim titulis consecratum fuit.

Præterea in eodem Exodo, duo præcipua erant Altaria: unum plenum occisionis victimarum; cultris, securibus, habens in quatuor angulis lebetes, forcipes, similiaque instrumenta; & in hoc Altari mactabentur victimæ. Alterum Exod: 30. fuit Altare, ad adolendum thymiama, vestitum auro purissimo cum corona. O! pulchrum mysterium duorum Altarium, Crucis & Sepulchri Christi! Summus enim Sacerdos secundùm ordinem Melchisedech Christus, ante triduum, in Altari primo, seipsum veluti hostiam obtulit, in Altari Crucis, quod fuit respersum sangvine instrumentis plenum, virgis, spinis, clavis lanceâ &c. Alterum Altare thymiamatis, scilicet Sepulchrum. Sicut enim in illo Altari, *adolebat in-* Vers. 7.

 censum

censum super eo Aaron, svave fragrans mane; sic Christus Aaron, incensum super hoc Altari, mane obtulit, dum matutino tempore fragrantissimus odor, svavissimæ Resurrectionis, sursum ascendit, & fumus ille non inanis, sed odoriferus ex delibutis ungventis evaporans, totum ferè adolevit orbem, & quàm maximè Sepulchrum, impletum est odore ungventi. Tum sicut Altare illud, tunc incendebatur, quando componebantur lucernæ, & fuerunt collocatæ ad vesperam, *uret thymiama sempiternum coram Domino*, ut vers. 8. habetur; sic dum in Sepulchro, sub vesperam collocata fuit Lucerna inextingvibilis, Ignis missus in terram, amoris ardore incensus, Christus, thymiama sempiternum ussit, dirigens orationem ad Patrem, sicut incensum; dicens in Sepulchro: Incensum istud amoris, quod tibi exhibeo in Sepulchro, ascendat ad te Domine, & descendat super me misericordia tua, me ex illo liberans. Tum sicut ad hujus Altaris dexteram, stans quondam Gabriel Angelus, Zachariæ Sacerdoti, thymiama adolenti, Joannis Baptistæ con-
fol. 48. ceptionem annunciavit; ut Adrichomius num 81. Sic Christus Magni Consilii Angelus, in dextra Altaris, id est in Sepulchro suo,
fol. 48. quod est ad dextram iuxta Brendeybach: *Tumba verò Sancti SEPULCHRI, est ad dexteram in trantis*, habens thuribulum aureum, id est Corpus immaculatum, plenum igne, id est charitate, subtilitate & impassibilitate, & ibi obtulit incensa multa laudis. Et idem Angelus Gabriel, astitit in dextra hujus Altaris, *viderunt juvenem sedentem in dextris*; seu ut explanat Tyrini: in dextro latere Sepulchri, qui venientibus cum aromatibus & unguentis mulieribus, annunciavit Christi, per partum Sepulchri, Nativitatem, scilicet Resurrectionem. Tum quia, ut notant Interpretes, non licuisse Summo Sacerdoti, in hoc aureo Altari incendere thymiama, nisi in priori cruentas immolaret victimas; sic in Sepulchro Christi, non priùs adoletum thymiama, nisi eodem immolatô in Altari Crucis. Et sicut non licebat inferre ignem in Altare thymiamatis, nisi desumptum ex Altari holocausti, ut Levit. 10. num. 1. colligitur; sic in Altari Sepulchri Christi, non alius ignis illatus, nisi Deus, qui ignis consumens est, ex Altari holocausti, Crucis scilicet depositus.

Sepulchrum Christi est Altare, quod à Filiis Ruben & Gad ex-
Jos. 22. v. 34. tructum, & vocatum: *testimonium nostrum, quod Dominus ipse Deus.* Sepulchrum enim Christi, testatur variô modô, Dominum esse DEUM.

DEUM. Primò quia teste Joanne Cottovico in itinerario Hierosolymit: *Supra Sepulchrum, quo Altaris loco utuntur, tabula dependet, in qua Historia Resurrectionis Christi, depicta est opere perantiquo.* Idem & Hietling supra adductus: *Imago Sanctissimi SEPULCHRI, Altaris loco, & Resurrectio cum vexillo picta* (ecce Ara Victoris!) *cui ex utraque parte, appicti sunt tres Angeli.* Gvagninus in Chronica Polonica, in descriptione Syriæ testatur, ad parietem S. Sepulchri esse vetustam imaginem Resurrectionis Christi. Sicut enim appensæ in Altari tabellæ, sunt testimonia miraculorum factorum, ab illo Sancto, cui est dedicatum Altare; ita appensæ tabulæ in Sepulchro Christi, velut Altari consecrato, ac dedicato Deo, exhibent miraculum Resurrectionis Divinæ, sunt testimonia virtutis Divinæ, adeoque ipsius Deitatis, à qua sunt patrata; cum Resurrectio Domini, sit opus Divinæ potentiæ. Secundò est testimonium, quòd Dominus ipse sit Deus; quia Sepulchrum est insigne Divinitatis, teste S. Petro Chrisologo: id probante à simili: *Divinitatis insigne est, clausam Virginem reliquisse post partum; de SEPULCHRO clauso exisse cum corpore, est Divinitatis insigne.* Tertiò ex sui conservatione ac illæsione, quod Dominus vel ex hoc ipso verus sit Deus, qui jacuit in hoc Altari; quod illud tam diu conservetur inter tantas eversiones. Ut ad hunc modum inquit Angelus Paciuchellus: *Hæc gloria est Dominici SEPULCHRI, quod inter mille rerum vicissitudines & calamitates, illæsum perseveret; clarum profectò testimonium Divinitatis Christi.* Tum quia sicut hoc Altare, ædificatum juxta Jordanem, est dictum: *infinitæ magnitudinis*, ut ibidem vers: 10. Sic Christo transgresso in baculo Crucis, Jordanem rubri Sanguinis, est erectum Altare infinitæ magnitudinis, scilicet Sepulchrum; tum quòd infinitè magnum continebat DEUM; tum quòd amplitudo honoris & gloriæ ejus extensa, quandam infinitatem habuit, ex successiva inexhauribilitate, majoris ac majoris semper in dies visitationis, adorationis ac celebritatis; tum quod Altare Sepulchri, infinite excedit quæcunque veteris testamenti, grandia & magnifica Altaria, ut illorum decor sit parvitas quàm exigua, respectu ejus.

Libr. 2. cap. ult.

Loco citat.

Fol. 61.

Serm. 75. n. 6.

In Jon. Proph. Sect. 32. 58. n. 270.

Sepulchrum Christi est Altare Gedeonis, de quo Judic: cap: 6. v. 24. *Ædificavit Gedeon, Altare Domino Deo, vocavitque illud: Domini pax.* Juxta S. Augustinum Gedeon typum gessit Salvatoris

Fer. 2da post

Dom. Pass. Serm. 1. de Gedeon. ris Domini; Altare ædificatum à Gedeone Sepulchri Christi; illi enim bene conveniebat hoc vocabulum: *Domini pax*. In textu enim Hebræo, ubi nos legimus: *Sepulchrum ejus gloriosum*, habetur *Menuatho*, id est *tranquillitas ejus*, adducit Didacus Alvarez, à Medina
fol. 320. Ordinis Prædicat: Commentar: libr. 1. in Isai: cap. 11. addens, quia *Sepulchrum, tranquillitas fuit Christo.* Tum quia non alteri Sepulchro, nisi Divino, convenit titulus pacis; omnium enim defunctorum animabus, licet optetur bene: requiescant in pace; corpora tamen illorum, per varias alterationes & corruptiones in Sepulchro, bellum quoddam ac motum continuum experiuntur. At hæc est gloria Sepulchri Christi, quod sit pax Domini. Corpus illius in Sepulchro, tanquam in Altari pacis collocatum, nulli perturbationi, nulli indicto bello fuit subjacens. Quod patet ex Lori-
fol. 205. no super hæc verba Psalmi: *Caro mea requiescet in spe*, sic dicente: *Requievit Caro Christi, quoniam jacuit in honestissimo SEPULCHRO, absque omni contumelia aut vexatione seu exagitatione, quàm aliorum Martyrum corpora, etiam post mortem, non infrequenter pertulerunt.* Probant insuper hunc titulum, Altaris Gedeonis, convenire Sepulchro Christi, quod sit pax Domini, & verba Psalmistæ hæc:
Psal. 79. *Factus est in pace locus ejus.* Tum quia Gedeon illud Altare vocavit: pax Domini; quia ibi vidit Angelum Domini, & Dominus dixit ad eum: *Pax tecum* ibidem habetur. Sic Sepulchro Christi non unus, sed tot innumeri assistunt Angeli; imò assistentiam illorum ad Altare, infert S. Bernardus, ex assistentia ad Sepulchrum: *Sicut in Sepulchro astiterunt Angeli, ita & Corpori consecrato, quotidie assistunt in Altari.* Et ex illo Sepulchri loco dixit Deus, non solum discipulis: *Pax vobis*, sed omnibus nobis in hoc Altari, Deum pacificans, porrexit pacem; in cujus signum, dum danda est pax, osculatur Altare, repræsentativum Sepulchri: Adeoque hoc cognomine invictissimi Ducis, vocandum fore Sepulchri Altare: *Pax Domini!*

4. Reg. cap. 16. v. 12. 2. Paralip. cap. 1. Sepulchrum Christi est Altare, quod venientes Reges de prælio, & obtentâ victoriâ, de inimicis, viderunt, simulque venerati sunt. Est Altare, quod ædificavit Salomon Christus, vestiens illud auro purissimo, Corporis sui inæstimabili ornatu, & quod successivè pretiosissimis ornamentis Reges decorarunt. In quo non solùm mille, sed infinitæ in multitudine oblatæ sunt hostiæ,

& omnibus postulantibus ante illud, datum est id, quod voluerunt, & quod petierunt. In quo Christus pacificam obtulit hostiam, nempe Corpus suum mortuum. Est Altare in civitate habitatio- Sap. 9. v. 8. nis tuæ, nempe in Jerusalem, ædificatum in similitudinem tabernaculi Sancti tui, coram quo uno, filii Juda, in Jerusalem, adoraturi sunt Dominum: *Ante Altare hoc, adorabitis Dominum in Jerusalem.* 4. Reg. cap. 18. v. 22. Destructis enim veteribus Altaribus, hoc erit Altare, de quo præcipietur in Jerusalem: *Coram Altari uno* 2. Paralip. c. *adorabitis, & in ipso comburetis incensum*, nempe charitatis & ora- 32. vers. 12. tionis. Est Altare placationis, ad quod David, Salomon; nempe Constantinus, Godefridus, aliique Reges placabant Deum: sive ut prædixit Isaias cap. 50. v. 7. omne pecus, id est peccatores, congregabantur, & Sacerdotes ministrabant & offerebant omnia vota, holocausta super hoc Altari, Sepulchro Christi, & domum Majestatis ejus glorificabant: *Offerentur super placabili Altari meo, & domum Majestatis meæ glorificabo.* Crux & Sepulchrum Christi, sunt duo illa Altaria Domini virtutum, de quibus Psalm: 83. v. 4. *Altaria tua Domine virtutum*, quia in his specialiter duobus Altaribus, manifestata fuit Domini virtus.

BASIS.

Hunc titulum, convenire Sepulchro Christi, patet ex Antonio Gvevara U. J. D. in homilia de Pass. Dom. fol. 112. qui ex adducto Isaiæ textu deducens laudem Sepulchri Christi, de illo inquit: *Ergo fidei BASIS prima est SEPULCHRUM. Ergo hæc est petra, quæ totius Religionis sustinet ædificium.*

Sepulchrum Christi, est altera basis, ex illis duabus, quibus tabulæ tabernaculi sustentabantur, Exod. cap. 26. v. 19. Sicut enim tabernaculum Moysis, fuit figura Ecclesiæ, ita tabulæ illius tabernaculi, mysticè significabant dilatationem fidei & Sacramentorum; Beda apud Glossam hic: Binæ autem bases, præcipua duo mysteria, mortis & Sepulturæ Christi designabant. Quæ binæ bases, singulis tabulis, per angulos subjiciebantur; quatenus dilatatio fidei, per Sanctos Apostolos & Successores, in angulis mundi totius, his præcipuis basibus, Cruci & Sepulchro Christi, nempe mysterio mortis, Sepulturæ, & Resurrectionis Christi innitebatur; patet ex Actis Apostolorum, & textu immediatè relato. Vel si

juxta Glossam, per illas tuas tabulas, quarum una alteri connectabatur, vers: 17. ibidem habetur; gratia novi testamenti, quatuor Evangeliis contenta, intelligitur. Hæc in duabus basibus subsistit, nempe Cruce & Sepulchro Christi; quia omnes quatuor Evangelistæ, omnia Christi opera & merita, ultimo in morte, Sepultura, & Resurrectione Christi, terminant: Adeoque moles gratiæ novi testamenti, his duabus basibus, Cruci & Sepulchro Christi, innixa fuit.

Sepulchrum Christi, est basis tabernaculi testimonii Christi, juxta quam reliquus sanguis ejus fusus est; Exodi cap. 29. v. 12. & Levit. cap. 4. v. 34. Eodem enim capite & versu, jubetur Moysi, ut sumptum sanguinem de vitulo, ponat super cornua Altaris digito suo, & reliquum sanguinem, fundat juxta basim ejus. Quô videtur mihi significari, Crucifixio & Sepultura Christi; quatenus nimirum sumptus Sanguis, vituli Christi, positus fuit super cornua Altaris holocausti, id est in cornibus seu extremitatibus Crucis, ex manibus profluxit; (digitum tanquam partem, sumendo pro tota manu) reliquus autem Sanguis, fusus est in Calvario Monte, juxta basim ejus, nempe juxta Sepulchrum. Quia cum in multis locis copiosissimum fudisset Sanguinem, reliquum juxta Sepulchrum effudit, quatenus consumata & perfecta est Mors Christi, juxta basim sepulchri. Tum quia, inquit Lyranus, illa basis erat circa pedem Altaris, habens foramen, per quod sanguis intrabat in terram. Sepulchrum Christi circa pedem, quia non procul erat Altaris holocausti, Crucis videlicet, in quo erat ostium, per quod introivit Corpus & Sanguis Christi in terram Sepulchri, & erat pars inferior, in quam totus ille Sanguis, qui effusus fuerat, descendit, & ibidem reassumptus fuit, & reservatus per Resurrectionem.

Sepulchrum Christi, est basis sanctificata oleo, ut habetur Levitic. cap. 8. v. 11. Moyses enim sanctificans tabernaculum & Altare, cum omni suppellectili sua, præfigurabat Christum Dominum, qui Corpore suo sanctificavit Altare Crucis, & Sanguine suo unxit universa vasa ejus, nempe clavos, spinas, lanceam, demum basim & labium sanctificavit oleo, id est ostium Sepulchri, quod tunc sanctificavit, cùm Corpus Christi mortuum, per ostium monumen-

numenti inferretur, & ipse tumulus sanctificatus fuit oleo, svavissimi Nominis JESU.

Sepulchrum Christi est basis illa ænea, id est firmissima de qua Paralipom. 2. cap.6. posita in medio Basilicæ, nempe Resurrectionis Domini, in cujus medio esse Sepulchrum, constabit ex dicendis libr: 2do & 3tio, habens quinque cubitos longitudinis & latitudinis, id est longitudinem quinque vulnerum Christi; tum quod longitudo & latitudo Sepulchri gloriæ, pro tentitur in quatuor mundi partes, & in quinta latitudine, nempe à Cælesti etiam orbe honoratur. Altitudo verò trium cubitorum Sepulchri in eo patet, quia Deus in Personis Trinus est altitudo Sepulchri. Et super hanc basim steterunt plurimi Reges, & flexis genibus contra universam populi multitudinem, palmas suas in cælum elevabant, & Deum ibi prolixa oratione laudabant, venerabantur, ac fundebant preces.

§. II.

Ex litera C. hi tituli gloriosi: CÆLUM, CARCER, CISTERNA, COLLIS, CURRUS, demonstrant gloriam Sepulchri Christi.

CÆLUM.

Enarranda Sepulchri gloria, titulo Cæli venit, quod cælum in terris aliud dari, vel in seipso probavit. Nam juxta S. Athanasium & Epiphanium de laud: B. Virg: *Ubi enim Christus, ibi & cælum.* S. Chrysostom. homil. 49. in Matth. cap. 14. *Ubi Christus est, ibi Angeli sunt, ibi cælum, ibi lux, hac solari luce fulgentior.* In Sepulchro erat Christus, erat ibi cælum, ibi Angeli, ibi lux, terrenâ præstantior luce fulgebat. Hospitalis caro Christi, dum Sepulchrum inhabitavit, simultaneè cælum & terram conjunxit: *In principio*, id est, ut allegorice apud Glossam magnam legitur: *In Filio, creavit Deus cælum & terram.* Per Filii præsentiam, sive in Filio resurgente, factum est in Sepulchro conjugium cæli cum terra. Id dicit Reverendissimus Hieronymus Povodovius, Canonicus & Archipresbyter Cracoviensis, in sua Christologia: *Resurrectione Christi, SEPULCHRUM, janua cæli credentibus fuerit redditum.* Tam mirabili dotatus splendore, Divinæ præsentiæ tumulus Christi, quidni non etymon meretur cæli? Hadrianus Lyræus in elogio Sepulchri

ad Lippom. 8. Decembr.

Genes. 1.

Sermon. 2. in Pasch. c. 13. fol. 46.

Libr. 7. c. 3. f. 554. pulchri Christi, illud vocat: *limen cæli*; quasi rectus conscensus cæli, à limine Sepulchri Christi. Et stare vel supra limen Sepulchri, id est attingere aliquantis per gloriam Sepulchri Christi, sive illam uno vestigio premere, sit alterum pedem inferre cælo, & jam cælum apprehendere. Vel spectare revolutum à monumento lapidem, sit unà cum Stephano, videre apertum cælum, & JESUM stantem, sive resurgentem. Taliter se vidisse Sepulchrum, in restauratione Basilicæ Resurrectionis, dicit Bonifacius Stagni Racusinus olim Episcopus, in suis literis, his verbis: *In cujus restauratione apparuit nobis, locus ille ineffabilis, in quo triduo Filius hominis requievit, ut planè cælos apertes videre, tunc nobis & illis, qui nobiscum aderant, omnibus videremur.* Tum insistendo textui Isaiæ, Antonius Ferdinandus Gvevara U. J. D. in homil. in Dom. Pass. dicit:

fol. 112. *Erit itaque SEPULCHRUM ejus gloriosum, quia cum tota cæli immensitate contendit, quod cæli Conditorem inclusit.*

Tum ex ipsa etymologia nominis, juxta D. Augustinum, à celando *Cælum nomen habere videtur.* Sepulchrum Christi, quàm maximè celavit, occultavit, ac quàm maximè texit, quidquid planè eximii, protunc orbis habuit, & cælum possedit. Et propterea Sidera in obscuro extiterunt in morte Christi; S. Chrysologus Serm. 52. dicit: *Sol obscuratus est ad exequias Sepulturæ*, quasi suum cessisse lumen terræ illi, & longè splendidiorem fuisse, quæ præparata erat ad Christi Corpus recipiendum. Vel cælum demittere se sub terram, dum Rector siderum, Deus verus & Homo, celari non erubuit, & splendores suos, vel lapidis tegmine occultare.

Libr. de Cog. ver. fid. cap. 43. Tom. 9.

Serm. 73. de Resur. num. 9. Tum si juxta eundem S. Doctorem: *Sicut illud cor, cælum est, in quo vivit & regnat Christus; ita illud pectus Sepulchrum, in quo Christus habetur mortuus & sepultus.* Imò ita Sepulchrum cælum est, ex quo revixit & regnavit Christus; cum cælum sit seminarium omnis vitæ. Tum quia Sepulchrum & quo ad formam cæli factum, quia juxta D. Ambrosium: *Deus fecit cælum, sicut cameram*, & Richardus à S. Laurentio de laud. B. V. libr. 10. testatur, veteres templorum tecta camerata faciebant, ut imaginem cæli redderent, quod constat esse concavum. Sepulchrum Domini erat factum ad modum cameræ, per excisionem in petra, Hugo in cap. 28. Matth. D. Aug. libr. 3. de consens. Evang. Cap. 24. Arias Montanus in Evang. Matth. cap. 28. ait: *Erat autem Monumentum, in cubi-*

Hexameron. lib. 1. cap. 6.

culi formam excisum concameratum; adeoque & imaginem cæli in se retulit.

Deinde quid Sepulchro defuit, quod non adesset cælo? Cælum supremum & empyreum dici potest. Hæc enim verba: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Ildephonsus de Flores in cap. 24. Eccles: Num. Marg.
vertit. *Et erit domus ejus ampla. Cælum Empyreum*; adeoque prædi- 1078. fol.
ctum Sepulchrum Christi gloriosum, id est dicere, ac domum e- 264.
jus amplam & Cælum Empyreum. Imo plusquam, audacter pronuntiat Franciscus Quaresmius in Elucid. Terr. Sanct. *Audeo dice-* Tom. 2. libr.
re, Sepulchrum illud, & singulariter tempore, quo Christum continuit, 5. c. 20. fol.
gloriosius extitisse, quàm unquam antea fuerit CÆLUM EMPYREUM. 549.
Et dat hanc rationem; quia locus ille, in quo est major gloria intensivè vel extensivè, profectò dicendus erit gloriosior altero, ut tali, in quo similis deerat gloria. At hæc est gloria in Sepulchro Dominico, quod Christus gloriosus in corpore, in eo prius apparuerit, quæ non est inventa in cælo Empyreo, antequam illuc ascenderet DEUS Homo. Habuit etiam, tam pro essentiali sua gloria, Deum Filium in unitate ejusdem Naturæ cum aliis Personis, unitum corpori humano; & pro accidentali dotes gloriosas ejusdem corporis, quas secum extulit ex Sepulchro, ut cælo inferret in carne videndas.

Præterea proprietates quædam, attributæ à S. Scriptura Cælo, videntur convenire Sepulchro Christi. Primò enim cælum habitaculum Sanctum dicitur 2. Paralip. cap. 30. v. 27. quia nihil coinquinatum illud ingreditur. Sepulchrum Christi fuit habitaculum Sanctum, purissimam Sanctitatem in se continens, & Corpus omnis expers corruptionis includens, peccatores sordidos intra se non recipiens. Secunda proprietas; cæli enarrant gloriam Dei. Ad Sepulchrum Christi, gratia & gloria, singulariter enarratur & enuntiatur. Tertia proprietas Psal. 10. v. 2. *Extendit Deus cælum, sicut pellem*; gloria S. Sepulchri in universum, unà cum cælo, protensa orbem. Quarta proprietas, Job 37. v. 18. *Fabricatus es cælos, qui solidissimi, vel quasi ære fusi sunt.* De Sepulchro Christi Gvillelmus de Baldensel, Eques Hierosol. inquit: *Ipse locus SEPULCHRI Christi, formaliter moveri non potest, sed remansit & remanebit immobilis in æternum.* Quinta proprietas, Proverb. 3. v. 19. *Stabilivit cælos prudentia.* Sepulchrum Christi, sic

Divina Prudentia stabilivit, ut toto turbato orbe, illud ab omni sua perturbatione fuerit liberum, nullisque alterationibus qualitatum, sibi nimis contrariarum, ac repugnantibus motibus, nempe infidelium cladibus, fuerit corruptum, & hucusque incorruptibile maneat. *En Domini Dei tui cælum est, & cælum cæli.* Convenit proinde nomen cæli, Sepulchro Christi, vel insuper ex eo, quia apud Glossam Ordinar. in Exposit. Moral. in Genes. cap. 23. v. 2. per locum Sepulturæ, quem quæsivit Abraham, designatur Empyreum cælum: locus autem sepulturæ Abraham, fuit figura Sepulchri Christi, ut ex titulo AGER patet. Sicut ergo locus sepultura beatorum, est cælum Empyreum; ita Sepulturæ Christi locus, est cælum Empyreum terrestre, beatorum viatorum, cui beatitudo objectiva præsens aderat, & ad hoc dilectum tabernaculum Domini virtutum, concupierunt & defecerunt præ voluptate, animæ, in atriis Domini Sepulchri.

Deutor. cap. 10. v. 14.

Congruit Sepulchro Christi, & nomen firmamenti: *Vocavitque Deus firmamentum cælum*; ut enim firmamentum, dicitur cælum solidum; quid solidiùs Sepulchro Christi? bene munitum ac stabile, non solùm quoad suum materiale, quia in petra; sed protectione Divinâ firmatum, cælo fere futurum coætaneum. De illo forsitan prædixit Psaltes. *Et erit firmamentum in terra, in summis montium.* Quis vidit firmamentum in terra? per quod communi sensu Expositorum, significatur cælum stellatum, quod est supra, non intra terram. Certè tunc factum est, firmamentum in terra, dum in summis montibus, Sepulchrum Christi fundatum, quia *fundamenta ejus in montibus sanctis*, hunc in se suscepit, quem cæli tantopere concluserant, ut cælo parem se redderet. Sic Carnem Christi cælo porrigit & transmittit, ut omni immune phænomeno, in diaphanum, vel potius crystallinum, diceres evavisse. Vel si Caro Christi firmamentum est, ut ex multis deducit Ascanius Martinengus, Canonicus Lateranen. Hanc locatam antro illi, idem est dicere, ac firmamentum impositum tumulo. Bene igitur Propheta, vocavit terram firmamentum, cui protunc hæc conveniebat apellatio, dum Caro Christi, tumulo illata erat.

Genes. 1. v. 7.

Psalm. 71.

In Gloss. Mag. Mystic. fol. 1305.

Nec defuërunt luminaria in hoc firmamento, scilicet Christifero Sepulchro. Animadvertitur & sentitur locus ille, cælesti quadam luce & virtute illustratus. Si enim teste Maria de Jesu, Abbatissa

batiſſa in Urbe Agreda, in Myſtica Civit. Dei: *Sanctiſſimæ Chriſti* 2. Part. lib.6.
Animæ præſentia, obſcuram illam ſpeluncam, (limbum hîc intelligit) cap. 25. pag.
continuò quaſi effecit cælum; miro enim ſplendore undique repleta eſt. 252. num.
Quidni & ſepulchralem ſpeluncam Chriſti Corporis præſentia, cæ- 1461.
lum non efficeret? & illud miro ſplendore undique non repleret? Eſto enim erant tenebræ ſuper faciem abysſi, id eſt tumuli, cui ſemper adhærent tenebræ, prodigium in Sepulchro Numinis, mirare natura; neſcit umbras, quò magis arcetur, ne lumen externum recipiat, quò præcavetur, ne vel ſolis radius, ſuum inferat ſplendorem, quo omnis via luci præcluditur, eò ſerenius irradiavit, lumen habens ſine ſole ſuum, ſuaque contentus luce. *Erit tibi Dominus in lucem ſempiternam, & Deus tuus in gloriam tuam.* Iſaiæ 60. v. 19. Ex his verbis: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, demonſtrant Gabriel Alvarez, in hunc locum Iſaiæ, ſic ſcribens:
Cùm enim Sepulchri, hæc ſit conditio, ab ejus genio inſeparabilis, ut ſit fol. 674.
obſcurum, tenebricoſum; præter morem Chriſti SEPULCHRUM, dicitur eſſe glorioſum; quia nimirum ab eo gloria, lux & ſplendor fere non abfuit; nam cum adeo celeriter, Corpus illud jacens, eſſet refloriturum, & quaſi veſtimento immortalitatis, lumine amiciendum; lumen ipſum, ſplendor & gloria, vix aberat à SEPULCHRO, præſtolans Salvatoris experrefactionem è ſomno; ut ſimul atque (ut ita dicam) evigilaſſet, accurreret. Unde Sepulchrum Domini, nunquam fuiſſe obſcurum, ſed luminoſum, ac ſplendidum.

Audiens narrationem Joannis, de adventu Mariæ Magdalenæ Cap. 20.
ad Sepulchrum, quòd cùm adhuc tenebræ eſſent, venit ad monumentum, & vidit lapidem ſublatum à monumento; miratur Bene-
dictus Fidelis à S. Philippo, & interrogat: quo pacto videre poterat? Theorem.
& quod majus eſt, in Sepulchrum inſpicere? quæcunque intus Moral. ex Pſal
erant, oculis luſtrare, durantibus tenebris? Reſpondet: Et ſi ſu- 22. de Euchar.
per terram nox eſſet & tenebræ, dies tamen erat in Sepulchro; Theor. 7. v. 4.
maximo enim lumine replebatur. Confirmat id D. Gregorius Nyſſenus Orat. 2. de Reſurrect: *Plenum luminis erat Sepulchrum, ut etiam ſi nox adhuc eſſet, dupliciter tamen, tum ſenſibiliter, tum ſpiritualiter, viderent ea, quæ intus erant.* Adeoque in Sepulchro diviſit Deus noctem ac diem, dum quod erat noctium involutum tenebris, caliginoſum ac tetrum reddidit ſerenisſimum, ac omni die clariùs. Deinde cùm nemo det, quod non habet, & cælum in

ſuo aſpectu habet luminoſitatem, quam communicat: Sepulchrum Chriſti, quomodo luminis expers dicetur? ſi adeuntes ſe, viſitantesque illuminat, ac illuſtriſſimos facit, gratiæ lumine, pulſis procul errorum ac peccatorum tenebris. Eventus hic probatur à Doctore Ordinis Noſtri, ſæpiùs hic citato in Libr. ſub titulo: *Sepulchrum Paraſceves.* part. 4. pag. 348. ex Andrea Mendo, obſervante doctiſſimè, quòd Magdalena, mulieris tantùm nomine vocetur, ad convivium intrans Phariſæi; veniens autem devote ad Sepulchrum, jam peculiare meretur vocabulum Mariæ, quod, illuminata, interpretatur: inquit idem Mendo: *Manifeſtam adeo lucem eſt conſecuta, indeque Mariæ Nomen, quod lucem ſignificat, tunc ei inditur, dum intrat SEPULCHRUM, quod ipſam tanta luce perfundit, ut jam exeat illuminata, jam egrediatur illuminatrix, jam nomine Mariæ, inſignata procedat.* Exinde toti orbi clariſſimus evaſit & Joſeph Nicodemus, quod Sepulchrum Chriſto ceſſit, quia cælum, tumulo commutavit.

Specto & duo luminaria in hoc cælo, videlicet tumulo terreſtri Divino. Quid enim illa duo corda, qua juxta Revelat. B. Birgittæ in uno Sepulchro incluſa fuerunt, ſepulto Filio; niſi duo luminaria fuerunt in cælo? cor ſcilicet Filii Dei, tanquam luminare majus, quod illuminat & accendit omnem hominem, venientem in hunc mundum: & cor Mariæ, luminare minus, quod cum univerſis deſideriis ſuis, totum incluſum fuit. Tum ſi per duo luminaria, ſol & luna intelligitur; Sepulchri luminare majus, ſidus primæ magnitudinis, Chriſtus Sol myſticus, cujus oriens eſt nomen ejus. *Verus Sol ortus de SEPULCHRO, tenebras infidelitatis amovit, de quibus Gen. 1. Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.* Et licet ſi tribus diebus, tenebris aliquibus obvolutus fuit, ſicut ille ſol materialis tribus horis; poſtquam autem auſpicatiſſimè exortus eſt, terram claritate ſua exhilaravit, & de Sepulchro diem feliciſſimum, eſt apprecatus cælo terræque. Ita Hilarius Arelatenſis: *Exulta cælum & lætare terra, dies iſta,* (ſerenæ ſcilicet Reſurrectionis) *ampliùs ex Sepulchro radiavit, quàm de ſole refulſit.* Imò ſolis nomine, & Sepulchrum intelligunt illi, qui verba Pſalmiſtæ: *In ſole poſuit tabernaculum ſuum,* legunt: *In SEPULCHRO poſuit tabernaculum ſuum,* id eſt Corpus. Dum ergo ex Sepulchri penetralibus, poſt ſuum in Cruce occaſum, proceſſit Chriſtus, *ſpeſque vitæ cum ſole redit,*

Hugo Cardin. in Pſalm. 117.

redit, Sepulchrum ejus: *Regia solis erat, sublimibus alta columnis*, Iuven. Satyr. 10. Ovid. in Metamorph.
ex qua novo spargebat lumine terras. Hos dilucidos effectus, à sole mystico Christo, Sepulchro collatos, clarè deducunt: S. Theodorus Studita Oda 5ta: *Extitisti ex Sepulchro ô lumen nunquam occidens! mundo immortalitatem irradians, mortisque mœrorem, tanquam misericors, ex terræ finibus expulisti.* Alphonsus Salmeron Tom. 10. fol. 404. *Christi Sepulchrum, cum illum Deum & immortalem Hominem declaravit, ejus nomen & gloriam maxime illustravit, & in hodiernum usque diem, illustre remansit & gloriosum.* In ador.Cruc.

Alterum luminare, id est luna, cæli Sepulchri, fuit B. Virgo Maria: *Pulchra ut luna.* Quæ tunc luctuosam passa est eclypsim, cum terra Sepulchri, inter Solem justitiæ Christum, & lunam id est Mariam, statueretur & intercederet. Vel etiam luna in Sepulchro, fuit humanitas Christi; illam intelligit D. Cæsarius Arelat. apud Didacum de Bàéza, ex lection. D. Aug. hæc Psal. verba: *Peccatores intenderunt arcum, ut sagittent in obscura luna, rectos corde,* Tom.2.lib.7. c.3. §.3. Psal. 10.
sic interpretans: *At in mundo, ubi Sanctæ humanitatis luna, intra Sepulchrum, ab oculis abscondebatur humanis, heu quàm nubila erant omnia Apostolorum! quot igneæ sagittæ adversus est volabant!* Ita meditatur & D. Aug: *Obscurata est, Caro Christi de Cruce deposita, & in SEPULCHRO posita, & illi, qui occiderunt, insultaverunt, & nondum surrexerat, & sagittati sunt discipuli, recti corde, sed in obscura luna,* id est existente humanitate in Sepulchro. Huic intelligentiæ accommodari videtur textus ille Isaiæ: *Non occidet ultra sol tuus, & luna tua non minuetur, quia erit tibi Dominus in lucem sempiternam*; id Cap.60. vers. 20.
est gloria tua Christe, non occidet, etiam si poneris in Sepulchro, & humanitas tua, quam humiliasti in Carne mortali, non minuetur, seu non corrumpetur, ibidem: quia Dominus erit lumen indeficiens Sepulchri tui, ex quo in lucem publicam, & gloria tua prodibit, manifestatione virtutis Divinæ, & humanitas in clariori formositate, decorem induta, fiet objectum lucidissimum, beatis oculis.

Stellæ, astra, & sydera Sepulchri Christi. Primò fuerunt vulnera Christi Domini, *in Carne Christi vulnera, micare tanquam sydera.* De quibus Job cap. 9. *Stellas claudit sub signaculo.* Secun- vers. 7.
dò Sancti Angeli; Stellæ enim, quæ instar militum cælestium prodeunt, quotidie ad excubias & stationes suas, militia cæli appellantur.

lantur. Ut Jacobus Tyrini in Commentar. ſuper Jerem. cap. 8. v. 1. aſſerit. Hæc ergo militia cæleſtis, id eſt innumera copia Sanctorum Angelorum, more aſtrorum, excubias egit & ſtationes ad Sepulchrum, illud eſſe ſui Regis, ac ſi cælum terrenum indicavit. Talam dat cauſalem D. Chryſoſtomus: *Propterea Angeli ad Sepulchrum remanebant: primùm, ut oſtenderent Deum eſſe Sepultum, ad Sepulchrum, tanquam ad Cælum manebant.* Imò illi cæli cives Angeli, dum ex cæleſtibus ſedibus ambiunt ſedem Sepulchri, ex hoc loci ipſius excellentiam dant nobis cognoſcere, quòd Sepulchrum pro cælo ab Angelis habitum. Georgius Stengelius Mundi Theorici Part. 3. de Chriſti Sepulchro: *Quàm hoc Monumentum nobile fuit, ipſi Angeli relicto cælo, in eo ſederunt, & Stellarum inſtar ſplenduerunt.* Et Andreas de Arcones in Iſaiæ cap. 2. v. 22. Diſcurs. 5. fol. 408. *Monumentum Domini celebritate conſpicuum, irradiatum Angelicis fulgoribus.* Tertiò Stellæ ſunt Sancti Apoſtoli, quos nomine ſtellarum vocat S. Chryſoſtomus, ut conſtat ex Breviario in Feſto Diviſionis Apoſtol. in 2do Noct. Omnesque viri Apoſtolici, de quibus Baruch 3. v. 34. *Stellæ dederunt lumen, in cuſtodiis ſuis,* cuſtodientes Sepulchrum Chriſti, & illud pietate, devotione, zelo cultûs, doctrinâ illuſtrantes. Tot denique ſidera Sepulchri, quot juſti micantes gratia ac ſplendore Divinorum donorum; ac fulgentes à Sepulchro in perpetuas æternitates, tanquam ex æthereo ſemine, cæleſtes ex Sepulchro nati prodiere.

In Pſalm. 2.

Cap. 64. num. 3.

Deinde ad hoc Sepulchrum, tanquam ad cælum audita ſunt fulgura, coruſcationes ac tonitrua: *Intonuit de cælo Dominus, fulgura multiplicavit & conturbavit eos.* Dum terræ motus factus eſt, minime tamen Sepulchro Chriſti nocivus, imò ejus decl.rans honorem. Cælica vis, altiſſimos etiam ſuperbosque diſturbavit thronos, ac omnia loca tremere fecit, dum ſolium ſibi in Sepulchro parabat. Vel quod tantam Majeſtatem, Angeli quaſi ferre impotentes tremebant; unicum Sepulchrum Chriſti, illius dignum conſeſſu arbitrantes. Facies autem Angeli ſicut fulgur, portentum fuit; habitatores Sepulchri publico exemplo, bonisque moribus in facie hominum ſplendere ut fulgur, in candidis ſimul veſtimentis, id eſt ſervato animi candore integro ac innocenti. Imo ex illo innumero Angelorum comitatu, continuoque ad illud muniendum deſcenſu, videtur locus ille eſſe patria beatorum civium, colonia

Pſalm. 17.

Ange-

Angelorum, transire ac transmutari in cælum; ut in suis Figuris de Sepulchro, carmine descriptis, noster lucidissimus canit Poëta. R. D. Jacobus Radlinski figura 27.

Angelici cætus, demonstrant millia multa,
Quod verum in cælum, transiit ille locus.

Coruscat ergo Angelus ad Sepulchrum, totus luminosus naturâ, aspectu, ornatu; ut ostendat, inde Divinas emicare gratias, quæ inflammant & accendunt ad cælestia; sive locum hunc solis cælitibus, vel cælico more viventibus tradi possidendum; sive videre nobis dedit in Sepulchro exteriorem & interiorem cæli pulchritudinem. Et superni cives cæli, dum in custodia terreni morantur monumenti, *quasi idem videbatur illis, assistere Sepulchro, & manere in cælo,* inquit Chrysantus Solarius. Simili modo, tu assiste Divino monumento, quasi manens simul in cælo, hoc est nihil terrenum cogites, mundanum sapias, temporale tractes. Sic Spiritus tuus adstet monumento, velut Angelus habitans in cælo.

CARCER.

Vicinum cælo, Sepulchrum appello Carcerem, nullâ obvolutum tetrâ caligine, qui captivum in se tenuit Lumen gloriæ. Detraxit atrocem nubem illi loco, velatum Numen; neque poterat carcer videri, ubi Sol justitiæ erat. Carcer fuit uterus MARIÆ: *O charitas!* (inquit S. Zeno) *tu Deum Virginali Carcere, novem mensibus religasti.* Angusto accidentium Eucharisticorum gyro, velut carcere coarctatur Christus: *Porro quis mihi negare potest* (scribit B. Andreas Avellinus, Clericus Regularis) *quin Christus carceri, quodammodo non sit addictus, quin & sub clavibus, in tabernaculo clausus.* Carcer est Sepulchrum Christi, cui non intrusus, sed pompaticè illatus; involutus non vinctus, triduò tantummodò, idque in parte detinebatur. Hoc declarant verba Psalm 87. v. 9. *Traditus sum & non egrediebar*; Hieronymus enim legit: *clausum & non prodeuntem*; (nempe posuisti me) Alii: *in carcere conclusus sum, & non egrediebar.* Quam interpretationem, mysticè Christo in Sepulchro jacenti, applicat Lorinus. S. Hieronymus exponit: *traditus morti, non sit disjunctus à Paterna Divinitate, nec de Sepulchro statim prodierit.* Et Cajetanus hunc ultimum sensum pariter intelligit de Sepulchro. Imò Philippus Kiselius in Nili Mystici

In Epist. Neapolit. 5. 9br. 1593. data.

Lorin. sup. Psal. hic fol. 651.

Conc. 21. § 4.

ci Alveo 2do, limbum & Sepulchrum, duos carceres afferit his verbis: *Anima Sancta descendit ad inferos, ad cor terræ; Divinum Cadaver depositum fuit in præparato Sepulchro. Per triduum in his carceribus, latuerunt Anima & Corpus Christi; in his tamen carceribus, attineri non potuit.* Et olim carceris loca, sigillo impresso custodiebantur; apud Simeonem Metaphrastem de S. Glyceria, & in actis S. Euplii legitur. Fores Sepulchri annulô signatæ, & milites constituti, qui illud custodirent! nonne ut in carcere, Christum in Sepulchro, designabant? Sed si Virginalis Carcer, ignoravit etiam originales umbras? si species Eucharisticæ, instar radiorum solis præmicant? si Sanctorum carceribus, lux affulserat cælestis? quomodo Sepulchrum Christi perlucidum non extitit, dum illi plenitudo lucis

Epist. 56. ad Martyr. mancipata fuit? Verè de illo dico verbis S. Cypriani: *O beatum CARCEREM, quem tua præsentia illustravit! O beatum CARCEREM, ex quo saluti homines missi ad cælum! O tenebras lucidiores sole ipso, & luce hac mundi clariores! ubi modo constitutum est Templum Domini.* Sed sicut modo locus Sepulchri Christi, carceribus ad-

Manud. 1. lib. 2. fol. 19. jacere dicitur, ut censet Quaresmius, & Conradus Hietling, carcerem D. Petri à S. Sepulchro, quantùm bis arcus jacit, distare asserit; ita idem Sepulchrum, nondum existens, in figura quorundam carcerum, adumbratum fuit.

Gen. 39. v. 20. Primò in carcere illo, in quem traditus est Joseph Patriarcha, qui non solùm in virtutibus heroicis, juxta Rupertum, aliosque Sanctos Patres, non solum in vita, juxta Bartholomæum de Schobar de vita Joseph Serm. 6. sed etiam in passione & Resurrectione jux-

Proposit. 9. ta Petrum Hvetium in demonstr: Evang. typus fuit Christi. Ita & Carcer Joseph, figura Sepulchri Christi. Tum quia sicut Joseph incarceratus est, ob calumniam sibi injectam, crimenque imputatum, teste S. Ambrosio: *Pro castitate subibat hoc Carceris martyrium.* Sic Christus innocentissimus, ob delicta & scelera nostra, quæ in se portavit, carceri Sepulchrali traditus: *Intravit Joseph Sanctissimus Carcerem, visitator magis, quam reus. Sicut Joseph invidiâ fratrum suorum, olim in Carcerem est trusus; sic malitiâ Judæorum, Christus in Sepulchro jacebat inclusus*; Berengosius Abbas de Invent. S. Cruc: Tum sicut illi, ita & huic, adhibita Regis custodia. Tum sicut per triennium in carcere fuisse Joseph, testatur Cornelius à Lapide hîc super versum 4. & 1. cap. 41. ita Christus

triduò.

triduò. Tum ſicut Joſeph in carcere, habuit in manu ſua univerſos vinctos, quia in cuſtodia tenebantur; ſic Chriſtus in carcere Sepulchri poſitus, habuit ſub poteſtate ſua, omnes vinctos, qui in cuſtodia infernali tenebantur. *Joſeph ſui carceris poteſtatem habens, typus Chriſti in Sepulchro*; inquit Angelus del Pas. Carthagena: *Figuratum in Joſeph video, poſtquam in carcerem conjectus fuerat, ut inquit ſacer textus, erat vinctus ſpontaneus & liber, ut quoties vellet poſſet carcerem aperire, indeque evadere; ſic Chriſtus licet vinctus, & traditus in mortis carcerem, Sepulchrum fuerit, claves tamen habebat, ut exire poſſit, quando & quomodo vellet.* Tum ſicut Joſeph in illo carcere, ſomnia vidit & interpretatus eſt; ſic Chriſtus in Sepulchro, ſomno deditus, intuitivè ac beatificè vidit, quæcunque ſunt abſcondita à ſenſibus noſtris, ac interpretatus eſt de ſe Prophetarum viſionis, figurarum occulta exhibens, illa impleta, in ſui poſitione in ſepulchro. *Nunquid non Dei eſt interpretatio.* Tandem ſicut Joſeph, poſt duos annos, dierum tertiò incipiente, de carcere educitur, ut S. Proſper de promiſſione advertit; ita Chriſtus poſt duos dies Synecdochicè, tertiò inchoatò, de carcere Sepulchri egreditur. *Poſt triennium Joſeph emerſit ex ſua cuſtodia, futurus prorex in Ægypto; poſt triduum Chriſtus, virtute ſua, pervaſit molem impoſitam ſibi & ſepulchro, ut cor regnaret Deo Patri ſuo.* Marcellinus Piſan. homil. in Paſch. fol. 198. Sicut Joſeph eductus, veſte honorifica, ſive ut Scriptura, mutatâ induitur; ſic Chriſtus è Sepulchro in carne impaſſibili, incorruptibili ac immortali, honorificentiſſimo apparatu ac decore indutus, proceſſit. *Vide jam magnum illum Patriarcham Joſephum* (alludit hic Vincentius Brunus) *quomodo exeat è tenebroſo illo Carcere*, (nempe Sepulchro) *in quem propter innocentiam, & bonitatem erat conjectus, & mortalitatis capillis detonſis, veſtiatur veſtibus immortalitatis. Dominusque totius Ægypti conſtituatur.* Firmatur hæc figura, perſpicua authoritate Pauli de Palacio in Matth. cap. 28. *Joſeph, quia noluit roganti Ægyptiæ acquieſcere, in carcerem recluditur, omni humano favore deſtitutus; ſed quia vinctus, vinctis ſomnia interpretatur, è carcere cum ſumma gloria egreditur, in curru videlicet triumphali, præcene clamante, ut omnes coram Joſeph genua flectant, nihil ſine imperio Joſephi, in tota Ægypto quiſquam efficiat: Ita planè noluit Chriſtus, peccatis ſynagogæ convenire, eâ cauſa accuſatus, in Carcerem mortis & Sepulchri conjicitur.*

In Expoſit. Sympol. pag. 393. col. 2.

Homil. 3. de Reſur. fol. 23.

Part. I. cap. 29

Medit. 54. de Dom. Reſurr.

Cap. 2. fol. 1127.

tur. Sed exit ex illo cum magna gloria, nonnisi in curro triumphalis Carnis scilicet suæ, clamantibus, id est prædicatoribus in Nomine JESU, non terrena solum, sed & cælestia genua flectant & inferna &c. Sicut ergo à Carcere Josephi, omnis honor, gloria dignitas, & æstimatio cœpta; sic à Sepulchro JESU, illius inceptum imperium, regnum, dominatus, nominis prædicatio, dignitatis per universum orbem præconitatio, ejus flexo genu adoratio, ab omnibus fratribus reverentissima

R. D. Jacobus Radlinski, fig. 7. *De tumulo rediens Christus, post vincula mortis,*
Totius mundi, Regia sceptra capit.

Secundò figuratum fuit Sepulchrum in carcere, de quo Numeror. cap. 15. v. 32. in quem homo peccator reclusus fuit, eo, quòd colligebat ligna in die Sabbati. Iste homo fuit Christus Dominus, in quo posuit Deus iniquitatem omnium nostrum: colligebat duo ligna, id est Crucem sustinuit, ut Glossa Interlinearis in ea verba: 3. Reg. cap. 12. *En colligo duo ligna*, citans S. Isidorum ait: *Et ligni nomine, & lignorum numero, signum Crucis exprimitur*, idque festivo tempore, ut Joan. 1. v. 31. innuat Evangelista vocando Parasceven, *illum diem magnum sabbati*, & propterea missus in Carcerem Sepulchri.

Tertiò figuratum Sepulchrum puto, in illo carcere Michææ Prophetæ, de quo 3. Reg. cap. 22. *Mittite virum istum in carcerem, & sustentate eum, pane tribulationis, & aqua angustiæ.* Et similiter 2. Paralip. cap. 16. v. 25. Michæas interpretatur: *quis sicut Deus*; & significat Christum Dominum, quis enim, sicut Deus noster, qui in altis habitat. Et sicut Sedecias filius Chanaana, percussit Michæam in maxillam, quòd veritatem dixisset; sic de Christo Luc. cap. 22. dicitur: *percutiebant faciem ejus.* Et sicut Michæas missus in carcerem, quòd nomine Dei, mendaces omnes Prophetas dixisset, adstantes Regi Israël; & malum certo certius, Regi eventurum, veriùs nuntiasset; *& Dominus locutus est contra te malum:* ita Christus Dominus, Matth. 21. v. 11. *hic est JESUS Propheta*, pro sua verissima certissimaque doctrina, morti addictus, & in carcerem Sepulchri missus, Psalm. 56. sustentabatur tribulatione & angustia; ut de seipso dicit: *Ego dormivi conturbatus*; hoc est undique constrictus arctissimè, & angustiis deditus, tam potens in sermone & veritate Propheta. Sit itaque & tibi, propriæque voluntati tuæ, Sepulchrum Christi carcer, cui libertates laxissimas, ac tuæ pravitati magis accommodas, vitam

vitam diſſolutam, ſic incarcerari facias, ut vinculo amoris Chriſti, ac exactæ Religioſæ obſervantiæ charitate alligatus, nunquam per conceſſam licentiam diſſolvaris; ſed captivus in Sepulchro Chriſti manendo, liber ſis, eâ libertate, quâ te donavit Chriſtus.

CISTERNA.

Hunc titulum convenire Sepulchro Chriſti, conſtat ex deſcriptione R. P. Adami Conzen Soc. Jeſu Commentar. in cap. 28. Matth. v. 5. §. 2. quam ſic refert: *Chriſti igitur SEPULCHRUM, inſtar conclavis erat, & ſaxô foris claudebatur. In hac ædicula vel Mauſolæo, tumbam lapideam, ſive CISTERNÆ inſtar, loculum fuiſſe putant, in quem Cadaver poſitum fuerat, & lapide grandi impoſito tectum*: patebit ex ſequentibus, cui vel id ad gloriam ſufficit: *Dominus CISTERNÆ pretium.* Exod. 21 v. 34

Sepulchrum Chriſti eſt Ciſterna, in quam à fratribus miſſus Gen. 37.
fuit Joſeph. Expreſſè ſentit Gerhardus Lorinchius, Epitom. in libr.
1. Gen. Cap. 28. *Joſeph in Ciſternam projectus, ſignificat Chriſtum,* Fol. 17.
ſepulturæ commendatum. Barradius: *In Ciſternam aquâ carentem, miſ-* Tom. 4. l. 6. c.
ſus eſt Joſeph, in Sepulchro conditus eſt Chriſtus. Vel ut alloquitur 1. fol. 221.
Chriſtum jacentem in Sepulchro, Reverent. Hieron. de Lanuza:
O Joſeph ſanctiſſime, dejecte in CISTERNAM veterem mortis! quia uſ- Homil. 47. §.
que modò ſepulchra fuerunt Ciſternæ vel carceres mortis, ſed nunc, poſt- 16. Sab. Sanct.
quam Chriſtus, eorum unum ingreſſus eſt, aliud non ſunt, quam loca refrigerii, ut ex illis homines, ad vitam transmigrent immortalem. Hunc
ſenſum ſequitur & Jacobus Bayus dicens: *Ejusdem Dominicæ ſepul-* In Inſtit. Chr.
turæ, typum geſſit Joſeph, à fratribus in CISTERNAM miſſus, Gen. 37. Relig. Lib. I.
Tum quia ſicut Joſeph miſſus in Ciſternam, prandentibus fratribus, cap. CCVIII.
ac comedentibus panem; ut in eodem capite habetur; ſic in Ci- fol. 174.
ſternam Sepulchri, antequam miſſus fuerit Chriſtus, prius convivium in ſpecie panis, fratribus ſuis, id eſt diſcipulis præparavit. Adſcribit ſua verba S. Anaſtaſius Sinaita, Patriarcha Antiochenus,
libr. 7. in Hexameron: *Meridies autem rurſus & veſpera erat, & ho-* Bibliot. Vet.
ra ſexta, quando Joſeph in Chriſti imaginem pranſus eſt ſimul cum fra- PP. Tom. 6.
tribus, & Chriſti Paſcha admirabiliter præfiguravit ac deſcripſit; & fol. 651.
tunc CISTERNAM habitavit, ante indicans & ſignificans Chriſtum, qui poſt illam cœnam, jaciendus erat in CISTERNAM Sepulchri. Tum

quia ſicut Joſeph miſſus fuit in Ciſternam, ut à fratribus ſibi inimicis perderetur & tolleretur de terra nomen ejus, ampliusque non ſupereſſet; ſed à primogenito Ruben adferente medium: *projicite eum in CISTERNAM hanc*; eo ex motivo miſſus, ut ſervaretur tantisper illæſus, ſuo tempore reddendus, ac præſentandus Patri amantiſſimo; *hoc autem dicebat, volens eum eripere de manibus eorum, & reddere Patri ſuo*; ut inquit ſacer textus. Sic Chriſtus ab amica gente, de qua dicitur: *Filios enutrivi & exaltavi*, quam intimè dilexerat, nimis inimica ſibi facta, miſſus in Sepulchrum, ut deleretur, & nomen ejus non memoraretur amplius. Aſt à primogenitis ſuis Diſcipulis, ideo in Sepulchrum miſſus, ut ad futuram, quam expectabant, reſurgeret gloriam, quæ ipſum manebat, & Patri ſuo Æterno, in ſpecie humana reſtitueretur. Ut teſtatur ad idem Reverent. Hieronymus Povodovius, Canonicus & Archipresbyter Cracovien. *Joſeph in CISTERNA vacua recluſus erat & obſignatus, cæteris quidem ad mortem, ſed primogenito fratri ad liberationem; ſic Chriſtus Judæis recluſus erat in Sepulchro ad interitum, ſed Apoſtolis Duce Petro, quos reſurgens, fratres, & quidem quaſi primogenitos, propter fidei primitias, appellavit, expectabatur ad certam reſurrectionem.*

In Chriſtolog. Serm. 6. de Paſch. c. 2. fol. 132.

Tum, ubi Sepulchrum in ciſterna fratres uterini Joſepho parant, ibi thronum ſimul conſtruunt. *Videbam duodecim ſtellas adorare me.* Sepulchrum Chriſto paratum, in quod inferri debuit Corpus ejus à diſcipulis, Ciſterna & thronus regnantis, ſimultaneè fuit. Tum ſicut Joſeph integer ac ſalvus extractus fuit ex Ciſterna; ſic & Chriſtus. Idem Regni noſtri Doctor inquit: *Joſeph incolumis, ſed tantùm denutatus, ex Ciſterna fuit deductus; ſimiliter Chriſtus virtute Divinitatis, exoneratus mortalitate & corruptione, ad vitam irrevocabilem ex Sepulchro prodiit.* Tum ſicut Ruben, *reverſus ad ciſternam, non invenit puerum*; ita ſuper hæc verba alludit Emmus Card: Hugo de S. Charo ad Sepulchrum Chriſti & dicit: *Reverſusque Ruben*, (id eſt ſermo Propheticus) *revertitur ad Ciſternam, quando facit nos attendere ad Sepulchrum Domini, vel Ruben ſatis congrue deſignat Magdalenam: ille venit ad Ciſternam, illa ad Sepulchrum; ille non invenit puerum, illa non invenit Corpus JESU: ille dixit: puer non comparet, illa dixit: tulerunt Dominum meum.* Et ſicut idem Ruben ſollicitè accurrens ad ciſternam, non invento puero,

Ibid. Serm. 5. part. 1. fol. 112.

Comment. in Gen. fol. 53.

puero, nimium contristatus, ad expressionem doloris, scidit vestimenta sua; ita primi visitatores S. Sepulchri in Ruben designati, accurrentes ad Sepulchrum, & non invenientes Corpus, dolore sunt affecti. Idem supra adductus Canonicus Cracovien: loco citato ait: *Ruben volens Josephum fratrem ex Cisterna liberare, illumque non inveniens, proptereaque afflictus, denotat mulieres pias, & quosdam discipulos, qui sollicitè Dominum in Sepulchro aperto requirebant; singulariter vero Magdalenam, quæ non invento Domino, mærore non vestem, sed cor conscidisset.* Tandem eductus Joseph ex Cisterna, hæres ac Dominus declaratus fuit, à stellis, luna & sole in somno præsagis adoratoribus, in ipso facto veneratus; sic Christus è Cisterna Sepulchrali prodiens, in eodem loco, cæli & terræ legitimus Dominus declaratus, ab eodem cælo & terra profundissimè adoratus & agnitus extitit. *Idem nobis* (inquit Carthagena) *profert Joseph eductus è Cisterna, in quam missus à fratribus, in maximum postea regni totius imperium provectus, à suis etiam parentibus & fratribus, per solem & lunam, stellas, manipulos in somno sibi ostensis, præsignatis, quasi omnium Dominus adoratur; sic Christus è Cisterna Sepulchri liber prodiens, in quam suorum fratrum invidiâ, populi nempe Hebræi, impiè projectus fuerat, gloriosus resurgit.* In illo loco à sua dignissima Matre, fratribus discipulis, stellis Angelis, manipulis Regibus, & potentatibus mundi, submisso cultu honoratus. Homil. 2. de Resurrect. fol. 10.

Sepulchrum Christi Cisterna illa Bethleem, de qua 2. Reg. cap. 23. Tum, sicut illa cisterna erat juxta portam, ut ibidem dicitur: *de Cisterna Bethleem, quæ erat juxta portam*; sic Sepulchrum Christi, juxta portam Civitatis Jerusalem, ut dicitur Joan. 19. v. 42. *Ibi ergo propter parasceven Judæorum, quia juxta erat Monumentum, posuerunt JESUM*, ut præberet cuilibet ad se aditum. Tum sicut David magnô deriô, cupiebat aquam de hac Cisterna: *Desideravit ergo David & ait; O si quis mihi daret potum aquæ de Cisterna, quæ est in Bethleem juxta portam!* ita Sepulchrum Christi est cunctis desiderabile & expetibile, ut omnium ad se rapiat affectus ac sensus. B. Amadeus: *Nam si Sepulchrum ejusdem nostri Redemptoris, quod extat usque hodie, ita visui desiderabile est; si lapis, in quo requievit Stirps Sancta Jesse, tanta est expetibilis celebritate, ut affectus & animos cunctorum provocet ad se, & quadam pietatis arte trahebat ad se omnia*

vers. 16.
vers. 15.
Homil. 7. de laud. B. V. M.

 omnia

omnia &c. Ita tot Sancti Sanctæque, tot viri ſpiritualibus inhiantes, ingenti premebantur deſiderio, ut biberent de Ciſterna Sepulchri, quæ eſt in Jeruſalem, aquam ſalientem in vitam æternam, fluenta rivuloſque gratiarum, in de copioſiſſimè manantes potarent, ac illis refrigerarentur. Ut de S. Paula Romana teſtatur S. Hieronymus: *Ingreſſa Sepulchrum, Reſurrectionis locum, oſculabatur lapidem, quem ab oſtio monumenti amoverat Angelus, & ipſum Corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quaſi ſitiens deſideratas aquas, fidei ore lambebat*, vix potens exatiare appetitum ſuum, vix extingvere amorem, quô ferventiſſimè æſtuabat, ut ſaltim guttam tam ſvaviſſimi potûs prælibaret, quo piam ſitim à Sepulchro Chriſti temperaret. Quid dicendum de tot Magnatibus ac Potentatibus, Davidi non abſimilibus? Dē Duce Godefredo ſcribit Aquenſis, quôd ante initium viæ S. Sepulchri, ſæpe idem Dux ſuſpiria trahebat, ejuſque animi optio, ante omnia fuit, videre Sepulchrum Domini JESU, ac ſæpe privatis famulis hanc ſui cordis aperiebat intentionem, in ſimilia prorumpens verba: O ſi quis mihi daret de Ciſterna Sepulchri Potum! Et de Walone milite quodam Chriſtiano, & inter præcipuos nominatiſſimo, lachrymabunda conjunx, hæc protulit apud Robertum Monachum: *Heu quantum deſiderabat tuum Sepulchrum, pro quo contempſit omnia, quæ habuit, & ſeipſum!* Quid de aliis Imperatoribus, Regibus, Ducibuſque, *qui cauſâ videndi Dominicum SEPULCHRUM, ardentiſſimo deſiderio, pariter viam inſiſtere Jeruſalem decreverant.* Pariter ſicut David coram ſuis domeſticis fortiſſimis, exponebat deſiderium Ciſternæ Bethleemiticæ; ſic hi viri bellicoſiſſimi, deſiderium Sepulchri Chriſti Hieroſolymitani proponebant; referente eodem Aquenſi: *revelantes ei quanto deſiderio, ad ingrediendam Civitatem, & Sepulchrum Domini videndum æſtuarent, & quanta in via pro hac fide & voto, pericula ſuſtinuiſſet.* Vel ſi tunc vel maximè innoteſcere ſolet deſiderium rei, cum habita res deſiderata, omni affectu, benevolentia, gaudioque poſſidetur. Collige Chriſtianitatis noſtræ, Regumque piorum, preſſiùs Davidicò, deſiderium, Sepulchralis Chriſti Ciſternæ, ex illo affectu, quô hanc, & alia loca Sacroſancta tam diu deſiderata, lætabundi omnes viſitaverunt. Quorum deſideria Fulcherius Carnotenſis, in Geſt. Peregr. Franc. hac exclamatione inſinuat: *O tempus tam deſideratum! verè deſideratum; quoniam*

Hiſt. Hieroſ. lib. 5. cap. 26. n. 10.

Hiſt. Hieroſ. lib. 5. fol. 53. n. 20.

Alb. Aqven. hiſt. Hieroſol. fol. 190. n. 40

Ibid. libr. 6. f. 276. num. 50.

fol. 399.

niam ab omnibus fidei Catholicæ cultoribus, interno mentis desiderio, semper desideratum fuerat, ut locus, in quo moriendo, resurgendoque, à Paganorum contagione habitantium, quandoque mundatus, à credentibus & confitentibus in te, in modum dignitatis suæ pristinum, reformaretur. Qui postquam expiatus fuit, satis patuit, quantò desiderabatur affectu à Christiano exercitu. Tales anhelitus exprimit Wilhelmus Malmesburiensis: *Sepulchrum Domini, quod tam diu desideraverunt, pro quo tot labores tulerant, supplicibus cordibus & corporibus petierunt.* De Reb Angl. libr. 4. f. 142. num. 30.

Audito hoc Davidis suspirio tres robutissimi, qui noctu, non absque manifesto periculo vitæ, in armatorum hostium castra penetrantes irruperunt, haustam de Cisterna Bethleemitica aquam, suo Principi attulerunt. Hic actus heroicus, figura fuit mulierum, Sepulchrum adeuntium, quarum Heroinarum, magis dilaudanda ac prædicanda fortitudo, quæ non armis, sed fuso coloque asvetæ, palam exorto sole, non tectæ caligine, venerunt ad hanc Cisternam, Sepulchrum scilicet Domini, *quod armatis custodire non ignorabant, signatumque mira diligentia lapidem, neque timent per media castra in Sepulchrum introire*; quam audaciam miratur S. Thomas à Villanova; & illam æquiparat Paulus de Palacio, sive præsignatam confert cum illo forti ternione: *Facinus fuit, (non nego) quod fortissimi viri designarunt, cum sitiente Davide, per hostes medios irrumpentes, aquam ex Bethleemitico fonte, suo Regi detulerunt; sed quis non videt, majus aut certe par facinus fuisse fœminarum, quæ nihil veritæ custodum efferatum furorem, inter eos irruunt, ut ad Monumentum perveniant.* Vide quid non aggreditur amor Sepulchri. Stabat armata cohors, castrorum more, cui tanta inhumana barbaries inerat, ut librum concedere ingressum, nullæ preces exorarent, de revolvendo lapide, consultationi habitæ, media defuerant; sigillum Regale Conciliique; rupes præpotens frangi difficilis, moveri impossibilis, nonne grandia obstacula? Amor tamen loci illius, obsequiumque Magistro Sepulto impendendum, nihil de his rebus cogitabat, ut desiderium suum explerent, ut saluberrimas haurirent aquas, fontem vitæ, venamque aquarum viventium biberent saluberrimè. *Tanto enim* (inquit de Magdalena Joannes Ferus) *cordis ferebatur incendio, ut nec tenebrarum caligine, nec Judæorum immanitate, retraheretur à Sepulchri visitatione.* Idem cen-

In die Resurr. f. 175.

In Mat. c. 28. c. 6. fol. 1140.

In Annot. in Joan. cap. 19. fol. 479.

censendum de peregrinis S. Sepulchri, qui Saracenico metu absterriti, non potuerunt adire Cisternam Sepulchri Christi, quam velut Philisthinorum, statio obsidebat; eaque res tali tempestate impediebat & absterrebat, ne ad Deiferam illam Civitatem per illud tempus facile pervenire possent peregrini, & beatum & desideratum locum intueri, & ibi lachrymari, quo nihil eis obtingere potuisset feliciùs, honoratiùs, aut optabiliùs. Tenebantur profectò desiderio, & siti æquè torquente, atque altera illa, torquebat Regem. Videre autem aquam, ut decantatus ille David, & vel solo aspectu, anima, visumque inde pascere, propter Saracenorum metum, omnino non valebant. Interminabant enim cædem & interitum, nihilominus expetitam aquam, fortissimi illi in expeditione sacra milites S. Sepulchri obtinuerunt, orthodoxa fide armati, quod enixè avebant, mente & corpore contemplarunt; & salutem, quæ in ipsa Sepulchri Cisterna apparuit, hoc est Christum, qui humana in carne, ex ea resurrexit, accuratè contuebantur. Dum ad mortem, illius causâ sub eundam, promptissimi, in manifestum vitæ discrimen proruerunt. *Populus iste, qui multas passus est calamitates, ut Sepulchrum Domini Dei sui videre promereatur.* Regi Supremo Christo, per hoc animi sui robur infractamque audaciam, probare volentes, & certè eximiam, & admiratione dignam, in principem locum Sepulchrum ejus benevolentiam, invictumque erga salutaria mysteria Christi studium, & ardorem instituentes demonstrare. Siquidem majorem hâc dilectionem, nemo habet, ut animam suam ponat quis, pro amicis Christi locis. Optimates pro Christi nomine, & S. Sepulchri viâ, protulerunt, apud Aquensem. *Nos Jerusalem Civitatem Sanctam, & locum desiderati Sepulchri sangvine nostro, redemimus.*

Balduinus Archiep. Dolens. Hist. Hierosf. libr. 4. f. 122.

Libr. 7. c. 50.

Ita judico, nemini magis debere inesse desiderium, cupiditatemque bibendi aquam, de hac Cisterna, quam tibi Canonice S. Sepulchri. Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum; ita anima tua sitibunda, ad Cisternam Sepulchri Christi. O si quis mihi daret potum de hac Cisterna! Hæc ingravescit in me Sancta sitis, ut possim gustare, quam svavis est Dominus, quam potabiles; cum interna delectatione, sint aquæ ex Sepulchro tuo Domine! O si quis mihi daret, ut possim ore lambere, corde haurire, animâ percipere, illas dimanantes è Sepulchro consolationes! quas sen-

ſentiunt, quicunque bibunt, quicunque explent ſitibundos anhelitus. O ſi quis mihi daret! ſed non alius, niſi tu Domine, da mihi aquam de hac ciſterna Sepulchri, quæ terrena extingvat deſideria, quæ noxias cupiditates ſupprimat, *aquam ſanctam*, Num. 5. *Aquam luſtrationis*, *aquam refotillantem* Judith 7. *potum, qui ab hominibus videri non poteſt*, Tob. 12. v. 19 Sed quomodo eum hauriam, ego inermis, pavidus, dum tanta armatorum militum, cingitur manu. Ciſterna? quomodo ad illam audebo properare, tantis impedimentis, habens præcluſam viam? Eja anima mea, amor Ciſternæ illius, non patitur hac cruciari ſiti; ſi pedibus non licet, affectu nihil prohibet; enſes per medios, per mille pericula, per arma, per mille diſcrimina rerum, tres fortiſſimos tuos, ſcilicet fidem, ſpem & charitatem, virtutes has, trino ſtipatas potentiarum comitatu, intellectu, memoria & voluntate, etiam inter media infidelium caſtra transmitte; Heroicæ ſunt, robuſtæ ſunt, penetrabiles ſunt. Fidem, quæ in obſequium Sepulti, ac Sepulchri captivet intellectum, in recognitione frequenti, excerptorum ex Sepulchro beneficiorum, quibus animetur ad continuos actus, adorationis, laudis, credatque in illa Ciſterna, ſaluti tuæ propinatam fuiſſe Aquam Sapientiæ ſalutaris. Spem, cui confiſa memoria, jactet cogitatum ſuum in Dominum, ſecura de amatione quorum libet obſtaculorum, pia deſideria retrahentium à cultu, promotione, viſitatione S. Sepulchri, nec vivere cupiat extra tuum Sepulchrum, nec ad aliud aſpiret, quam de guſtare illoque immergi. Charitatem, quæ voluntatem ſic inflammet ad ſanctiſſimum illum amandum locum, ut quæque adverſa libenter toleret, audacter irruat, potenter vincat, ut tantùm ex illo torrente voluptatis tuæ potetur, quantùm ſuffecit, ad explendam ſitim fragrantiſſimi amoris, in te Chriſte, tuumque Sepulchrum, inflammatæ Magdalenæ, quæ

Amore perſtans ſaucia, Sepulchro in hæret anxia,
Truces nec horret milites, Pellit timorem charitas. Breviar. Rom. in Feſt. S. Magdalen.

COLLIS.

Sepulchrum Chriſti, quod non immeritò dici poteſt Collis; cum ſitus ejus, per modum collis petroſæ, & eminentis deſcribitur.

tur. Figuratum censeo, in illo Colle thuris Cantic. 4. v. 6. *Vadam ad montem myrrhæ, & ad Collem thuris.* Primò enim per montem myrrhæ, juxta Sanctum Bernardum, intelligitur mons Calvariæ, propter amaritudinem passionis; Collis vero thuris, potest intelligi Sepulchrum Christi. Et sic intelligit Gislerius, Comment. in Cant. in istum versum, fol. 560. ubi dicit montem myrrhæ, esse montem passionis, quia amaritudinem in ipso gustavit Christus. Collis verò thuris, Collis immortalitatis, nempe Sepulchrum resurrectionis, quia Christus Dominus ex arduo passionis monte, ad Collem thuris, nempe immortalitatis Sepulchrum, descensurus erat, per resurrectionem ex illo, patefaciens Divinitatem; per thus enim significatur immortalitas, atque Divinitas. Et verè tumulus, Collis fuit thuris; odor enim ungventorum illius, super omnia aromata. Sicut item thus, juxta Levitic cap. 2. v. 2. ponebatur memoriale, in adorem svavissimum Deo; sic in Sepulchro tanquam Altari, Christi ungventa, posita sunt in memoriale svavissimum Domino; & memoria Sepulturæ Christi, est memoriale Deo svavissimum. Et sicut ibi Cap. 6. v. 15. thus adoletum in monumentum odoris svavissimi Deo; ita tumulus Christi, monumentum odoris svavissimi Deo. Sicut thus ardens in igne, summè redolet; ita ignis promicans de Sepulchro, sive Sepulchrum igne, non consumente Christo inflammatum & æstuans, summâ

Eccl. 50. redolentiâ, sensus humanos replevit: *quasi thus redolens in diebus æstatis.* Denique sicut thuris inscensum, soli Deo in sacrificium, adorationem, & in actum recognitionis dominii Divini adhibebatur; ita Sepulchrum soli Deo sacrificatum, in quo adoratur Christus, & in quo fuit recognitio ejus Supremæ potestatis. Unde sensus dictorum verborum, potest esse hic, quasi diceret Sponsus: Vadam crucifigi ad montem myrrhæ, id est Calvariæ, & sepeliri

Bibliot. Vet. PP. Tom. 4. fol. 571. ad Collem thuris. Philo Carpatiorum Episc. Exposit. super Cant. per montem myrrhæ, intelligit Corpus Sponsi, quod sua sponte neci oblatum est. Is enim mons est, de quo legitur Daniel: 2. *Abscissus est lapis sine manibus, & contrivit statuam, & factus est in montem magnum.* Myrrha verò ea est, quâ hic mons, à Joseph unctus est, & conditus in Sepulchro. Et concludit: *Ad hunc montem myrrhæ, & Collem thuris, voluntariè accessit Sponsus, ut non solùm pro Sponsa mortuus sepeliretur, verùm etiam, ut pro eadem, immor-*

mortalis resurgeret. Ad istam itaque præfiguratam in his verbis, mortem & sepulturam Christi, anhelo animo & corde: vade & anima mea, & adora montem myrrhæ & Collem thuris. O mi dilecte! assimilare capreæ hinnuloque cervorum super montes aromatum! Id est, dilecte Sponse, hoc tibi sit solatium, qui corporali visitatione & visione, nequis cernere montem aromatum & collem thuris, saltim assimilare spiritualiter, capreæ hinnuloque cervorum. Hæc animalia velociter currunt, & saliunt ad montem; tu spirituali cursu & agilitate penetrabilium actuum, præcurre hæc animalia, ad visionem mentalem & intellectualem, montis Aromatum, nempe Calvariæ, & Collis thuris, nempe Sepulchri.

CURRUS.

Supremus ille Thesaurarius, Condacis Reginæ Æthiopum Eunuchus, ab adoratione in Jerusalem revertens, super currum, legit Isaiam Prophetam, locumque Sacræ Scripturæ, habens sibi explanatum à S. Philippo, credidit in JESUM Christum, & baptizatus est. O verè felix hic Currus! qui animam increduli, ad fidem JESU Christi, & æternitatis metam provexit! Ille currus gratiæ Dei; mihi legenti textum Isaiæ de Sepulchro Christi, occurrunt varii currus gloriæ ejus, ad quos mihi propinquus mandatur accessus: *Accede, & adjunge te ad currum istum.* Considerando varia adjuncta, diversorum currum, ea in gloriam Sepulchri Christi, liceat attrahere, ut Victrici, solenni honoris ejus pompæ, triumphales instruamus currus, juxta illam visionem Ezechielis: *Videamus conspectum gloriæ* (Sepulchri) *quam ostendit in curru.* Istum titulum abscribit Sepulchro, Joannes de Matha: *Feretrum, quod Christum tulit, lapis, quo operitur, CURRUS est ille, mortis, inferni, & peccati spoliis, undequaque præfulgens.*

Actor. 8.

Cap. 49.

Conc. 7. de Resur. Discur. 1. n. 9.

Sepulchrum Christi, est Currus ille secundus, quem ascendit Joseph, postquam somnia interpretatus est. Primus enim Currus Joseph, Christi fuit Crux, in qua somno dormivit, famem, sitim & alia mala, perpessus est. Et postquam hæc omnia consumata sunt, ut consumaretur Scriptura, & interpretationem illius verissimam & exactissimam, per sub sequentem mortem, clarissimè patefecit, & interpretatus est; ascendit Currum suum secundum, nempe

Gen. 40.

pe Sepulchrum, & ibi vestitus stolâ byssinâ, scilicet glorificato Corpore, honoratus in conspectu omnium apparuit. Ante eundem Currum, omnes coram eo genu flectunt, & Præpositum esse universæ terræ sciunt, & nominant Salvatorem mundi. Sicut ergo Currus ille secundus, inauguravit nomen, dignitatem, potestatem & Authoritatem Joseph; sic Sepulchrum Christi fuit Currus gloriæ, in quo inauguratum est nomen ejus, dignitas. Et clamantibus omnibus præconibus, singuli coram Sepulchro Christi genu flectebant, suum Dominum & Salvatorem præconizabant, & acclamabant.

Sepulchrum Christi, est Currus igneus, quia cælesti igne desuper misso coruscans; & igne illo, qui missus erat in terras, accensus; in quo Elias, id est Deus Dominus Christus, relictô palliô, id est sindone & linteaminibus, ascendit ad gloriam cælestem. Ita Hieronymus Povodovius, Canonicus & Archipresbyter Cracoviensis, in Sermone de Pasch. cap. 13. *Quemadmodum olim Elias, palliô in terris relictô; sic longe perfectiùs Christus, exuviis Sepulchro addictis, statum & viam gloriosæ immortalitatis, contestatur.*

Sepulchrum Christi est Currus Josiæ Regis, de quo Paralip. 2. cap. 35. Dicta enim verba Isaiæ, secundum literam, de Sepulchro Josiæ Regis Juda, intelliguntur ab aliis; adeoque sicut Josias Christi, ita & Sepulchrum Josiæ, Christi Sepulchri, figura expressa extitit. Ut tenet Abulensis in 4 Reg. cap. 24. quæst. 42. Et insuper, sicut luctus & planctus Josiæ Regis, qui in campo Mageddo dimicans, fulneratus fuit, repræsentabat, juxta Sanctium num. 46. ob vulneratum & occisum Christum, anniversarium luctum fide-
Cap. 12. v. 11. lium: de quo luctu prædicit Zacharias, his verbis: *In die illa magnus erit planctus in Jerusalem, sicut planctus Adadremmon, in campo Mageddon*; Ita Currus duplex Josiæ Regis, duplicem figurabat locum; Josias enim, dum prælium præpararet contra Nechao, du-
Libr. 3. Esdr. c. 1. v. 31. plici usus est curru. Primô, in quo fulneratus fuit à sagittariis: alterô, qui eum sequebatur, more regio, in quo depositus fuit, & asportatus in Jerusalem. Pariter Christus, ignis Domini (ut interpretatur Josias) bellaturus contra diabolum, duplici usus est Curru: unô, in quo vulneratus est à Sagittariis, ut de se dicit Thren. 3. *Posuit me quasi signum ad sagittam.* Hi sagittarii fuerunt Judæi, qui toties venenatas emiserunt sagittas, quoties clamarunt:

Cru-

Crucifigatur. Sagitta vulnerans ligna eorum. Alter Currus in Jeru- Jerem. 9.
salem, Sepulchrum, in quo de Cruce vulneratus, depositus & deportatus est; qui Currus more regio fuerat instructus, scilicet ad instar Regum; in horto monumentum, sub monte, custodia adhibita, signatum sigillô, aliusque apparatus verè regalis, ac pomposus tumuli. Cujus sensus est Quaresmius Tom. 2. Elucid. Ter. Sanct. libr. 5. cap. 16. dum ait: *Piissimus Rex Josias bellaturus contra Nechao, Regem Ægypti, duobus curribus, more regio ad bellandum processit, in quorum altero vulneratus fuit, & in altero mortuus, honorificè in Jerusalem fuit delatus, ad vivum exprimit Christum, nostrum Regem, qui bellum gessit cum principe tenebrarum, contra quem, more Regum, duplici CURRU processit; & ipse in altero, id est in Cruce, fuit vulneratus & mortuus, & in altero, id est Sepulchro, honorificè conditus.*

Sepulchrum Christi est ille Currus, de quo Psalm: 67. *CURRUS Dei, decem millibus multiplex, millia lætantium.* Immediato enim versu ante hunc, loquens de montibus Propheta, Montem Calvariæ nominare videtur, dum dicit: *Mons Dei, mons pinguis, mons còágulatus*; quæ epitheta, monti Golgothano conveniunt. Hoc autem versu, per Currum Dei, Sepulchrum appellat, quod fuit Currus Dei, stipatus à decem millibus, hoc est à multiplici multitudine Angelorum, animarum Sanctarum, è limbo eductarum, & tot millibus lætantium, ac gaudentium de Domini Resurrectione.

§. III.

Ex literis D. F. G. hi tituli gloriosi; DOMUS, FISCELLA, Moysis, FLUVIUS, GAZOPHYLACIUM, demonstrant gloriam Sepulchri Christi

DOMUS.

Sepulchra vocari domos, patet ex Psalmista dicente: *Sepulchra eorum, domus eorum.* Et Job: *Ubi constituta est domus omni viventi.* Psal.48.v.12. Cap.30.v.23.
Sepulchrum Christi, quod Dominum in Carne suscepit, Domus dicitur. S. Aug. de consens. Evang. ex Beda refert: *Monumentum Domini dicitur, quòd DOMUS rotunda fuerit, de subjacente rupe.* S. Chrysostomus Orat. in Resurrect. Dom. *SEPULCHRUM, in quo Christus triduo*

triduo jacuit, DOMUS vitæ. Alphonsus Tostatus Episc. Abulen.
In Libr. 4 Reg. c. 13. quæst. 19. fol. 137. testatur: *Sepulchrum Domini nostri, fuisse ad modum DOMUS magnæ.* Imò passim alii in suis descriptionibus, fatentur, Domunculam esse rotundam: Sic Thomas Waldensis, Ord. Carmel. Provin-
Tom. 2. tit. 14 fol. 240 cialis dicit: *Ampla ecce Domus Domini, fuerat pro Sepulchro, res grandis & splendidi apparatûs.* Et in responsione Domini Athanasii,
Baron. Tom. 12. an. 1188. fol. 1006. Patriarhæ Hierosolymitani, ad Georgium Metropolitam Corcyræ, usitata forma Epistolarum, benedicendi, sive præcandæ benedictionis, ex Sepulchro Christi: sic habetur: *Benediximus etiam vobis nos è Domo Domini, è Sancto scilicet Sepulchro, quod Deum continuit.* Ex quo contextu literarum patet, Sepulchrum Christi Domum ejus dici. Imò hæc verba: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*, Chaldæus legit: *Et erit locus mansionis ejus in gloria.* Originale Hebræum, non solùm accipit pro quieta habitatione; quia Sepulchrum Christi erat Domus quietis; ut patet ex Ubertino de Cassali in Arbor: Vitæ Crucif. qui enumeratis hospitiis Christi, in illius
Cap. 29. lib. 4 peregrinatione mundana dicit: *Sextum hospitium est, in domo contemplationis tranquillare*, scilicet in Sepulchro. Juxta Fornerium
Conc. 65. de glor. Sepul. Christ. f. 790. dicta verba: *Regiam DOMUM & Aulam Imperialem*, significant. Quasi diceret Propheta: Domus illa triduanæ habitationis Christi, in qua aliquantisper Corpus ejus residebat, ac quievit, pluris æstimabitur Regum, Imperatorum palatiis. Præterea, incolam in terra Christus se dixit: *Incola ego sum in terra*; aliqui Codices habent: *Inquilinus ego sum in terra.* Jam autem secundum D Augustinum hìc, Inquilini dicuntur, non habentes propriam domum, sed habitantes in aliena. Christus, dum inquilino tumulo, Corpus suum intulit, incola in terra fuit; quia nec proprium habuit, nec civis terræ fuit; permanentem tamen ipsis sæculis, Domui
Psalm. 111. suæ reliquit gloriam: *Gloria in DOMO ejus manet in sæculum sæculi*, quæ in ante præcipuis domibus fuit figurata.

Sepulchrum Christi, est Domus Lot, de qua Gen. 19. à vers. 3. Lot enim ex Hebræo interpretatur, involutus, designabat Christum sindonibus, in Sepulchro involutum; Domus illius, Sepulchrum. Sicut enim illam domum, ingressi sunt duo Angeli, è quorum numero fuit Gabriel, in Commentar. hìc Cornelius à Lapide; ita idem Angelus, cum aliis huic Domui pro præsidio ac tutela erat. Tum sicut viri Civitatis vallaverunt domum, ante cubi-

cubitum hoſpitium, ita hoſpite Deo cubante, *Ego dormivi & ſomnum capi.* viri Civitatis, vallaverunt hanc domum, in quam ingreſſus, ſub umbra culminis ſui: Et ſicut illi viri, qui vallaverunt domum, percuſſi ſunt cœcitate, à minimo usque ad maximum, ita, ut oſtium invenire non poſſent; ita Synagoga Judæorum, quæ Domum hanc vallavit, ſimili pœnâ mulctata: *excæcavit eos malitia eorum*, ut oſtium invenire non poſſit, quòd recto introeat tramite, etiamſi apertum habeat: *Ego ſto ad oſtium & pulſo.* Item cuſtodes exterriti, facti ſunt velut mortui, adeoque cœci, ut ignorarent viam hominis ſuper terram, & oſtium invenire non poſſent, quonam Chriſtus ex Sepulchro exiverit. Adeoque tantum illis lintea velamina in antro ſuperfuiſſe, ut velamen & caligo ab oculis eorum detergatur, quibus abſterſis, limpidiores haberent mentes, ad videndum Corpus Domini.

Sepulchrum Chriſti eſt Domus, quam ingreſſus Joſeph, opus magnum absque arbitris facturus, & ibi à muliere detentus, *relictô* Gen.39. v.12 *in manu ejus palliô fugit, & egreſſus eſt foras.* Sic Chriſtus opus ſalutiferum facturus, ingreſſus Domum Sepulchri, absque arbitris, *gubernabat creditam ſibi domum*, ibi à morte detentus, relictis illi ibid. v. 4. veſtimentis Sepulchralibus, illæſus, innocens, intaminatus egreſſus è Domo Sepulchri, velut è libertatis conclavi, cum gloria nominis ſui. Euſebius in Geneſis idem Caput: *Joſeph à muliere detinetur, & Chriſtus à morte: Joſeph pallio rejecto aufugit, & Chriſtus linteamina in Sepulchro reliquit & reſurrexit.*

Sepulchrum Chriſti eſt Domus illa, cujus ſuperliminaria ſangvine Agni Paſchalis, ad veſperam immolati, tincta & conſperſa, Exod. 12. poſtibus domûs in formam crucis illito; juxta Cornelium à Lapid. ſuper Exod. hîc, ſervabatur immunis, illæſa ab Angelo, percutiente Ægyptios: *Cumque viderit Sanguinem in ſuperliminari, & u-* vers. 23. *troque poſte, tranſcendet oſtium domûs, & non ſinet percuſſorem ingredi domos veſtras, & lædere.* Domus Sepulchri Chriſti, ab Angelo percutiente & diſturbante Hieroſolymam, ac omnem ejus viciniam, manſit immunis & illæſa. Joannes Capalla: *Dei namque* Serm. de Paſch *ſingulari judicio, integrum in cunctis cladibus, eſt reſervatum à ruina & depopulatione, integrum perſeverat, ita, ut ſubverſis etiam Regionibus, & ipſa Hieroſolymorum Civitate cum omni Palæſtina, penitus demolita, ac ad ſolum redacta, ſolum Chriſti SEPULCHRUM, intactum perſe-*

perseveret. Quia scilicet potest Domûs Sepulchri, illiti erant sangvine Agni Paschalis, in Cruce immolati, quem Angelus cernens vindicem cohibuit dexteram, ob notam Sangvinis Christi, non ulciscens, sed adorans & custodiens. Et sicut dicit Oleaster: *Agnus priùs clausus erat, unde viso Sangvine, quasi jam ibi esset mortuus, Angelus transibat: ideo Sangvis ejus in postibus signum erat, quod in ea domo esset occisus Agnus, loco primogeniti.* Quæ explanatio bene convenit Sepulchro Christi: In quo prius Agnus clausus erat, jam ibi existens mortuus, adeoque dans manifestum signum, quod occisus esset Agnus Christus, primogenitus à mortuis per resurrectionem appellatus. Adeoque obtutus Sangvinis, mortisque ejus, removebat á sua Domo, omne nocumentum, ab universali excidio Hierosolymitano, illi inferendum. Si enim figura Sangvinis Christi, habuit virtutem expellendi malum, ac damnum in Ægypti medio, superliminaribus tinctis: quam non haberet potestatem, amovendi à sua Domo Sepulchri, omnis mali imminentis, Sangvis Corpusque Christi Domini, in Sepulchro contenta, & illud signantia? Proinde, quia Sepulchrum Domus erat Crucifixi, Domus Agni Paschalis occisi, Sangvine illius è Cruce, & ad modum Crucis tincta, jure merito, etiam hucusque nulla ei nocet adversitas, percussio, hostilitas, ac inimica manus feriens. Hoc confirmat Antonius Serpensis Lusitanus in Euch. Chronolog. Enarrat: 5. in figura Sepulchri dicens: *Quoniam Christi Crucifixi SEPULCHRUM est, - - Cruce Sarcophagus signetur, nec tantùm in tres dies, sed usque in finem sæculi, impressione tanti signi, Sepulchrum tale semper conservandum.*

Sepulchrum Christi Domus leprosa mundata; de qua Levitici Cap. 14. v. 34. Ibi enim dicitur, quòd domus si inventa fuerit leprosa, primò claudi debet, deinde præscribitur modus tollendæ lepræ à Domo illa. Scilicet Sacerdos introiens in domum illam,
Vers. 50. *immolato uno passere, in vase fictili, super aquas vivas, tollet lignum cedrinum, purificabitque eam, in sangvine passeris, lignoque cedrino.* Sepulchrum ante illationem Christi, fuit domus leprosa: Sicut enim lepra est morbus corrosivus, ita & illud, sicut alia, fuerat destinatum mortalitati, virtuti corrosivæ & corruptivæ corporum; adeoque similitudinariè dicta est, domus leprosa, in quantum habitantia in ea corpora inficiuntur corruptione. Sed jam taliter domus

illa

illa leprosa, scilicet Sepulchrum, purificatum fuit: Ecce Summus Sacerdos, assumpsit in seipso speciem quandam passeris: Sepulchro velut caveæ inclusus, *vigilavi & factus sum, sicut passer solitarius in tecto.* Psalm. 101. Iste forsitan passer est de duobus illis, quorum unus non cadit super terram, sine voluntate Patris; ut inquit Divus Paulinus: Epistol. 26. Cecidit enim hic passer in corpore, in terram, scilicet Sepulchri, ex affectu voluntatis Paternæ, sed & avolavit liberè, ut & ibidem in figura habetur vers: 53. quia spontaneè resurrexit. Hic ergo passer, unus vermiculus: *Ego quasi vermis & non homo.* Immolatus in vase fictili, scilicet in humana natura, super aquas vivas, *continuò exivit Sangvis & aqua*, tollens lignum cedrinum; hoc est lignum Crucis, cujus materia, inter alias, fuit & Cedrus; mundavit his duobus remediis, à lepra mortalitatis domum suam, scilicet Sepulchrum, dum primò suo Sangvine illud respersit. Testatur enim Radmus Bonifacius Ragusinus, Stagni Episcopus, de perenni cultu Terræ Sanctæ: *Dum ergo aperirem Dominicum Sepulchrum, sub Paulo IV. & Carolo V. Imperatore, Annô à Christo nato 1555. Die 27. Augusti, hora 16. inter alia præclara, quæ immeritus oculis vidi, sunt Sangvis mixtus, myrrha & aloës, in loco, ubi caput, ubi latus, & ubi pedes Domini JESU composita fuêre.* Libr. 1. f. 53. Deinde ligno Crucis in illud illato, sive in contiguò reperto, singulare remedium conservandæ Domûs Sepulchri reservavit, & protinus jure mundam, puram ac nulli corruptelæ reddidit subjacentem.

Sepulchrum Christi, Domus Civitatis Gazensis cujusdam meretricis, quam ingressus Samson, somni gratiâ; Philisthæi, Judic. 16. quam primùm domum eum ingressum intelligunt, custodes adhibent diligentes, portas occludunt Civitatis. Samson in ambas aures dormit, in domo quietus, ad mediam noctem; postmodum seipsum à somnis excitat, cardinibus evellit postes, demoque liber egreditur, territis ac confusis Philisthæis. Hac proposita serie historiæ Samsonis, in fundamento SS. Patrum, uti S. Gregorii, homil. 21. in Evang. S. Augustini, Ruperti in Libr. Judic. cap. 21. ut eluceat conformitas ferè quoad omnia, domûs illiûs Samsonis, cum Sepulchro Christi; singula adjuncta, accommodatis applicationibus, combinantur. Samson Redemptoris Nostri expressam gessit figuram, quoad præsens factum; S. Chrysostomus: *Samson obseratis portis, clauditur in Civitate; Dominus obsignatô clauditur Monumento.* Homil. 4. ex cap. 2. Matth. fol. 1145.

mento. Ædes mulieris meretricis, & hoſpitæ, eſt Sepulchrum mortis, patet ex eodem S. Doctore homil. 29. ad popul: *Sepulchra, meretricum diverſoria* vocante: etenim ad illud ingreſſus omnibus patet, cunctique ſuſcipiuntur. Hanc ergo domum licet mundatam, nulli adhuc corpori patentem, ſcilicet Sepulchrum intravit, inſignis noſter Samſon, libera ſua ductus meraque voluntate; non enim ſatis potentes erant omnes Phariſæi, ut illum eò inducerent; ſicut nec Philiſthiim, ut concluderent Samſonem, ſi ille proprio motu, intrare noluiſſet. Ingreſſus eſt domum meretricis, non ut cum illa conjungeretur, aut unum Corpus efficeretur, quandoquidem Corpus ejus & illud ſolum tantum erat, & non erat poteſtati mortis, ſicut alia ſubjectum. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.* Tantùm intravit, ut in hoſpitium ac diverſorium, ſomnum capturus, ac tantisper quieturus. *In Sepulchro alieno tanquam in hoſpitio deponitur.* Non ſic Philiſthæi gaviſi ſunt, ut Phariſæi, quando hunc Samſonem fortiſſimum Chriſtum, tot mira potentiæ ſuæ, patrantem opera, viderunt ingreſſum hanc domum mortis. Adhibent ad portas domûs, vigiles - - potentiores. S. Auguſtinus ad præſens propoſitum dicit: *Inimici cuſtodiebant domum dormientis, (id eſt Sepulchrum) & capere volebant, quem videre non poterant: ille autem dormiebat ibi, hoc ideo dixit, quia verè mortuus erat.* Porro robuſtiſſimus ille Samſon, poſtquam ſomnum mortis dormierat, media nocte ſurrexit. Multi enim è Sanctis Patribus ac Commentatoribus, affirmant Chriſtum, media nocte ſurrexiſſe, huic inſiſtentes figuræ. Et ab hac Patrum ſententia, ſurgendi media nocte ad nocturnum Officium, fluxit laudabilis conſvetudo, quam obſervavit B. Carpo, & Dionyſius Areopagita in Epiſtol. ad Demophil. Et Hugo de S. Charo Cardinal. id ipſum probare dicit inſtitutionem Apoſtolorum, qui inſtituerunt in primitiva Eccleſia, Miſſam decantandam in Paſcha, media nocte, in ſignum Reſurrectionis Domini. Probabiliùs tamen & communiùs, quod diluculò, ut paſſim tenetur, ad primam ſolis auroram ſe ipſum excitavit; quod tempus prædixit Pſaltes his verbis: *Exurge gloria mea, exurgam diluculò:* in quibus primis verbis, eſt vox Patris ad Filium, reliquis tempus Reſurrectionis notatur, juxta illud Oſeæ 6. *Quaſi diluculò præparatus eſt egreſſus ejus.* de Sepulchro ſcilicet, addit Hugo. Vel ut etiam in hoc paſſu, ſit omnimoda

Alexand. Natalis in expoſit. ſup. Matt. fol. 758.

Serm. de Tem. CVI. Dom. in Paſ. Serm. I.

Comment. in cap. 28. Matt. fol. 69.

moda convenientia facti, S. Augustinus loco supra adducto, explicans tempus Samsonis expergefactionis, inquit: *Et quod dictum est, media nocte surrexit: hoc significavit, quòd in secreto surrexit.* Resurrectio enim Domini nec visa, nec scita est, nisi ex post facto testimonio Angelorum, vacuitate Monumenti, in signis linteaminum & aliis. Taliter ergo designato tempore, seipsum excitat, & propriis viribus assurgit ipse redivivus, efferens secum portas, id est eminentiam potentiæ suæ, ostendens in manifesto. Vel portas, id est aperta Vulnera, tanquam triumphales portas, super Domum Sepulchri, in signum gloriosi egressûs, in altum erigens. Vel portas efferens, id est revolutum lapidem à Monumento designans. Sic tenet Nicolaus Gorran super hunc versum: *Et vidit* In Evan. Joan.
revolutum lapidem à monumento, sic dicens: *Ista verò remotio lapi-* fol. 962.
dis signata fuit Judic. 16 ubi dicitur, quod Samson, media nocte consurgens apprehendit ambas fores portæ, cum postibus & sera, impositasque humeris suis, portavit ad verticem montis. Hunc sensum figuræ promit Honorius Augustodunensis, in Prolog. super Cantic. *Samson Gazæ includitur, ab hostibus obsidetur, sed fractis foribus, & perterritis hostibus, victor egreditur. Samson, qui dicitur Sol, est Christus Sol justitiæ, qui Sepulchro includitur, à Custodibus obsidetur, sed de Sepulchro surgens, milites fugavit, & cæli cacumen victor penetravit.*

Sepulchrum Christi est Domus David; de qua 1. Reg. cap. 19. quod cum David psalleret, Saul voluit eum lanceâ configere, sed David declinando ab ictu, recepit se in Domum suam. *Misit ergo* Vers. 11.
Saul (ait sacer textus) *satellites suos in domum David, ut custodirent eum, & interficeretur manè.* Hæc Domus fuit vera ac realis figura Sepulchri Christi; Michàël Aygvani Bononien. Ord. Carmel. Præp. General. S. Th. D. Exposit. super Psalm. 58. sic commendatur: *Notandum, quod hic Domus David, scilicet Christi, dicitur Sepulchrum* Fol. 436. n.
ejus, in quo tanquam in Domo, quò ad Corpus, in triduo quievit: Saul 938.
autem Rex, qui abutens interpretatur, significat Principes Sacerdotum, qui, præ aliis, Divinis beneficiis abutebantur. Qui miserunt Satellites, ut custodirent Domum Christi, id est Sepulchrum, quando scilicet, ut habetur Matth. 27. convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi &c. jube ergo custodiri Sepulchrum &c. Et Judocus Clichtovæus, Canonicus Carnotensis, in Serm. de 6. Artic. fidei dicit: *In utraque harum historiarum, nempe* 1. Reg. cap. 19. & 1. Reg. cap. 22. Fol. 19. Lit. D

 per

per David intelligitur Christus; per Domum verò David & speluncam, Christi accipitur Sepulchrum; per Satellites verò Saul, & ejus exercitum circumvallantem David, intelliguntur custodes adhibiti Sepulchro, ne Christus inde egrederetur. Quod verò subditus: *ut interficerent eum manè*, hoc impletum est etiam, quamvis Christus, jam mortuus erat, quando posuerunt custodes ad Sepulchrum. Respondet enim Glossa, præmissa interpretatione, per Saulis Satellites custodientes domum David; milites, qui custodirent Sepulchrum Christi intelligens: quòd tunc quærebant eum interficere, non quidem corporaliter, quia Christus non in Sepulchro, sed in Cruce est interfectus, sed spiritualiter, id est nomen & famam ejus ex toto extingvere, ne crederetur in eum: mortuus enim homo vivit in fama & in nomine suo. Confirmat & Angelomus Luxoviens. Ord. S. Benedicti: *Audiamus ergo quid hoc significet, quòd miserit Saul ad custodiendam domum David, ut eum interficerent, hoc non ad Crucem Domini sed tamen ad passionem ejus pertinet: Crucifixus enim Christus, mortuus, & sepultus est. Erat ergo illa Sepultura* (aliàs Sepulchrum) *tanquam DOMUS, ad quam custodiendam, misit regnum Judæorum, quando custodes adhibuit Sepulchro Christi.* Accedit & accommodatur huic intelligentiæ, Psalmus 58. qui incipit: *Eripe me de inimicis meis Deus meus:* In tituli enim inscriptione habetur in Bibliis: *In finem, ne disperdas David, quando misit Saul, & custodivit domum ejus, ut eum interficeret.* Tunc enim David, videns se in tali periculo, fecit istum Psalmum, Deum rogans, ne sic permitteret eum occidi. Hunc autem Psalmum, eleganter explicant Nyssenus atque Augustinus de Sepultura Christi; ut testatur Joannes Lorinus; nempe: quia dum custodiebatur Sepulchrum Christi, jam mortui, hoc intendebatur, ut moreretur fides in nobis. Per obsidionem illam nocturnam satellitum Saulis, custodiam circa Sepulchrum Christi, præter Latinos, Basilius & Theodoretus interpretantur; refert idem Lorinus. Idem & Hugo Carensis Cardinalis, in eundem Psalmum; titulumque ejus. Quem titulum explicans Bruno Episcopus Herbipol. ait: *Domus David indicat Monumentum, ubi triduana morte requievit quod ad custodiendum miserunt Judæi mala mente.* Et Jacobus Parem de Valentia, Episcopus Christopolit. hunc Psalmum exponens, sic inquit: *Materia hujus Psalmi figurativa, inquantum David in illa obsidione Satellitum ipsius*

hic fol. 443.

Strom. in Lib. 1. Reg. cap. 19 pag. 44.

Comment. in Psal. hic fol. 93.

Comment. in Psal. fol. 461.

ipsius Saul, prævidit in Spiritu figurativè, qualiter Christus post mortem debebat poni in SEPULCHRO; & qualiter Judæi debebant apponere custodes &c. Et infra: *Unde David sumpsit occasionem faciendi hunc Psalmum, eò, quia ibi prævidit in spiritu mysterium custodiæ SEPULCHRI Christi, de quo loquitur in hoc Psalmo.* Præmissa hac explanatione tituli hujus Psalmi, versus subsequentes, sic exponit idem Jacobus Parem, Episc. Christop. nimirum hunc: *Eripe me de operantibus iniquitatem*, dicit: *Christus petit liberari, per resurrectionem, à SEPULCHRO Custodibus obsesso, & circumdato, dicens: O Domine Pater! eripe me de inimicis meis Judæis, & de Custodibus, Sepulchrum custodientibus.* Et subsequentem versum: *Quia ecce ceperunt animam meam, irruerunt in me fortes*, ita explanat; fol. 462. *Quia ecce, id est publicè, ceperunt animam meam, id est, vitam mihi abstulerunt, & posuerunt me in SEPULCHRO: & irruerunt in me fortes, id est, milites fortes, cum magno impetu, irruerunt in me, ad custodiendum Sepulchrum armati.* Convenit ergo tota prædictio in titulo, & allegatis textibus hujus Psalmi, tendens ad eandem historiam domûs David, obsessæ à Saule, de Sepulchro Christi custodito.

Insuper, sicut his domûs obsidibus, uxor Davidis Michol, admonet eum, ut nocte illa se salvet, alioquin periturus; & depositus per fenestram, abiit & aufugit, atque salvatus est, ut ibidem vers. 12. Sic durantibus custodibus Sepulchri, rogatus Christus, sive ab Ecclesia Sponsa sua, sive à Beatissima Virgine, in spiritu admonitus & exoratus, ut se salvet, si mori in fama, nomine & fide nolit. Ille ergo à Sepulchri Domo, tanquam radius per fenestram, infracto vitro exit, atque seipsum nosque salvat. Ut ad hunc sensum Paulus de Palacio Commentar. in Matth. *Forsan præfigurata erat ista custodia, quando Saul suos misit Satellites, qui domum, in qua Triumphator David jacebat, vallarent; tunc uxor Davidis Michol, virum admonet, ut se ea nocte salvaret, si mori non vellet. Ille verò* (forsan ad auroram) *per fenestram non per januam exiit, atque ita demum evasit. Jacebat igitur Triumphator Christus in Monumento, vallatus est à Synagoga custodibus, sed rogatur interim à nova Ecclesia (quæ est Sponsa Christi) ut ea nocte resurgat, in mentibus fidelium erit moriturus. Exit igitur Dominus è MONUMENTO, non per januam, id est, non lapidem ab ostio monumenti submovens, sed per locum Sepulchri*

chri superiorem, quasi per fenestram egrediens, sicut solet vapor è profundiore terra, non per latera directe, vi caloris exire.

Sepulchrum Christi esse domum David, & Psalmus 29. qui incipit: *Exaltabo te Domine &c.* declarat; Titulus enim hujus Psalmi, sic inscribitur in Bibliis: *Psalmus Cantici, in dedicatione domûs David.* & repræsentavit mysticam ac figuratam significationem Sepulchri, quod dedicatum est per resurrectionem Christi. Hunc enim Psalmum esse de Sepulchro ac Resurrectione Christi, vix non omnes ferè Commentarii docent. Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolit. in Exposit. ejusdem Psalmi titulum docet; quòd sicut Corpus Christi, per illud materiale templum Salomonis figurabatur; ita resurrectio, quæ est dedicatio, per illam dedicationem templi Salomonis figurabatur; adeoque dum Christus in Sepulchro, resurrectionem suam celebravit, simul festum dedicationis in Sancta illa Domo, ritu solenni obivit. Domus Sepulchri Christi, Domus ac Templum dedicationis, sive Dedicatio templi Corporis Christi per resurrectionem, per acta est in domo David, nempe in Sepulchro. Optimè ergo juxta modernum Decretum Sacræ Rituum Congregationis, in Festo Sancti Sepulchri, dicuntur Psalmi omnes, trium Nocturnorum, qui sunt in Festo Dedicationis Templi; tum quia bene quadrant Sepulchro Christi; tum quia in Sepulchro Christi, juxta dicta & deducta, solenniter celebrata est dedicatio Templi, nimirum Corporis Christi per resurrectionem. Hinc ulteriùs, allegatus Episc. Christopolit. prima verba ejusdem Psalmi: *Exaltabo te Domine, quoniam suscepisti me; nec delectasti inimicos meos super me*, ita exponit: *Dicit Christus: ô Domine Pater! ego semper exaltabo te, eò, quoniam suscepisti de Sepulchro resuscitando: nec delectasti, id est, non permisisti Judæos, inimicos meos super me.* Ulteriora verba illius vers. 4. *Domine eduxisti ab inferno animam meam*; mysticè Lorinus hic sic explanat: *Christus animam suam è limbo eductam profitetur, ne ibi detineretur, Corpus idem de Sepulchro, ne in illo diutius jaceret.* Et sequentia: *Salvasti me à descendentibus in lacum*, sic idem pariter vult esse intellecta: *Nihilominus per lacum, Sepulchrum bene intelliges, si in Hebræo vivificandi verbo vim faciens, vivificationem Corporis accipias, cujus locus Sepulchrum Christi.* Reliqua similiter verba, ut vers: 6. *Ad vesperam demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia*, exponit Remigius Anti-

Comment. in Psalm.

Fol. 406.

Antisiodorensis Episcopus: *Vesperè Dominus positus est in Sepulchro, fleverunt eum Discipuli; & in matutino tertiæ diei, rediit lætitia, resurgente Domino de Sepulchro.* Et hæc vers: 10. *Quæ utilitas in sanguine meo, dum descendero in corruptionem?* ad materiam gloriæ Sepulchri spectare, dictum fol. 14. Imò hunc Psalmum refert inter Psalmos, de Sepulchro Christi, sæpe nominatus hic Doctor Ordinis Nostri. Enarrat. in Ps. Sepul. Parasc. f. 419.

Sepulchrum Christi, Domus saltûs Libani, de qua 3. Reg. cap. 1. Enumeratis enim multis Christi saltibus, S. Gregorius Papa, hunc etiam ponit, scilicet saltum Libani, id est è Cruce, quæ nomine Libani venit, ad Domum Sepulchri. *Vultis Fratres charissimi, ipsos ejus saltus agnoscere? - - de Cruce venit in Sepulchrum.* Tum quòd illa domus fuerat juxta nemus, cuncti generis arboribus consitum; ita & Sepulchrum Christi in horto. Tum sicut Rex ipse, seriis Reipublicæ peractis negotiis, recreandi animi causâ, illam domum ingrediebatur; sic Christus pacificus Salomon: *In pace in idipsum, dormiam & requiescam*, peractô seriô negotio in Cruce mortis, ac redemptionis nostræ, pacis gratiâ ac oblectationis, Domum Sepulchri ingressus. Vers. 10. Homil. 29.

Sepulchrum Christi, est domus Elisæi illa, quam ingressus Elisæus, clausit ostium super se, & super puerum; ponensque os suum super os ejus, & incurvans se, resuscitavit ad vitam puerum. Elisæus, id est, Deus salvans, significat Christum verum Deum, Salvantem genus humanum: domus Sepulchrum, quod ingressus, clausit super se, & super puerum mortuum, quatenus ibi & Persona Divina viva, & natura humana mortua inclusa fuit. Vel, si Hebræi in publico luctu domos claudebant; Judæi claudentes Sepulchrum Domum Christi, videbantur indicare ingentem luctum ac publicum, ex morte illius. *Posuitque os suum & manus, & incurvavit se*; quatenus totam suam carnem, humiliavit in pavimentum Sepulchralis Domûs. *Et tantisper deambulans*; quia Christus editurus prodigium suscitationis naturæ humanæ, & in abdito, hoc est in Sepulchro quievit, & in aperto, hoc est in limbo Patrum, huc atque illuc deambulabat. Ac tandem regrediente anima ac adveniente, sive incumbente Corpori; calefacta Caro amore ignis Divini, revixit natura humana: & oscitavit, id est vivificata in Sepulchro. Affinis est huic intelligentiæ, & S. Ambrosii authoritas, 4. Reg. cap. 4. v. 32. & 33. Lib. 3. de c. 3.

tas, adducta à Glossa super hunc locum: *Elisæus suscitavit configuratus mortuo, suscitavit etiam ipsius mortui corporis tactus, ut esset typus ejus, qui missus in similitudine carnis humanæ, etiam SEPULTUS mortuos suscitaret.*

Sepulchrum Christi, est domus Majestatis suæ Sanctæ, quam Majestas Domini implevit dignitate sua, realissimè illam inhabitans: *Et omnes filii Israël videbant ignem descendentem, & gloriam Domini super Domum*; quia omnes Christiani cernebant quotannis, in Sabbato Sancto ignem cælestem, qui ad Sepulchrum Domini, unoquoque anno descendibilis cælitùs, nutu Divino in lampadibus, in vigilia Paschæ, solebat accendi, quem videntes, Rex, Patriarcha cum Canonicis, universusque fidelis populus, gratias Deo reddentes, se humiliter ante Sepulchrum prostraverunt. Videbant gloriam Domini super Domum; quanta scilicet ibi laus! quantus cultus! quantus honor! exhibitus fuit Deo, in loco Sancti Sepulchri! Elegit etiam sibi Deus locum illum *in Domum sacrificii*; præcipuè enim in loco S. Sepulchri Domini nostri, quem sibi Dominus elegit & sanctificavit, ut sit Nomen ejus ibi cunctis diebus, hucusque peragitur Sacrificium Missæ & laudis; esseque morem hunc, quòd non priùs nationes aliæ, suas decantant laudes, nisi suas absolverint Catholici; his enim ut primoribus, tantum defertur. Hanc Domum ipse Rex Christus, dedicavit ac consecravit svavissimo Nomine JESU, *ibi ergo posuerunt JESUM*, quod Oleum effusum est. *Elegit & sanctificavit sibi illum locum*, tum activè, suâ præsentiâ, consecrando; tum passivè, in quo sanctificatur, colitur ac benedicitur, ut sit ibi Nomen ejus in sempiternum, id est, per continuam temporum seriem, fiat non interrupta memoria Christi ibi Sepulti. Domus orationis exaudiendæ specialiter designata: *Aures meæ erectæ ad orationem ejus, qui in loco isto oraverit.* De Sepulchro enim Domini testatur Hietling: *Specialem vim, præ omnibus aliis locis sanctis, ad excitandam devotionem præsefert.* Domus deprecationis & exquisitionis faciei Dei, peractâ pœnitentiâ de viis pessimis, certæ exauditionis, propitiationisque peccatis hominum, Divinæque gratiæ percipiendæ, ac obtinendorum beneficiorum Domus electa. Testis Brendeybach asserens: *Quis ibi* (id est ad Sepulchrum Domini) *melioris vitæ non imbibat voluntatem, vitæque veteris pœniteat? ubi tot & tanta ad hæc sub oculis habet inci-*

2. Paralip. c. 6. vers. 7.

incitamenta? ubi haud dubium Divina gratia efficaciùs præ cæteris locis, in animas agit devotorum, si obex non ponatur. Pro qua itaque Domo, tibi Domine hac prece supplico, sicut Judith pro illa: *Memento Domine testamenti tui, ut DOMUS tua, in sua sanctificatione permaneat.* Cap. 9. v. 19. Ut Domus Sancti Sepulchri, quæ est Domus tua, in sanctificatione sua, in adoratione Nominis tui, à Christianitate in perpetua ac continua sanctitate, quàm maxima permaneat. Ne patiaris ac permittas illam fœdari, pollui ac dishonorari, quam tu corporaliter sacratam reddidisti, ac tuo Nomini celebrando erexisti, in locum habitationis gloriæ tuæ. Ut in simili, dum Ægyptii, Arabes, Turcæ, innumerabilibus copiis castra contulerant, Hierosolymam profecturi; expostularunt ad invicem Nostri, Patriarcha, Episcopi, Clerus, Principes, & populus universus, ut inquit Tyrius: *Ante Sepulchrum Domini, cum gemitu & lachrymis, corde contrito prostrati orabant, postulantes à Domino, ut qui locum Sanctificationis suæ mundari voluerat, eundem ulteriùs contaminari, propter gloriam Nominis sui, non pateretur.* Histor. Hier. lib 9. fol. 768. num. 40. Neque per nos fiat, ut in hac Domo, derelinquatur cultus tuus, sanctitasque loci minuatur.

Sepulchrum Christi, est Domus refugii, de qua in Psalmo 30. Psalmus enim hic cùm sit horæ Completorii, quâ traditum fuit sepulturæ Corpus Christi nobile, bene per hanc domum refugii, intelligi potest Sepulchrum Christi. Super hunc etenim versum Michàël Aygvani notat, quod in antiquo testamento, aliqua fuerunt loca, civitates, domus, quæ dicebantur refugii, ad quas fugiens malefactor, securus erat. Fol. 366. num 438. Christus Dominus dictus malefactor Joan. 18. *factus pro nobis maledictum*, quasi securitatem sibi providens, qui semper à Judæis impetitus fuerat, in Sepulchrum, tanquam in domum defensionis & protectionis se recepit. Et si illustrium hominum Sepulchra, fuerunt asyla, profugiaque inviolabilia, constat apud Henricum Spondanum; Cæmet. Sacr. lib. 1. pag. 1. cap. 12. n. 8. quid dicendum de Sepulchro Christi Domini, quomodo non illud sit inviolatum asylum, omnibus ad illud confugientibus? Primo enim refugium fuit ipsi Christo; ibi enim Corpus ejus, ut in asylo securissimè, tribus diebus requievit. Secundò justis. Tertiò peccatoribus: deducitur ex illis verbis Psalmi 103. vers. 18. *Herodii domus dux est eorum, montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis.* In quibus primis per herodium, intelligitur hìc à Hugone Cardinali Christus, qui est dux Commeat. in Psalm.

passerum, seu spiritualium. Hujus ergo Ducis Domus Sepulchrum erat, ex quo bellicosus Dux cum victoria prodiit. Unde Gilibertus, Sepulchrum Christi, *Stadium victoris Dei* appellat, in quo victor Dominus tres inimicos depellavit, magnum agmen secum Sanctorum, ex sepulchris deducens. Vel etiam herodii Christi Domus Sepulchrum, dux aliorum Sanctorum locorum est. Eadem Domus (quæ sub monte excelso, quia insigni redemptionis mysterio locata erat) post Christum, fuit etiam receptaculum & cervis, id est Canonicis nostris more Apostolico, cum emissione voti paupertatis, viventibus. Inquit enim hîc Hugo Carensis: *Cervi, qui spincta transiliunt, sunt Apostoli, & magni Spirituales, qui omnes spinas divitiarum relinquendo, transilierunt.* Et bene intelligi possunt tam Canonici Ordinis Nostri, ab Apostolis immediatè descendentes, quàm omnes alii viri spirituales, per cervos designati, quibus Sepulchrum Christi, erat pro refugii Domo. Tertiò tandem hoc Sepulchrum, est refugium peccatoribus: priora enim verba indicabant Christi Sepulchrum; hæc verò: *Montes excelsi cervis*, locum & situm congruum Viris spiritualibus, excelsa superna petentibus; Ultimò *Petra refugium herinaciis*, indicant materiam Sepulchri, convenientem duris, obstinatis, ac in habitu vitiorum firmatis peccatoribus; quibus pro singulari refugio suæ conversionis, & aversionis iræ Dei, ac vitandæ pœnæ pro suis delictis, refugium est Sepulchrum. Apud Sybaritas magnæ Græciæ gentem, cùm quidam ex eis, servum flagris cæderet, servus ad patris heri sepulchrum profugit; loci religione commotus herus, à plagis destitit & servo pepercit: id Spondanus refert. Quantò magis peccator, qui multis dignus plagis, *multa flagella peccatoris*, si ad hoc Christi confugerit Sepulchrum, quod est Filii, Patris Æterni; placabitur iratus Pater, ac percutiens, & habens jus pœnæ, quovis tempore infligendæ pro peccato; sanctitate & religione illius loci commotus, parcet servo suo confugienti ad Sepulchrum Filii. Demum omnibus tribulatis, in angustiis, in oppressionibus, ac quibusvis necessitatibus constitutis, singularis Domus refugii, Sanctum Sepulchrum. Etenim hi omnes cognoverunt olim, & nunc cognoscunt suam protectionem, defensionem ac securitatem ab omnibus hostibus. Ad id dicit Robertus Monachus: *Nunc Domine cognoscimus, quia portas nos in fortitudine tua, ad habitaculum Sanctum tuum, ad Sanctum scilicet Sepulchrum tuum.* Se-

Ibid. supra.

Hist. Hierosol. lib 3. fol. 42. num. 10.

Sepulchrum Christi domus eburnea, ex qua delectaverunt te Christe, Filiæ Regum, in honore tuo; dicitur in Psalmo 44. *Myrrha, & gutta, & casia à vestimentis tuis, à domibus eburneis, ex quibus delectaverunt te Filiæ Regum in honore tuo.* In his enim verbis, Sepulchrum ac Sepulturam designari patebit, singula partiendo verba. Primô *Myrrha, & gutta, & casia*: S. Basilius in Psalmum eundem, per myrrham intelligit Sepulturam Christi: *Myrrha quidem quòd Sepulturæ signum sit, Evangelista Joannes, nos quoque docuit dicens: Joseph ab Arimathæa eum, cum myrrha & aloë tumulasse.* Quæ verba adducit & S. Chrysostomus in varios Divi Matthæi textus homil. 1. & apponit hunc textum Cantic. 5. *Quasi myrrha dedit svavitatem odoris*, quibus dicit Sepulturam significari, dum ait: *In quo utique* (id est immediato textu) *evidenter de Corporis sui Sepultura testatur, quæ svavissimo ac Divino odore, toto orbe fragravit.* Gutta autem, quæ est myrrhæ species tenuissima, indicabat, non otiosam aut inefficacem in Sepulchro permanentiam: inquit idem S. Basilius: *Guttam verò quòd non immobilis, nec otiosus, aut inefficax in Sepulchro permanserit, tribus illis diebus ac noctibus, sed in infernum descenderit.* Conformiter ad hanc expositionem D. Basilii, Nicolaus de Lyra, Commmentario super Psalmos hoc loco: per istas species aromaticas, intelligit aromata, quæ Sanctæ Mulieres emerunt, ad ungventum Corpus Domini; quia de talibus speciebus erant confecta. Et quia Corpus Dominicum erat, quasi vestimentum Divinitatis, ut dicitur ad Philipp. 2. *Habitu inventus, ut homo*; ideo subditur: *à vestimentis tuis*, quod dicitur in plurali, propter diversas Corporis partes. Per domum autem eburneam, licet intelligat Glossa, pixides factas de ebore, vel de alabastro, quod est simile ebori, in quibus illa aromata erant reposita, sicut in domibus suis; potest tamen per hanc domum eburneam intelligi Sepulchrum Christi. Tum quia color Monumenti albus esse dicitur, ad instar eboris, secundum Bedam & alios descriptores S. Sepulchri: imò A. R. P. Thomas Mlodzianowski, Societ. JESU, in descriptione dicit: *Ipsa autem Petra Sepulchri Domini, cincta est alabastro.* Et Haymo, de lapide Sepulchrali dicit: *quod candido colore refulgebat.* Tum quia in ebore figuratur castitas; elephas enim animal castissimum est; talis fuit Domus eburnea Sepulchri Christi, scilicet castissima, nullius fœdi cadaveris putri, aut fœto-

Vers. 9.

Homil. in Ps. Tom. 1. f. 259

re maculata, *Monumentum novum.* Tum si per domum eburneam hic intelligitur domus, more omnium gentium decorata: Domus Sepulchri Christi, omnium gentium decus & ornamentum. Ludovicus Soto Major in Cantica, per domos eburneas intelligit domos regales, seu regum palatia, quæ copioso ebore vestiuntur & exornantur. Sepulchrum Christi Regis Regum Domus, Palatium; *ubi est DOMUS Principis*, vestita innocentissimo Corpore Christi, puritate sua ebur transgrediens. Et ex hac, sive in hac Domo eburnea, delectaverunt te Filiæ Regum in honore tuo. Primò Filia Regum B. Virgo MARIA, delectavit Te Christe in hac Domo eburnea, materno affectu ac piissimo, visitando Sepulchrum tuum; sic S. Ildefonsus loquitur de illa: *Virgo sine dubio, loca Dominicæ Nativitatis, Passionis, Sepulturæ & Resurrectionis, frequenter circumiens, invisere cupiebat; deinde ad Apostolicum contubernium, post intuitum Dominicorum locorum, cum gaudio remeabat.* Secundò, per Filias Regum, Nicolaus de Lyra, intelligit mulieres, inter quas fuerunt Maria Jacobi, & Salome, quæ fuerunt sorores Virginis MARIÆ, descendentis de stirpe Regum. Hæ ergo Filiæ Regum, tunc delectaverunt Te Christe in honore tuo, quando venerunt ad Domum eburneam, scilicet ad Sepulchrum, unctionem facere volentes, ad tui honorem. Vel etiam per Filias Regum, intelligo S. Helenam, S. Sanctiam, S. Birgittam, S. Catharinam Vastanensem, aliasque tam multas Reginas, Matres Regum & Filias Regum, & Reginas Regum, quæ in hoc singulariter habebant studium delectationis, ut honorarent Te Christe in Domo eburnea, scilicet in Sepulchro tuo, & illud pro honore, omni, quo possent eboris, scilicet innocentissimæ conscientiæ apparatu, ornare interno, & pulchritudinis elegantissimæ externo, *dilexerunt decorem Domus tuæ.* Deinde teste Ludovico Soto Majore, vulgatus latinus transtulit: *Provinciæ Regum venient, ut suscipiant & honorent.* Est enim usitata in Sacris literis Metaphora, cui in hærentes Hebræi, filiarum vocabulo, nominabant Civitates & Urbes, villas villarumque incolas; denique congregationem quamlibet, seu plebem & populum. In tali significatione, domus eburnea, scilicet Sepulchrum Christi, fuit in honore à filiabus Regum; quia Provinciæ Regum, Urbium incolæ, plenæ habitatoribus villæ, populosissima Regna, numerosissimæ Civitates, effundebantur

Job.21.v.28.

Serm. 5. de Assump.

In Cantic. c. 1. fol. 90.

tur in honorem S. Sepulchri; tam nobilis gens, quàm civilis populus, tam plebeia natio, honorabat, erumpebat ad cultum S. Sepulchri, in quo te Domine delectaverunt; gratus enimerat tibi, tuæque eburneæ Domui impensus honor.

Sepulchrum Christi est domus plena argenti & auri Numer. 22. vers. 18. *domus thesauri, in qua Gazophylacium*, ut Esdr. libr. 2. cap. 10. vers. 38. habetur. Quia Sepulchrum Christi omnium fortunarum est domicilium; ut patebit ex titulo: *Gazophylacium.*

FISCELLA
MOYSIS.

Quousque induratum Pharaonis processit cor, ut omnem masculini sexus partum in flumen juberet projici, ut sic tot inter natos, & Moyses orbi non innotesceret; sic eousque pervenit gens inimica Christo, ut sublatis è vita de gente Hebræorum parvulis, *occidit omnes pueros*, inter eos & Christum vagientem & elegantem juberet perimere. Sed sollicita nimis pro Unigeniti Filii sui vita Mater, quæ eum concepit & peperit, videns tam nobilissimam, quia Divinam prolem suam, abscondidit quantùm potuit, fugiens, secedens. Cumque jam celare non posset, publicæ exponit neci: Divinæ tamen Providentiæ innixa ac veritati, sciens non periturum suum Filium, *Nomen illius erit vivens in æternum*, in fiscellam Eccl. 37. v. 29
scirpeam, id est in Sepulchrum, propriis manibus posuit. Sicut enim fiscella dicitur à fisco; nomine autem fisci, thesauri publici Regum ac Principum vocantur; sic Sepulchrum Christi, publicus thesaurus Regis regum Christi fuit, in qua arcula pretiosissimæ res sunt asservatæ, ut patebit ex titulo Gazophylacium; quod licet diminutivè fiscella dicitur, absque diminutione tamen gratiarum, fiscus erat. Item illa fiscella erat bitumine linta, propter hoc scilicet, ut accessum aquæ posset coërcere; ita Providentia Divina, ac illius sollicitudo, tam firmissimè ac consideratè Sepulchrum Christi munivit, ut nulla fœtida aqua, scilicet hominis cadaver, illud introierit. Et sicut illa fiscella, cum infantulo Moyse intus posito, exposita fuit in carecto ripæ fluminis; sic ad radices fluminis Sangvinei, è monte Calvariæ largè profluentis, fuit Sepulchrum Christi, continens intus Primogenitum Christum. Et sicut

cut ſtabat procul ſoror Maria, puella grandiuſcula, conſiderans eventum rei; ita à longè à monumento ſtabat Mater & Nutrix Filii ſui Beatiſſima Virgo, obſervans ac ſedulò conſiderans eventum futurum ſalvationis Chriſti, ex illa Fiſcella Sepulchri. Quæ frequenter veniens mente & ſpiritu hac Filia Pharaonis, id eſt Filia Dei Patris, & Mater Dei Filii, deſcendebat frequenter, ut lavaretur in flumine, ſcilicet effuſas pluens lachrymas, revolvendo flumina effuſi ſangvinis, gradiebatur toto illo tempore, à ripa fluminis ad fiſcellam, id eſt à loco Montis Calvariæ ad Sepulchrum; hæc loca mediatione gradiens ac percurrens. Quæ jam cùm vidiſſet Spiritu & Corpore Fiſcellam vacuam; ſcilicet dum noſſet bene liberatum Filium ſuum ex illa Fiſcella, virtute ſuæ Divinitatis, *miſit unam è famulabus ſuis*, ſcilicet naturam Angelicam, quæ Reginæ ſuæ præſtò ad obſequium erat, ut illam Fiſcellam, ſcilicet monumentum aperiret: ſive famulam Mariam Magdalenam, quæ apertam Fiſcellam, nempe Sepulchrum cernens, hanc notitiam gratam aliis patefaceret. Unde ſicut Moyſes in Hebræo, eductus ſeu extractus dictus eſt, quòd ex illa ſcirpea fiſcella, ſic ordinante Divina Providentia, ad liberandum populum Iſrael fuit reſervatus; ſic Chriſtus virtute ſua, ac potentia Divinitatis, ſeipſum educens ex Sepulchro, propter liberationem populi, à dura ſervitute peccati, in Moyſe & fiſcella deſignatus fuit. Idipſum teſtatur S. Joannes Damaſcenus, homil. in Sabb. Sanct. *Quid autem Moyſes Dei contemplator & Legislator? nonne in FISCELLA abditus, ad mortem exponitur, atque à Regina recipitur: Sic & Chriſtus in SEPULCHRO reconditur, mortuus quidem, ſi Corpus ſpectes, ac propriæ Divinitatis, creatorum omnium Reginæ potentiâ, ad vitam revocatur.* Paulus de Palacio, in eum ſenſum, adducens hanc figuram, his verbis: *Et profectò niſi me fallit conjectura, Moyſes Pharaonis mandatô perire juſſus, à ſua matre in fiſcellam concluſus, & in aquas fluminis conjectus; a filia verò Pharaonis educatus, nutritus, & ditatus, Chriſtum ſignificavit, qui mandatô Pilati à Synagoga in Sepulchrum abductus, in aquas mortis ac tribulationis conjectus, poſtea à gentilitate ſuſceptus, educatus & velut nutritus, honoratur.*

In Matth. cap. 28. fol. 1128. cap. 2.

FLUVIUS.

Non ſolùm veterum Sepulchra, præſertim nobiliorum, ac virorum Principum, fuiſſe juxta flumina, innuit Pauſanias; ſed San-

Sanctorum mortua corpora, à Divina ita sunt appretiata dignitate, ut mirandæ inventionis arte, Angelorum opifica manu, etiam inter profunda pelagi vada, eorum corporibus, stupenda erigi faceret Sepulchra. Declarat id Breviarium Romanum, in Officio S. Clementis Papæ & Martyris. Multò præsentiùs Æternus Pater, Antesignanum Sanctorum & Martyrum, futurum in carne Filium suum honorificavit, dum Corpori illius morituro, tumulum in certi fluminis undis, in ante figuraliter fecit præparari. Quid enim illa ligni in flumen dejectio, & ferri ad lignum (ad natatio, ab Elisæo) facta, de qua 4. Reg. cap. 6. vers. 3. indicabat? nisi per lignum Corpus Christi Domini, quod filii Prophetarum, id est Synagoga Judæorum, cædebat tam graviter, ut illud usque in terram prostraret, ac de salio Crucis, in humum dejiceret: De illo dictum: *Ecce securis ad radicem arboris posita est.* Et hoc lignum, Matth. 3. id est Christi Corpus mortuum, plantatum est secus decursus aquarum, id est positum ad rubras aquas, *continuò exivit Sangvis & aqua;* secus decursus sangvineos, quod fructum suum dabit in tempore suo. Ut enim arbor sicca, humidiori plantata loco, citiùs pullulat; sic Sepulchrum Christi, ideo situm ad fluvium sangvinis; quia brevi tempore, omni flore vernantiùs, germinaturum erat, ex mortis ariditate Corpus Christi, & daturum multum fructum, in tempore Resurrectionis, ex illo. Cadente itaque Corpore in fluvium, ferrum è manubrio separavit; quia juxta Ludovicum Granatensem, illô defossô, sanctissima Anima se abjunxit, & ut durum ferrum, descendit ad inferos, & portas confregit, & omnes inferni vires. Deinde jussit Elisæus, ut in aquam projiceretur manubrium, quô factô, ferrum natavit præter naturam, & veniens ad aquæ summitatem, se in suo manubrio inseruit: Quia ad jussum Dei, ad illud Corpus, quod fuerat in sepulchrum demersum, & præter naturam, tam sui, quam Sepulchri, ad summitatem immortalitatis ac integritatis, veniens Anima illa potentissima, ut ferrum, corpori in Sepulchro, tanquam manubrio se conjunxit. Hæc enim verba: *natavit ferrum*, Glossa Ordinaria interpretatur: *rediit ad carnem Spiritus.* Et ita præter Angelomum hic, sentit Divus Augustinus, libr. 12. contra Faustum cap. 35. *De ligno ferrum exiliens, in profundum fluminis mersum est, atque in lignum desuper, ab Elisæo projectum reversum est. Ita interveniente passione, Spiritus Corpus*

pus ipsum deseruit, profunda descendit, quod in Sepultura (alias in Sepulchro) *depositum, tanquam ad manubrium, spiritu redeunte resurrexit.* Sepulchrum Christi, fontem vitæ, S. Joannes Damascenus, appellat: de Imag. Orat. 1. *Alma & vitalis ille petra, sanctum illud Monumentum, fons ille nostræ resurrectionis.*

GAZOPHYLACIUM.

Gazophylacium, locus appellari solet, in quo divitiæ servantur, id est divitiarum repositorium. Qui titulus, convenit sepulchris in communi: hæc enim *conditoria, repositoria* dicebantur; quia quidquid erat pretiosum, locuples, Sepulchris immittebatur. Hujus autem illationis opum in Sepulchrum, dat causam Henricus Spondanus Episcopus Narboniensis: *Ad quid illa tanti thesauri depositio? nisi in honorem & venerationem augustissimi loci.*

Cæmet. Sacr. lib. 1. part 2. cap. 1. n. 11.

Proinde & Sepulchrum Christi, multò magis Gazophylacium dicendum est, ob honorem & venerationem Augustissimi loci; *Tua divitiæ & tua gloria est.* Hæc enim verba Isaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, Jacobus Pintus sic exponit: *Hoc est domicilium illud angustum, lugubre, inops, pauperrimum, erit sanè gloriosissimum, & velut in amplissimos & gloriosas ædes; seu gloriæ Regiam ditissimam, commutandum.* Et ex iisdem verbis Isaiæ, Josephus Mansi probans, quomodo Sepulchrum Christi sit gloriosum, in Discursibus exegeticis num: 5. ait: *Antiquis in more positum erat, intra Sepulchri latebras thesauros abscondere: hoc Sepulchrum* (id est, de quo Isaias) *verum quoddam ÆRARIUM seu GAZA fuit, in quo is absconditur, in quo sunt omnes thesauri Sapientiæ & scientiæ Dei.* Gerardus Lorichius in Monotess. Pass: Chr: fol: 124. *Verè ergo Sepulchrum Christi, tanquam maximus thesaurus.* Si enim iuxta S. Ambrosium, *Joseph meritò dives dicetur, ubi Corpus suscipit, Christi*, cur & Sepulchrum Christi locus divitiarum, thesaurorum repositorium non diceretur? cum margaritam illam, quæ omnem pretii æstimationem excedit, asportare in se promeruerat. Et eam sortem lucratum est, ut ipsum Divinitatis thesaurum, gestaret, ut Joseph in manibus, sic illud in sinu suo. Pro qua laude exclamat Joannes Thaulerius: *O Saxum pretiosum! O præclaram margaritam! O admirabile ciborium, quàm insignem thesaurum complecteris!* Exclamo & cum D. Damasceno: *O Sepulchrum omnium suavissimum! Liceat mibi*

Paralip. 1. cap. 22. v. 12.

T. 1. Discur. 6. de Resurr. Dom.

In Exercit. de Vita Jes. Chr. cap. 54. f. 295

mihi nunc tecum tanquam cum vivo loqui: Ubi divitiæ inconſumptæ? ubi GAZA illa, in qua Deus eſt ſuſceptus? ubi charitatis pelagus, fons vitæ? ubi denique optatiſſimum Dei Corpus? Tum ſi nomine ſubſtantiæ, ſignificantur divitiæ, ut de Abraham & Lot dicitur: *Erat quippe ſubſtantia eorum multa*; Chriſtus ſub terram conditus, in ſubſtantia Divinitatis, magnas tumulo intulit divitias, *ſubſtantia mea in inferioribus terræ.* Eædem divitiæ, etiam facultates nuncupantu ; Joſephi monumentum, dum accepit à Pilato facultatem, in ſe recipiendi ac ſepeliendi Chriſtum, ſimul adeptum eſt intra ſe, cumulum magnarum opum. Teſte verò Petro Comeſtore, Joſeph Pilato, nobili Decurionis obſequiô, quinque integris annis deſerviens, pro tota mercede, quæ illi debebatur, nihil aliud, niſi Corpus Chriſti, ſuo imponendum tumulo efflagitavit; hoc ipſo copioſiſſimam mercedem, pretium ſummi valoris, â quo ingentem fortunam Joſeph æſtimamus, aſſervandum, in ſuum intulit ærarium Sepulchri. Hinc impleta, quæ olim prædicta fuerat à Salomone parabola: *Theſaurus deſiderabilis, & oleum in habitaculo juſti, & imprudens homo diſſipabit illud.* Iſte enim theſaurus deſiderabilis Chriſtus Dominus, in carne deſideratus. Oleum, nomen JESU ſvaviſſimum, oleo à S. Bernardo comparatum. In habitaculo juſti, nempe in ſepulchro Jeſephi ab Arimathæa, (qui à S. Luca vir bonus & juſtus nominatur.) Quod habitaculum, id eſt Sepulchrum continens hunc theſaurum inæſtimabilem cum oleo ſimul, id eſt Chriſtum ſvaviſſimo nomine JESU vocatum, imprudens homo, ſcilicet Judæus, Turca, Saracenus, Perſa, Arabs, voluit diſſipare non ſemel. Sic anno 1600. Judæi ex deſtabili odio contra Sepulchrum Chriſti, quotquot ex illa colluvie, per orbem ſparſi erant, collata ſtipe conflarunt ſummam quingentorum millium aureorum, eamque Turcarum Tyranno obtulerunt, ut illud dirueret: ſed irrito conatu. Flocci nimis ac parvi, etiam ex omni ditione veſtra, de mammona iniquitatis, collectos pendentes milliones, æſtimaſtis Sepulchralem Chriſti lapidem ô Judæi! quem Divinitas ita carum fecit, ut juſtiori etiam appretiatus pretio, prorſus valorem, quantitatemque excedat. Si enim, ut Scripturæ creditis, *ſapientiæ acquiſitio, melior eſt negotiatione argenti, & auri primi & puriſſimi, fructus ejus pretioſior eſt cunctis opibus, & omnia, quæ deſiderantur, huic non valent comparari*; Proverb. 3. vers: 15. habetur. Sepulchrum Chriſti,

Genes. 13. v. 6
Pſ. 138. v. 15.
Hiſt. Evang. Cap. 180.
Cap. 21. v. 20.
Cap 23. v. 51.
Adrianus Lycræus Libr 7. c. 3. f. 553.

fti, dum Sapientiam Increatam acquifivit, illam poffedit, illâ impletum: nonne hæc ejus acquifitio, præponderanda omni eô, quodcunque pretio æftimabile venit? Fructus Sepulchri Chrifti, aurô eft pretiofior omni, ita ut quicunque thefauri, inopes fiant, comparativè ad Sepulchrum Chrifti; quod addita Unione Verbi Divini cum Corpore, etiam maximæ non adequatur fummæ, taxatum infinito valore ejusdem Verbi. Imò Sepulchrum Chrifti, effe thefaurum, elocutus eft ille ternio delatus munerum, qui manibus ferebatur Regum five Magorum: Aurum enim, res thefauri eft, illudque facit. Thus à Theos fic vocatum; Theos autem Græcè, Deum fignificat. Myrrha Dominicum Sepulchrum defignabat, juxta Profam ecclefiæ: *Pulvis myrrhæus, Sepulchrum prædocet.* Sicque divina munera, hæc trina reddidere verba: *Thefaurus Dei, Sepulchrum.* Deus, tanti æftimavit fuum Sepulchrum, ut illud pretiofiffimis Regum muneribus affociaret. Quod igitur myfticè in deportatis expreffum muneribus, hoc idem Sepulchrum Chrifti, in thefauris etiam veteribus, *Profert de thefauro fuo nova & vetera,* confignatum effe demonftro.

Matth. 13.

Sepulchrum Chrifti, exiftimo effe thefaurum Dei quem fummoperè primi illi, populi Ifràèlitici Duces, Moyfes & Aaron, aperiri populo, obnixis à Deo precibus expoftularunt: *Domine Deus, audi clamorem populi hujus, & aperi thefaurum tuum eis, fontem aquæ vivæ; ut fatiati, ceffet murmuratio eorum*: Hoc enim loco fons, metaphoricè dicitur thefaurus, ex eo, quòd protunc latebat in vifceribus terræ, nec dabat aquam vivam, quæ poffet reficere illum populum in deferto: quæ autem latent, & necdum reperta funt, dicuntur effe in thefauris Dei; ita fuper hunc locum obfervante Abulenfi, in Quæft. 3tia. Cum igitur Monumentum Chrifti, *terrâ jam dudum opertum, jam diu fub tellure abfconditum, tot annorum curriculis latuerat,* per eandem metaphoram Scripturæ, thefaurus dici poteft. Per Duces verò, qui eundem thefaurum aperiri, à Deo poftulabant, intelligo Conftantinum & Helenam. Nullus enim unquam Præfidum, nullus Imperatorum repertus eft, nifi folus Conftantinus Deo charus, & ejus afflata Spiritu & Helena Imperatrix, electa & deftinata ad aperiendum latentem thefaurum, Sepulchrum Divinum. Quam Berengofius Abbas, quoád inventionem Crucis & Sepulchri, comparat Moyfi. Per Aaronem verò fup-

Numer. 20. v. 6.

Eufebius de Vita Conftantini.

Libr. 1. Cap. 11. 12. 13.

ſupplicantem pro apertione ejusdem theſauri, nempe monumenti Chriſti, intelligo S. Macarium, Epiſcopum Hieroſolymitanum, qui in inveſtigando Sepulchro Chriſti, ſedulam diligentiam adhibebat, & Deum exorabat, ut de profundis tenebris in lucem prodiret, ſimili oratione: Domine Deus, audi clamorem populi tui Chriſtiani, aperi eis theſaurum tuum (ſcilicet Sepulchrum) fontem aquæ vivæ. Exaudivit Deus clamorem populi ſui Chriſtiani primævi, & pias preces Imperatoris & Antiſtitis, ad inſtar Moyſis & Aaron: *Aperiet Deus theſaurum ſuum optimum*; & Sepulchrum Chriſti omni modô, eô inventum eſt, quô fons ille, qui theſaurus dicitur, in expreſſo textu Scripturæ. Primò ad illius fontis latentis apertionem, ipſe Deus ſubminiſtravit modum, ſua locutione; ut ibidem Scriptura dicit: *Locutus eſt Dominus ad Moyſen*; ita idem Deus ad inveniendum Sepulchrum ſuum, mentem Conſtantini Imperatoris illuſtravit; ſicut his terminis in ſua Epiſtola ſcribit: *Quem* (id eſt locum Sepulchri) *juſſu Dei levavi*. Helena etiam Divinis admonita viſionibus, juxta Euſebium, ſive juxta S. Paulinum, *Divinô inſpirata conſiliô*. De S. Macario Antiſtite dicit Alexander Monachus: *Confeſtim ille locus Epiſcopò revelatus eſt*. Secundò, juſſit Deus, ut Moyſes tollat virgam ſuam, per quam ſignificata fuit poteſtas & authoritas, in patrandis miraculis Moyſis. Sic Conſtantinus uſus eſt dignitate ſua Imperatoria, dum matrem ſuam, authoritativa fulgentem Regni ſui poteſtate, direxit Hieroſolymam, quæ depoſitum in terra theſaurum, Sepulchrum videlicet Salvatoris, perquireret, erueret, & publicæ exponeret æſtimationi. Tertiô modô metaphoricus ille theſaurus, nimirum fons, apertus erat taliter: *Tulit itaque Moyſes virgam, & congregata multitudine ante petram, dixitque eis: audite rebelles & increduli*, ibidem Deutor. vers. 9. Tali modo & S. Helena theſaurum, nempe Sepulchrum Chriſti adinvenit; videlicet, convenit ante petram ſanctam, in qua Corpus Chriſti reconditum erat, & Imperatoria uſa authoritate, coácta in unum artificum & operariorum ingenti multitudine, ipſorumque Judæorum, de inveſtigatione loci capeſſenda notitia, magna copia; ſic eos objurgata: Audite rebelles & increduli Judæi, tentaſtis potentiam Dei ſemel in petra, dum non credentes verbo veritatis ejus, quod dixerat; templum Corporis ſui poſt triduum reædificaturum, ſalvô fundamentô petræ, unde ſignaſtis monumen-

Deuter. 28. v. 12.

tum ejus, signastis hoc gazophylacium, in quo infinitus thesaurus attributorum, ac perfectionum Divinarum repositus fuit, ne veniant sancti illi prædones, qui non levi pignore hocce taxarant depositum, ut furentur illud; adeoque signantes limitastis, quasi ad oculum vestrum, potentiam ejus; Ubi enim Chaldæus Codex habet, *signaverunt*, & ut Hebræi communiter; Vatablus, Pagninus, Cajetanus, legunt pro eodem *limitaverunt*; quasi infinitam ejus potentiam, illis ceris vestris, arcere arbitrabamini. Tentastis alterâ, dum idem gazophylacium, ruderibus terræ amandastis, obruistis, pretium ejus ab hominum oculis, splendorem, opulentiam subducturi, nimis ipsi inopes, pauperes, & egeni facti. Audite igitur rebelles & increduli! *Num de petra hac*, quâ vos Judæi duriores effecti, non poterimus (Imperatrix enim erat) elicere thesaurum, quô copiosissimè repleamur? id est invenire locum Sepulchri Redemptoris, ex quo fons vitæ effluxit? Quartô, completo sermone Moyses, elevavit manum: Sic S. Helena mandavit protinus, ut ex imis fundamentis petrosa rudera excavarentur, & terra inde effossa, procul abjiceretur. Quod & è vestigio factum est: Non aliter enim thesaurus perquiri solet, nisi dicente Beda hic: *Qui thesauros effodit, ejicit rudus terræ, facit in altum foveam, sedulus insistit labori, donec ad thesauros, quos quærit attingat* Quintò, Moyses percutit virgâ bis silicem: sic S. Helena, antequam monumentum Christi inveniret, invenit primò S. Crucem, in qua salus nostra pependit. Gemina enim Moysis percussio, duo ligna Crucis significat, juxta S Augustinum. Macarius Episcopus Philadelphensis Orat. de S. Cruce: *Formam Crucis, in bino ictu suo servatam.* Sicut enim post geminam percussionem à Moyse, egressæ sunt aquæ largissimæ, quæ thesaurus appellatæ erant: ita ex terræ fodinis, pretiosi instar metalli, repertus est thesaurus liberalissimus Sepulchrum, quem Divinæ fortunæ rivus inaurat, simul cum virga, Crucis Christi, tanquam insignis depositi inventione. Censetur de Tyberio, quod conspecta tabula cruce signata, certum eidem indicium præbuit, operti thesauri. Longè ditiorem latitare thesaurum, Divinum scilicet Monumentum sub Cruce, gemina percussio petræ, per Moysen Ducem populi facta præmonstravit. Hinc non prope à loco Calvariæ, est monumentum, quasi Crucis signum, index, non procul hinc latentis in petra thesauri. Vel geminata

Super Cap. 10 Epist. ad Cor.

Ibid. vers. 12.

minata Crux, etiam in pectore nostro conspecta, probat, nostrum esse thesaurum Monumentum, cujus symbolum cor est.

Tunc impletum est illud, quod Esdr. lib. 4. cap. 8. v. 54. dicitur: *Transierunt dolores, & in fine inventus est thesaurus immortalitatis.* Id est præcedente (transire enim sumitur pro præcedere) Cruce doloris, & in qua consummati sunt dolores; in fine inventus est thesaurus immortalitatis, id est Sepulchrum Christi: sic enim illud vocat Leo Augustus, in Dom. Resurr. *O beatæ mulieres, ob adventum diluculo ad MONUMENTUM! quæ primæ immortalitatis illum locum, specioso pede pressistis.* Tum quia Sepulchrum est *thesaurus sine defectione sanctitatis*; nunquam enim ibi deficit sanctitas loci illius. Tum quia Sepulchrum Christi est thesaurus non deficiens; intactum enim stat, & nullum patitur defectum, sed præstantissimis gratiarum & beneficiorum opibus, incessanter Deus ad Sepulchrum, suos fideles ac devotos ditat ac cumulat. Eccl. 30. Luc. 12. v. 33.

Sepulchrum Christi Gazophylacium Jojadæ Pontificis, de quo 4. Reg. cap. 12. *Tulit Jojada Pontifex gazophylacium unum, aperuitque foramen desuper, & posuit illud juxta altare, ad dexteram ingredientium domum Domini.* Jojada interpretatur *Domini ignis*, & significat Christum Dominum, qui venit ignem mittere in terram. Unum gazophylacium, est Sepulchrum Christi; quia ultra illud non datur aliud, simile in pretio & dignitate. Et hoc gazophylacium erat positum ad dexteram ingredientium. Brocardus 1. part. §. 47. cap. 7. testatur: *Tumba verò S. SEPULCHRI, est ad dexteram ingredientis.* Et sicut multa pecunia deferebatur ad illud, venientibus ad templum Domini, ut ibidem habetur; ita post liberationem Terræ Sanctæ, ex omni tribu, natione, & lingva, Christi fideles Sepulchrum Domini dum visitabant Hierosolymis, largitiones quâm maximæ fiebant Principum, & eleemosynæ largissimæ; ex illis ditatos Hospitalarios, redditusque copiosos colligentes, asserit Jacobus de Vitriaco. Refert Albertus Aquensis, quendam Christianum Legatum Rotgeri Fratris Boamundi, profectum de Apulia, talentum auri, mille Byzantiorum, pro eleemosyna ad Sepulchrum obtulisse pro peccatis suis, & pro requie animæ suorum. Tum sicut illis eleemosynis oblationibusque ad gazophylacium Jojadæ, Custos præerat & scriba; ita de Collegio Sacerdotum, Custodum S. Sepulchri, Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, unus ex Præ- Hist. Hierosf. cap. 54. n. 20. Hist. Hierosf. lib. 10. cap. 59 fol. 338.

Prælatis, Custos eleemosynarum fidelium, ac oblationum ad S.
Cap. 49. Sepulchrum, fuerat constitutus: idem Author habet. Et sicut pecunia ex eleemosynis proveniens, fuit dispensata in operarios Domûs Dei & sartatecta, *ut impleretur instauratio domûs Domini, in universis, quæ indigebant expensâ ad muniendam domum*; vers: 12. Ita ex tota illa massa & oblationibus S. Sepulchri, dabantur sumptus pro conservatione Ecclesiæ S. Sepulchri. Vel, si anima Christiana est templum, domus Dei, hæc si se viderit alicui ruinæ subjectam, collabentem; ecce Summus Pontifex Christus, aperuit gazophylacium seu Sepulchrum, in quod innumerabilis ac superabundans, infinitorum meritorum ejus, congestus est thesaurus: *Et quidquid Christus, meritorum gessit in orbe. Hoc illi totum, nomine venit OPUM*; quibus acquisitis, repares stabilias, hanc domum tuam; impendasque ea, pro restauratione domûs animæ tuæ, atque ex illo habeas ad manum expensam, pro tua indigentia, ad muniendam animam tuam, succurasque omnibus instaurationibus, ædificationis spiritualis.

RndmusJacobus Radlinski in Fig. Carm. descript. Figura 17.

Sepulchrum Christi est cellarium, in quod introductam se Sponsa, id est Humanitas, palam fatetur Cantic. 1. v. 3. *Introduxit me Rex in cellaria sua*: per quæ juxta Origenem homil. 1. & Philippum Abbatem libr. 1. in Cantic. gazophylacium intelligitur: *Cellaria dicere, in quibus Regum GAZÆ coacervantur perillustres.* Philo autem Carphatius, Comment. in Cantic. cap. 1. pro cellariis *promptuarium* legit, atque exponit, ita inquiens: *Promptuarium Regis est, ubi res omnes pretiosæ reperiuntur.* Hæc verba septuaginta Interpretes vertunt sic: *Introduxit me Rex in cubiculum suum.* Juncta ergo versio hæc, illi priori intelligentiæ, sic Sepulchro Christi assimilatur. Quid enim Sepulchrum Christi, nisi cubiculum ejus erat, in quo hic Rex requievit. Habetur Cant. 3. v. 10. quòd Rex Salomon, postquam sibi fecit ferculum de lignis Libani, statim subditur: *reclinatorium aureum, media charitate constravit, propter filias Jerusalem.* Hic Salomon Rex pacificus, sapientissimus, Christus Dominus, *ecce plusquam Salomon hic*, postquam fecit sibi ferculum in ligno, ist est in Cruce consummavit salutem humanam, constravit sibi reclinatorium aureum, non alibi, nisi in Sepulchro, *quod licet non invenit aureum, sed reddidit, ubi se reclinavit.* S. Ambrosius, Serm. 1. in Psal. 118. vers. 7. per cellaria, in quæ se introductam dicit sponsa, intel-

Gilbert. Ab. Serm. 18. in Cantic.

intelligit myſteria paſſionis, mortis, Sepulturæ ac reſurrectionis. Proinde dum ſponſa dicit, introductam ſe eſſe à Rege in cellaria, uno eodemque ore dicit, ſe eſſe introductam ad cognoſcenda præfata myſteria, ſeu ut cognoſcat patientis mortem, quieſcentis defuncti gratiam, virtutem reſurgentis. Et ſi uberiùs per cellaria, intelliguntur repoſitoria theſaurorum; myſterium Sepulturæ & reſurrectionis, per cellaria intellectum, & in Sepulchro patratum, efficit illud promptuarium theſaurorum, gazam pretioſam. Et cubiculum hoc, aſſervati Corporis, Sepulchri Chriſti, ſimul cellarium eſt, promptuarium, in quo periluſtres gazæ conſervatæ. De illo pronuntiavit Cosmas Hieroſolymitanus, in Theogen: Hymno 8. *Beatum SEPULCHRUM, in ſe enim recipiens, ut dormientem artificem, vitæ THESAURUS Divinus oſtenſus eſt.* Biblioth. Veter. PP. Tom. 7. fol. 540.

Deinde ob quas rationes, ſive complexa ac contenta intra ſe, dictum eſt illud cubiculum, cellarium gazarum; hæc ipſa verè appellant Sepulchrum Chriſti eſſe cellarium, multis ac immenſis opibus repletum. Primò itaque dicitur illud cellarium eſſe, non ſponſi, non fratris, advertit hìc Origenes citatus; ſed Regis: ſiquidem ſponſus ipſe Rex erat; adeoque ex dignitate Perſonæ, colligi debebat, locum cellarii, non aliquo obſoleto ac vili ære eſſe ponderoſum; ſed copioſis, ac primis metallis, nummiſque congeſtum. Sepulchrum Chriſti, cubiculum verè Regium & auguſtum erat, nec qualiſcunque terreni, ſed Regis magni erat; atque ita neceſſe videtur, ut pro regali eaque Suprema magnificentia, Sepulchrum cubiculum ejus ditisſimum, & opulentiſſimum cellarium nominetur.

Secundò dictum eſt cellarium ſeu gazophylacium, ob aromata & odoramenta ibidem reperta. S. Bernardus: *Verum de cellariis hìc, quid ſentiendum putemus? cogitemus ea interim loca quædam redolentia penes Sponſum, plena odoramentis.* Serm. 23 in Cant. Myrrha enim alôe, cinnamomum, inter theſauros Regis computabantur. conſtat ex 4. Reg. cap. 20. verſ. 13. ubi dicitur, quòd Ezechias, Legatis Regis Babyloniæ monſtravit *domum aromatum, & aurum & argentum, & omnia, quæ habere poterat in theſauris ſuis.* Quæ quidem ungventa cadaveri, quàm maximè adhibita apud Judæos. Et Corpori Chriſti præfata ungventa, dum cauſâ honoris applicata fuère, & illata in Monumentum, eô ipſô illi divitias & pretium contulerunt, ſaltim ad extrinſecum decus Sepulturæ: *Devota Chriſti tumulatio, quæ fuit*

In Cap. 23. Luc.] *fuit solennis & pretiosa*, inquit Lyranus. Si enim redolentia adoramenta, auro argento socianda, domum thesaurorum efficiunt; his abundans, his fragrans Monumentum Christi (ut ipse de se fatetur Rex: *Asperſi cubile meum myrrhâ, & aloë, & cinnamomô*) se ipsum reddidit cellarium dives. Ferens mixturam, id est ungventum confectum ex myrrha & aloë, *dives erat à pretiositate scilicet ungventi*; inquit Dionysius Carthusianus. Teste enim Joanne Sophranis, Nicodemi ungventum, quod attulerat ad Corpus Christi ungvendum, tribus denariorum millibus emptum esse, qui ad pecuniam nostram reducti, trecentorum aureorum summam efficiunt. Tanti ergo taxata ungventa, dum Divinum subintrant cellare, in delibuto Corpore, quidni etiam ipsa, magnam in Monumentum importent summam? ac quoddam scrinium ac repositorium faciant?

Proverb. 7. v. 17.

RituumHebr. in funer. Digress. 2. cap. 7.

Tertiò in eodem cellario, exceptis ungventis exquisitissimis, fuerunt & vestes pretiosæ; Paulus Scherlogi in hunc locum testatur; quæ adderent pretium, & locuples efficerent, sine ullo defectu: tum ad oblectamentum sponsæ: tum ad dispertienda munera. Vestes aureas, purpuras, ac pretiosam suppellectilem, in Sepulchris reperiri, fusè probat Henricus Spondanus per exempla. Non decessit & in hoc quidquam cellario & cubili Sponsæ Naturæ humanæ, scilicet Sepulchro, in quod pro loci pretio, non solùm illata sunt ungventa, aromata; sed etiam pretiosæ vestes, auro textis, ac purpuris ipsis præcellentes, scilicet sindon, linteamina, fasciæ, quibus Corpus Christi contectum erat. Unde sibi applaudit Sepulchrum: *Lætabor ego, sicut qui invenit spolia multa*; prædam enim ex victoria Crucis reportavit ingentem, dum & ipsum Victorem & spolia, ipsis sericis, byssô, coccoque prestantiora lucratum, in hunc tumulum, quasi congesta, & more victorum Principum consepulta, quibus spoliata ac direpta infelix Synagoga, ditata autem ac locupletata illis Ecclesia. Christus enim ex gazophylacio Sepulchri, sacrum suum Corpus pro munere maximo, cælesti patriæ extulit; linteamina verò, tanquam victoriæ suæ spolia, militanti Ecclesiæ, reliquit dispertienda; ut Sepulchrum Christi sit Ecclesiæ ditissimum cellarium, Synagogæ exhaustum penu. Jacobus Pintus de Christ. crucif. huic sensui adscribit: *Prædicit ergo Isaias, fore SEPULCHRUM Domini gloriosum, ac in extrema illa nuditate, ac paupertate*

Psalm. 118. v. 162.

Libr. 9. num. 88.

pertate ditissimum, ut non tam spoliatus ipse, quàm spoliator appareat, id est Synagogæ spoliator, ditator Ecclesiæ. Quomodo enim non ditarent Ecclesiam hæc spolia, quæ divitem effecerunt Josephum ab Arimathæa, qui & à Sepulchro, & à linteamine dives effectus est? Hunc textum Isaiæ: *Dabit divitem pro morte*, Arabicus vertit: *Particeps factus est dives, in sepelitione ejus, vel in linteamine Sepulturæ ejus.* Et D. Paulinus: *Et pro sumptu pretiosi velaminis & SEPULCHRI novi, DIVES Domini Sepultura.* Et de sudario, quô caput Domini in Sepulchro obvolutum fuit, refert Beda, de loc. Sanct. cap. 5. quod post Resurrectionem Domini, mox Christianissimus quidam Judæus furatus, usque ad obitum, divitiis sibi affluentibus habuit, qui moriturus, interrogavit filios, quisnam ex illis vellet Domini sudarium? quis divitias patris accipere? major thesauros rerum, minor elegit sudarium; & mox illi decrescunt opes, usque ad paupertatem: fratri autem, qui Sudarium acceperat, cum fide crescunt & opes, quod usque ad quintam generationem fideles tenuerunt, nunquam egentes, multum locupletati. Ecce quam dives Sepulchrum! quod in suo vestitu recluso in cellario, divites & terrenæ substantiæ, & cælestium participes efficit possessionum.

Cap. 53. apud Cornel. à Lap. hic.

Ad Aleth. 1 Epist.

Tandem Sponsa introducta in cellaria, id est in gazophylacium, dum quæque pretiosa perlustrasset, multiplicem illam tricliniorum gazam, obsignari facit annulô. Inquit Paulus Scherlogi, super hæc verba in Cantica, ex sensu Clement. Alex. Pædag. libr. 3 cap. 11. *Dat ergo annulum aureum, nec eum quidem ad ornatum, sed ut ea obsignet, quæ domi digna sunt, ut custodiantur.* Id factum est apprimè in Sepulchri cubiculo, dum illi illatus thesaurus immensus, ditissimaque suppellex; ecce Regiô, hoc est Cæsaris, Conciliique signatur annulô: *nonne hæc condita sunt apud me, & signata in thesauris meis?* ut ex illa solenni sigillatione constaret, quòd sub Sepulchrali lapide, ingentes reperiantur gazæ, & ne quis illas eriperet, aut deprædaretur. *Pharisæi igitur* (inquit Paulus de Palacio, in Matth. cap. 28.) *ignorantes, dum Christi SEPULCHRUM tam attente concludunt, attentis animis, apertè significant, grandes thesauros in Christi MONUMENTO servari; neque enim nimis custodiuntur, nisi quæ sunt nimis pretiosa.*

Deutor. cap. 32. v. 34.

fol. 1119.

De hoc Sepulchro Christi, procedunt illa verba Job cap. 20. v. 15. *Divitias, quas devoravit, evomet.* Hugo enim Carensis in

Cap. 6. Joannis, illa legit de Sepulchro Christi: Divitiæ enim illius Corpus Christi. Cùm enim innotuisset Beatæ MARIÆ Virgini, Josephi ab Arimathæa non procul esse Sepulchrum, ut Georgius Archiepiscopus refert in Serm. ad eum accessit, svasitque ut vitam illo servaret Sepulchro, taliter loquens: *Ecce Corpus Domini JESU pendet super Crucem, - - tu ergo collige mundi thesaurum, ingredere ad Pilatum, & postula Corpus ejus.* Surius habet 15. Aug. *Venit ad eum Virgo, & verbis ei svadet, ut in suo Monumento, tanquam in aliquo ARMARIO, magnam vim Opum reponat.* Et *commendare*, pro eodem, quòd *in depositum tradere*, sumitur apud Thomam Malvenda. Unde hæc verba Tob. cap. 4. v. 10. *Depositum enim bonum,* alii legunt *thesaurum enim bonum.* Dum Joseph tumulo suo commendavit Christi Corpus, præstantissimum aurum, opulentissimum depositum, illi mandavit. Has ergo divitias, Corpus scilicet Christi, Sepulchrum dum devoravit, evomuit; dum tantum munus pretiosum, apud se repositum sentiens, intemeratè cælo reddidit, quod de sublimi Cruce acceperat.

Sanutus.

Sepulchrum Christi est aurifodina, unde pauperes ditescunt animæ, augentur in spirituali opulentia, torrentes Divinarum gratiarum emanant. Hinc Urbanus Pontifex dicit, in sua elegantissima Oratione, *pretiosum Sepulturæ Domini locum, locum incomparabilem.* Inimica pariter veritas fatidico ore fatetur, in illis verbis comminatoriis Babyloniorum dicentium: *Eamus & capiamus Hierusalem, & eradamus illud Sepulchrum, tam sibi pretiosum*; imò ditissimum cellarium nostrum, unde sustentamur, & providentur nobis ac dispertiuntur talenta Divinorum munerum. Non finet tamen Deus deprædari hunc thesaurum suum, cui fidissimum Ministrum suum, Camerarium ac thesauri Custodem præfecit, fortissimum Gabrielem, qui apertô publicè hoc Gazophylaciô, iniquos terruit insidiatores. *Aperti sunt thesauri, & evolaverunt nebulæ quasi aves*; id est apertô thesaurô Sepulchri, à suo Camerario ac Custode; nebulæ, id est nebulones illi perfidi Judæi, avolaverunt longè quasi aves, hujus thesauri opumque ex illo excerptarum prorsus indigni, quamvis pretio illius redempti.

Baldricus Archiep. Hist. Hierof. f. 87. n. 10. Fulcherius Carnot. de Gest. Peregr., fol. 400. I. 30.

Eccl. 43. v. 23.

Ergo anima mea, si ex dictis, tantas nosti in Sepulchro esse divitias, tantam largitatis Divinæ abundantiam, cur eò non properas? quæ cupiditate opum, desiderio thesaurorum premeris, cur eò

eò non anhelas? unde meliori fortunæ tuæ provideas? Eò mentem tuam, eò ſagacitatem, æſtuantia habendi deſideria converte, eò conatus impende, modos quære habendi, augendi, ex Sepulchro Chriſti copioſiſſimum profectum, virtutum cumulum, ditiſſimarum gratiarum augmentum. Temporibus S. Antonii Paduani, cujusdam avari inventum eſt cor in medio theſauri; theſaurus tuus non alius, niſi Sepulchrum Chriſti, in quod omne pretioſum congeſtum eſt. Tu ergo vir religioſe, avarus eſto, ſi non horariæ vel momentaneæ, tunc ſaltim quotidianæ aggregationi cæleſtium theſaurorum ex Sepulchro JESU. *Ubi eſt theſaurus tuus, ibi ſit & cor tuum.* Sit hæc aſſidua cura tua, ut Chriſtum (qui theſaurus infinitæ bonitatis eſt) ejusque tumulum, vel ſic ſaltim ames, ut avari divitias; & ſic dives fies, nec plusquam poſtes, quàm ut cor tuum cum Chriſto inſimul, in Sepulchri gazophylacio inveniatur.

CAPUT II.

Enumerantur tituli glorioſi ex literis initialibus Alphabeti, H. L. M. N. veteris teſtamenti, & adaptantur gloriæ Sepulchri Chriſti.

§. I.

Ex initiali litera H. titulus veteris teſtamenti: HORTUS, demonſtrat gloriam Sepulchri Chriſti.

HORTUS.

Etiam amœna hortorum ſepta, mæſto deſtinantur Sepulchro. Arridet ridentibus herbis, lachrymabile buſtum. Sub umbroſis frondibus reperit, quæ tegat extincti funeris umbra, locum. Sacra explicant Regum folia: *Dormivit Manaſſes cum Patribus ſuis, &* 4. Reg. cap.
ſepultus eſt in horto domus ſuæ, in horto Oza. Et de Amon ibidem: 21. v. 10.
Sepelierunt eum in Sepulchro ſuo, in horto Oza. Et David Rex, teſte Villalpando, intra Regiæ domus hortorum ſepta, magnificentiſſi- 2.part.f.195.
mum extrui fecit Sepulchrum, quod ſignificare voluiſſe videntur Septuaginta Interpretes, *usque ad hortum Sepulchri David*; ſcribentes. Totus ſangvineus, totus purpureus, dilectus candidus & rubicundus, inter roſarum purpuras, inter lactea lilia, Sepulchralem locat Urnam: *In horto Monumentum.* Exigit auguſtus honor tumuli, regalibus par, ſive excelſior, Regum more in horto lo-

 cari,

cari, qui dignus Regis Supremi, erat Cadavere. Joſeph Arimathæus munere & dexteritate par Regibus, non longè à regalibus Sepulchris, conſtruxerat ſibi inſigne Mauſoleum in horto: Sed hoc aptiùs & digniùs effectum eſt, tumulando Chriſti Corpori; Ut inde langvidorum vitales ſpiritus, animaret flos Divinus; æ-

Eccl. 6. v. 16. grotorum vires refocillaret; contra vim mortis, *medicamentum vitæ & immortalitatis*, præſtaret. Unde non ſolùm Monumentum in horto, ſed & hortum dici, nemo dubitet. Hortus florum, fructuum, atque ſaluberrimarum herbarum, locus eſt. Nec Chri-

S. Ambroſ. in Pſ. 118. Serm. 14. ſti Monumento deſunt flores. *Carpis illic novum florem, qui bonum odorem, dedit Reſurrectionis.* Et Aloyſius Novarini libr. 8. cap. 13. Sacrorum Elector. in Columna Sepulchri dicit: *Chriſtus Sepul-*

Villaroël T. 1. Tautolog. 5. Didaſcal. 17. *chri ſui flos.* Et Paſcha vocatur florum, & floralia tempora: *Quippe ſicut flos ſurgit è terra, induens incognitam & abditam pulchritudinem; ſic Chriſtus in Sepulchri paradiſo, novus Adam induit immortalitatem.* Gloriam Sepulchri, conjunxit proximè, radici Jeſſe & flori Iſaias; hæc ejus gloria: *flos campi & lilium convallium*; Sic è

Eccl. 50. v. 8. Sepulchro, jucunditate plenum excrevit Corpus; *quaſi flos roſarum in diebus vernis.* Magdalenæ apud Sepulchrum, in forma hortulani ſe Chriſtus monſtravit; quia diverſorum ſpecie fructuum, illud excoluerat. Spectat oculus ſuper Sepulchrum depingi Chriſtum, laurum manu tenentem; quia inde hæc triumphalis, victoriæ nata

Ibid. 24. v. 23 arbor. Fructus Sepulchri Chriſti, *fructus honoris & honeſtatis*; quisquis pœnitentiæ undis, rigat hunc hortum cum Magdalena, fructum honoris cum eadem percipit. Ungventum tulit & rigavit, id eſt ad Sepulchrum, (cujus inſigne ungventum erat) cum lachrymarum aquis acceſſit, *& quæ ante meretrix, ſubitò pudica proceſſit, & profundis obruta peccatis, portum ſerenitatis agnovit*, infert D. Chryſoſtomus. Et Joannes Eckius homil. de Anim. *Omnes, qui aſſuerunt ſepulto Domino, finem aſſecuti ſunt feliciſſimum.* Ecce fructus honoris & honeſtatis, ex horto Sepulchri. Quantum inde reportarunt fructum? dicant tot Sancti Viri, tot peccatores converſi, tot reviviſcentes in Domino mortui; imò omnis ſterilis & infructuoſa arbor homo, tunc fructuosè germinavit, dum ſe per ſanctum deſiderium, illi horto implantavit. Nec deeſt Sepulchro

Ad Hebr. 6. v. 7. Ezech. 47. v. 12. Chriſti, etiam contra mortiferos morbos medicamentum, *generans herbam opportunam illis, à quibus colitur.* Illius *fructus in cibum, & folia*

folia ad medicinam. In horto Sepulchri, infirmorum medela, debilium confortatio, ægrotorum fanitas. De Chrifto Sepulto pronuntiata verba Pfalmi 143. *Emitte manum tuam de alto*, exponit Carthagena: *Hæc manus quasi leprofa, abfcondita fuit in Sepulchro;* & nos putavimus eum, quafi leprofum; *è finu tamen Sepulchri, fana, fortis, atque pulcherrima prodiit*, juxta illud: *Emitte manum tuam de alto.* Non folum procefferunt vegeti, corporali vitâ longævi, quicunque erant illius cultui addicti, ac luftrantes hunc oculatè hortum; fed etiam efficaciffima pharmaca, medendis animabus, inde collecta præparabant, rigantes lachrymis hunc hortum, fovebant diftillatos liquores, quibus ariditate madefacta vegetarent animas, falutemque reftaurarent. De Beata Joanna Valefia, Regina Franciæ, Ludovici XII. Conjuge refert Bollandus, quod in horto fuo, facrum Domini Sepulchrum conftrui, eique Crucem apponi curaverit, ubi fæpe gemitibus inenarrabilibus, & lachrymis copiofis, Patrem cæleftem orans, nudum pectus lapide tundebat. Contempfit Regios hortos, Regina Sponfa Chrifti, Sepulchri Horti amantiffima, illo maluit oblectari, ad quem invitabatur ardentiùs: *Veni in Hortum meum, foror mea Sponfa*, poft ictus fana, inde æternùm victura. S. Adelhardus Abbas Corbejenfis, à Patribus Monafterii conftitutus hortulanus, obediens lætabatur animo: Sciebat namque Dominum, in hujusce Sepultum fuiffe fpelæo, ibique eum Mariæ ut hortulanum apparuiffe; fciebat eum in eodem loco refurrexiffe. Præterea Sepulchrum Chrifti, Hortus odoratiffimorum florum, & fructuum varietate copiâque refertus, & pomerium falutare; quia in illo Caro Chrifti, quæ fuit per mortem langvida, refloruit; dum venuftiffimo decore florens, & fupereminens omnes, amicta fpeciofiùs, verno tempore è Sepulchro prodivit; Pfalmifta prædicit his verbis: *Refloruit Caro mea*, id eft, legit S. Auguftinus Commentar. in Pfalm. hîc: *Refurrexit Caro mea.* Et S. Maximus homil. de Pafch. in eadem verba: *Vide quo verbo* (id eft Propheta) *ufus eft: Non ait, floruit, fed refloruit; non enim reflorefcit, nifi quod ante floruerit. Floruit autem Caro Domini, cum primum de MARIÆ Virginis illibata vulva proceffit, ficut ait Ifaias dicens.* Exibit Virga de radice Jeffe, & flos de radice ejus afcendet. *Refloruit autem, cum fuccifo per Judæos Corporis flore, rediviva de Sepulchro, Refurrectionis gloriâ germinavit, & in floris modum, odorem*

Homil. 2. de Refur. lib. 14. fol. 11.

In Act. Sanct. in Vit. ejusd. 4 Febr. num. 4. fol. 577.

Pafchalis Ratbertus in Vit. ejusdem apud Surium 2 Jan.

Pfalm. 27.

pariter & nitorem cunctis hominibus, immortalitatis afflavit. Vide ex hac Authoritate, connexionem textùs Isaiæ, radicis Jesse & gloriæ Sepulchri, inferente; bene titulum hunc, convenire Sepulchro Christi: Sicut Uterus MARIÆ fuit hortus ornatissimus, editi floris; sic Sepulchri gloria, eidem titulo superaddita, eundem florem germinavit, & reflorescentem reddidit. Imò hîc majus patere videtur prodigium, in loco sacri cadaveris Christi; quia hortus Virginis, per nativitatem ex illa, florem mortalem protulit, Sepulchrum resurgentem Christum, immortalem ostendit: ratio ulterior: Flos est vita, Virga Corpus. Vitam habebat Corpus Christi in horto, nempe utero Virginis; Cadaver jacebat in horto Monumenti, ubi Corporis virga, vacua erat vitalitate; plus igitur novitatis est, quod vitalitate carens, virga arida Corporis Christi, floruit in horto Sepulchri, in vitam lætam immortalitatis. Igitur bene Psalmista de Christi resurrectione prædicens, dicit Christum in nativitate floruisse; jam verò de Sepulchro refloruisse, majorem quasi virtutem germinativam superaddens horto Monumenti; quia dum apparuit Humanitas Christi, tunc floruit Virga Jesse: jam vero caro corporis induta gloriâ & immortalitatis flore, quæ jacuerat in Sepulchri Sanctuario arida, ex eo refloruit, cujus hoc ipso superlativo verbo, tantæ gloriæ vividiorem expressit Vates prærogativam. Et ex hac ratione colligo, cur venientibus ad Monumentum mulieribus dixerat Angelus: *JESUM quæritis Nazarenum Crucifixum? surrexit, non est hic. Ecce locus ubi posuerunt eum:* nempe *Nazarenus* idem sonat, quod *floridus.* Angelus expressurus resurrectionem, & corporis Crucifixi gloriosum decorem, sive quòd Christus Monumentum, veluti quoddam habuit viridarium, mulieribus annuntiavit, floridum seu Nazarenum surrexisse. *Ecce locus,* quod nempe quæritis Monumentum, jam quasi versum, & immutatum in aliam transivit naturam, factum est unicum viretum. Insuper solet in Scripturis tale aliquid appellari, quale est illud, quod secum gerit, vel cui est contiguum, advertit Pintus: Sic ab gestato aureo diademate, caput Sponsi aurum appellatum; adeoque & Sepulchrum Christi, quod erat in horto, tali loquendi modo, congruè nominari, pro sua dignitate potest, Hortus. *gloriosus & omni memoria dignus, hortus ille fuit* (inquit Salmeron) *in quo Filio Dei & Messiæ, Sepulchrum Christi fuit constitutum.* Cujus gloria in hortis etiam tam dignis appareat.

Emmanuel Villaroël.

Marc. 16. v. 6.

In Cantic. num. 537.

Tom. 10. fol. 403.

Sepul-

Sepulchrum Christi est hortus Regis Assveri, de quo Esther 1. vers. 5. & 6. Assverus enim, qui interpretatur Princeps & caput, fuit Christus Dominus, Princeps & Caput Nostrum, nosque membra ejus, qui non solum fecit convivium suum pueris suis fortissimis, id est Apostolis, in quo exhibuit magnitudinem atque jactantiam potentiæ suæ, sed etiam divitias gloriæ regni sui ostendit, & in horto Monumenti, qui & regio cultu, primo ipsius Regis Regum Christi, deinde tot plurimorum Regum cultura consitus erat. In illo pendebat tentorium àerei coloris, scilicet Persona Divina Verbi, cujus sedes cælum est, velata corpore. Visus est carbasinus color, in linteaminibus ac fasciis; funes bysfini ac purpurei; quia funes peccatorum, byssô & purpurâ, hoc est sangvine Christi tincti, hunc depinxerunt hortum. Lectulus super pavimentum stratum lapide; quia Sepulchrum Christi in petra lapidea, super parium & smaragdum lapidem, pretiosiùs habitum, quod mira varietas beneficiorum, miraculorum, gratiarum decorat; in eoque convivium, spiritualibus instructum cibis, satiativis perfectissimè quorumcunque appetituum. De recumbentibus ad mensam post resurrectionem Discipulis pronuntiavit S. Petrus Chrysologus Serm. 83. *Ubi ad Sepulchrum domini, mox ad mensam servi.*

Sepulchrum Christi est hortus conclusus, de quo dicitur Cantic. 4. v. 12. *Hortus conclusus Soror mea, sponsa, hortus conclusus, fons signatus.* Tum quia juxta Glossam Ordinar. Monumentum, in aliquo septo maceriæ, debemus accipere; quia locum tunc fuisse munitum, credibile est, quando mulieres venerunt ad illum, ut quælibet, ad alteram dicere tunc posset: *hortus conclusus, Soror mea Sponsa,* sicut protunc eum viderant. Tum quia S. Cyrillus hunc textum Sepulchro Christi applicat Catech. 14. *Locus Sepulchri Christi, erat hortus & vinea plantata. Vis & de hoc locum scripturæ nosse? Dicit in Canticis in hortum meum descendi; hortus enim erat, ubi crucifixus est; hortus tamen antea fuit, & hujus symbola manent & reliquiæ:* hortus conclusus, fons signatus, *à Judæis dicentibus:* Jube custodiri Sepulchrum. Tum quia Emmus Cardinalis Toletus, in cap. 19. Joann. super hæc verba: *in horto monumentum,* dicit: *Et hortus iste concludebatur.* Et si hic per hortum conclusum, intelligitur hortus septus, vallatus ac custoditus: hæ proprietates imple-

Biblioth. Patr. Tom. 4. f. 431

num. 11. tæ ſunt ad amuſſim in Sepulchro Chriſti. S. Bernardus Serm. 1. in die S. Paſch. de illo ſcribit: *Curioſiùs namque claudere & ſignare ſtuduerunt, quàm infigere clavos.* Et Hieronymus Natalis teſtatur: *Juxta locum, ubi Cruci affixus fuerat JESUS, erat Decurionis Joſephi hortus, arboribus conſitus, maceriâ munitus & januâ.* Tum Soto Major, talem hortum concluſum vocat Sepulchrum Chriſti ex eo; quòd ſicut hortus dictus concluſus, id eſt, quem nemo adibat, niſi ſolus ſponſus cum ſua ſponſa; ita in Sepulchro Salvatoris, nec antea quis, nec poſtea poſitus eſt, niſi Chriſtus cum ſua Humanitate. Tum ſi textus hic referatur ad amicos; & ſodales ſponſi, per metaphoricam translationem, laudantis integritatem Virginalem Sponſæ, quaſi diceret Sponſus de illa: quòd tam caſtiſſima, tam integerrima ſit virgo, ſicut hortus concluſus. Et ſecundum hanc intelligentiam, bene dicitur de Sepulchro Chriſti, quòd ſit *hortus concluſus*: Scribit enim S. Hieronymus advers: Jovinian: *Quod clauſum eſt atque ſignatum, ſimilitudinem habet Matris Domini, Matris & Virginis.* Sepulchrum Domini, quod in petra puriſſima fuerat, clauſum atque ſignatum erat, ſimilitudinem habuit Matris Domini, quia virtute immortalis fœcunditatis pollebat, dum corpus edidit immortale, & Virgo fuit, quia ſalvô, intactô ac inviolatô lapidis ſignaculô, Chriſtus exivit. Talem facit comparationem S. Epiphanius Orat: de Sepulchro Domini: *Quemaadmodum enim, obſignatis ab ipſa natura inditis, patefacientibus uterum clauſtris Virgineæ naturæ, Chriſtus ex Virgine natus eſt; ſic Chriſti regeneratio, cum non eſſent aperta SEPULCHRI ſigilla. facta eſt.* Tum quod inter tot, ac tantas rerum temporisque viciſſitudines, integrum ſemper, illæſumque ſtetit, ut oſtendetur libro 3. Nec ſpuriſſimorum etiam hominum, interna ſui violatione, unquam contaminatum, Virgo Sepulchrum erat; adeoque Divinæ potentiæ ſeptô, nulli patens violationi injurioſæ, dicendum, *hortus concluſus.* Tum quia hortus concluſus, quamvis ſit bene cultus, id eſt nimiâ diligentiâ cuſtoditus; tamen odor ejus longè latèque fragrat, non ſolum iis, qui propè adſunt, ſed etiam his, qui longè degunt, ut obſervant hîc Interpretes, & propterea Sponſam ſuam vocat hortum aoncluſum: ita Sepulchrum Chriſti eſt talis hortus concluſus, quod quamvis fuerat nimiâ diligentiâ cuſtoditum, circumſeptum undique, tamen odor Reſurrectionis longè latèque fragrabat. Arboræus in Matth.

Marginal notes: In Adnot. ſup. Evang. f. 401. — Tom. 1. pag. 520.

Quantò

Quantò diligentiùs muniunt SEPULCHRUM, tantò magis Resurrectionis vis inclarescit. Et Turcæ, Saraceni, aliique Infideles, quantò magis concludebant vias, impediendo aditum ad hunc Sepulchri hortum, ad carpendos ex eo svavissimos fructus, tantò magis ejus gloria, omnibus terris ac regionibus innotuit; tantò Sepulchralis hortus, odorem suum, totum sparsit in orbem. Quem sensêre non solùm ii, qui viciniori eidem loco adjacebant incolæ Christiani ac peregrini; verùm foris ita odor Sepulchri mei, sicut odor agri pleni, diffusus est; ut Principum, Regum, Ducum, Procerumque ad Magnatum, totque millionum hominum sensus fragrantia, ac halitus odoris gloriæ ejus, afficeret, & ad se alliceret. In hunc sensum loquitur Jacobus Marchantius: *Traxit hoc SEPULCHRUM Christi, odore suo, innumeros homines, ex diversis mundi partibus, & impletur illud Isaiæ:* Gentes, quæ te non noverunt, venient ad te. Et Sebastianus Barradius. *In horto Sepultus est, quem tam amœnum suo SEPULCHRO reddidit, ut toti orbi sit desiderabilis.*

In Hort. Pastor. Tract. 3. de fide Chr. f. 153.

Tom. 4. de Sepult. Dom. fol 327.

Nec ad alium, ut puto hortum, tam peramanter optantis, cupientisque modò, rogat Sponsa dilectum: *Veniat dilectus in hortum suum*, nisi ad hortum Sepulchri. Septuaginta enim Interpretes, apud Soto Majorem hìc legunt: *descendat*; congruenter hoc verbo, indicatur descensus Christi in Sepulchrum: descendere enim dicitur, qui ex loco superiori, in locum inferiorem venit. Sponsa ergo, sive Beatissima Virgo, sive Ecclesia, sive Natura Humana, rogat ac invitat, ut Sponsus depositus de Cruce elevata, descendat aliquantisper ad hortum Sepulchri *suum.* Licet enim fuerit alienæ possessionis, nunc jam tuæ existet, ô dilecte; Te jam suum apprehendet Dominum, & mihi Matri, & copulatæ Naturæ, communis amborum fiet: *Et bene* (inquit Alanus Magnus, in Elucid. in Cantic. super hunc locum) *in hortum suum descendisse dicitur; nam in horto sepeliri voluit.* Idque non alio fine veniat, nisi *ut comedat fructus, de arboribus pomorum suorum.* Solent enim fructus de arboribus depositi, alicui mandari cellario, ac poni super terram stratam, ut conservati tantisper, fiant sapidiores ac svaviores comedenti. Sic Christus, benedictus fructus, ex arboris Cruce depositus, in Sepulchrum infertur, ut sit svavissimus fructus, suo tempore sapidiùs, sub speciebus panis comedendus, ac æterna fruitione, sine ulla nausea prægustandus. Vel si pomi genus, amoris

Cantic. 5.

Fol. 34. cap. 6.

est Symbolum; ut adductus Soto asserit; ad hunc amoris fructum, in Sepulchro potissimùm percipiendum, invitat Sponsa, ut se amantissimum ostendat Naturæ Humanæ, ut illâ delectatus, velit etiam post Sepulchrum, esse cum illa: *Deliciæ meæ, esse cum filiis hominum.*

Proverb. 8.

Obediens Sponsus, promptè parendo invitationi Sponsæ, ea, quæ placita erant Deo, exequitur; promittit se venturum in Sepulchrum, dicens: *Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa*, id est veniam; ut Hebræi hîc usurpant, conformiter ad nonnullas Scripturas: Christus enim nomine *Venientis*, apud Prophetas passim nominatur; sive dicit: Veni in hortum meum, Soror mea Sponsa natura Humana: *In hortum meum*; nempe pronomine possessive indicans, destinatum sibi à Patre Sepulchrum, illi soli præparandum. Et quòd de horto Sepulchri loquatur, subsequentibus verbis indicat: *Messui myrrham cum aromatibus. favum cum melle meo.* Quæ verba Sepulturæ Christi, applicat Michaël Ghislerius, Comment. in Cantic. fol 676. *Per myrrham cum aromatibus, SEPULTURA Christi intelligitur, cum vaticiniis Prophetarum, messionem myrrhæ, ac passionis complementum, in Sepultura Christi asserentium.* Veniam ad talem hortum, ubi metam myrrham cum aromatibus; id est, qui myrrha & aromatibus replebitur, ex illoque Caro mea reflorescens prodibit, & apponetur ei favus mellis. Vel ipse hortus dulcedinem, ad instar mellis gratiarum stillabit. *De petra melle saturavit eos.* Philo Carpathiorum Episcopus, Interpret. in Cantic. super hæc verba Cantic. intelligit per hortum, passionem Christi, in qua post infinitas cælestes & saluberrimas plantas, voluit semetipsum, tantam arborem vitæ æternæ, in Cruce plantare. Jam verò per subsequentia verba: *Messui myrrham cum aromatibus*, intelligit Sepulchrum, in quo cum myrrha conditus erat, & addit: *Cæpitque à Sepulchro suo, Corporis, quasi scrobem, radici hujus divinissimæ arboris cavaturus; ait enim*: Messui myrrham cum aromatibus meis; *hoc est SEPULTURAM, cum vaticiniis Prophetarum, hoc ipsum de me asserentium.* Hoc est, dum Sponsus invitat Sponsam ad hortum, invitat illam & ad lustrandam passionem Christi, & simul in adjunctis verbis *Messui myrrham*, ad spectandum Sepulchrum, in quo Corpus Christi, quod erat lividum, invenustum, & indecorum; utpote in arbore Crucis, plagis & vulnerum doloribus

Psal. 80. v. 17.
Biblioth. Vet. Patr. Tom. 4. fol. 573.

ribus penitus deformatum; jam in Sepulchro hac ſcrobe cavatum & exutum, venuſtum, elegans, ac nimis odoratum apparet. Ingredere itaque & chara Sponſa, anima Chriſtiana in hortum paſſionis & Sepulchri Chriſti, ut quæ per peccatum mortiferum, decorem & venuſtatem gratiæ ſanctificantis amiſiſti, per ingreſſum ad eundem hortum, excerptæ paſſionis & Sepulturæ Chriſti fructuum, ſias decora, ac priſtinæ pulchritudini reſtituta.

Dum igitur in horto Sepulchri, dilectus Sponſus *meſſuit myrrham cum aromatibus*, ecce ex tali meſſe, collectum & ligatum faſciculum myrrhæ, dilecta Sponſa, charo pectori ſuo & uberibus apponit & adſtringit: *Faſciculus myrrhæ dilectus meus, inter ubera mea commorabitur.* Dilecte mi Sponſe, dum per adventum tuum in hortum, colligiſti poſt paſſionem myrrham Sepulturæ tuæ, quam ego in faſciculum ejusdem myſterii redegi, religavi & conjunxi, nihil ſupereſt, niſi ut eandem affectibus uberum, & præcordiorum meorum teneam, arcte conſtringam & amplectar. Ea enim eſt obligatio animæ dilectæ Sponſi Chriſti, ut dum eum in horto Sepulchri metentem myrrham, & redactum in faſciculum myrrhæ, ſeu Sepultum agnoſcit; talem Sepulturam ejus, in ipſa cordis penetralia, intimæ dilectioni & memoriæ, retinendam inferat. Et ita dicta verba Canticorum, quoad preſentem materiam, intelligit Haymo in Cantic. his verbis: *Hoc loco Sepultura Chriſti deſignatur: nam depoſitum Corpus Chriſti de Cruce, à Nicodemo & Joſeph myrrha & aloë conditum eſt, & Sepulturæ traditum. Dicit ergo Eccleſia Sponſa ejus. Faſciculus myrrhæ dilectus meus mihi factus eſt, quia propter me mortuus & ſepultus eſt.* Inter ubera mea comorabitur. Nemo dubitat locum cordis inter ubera eſſe. Dicit ergo: inter ubera mea commorabitur; id eſt in cordis mei memoria æternaliter habebitur, & nunquam tantorum beneficiorum ejus oblivifcar.

Omnia itaque his verbis Sponſa expreſſa, dum Sepulturam Chriſti præſignarunt, eandem & ſub ſequentia probant; & ut manifeſtiùs pateat, loqui Sponſum de horto Sepulchri, addit in continenti verba: *Ego dormio & cor meum vigilat*; id eſt dum veniam in hortum meum, ſcilicet Sepulchrum, cum aromatibus & myrrha ingrediar, ego dormiam & cor meum vigilabit; hæc enim verba, de dormitione Chriſti in Sepulchro procedere, patebit ſub titulo: *QUIES.*

Hunc descensum in hortum Sepulchri, appromissum assecurat & Sponsa: *Dilectus meus descendit in hortum suum, ad areolam aromatum.* Hoc enim loco secundum literam, est quædam allusio ad morem Salomonis Regis, (ut ait Soto Major, hic commentans) qui solebat alba veste circumamictus, descendere in locum quendam, extra Urbem, qui non procul Hierosolymis aberat, ubi erat hortus Regius, aquarum rigationibus gratus. Quod factum indicabat mysticum Salomonem Christum Dominum, in veste candida, id est obvolutum sindone & linteaminibus niveis, in locum quendam proximum Hierosolymis, ubi erat hortus, magni Senatoris ac Optimatis, descensurum. ut ibi quiesceret, dicente Sponsa: *Ubi cubes in meridie?* ut illos temperaret æstus, in tumuli umbra Sol justitiæ, quibus nimium in Cruce exarsit. Per meridiem enim, tempus passionis designantur, juxta Alanum, in Cantic. Elucid. super dicta verba. Ad hunc ergo hortum descendet dilectus meus, ad areolam aromatum; id est aromaticis ungventis fragrantem locum, ait nominatus hic frequenter, Ordinis Nostri Doctor: *Tunc enim dilectus Sponsæ JESUS descendit in hortum, quando descendit in SEPULCHRUM suum; & protunc Sepulchrum illud factum est areola aromatum, quando unctus est JESUS pretiosis aromatibus.*

Cantic. 6. — In Libr. Sepultur. Vivent. in Cantic. Considerat. 15.

Postquam jam Sponsus, amore invitantis Sponsæ attractus, hortum Sepulchri, ad multos capiendos fructus, intravit; tandem eadem Sponsa, superius expressa, omni, quò potuit, optandis, anhelantis, sive imperantis modô usa, obnixè expostulat: *Surge Aquilo, & veni Auster, perfla hortum meum, & fluent aromata.* Dilecte Sponse, quoniam jam post calores meridianos; id est intensos amores tuos, in Sepulchro quievisti somno delicato, restat quàm proficua utilitas, summa necessitas expergefactionis: Itaque *Surge*, id est, ut Græca interpretatio habet, apud Soto Majorem hic in Cantic: *Excitare* seu *Expergiscere Aquilo*; id est, Tu Christe. Solent enim scripturæ per prosopœiam, res inanimatas, ut animatas alloqui; ut patet ex Psalmista, in simili ad jacentem Christum in Sepulchro allocutione: *Exurge psalterium & cythara.* Et hæc species venti, conveniebat Christo Sepulto; hic enim ventus est placidissimus, vitalis, & jucundissimus, sic Christus ex Sepulchro placidus, benignus ac jucundus rediit, dum ibi in pace & in idipsum, dormivit & requievit. *Veni Auster perfla hortum*; id est veniat

Cantic. 4. v. 16.

niat clementia, benignitas, quæ velut Auster, temperatè, leniter, vento gratiæ perflet hortum Sepulchri, ut te flante, reviviscat humana Caro Christi. *Et fluant aromata*; id est effluat svavitas Resurrectionis Tuæ, in totum mundum. Vel fluant, id est properent ad monumentum cum aromatibus, sive mulieres, sive omnes cum sanctis operibus, orationibus fluant; currant citissimè discipuli, ad adorandum & invisendum Monumentum. In his enim verbis Canticorum censet Jacobus de Valentia, locô superiùs adductô, quòd Salomon introducat non solùm Christum invitantem ad suum Sepulchrum, sed etiam Ecclesiam, Discipulos & mulieres, quærentes Sponsum in Sepulchro; adeoque hæc verba Canticorum, allegoricam sive mysticam significationem, Sepulchri Christi præferunt. Eadem verba Sponsæ, quoad singulos terminos, videntur bene convenire Sepulchro Christi. Hoc enim primò fuit hortus, exprimente id S. Cyrillo Hierosol. Catech. 13. *Hortus erat locus Sepulchri.* Secundò fuit hortus conclusus. Liquet id ex Lyrano cap. 20. Joann. v. 8. de Magdalena dicente: *Licet enim intrasset clausuram horti, in quo erat domuncula Sepulchri excisa in rupe, tamen illam domunculam non intravit; verum tamen, quia illa horti clausura tota aliquando Sepulchrum nominatur, inde est, quod Maria aliquando dicitur intrasse Monumentum.* Tertiò Sepulchrum fuit areola aromatum; in eo enim messuit myrrham cum aromatibus dilectus Christus, annotante S. Cyrillo Hierosol. Catech. 14. *Et quid dicturus est, qui Sepultus est in horto*: Messui myrrham cum aromatibus meis; *& rursus*: Myrrha & Aloë cum omnibus primis unguentis; *hæc autem Sepulturæ sunt Symbola. Et in Evangelio dictum est*: venerunt ad Monumentum ferentes, quæ paraverunt aromata. Quartò ex horto Sepulchri surrexit Aquilo, & perflavit hortum, & fluxerunt aromata. Quod explicat sic Nonnus Panoplitanus, in Joann. cap. 19. *Sed hortensis stirpium ac arborum aura perflabat locum Sepulchri puri, quò laboriosus Joseph, JESUM portavit, suo gestatum humero.* Biblioth. Vet. PP. Tom. 6. fol. 330.

Quô affectu illa Sponsa, non absimili te dilecte Deo & hominibus, Christo desponsate, invitat amœnitas loci, integritatis Sepulchri amor: *Veniat dilectus meus in hortum suum*; id est veniat mente, veniat obsequio, visitatione, affectu, devotione dilectus meus in hortum suum, scilicet jure hæreditatis proprium sibi, Sepulchrum

pulchrum Domini: illud frequenter lustret, sedula consideratione dignitatis ejus, sæpe adeat, ut debilem spiritum Deo serviendi, ac perseverandi in regulari disciplina, ibi animet, refocillet, ac vivificet. Lustrent alii, in diversis orbis partibus, superbos hortos, qui sensuum arrideant delectationi; invisent, qui animos turbatos recreent, fatigatas vires, honesta animi remissione distrahant; in illisque sollicitas curas distendere velint: Unicum solatium mentis, cordis deliciæ, voluptuosa animæ distractio, speciosa ac delectabilis recreatio, præstantissimus hortus Sepulchri; *Veniat dilectus in hortum suum.* Sed non solùm veniat, id est, ut videat, quàm excellentissimus sit hortus, quanta ibi sit varietas florum, hoc est beneficiorum Divinorum, quanta arrideat gratia illi horto, quantum percipiatur internum oblectamentum; sed ut comedat fructum pomorum, hoc est, ut reportet inde fructum, pomorum, exercendi opera quædam bona; scilicet: Primò, si per pomorum fructus, intelligitur amor, hunc principaliter carpat fructum; ut visitatô sæpiùs hortô Sepulchri, corde ac mente inardescat magis, in amorem sui Sponsi continuum, neque in illo langvescat, per corporem, in sedula cultura ac operatione reportandi commodi proficui. Secundò, metat myrrham; id est insistat mortificationi sensibilium appetituum, effrenatarum passionum: aromata; id est adversitates libenter, patienterque toleret, gratoque animo suscipiat: *fasciculus myrrhæ inter ubera commorabitur*; id est, quamvis amarus, cordi tamen ac pectori sit gratus.

Serm. 231. de Temp. Tertiò, sit hortus conclusus, ut monet S. Augustinus: *Habitaculum cordis nostri claudatur diabolo, & aperiatur Christo*, sit septum legibûs ac Constitutionibûs Ordinis, quas transgredi non permittas cor tuum, sed obsignatas sigillo Professionis tuæ, nunquam frangas, ast in tuto suæ observantiæ, exactè, ac integerrimè conserves. Quarto. Cella tua, in qua sepultus es mundo, proditurus ex illa in vitam æternam, sit hortus conclusus mandatô superioris, te ibi detinentis, qui Christi bonus odor es; ne illa frequenter patente exitu tuo, malè oleas scandalis ac ignominiâ foris erumpente, quæ tunc maximè fiunt perviæ, cùm cella in aperto stans, te facilè illis exponit. Et quæ concluso, ac detendo in exercitiis spiritualibus svaviter redolebat, inde emergente, propensiore ad malum omne perpetrandum reduce, contaminata sordescit. Quintò, ad Monumentum Christi omnia reflorescebant, Corpus Christi,

ſti, futura noſtræ reſurrectionis exaltatio, ibi præfloruit; ut S. Aug: in Pſalm: 28. aſſerit; Angelus Cuſtos juvenis apparet: *Imò* In Marc. cap.
(ut inquit S. Hieronymus) *quidquid vitæ eſt, quidquid reſurrectionis* 16.
& immortalitatis, præ ſe juvenis iſte ferebat. Sepulchrum Chriſti ſpeciem univerſam deliciarum, ac refloreſcentiæ animæ, pro fruitionis cupiditate, omnimodè refert; adeoque & tibi Cuſtodi Sepulchri convenit, in hac florida ac renovata ſemper munii tui forma apparere, ut ad illud, in ſtatu melioris religioſæ formæ ac decoris, continuè vireas & refloreſcas, id eſt, præ aliis profectu virtutum floreas. Taliter itaque habito ornatu, & diſpoſito ad normam Sepulchri Chriſti corde, ac te ipſo, invitare poteris Sponſum: *Veniat dilectus meus, in hortum ſuum:* qualiter omnem Chriſti amatorem invitat, allicit, perurget Sponſa Ecclesia ad adeundum, viſitandum, ſpiritualiter ac devotè conſpiciendum hortum Sepulchri Chriſti: *Veniat dilectus meus, in hortum ſuum.* Vel conſormiter ad inſcriptum Symbolum horto: *Huc corpora feſſa recurrent.*

§. 2.

Ex litera L. hi tituli glorioſi: LAPIS, LECTUS, LOCUS, demonſtrant gloriam Sepulchri Chriſti.

LAPIS.

Sentio me convenienter narraturum elogia Sepulchri JESU, ſi inconcuſſam ejus gloriam, nobilibus infundatam ſaxis cenſuero. Erexerat antiquitas ſuper tumulos lapides, non ſolùm in titulos, ſed etiam, ut immortalia facta, perennaturis cælaret incideretque ſaxis: *vel celte ſculpantur in ſilice.* Id patuit in Abſalone, teſte Sacra Job. 19.
Scriptura 2. Reg. 18. v 19. *Abſalon erexerat ſibi, cum adhuc viveret titulum,* (id eſt Sepulchrum) *qui eſt in valle Regis; dixerat enim: non habeo filium, & hoc erit monumentum nominis mei; vocavitque titulum nomine ſuo.* Factum Abſalonis imitatus eſt Joſeph Arimathæus, qui pariter, dum adhuc viveret, erexit ſibi titulum ſeu Sepulchrum de lapide, ut illud ſit monumentum nominis ſui. Sed Providentia Divina aliter diſpoſuit; nam quod Sepulchrum futurum erat monumentum nominis Joſeph Arimathæi, hoc factum eſt memoriale nominis Chriſti; & in quo Sepulchro inſcribenda erant facta

Jo-

Joseph, in eo inscripta sunt stupenda prodigia Christi, ita, ut illud
Sarbiev.lib.4. Lyric. Sepulchrum (si vocem haberet) dicere possit: *Æterna magnis inscribo saxis, discite posteri;* inscribo inquam infinitè digna merita Christi, utpote Dei hominis. Tum insigni & glorioso lapidi Sepulchri
4.Esdr.cap.5. v.5. JESU, amplius & amplius narrando porrigit impedum Esdras: *Et de ligno sangvis stillabit, & lapis dabit vocem suam, & populi commovebuntur, & regnabit.* Primis verbis mortem Christi Sangvinemque clamasse censet; secundis, lapidem Sepulchralem designat; qui tunc dedit vocem suam, dum ab Angelo quasi restitutus loquelæ, aperto ore dixit & fassus est, resurrexisse Christum. Quô audito populus Judaicus commotus est, & in varios sensus divisus est: aliqui enim Christum resurrexisse credebant, alii negabant; tandem post istam commotionem & divisionem, plurimi regnaturum Christum agnoverunt & publicè dicebant: *Regnabit.* Tum si moris Judæorum fuit, saxis insculpere, quod diuturnum esse optabant: Christus regnum suum perpetuò duraturum, inchoârat à Sepulchro; nos quia gloriam Sepulchri, durantem hucusque conservari dicimus integerrimè; memoriam illius indura materia exaratam pandimus. Ita hunc præclarum evadere, Sarcophagi Divini lapidem, ut non solùm expost, sed in tot anteactis sæculis, Christi memoranda facta notaret, & proprii encomii sibi gemma foret. Quando Jonathas occisus fuit, tunc Simon illi extruxit celebre Se-
1.Machab.13 v.27. pulchrum. *Et ædificavit Simon super Sepulchrum. Patris sui & fratrum suorum ædificium altum visu, lapide polito retro & ante.* Quando pariter occisus est Christus, tunc Joseph ædificavit illi Sepulchrum, altum visu, lapide polito ante & retrò, id est, quod non tantùm gloriosum erat post Christum ibi Sepultum, sed etiam ante Sepulturam ejus; siquidem gloriam Sepulchri JESU, præsignarunt pridem antiqui lapides veteris testamenti.

Lapis itaque hujus Sacratissimi busti, videtur fuisse expressus
Genes. 28. v. 11. in lapide, in quo Jacob Patriarcha dormivit. Quemadmodum enim Jacob Patriarcha, volens requiescere, post solis occasum, durum sibi stravit lectum & pulvinar, scilicet lapidem, quem supponens capiti suo, requiesceret; & ut advertit D. Hieronymus: *Recessit de domo nudus, recessit in virga, & statim in ipsa nocte invenit lapidem, & posuit ad caput suum.* Ita Deus Jacob, tam sole materiali vertente ad occasum, quam ipso occumbente, nudus, quia

spolia-

ſpoliatus veſtibus, in virga receſſerat; quia de Cruce depoſitus, in ipſa nocte, ſeu propè noctem, invenit lapidem, quem feſſis membris ſubminiſtravit, totque jactutus incommodis, caput in illo reclinavit. Tum ſicut Jacob, ex illo lapide manè ſurrexit; ibid: v. 18. ſic Chriſtus ex lapide Sepulchri, matutino tempore reſurrexit: Oſeæ 6. v. 3. *quaſi diluculum præparatus eſt egreſus ejus.* Ad hoc intentum Thomas Jorgius Cardinalis ait: *Dicitur in figura*, Genes: 28. *Tulit de lapidibus, qui jacebant, & ſupponens capiti ſuo, dormivit in eodem loco. De iſto loco ſurrexit Chriſtus*; aliàs, quòd fuerit figura exſurrectionis Chriſti in illo lapide. Quod approbat Carthagena: *Hoc idem nobis ad vivum exprimit, ſuſcitatus Jacob Patriarcha à ſomno, quô correptus erat, Genes: 28. Surrexit ſanè Chriſtus quaſi evigilans à mortis ſomno, quô ſopitus in SEPULCHRI lecto, per triduum dormiens jacuerat.* Et ſicut lapis Jacobi indicabat veram præſentiam Dei: *Verè Dominus eſt in loco iſto;* ita lapis Sepulchralis, Chriſti localem præſentiam clauſit. Ita ut Jacob, ſeu Canonici Ordinis Noſtri, immediatè deſcendentes à S. Jacobo, Patriarcha ac Fundatore ſuo, dicant & demonſtrent digitô ad oculum: *Verè Dominus eſt in loco iſto.* Indicat Sanutus Torſellus: *Et eùm ubique locorum devotè à fidelibus dicatur: Surrexit Dominus de hoc SEPULCHRO; devotiùs ibi à Canonicis, locô demonſtrato concinitur: Surrexit Dominus de hoc SEPULCHRO; Et in Evangelio Paſchali, conformiter Diaconus pronuntians: Surrexit non eſt hîc; digitô demonſtrat Dominicam Sepulturam.*

In verſ: 5. Pſalm. 3. fol. 24.

Homil. 2. de Reſur. lib. 14. fol. 9.

Fidel. Cruc. libr. 3. part. 7. cap. 2. n. 50.

Præterea lapis ille Jacobi erectus eſt in titulum, ita & lapis Sepulchri Chriſti. S. Petrus Chryſologus Serm. 75. de reſurrect. *Revolvit lapidem, ut idem eſſet vitæ titulus, qui acceperat mortis tenere cuſtodem.* Sive enim per titulum intelligatur inſcriptio rei; ita Cornelius à Lapide hìc intelligit; lapis Sepulchri Chriſti habuit hanc inſcriptionem: *Surrexit non eſt hîc*, quam illi Angelus ipſe, nobili charactere impreſſit. Ut Joſephus Manſi: *Inſcriptio autem hujus Epithaphii ab Angelo facta, & hiſce verbis concepta fuit*: Surrexit, non eſt hic. *Etenim oculos veſtros in Magnatum Mauſolæa injicite, ſive Reges ſint, ſive Monarchæ, in omnibus hæc verba inciſa invenietis*: Hic jacet. *At verò Sepulchri Redemptoris, hæc eſt ſingularis prærogativa, quòd de eo dicitur:* Surrexit, non eſt hic. Sive titulus hic ſignificet pyramidem, columnam, in trophæum victo-

Discurs. Exeg Tom. 1. diſcur. 6. de Sepulch. Dom.

riæ, aut insignis facinoris erectam, ut testatur S. Ambrosius de eodem Jacobo, quod mortuæ suæ Rachel, erexit pulchram columnam, in titulum singularis honoris. Sepulchri Christi lapis erectus in trophæum, S. Athanasius Archiep. Alexandr. de illo asserit: *Præstolemur quoàd videamus Christum, trophæum de hostibus suis statuentem, intueamur jam ex SEPULCHRO excitatum.* In Pyramidem ac columnam, victori ac debellatori inferni Christo; Id ipsum probat solidè ex Psalmi 15. inscriptione, Vincentius Gilbertus, Clericus Regularis: *Regius autem Psaltes, prophetico lumine præditus, prævidens gloriam SEPULCHRI Domini exercituum, qui devicta morte, superato principe, & inferno spoliato, in eo jacuit mortuus, & ex eo resurrexit triumphator & vivus; Columnam in eo erexit, elogium in illo scripsit, cum in Psalmo 15. & talem titulum proposuit: Tituli inscriptio ipsi David: Vel ex Nysseno Tract: 2. de Inscriptione Psalmorum cap: 6. Columna ipsi David: Per ea enim, quæ Theodoretus in Psalm: 15. notat; Columna non solum Sepulchris imponitur, sed vincentibus quoque erigitur, celata literis, nescientibus victoriam indicantibus.* Adeoque hic Psalmus in sua inscriptione, denotat esse columnam ipsum Sepulchrum, erectum in obtentam victoriam Christo. Hujus considerationis est Viegas: *In cujus rei typum Psalm: 15. inscribitur, apud Septuaginta Interpretes, Columnæ descriptio, ut indicetur, Christum per suam Resurrectionem, quodammodo Columnam gloriæ, & victoriæ suæ Monumentum erexisse, cui meritò potuisset inscribere: Non plus ultra.* Sive demum nomine tituli, vocetur Ecclesia: Ad exemplum enim Jacobi, primi Christiani, Ecclesias suas vocarunt titulos, & à sua Ecclesia Cardinalium vocantur tituli. Et sic Jacob vocavit: *Lapis iste, quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei.* Lapis Sepulchri Christi fuit erectus in talem titulum; tum quod Domus Dei fuerit: tum quia Imperator Constantinus, Templum augustissimum, velut trophæum victoriæ, circa salutare illud antrum extruxit. Unde idem Templum à Constantino extructum, propter suam pulchritudinem & majestatem, antonomasticè appellatum est: *Dominicum miræ pulchritudinis.* Constat ex vetusto Itinerario Syriaco. Præterea supra dictum Templum Resurrectionis, dicebatur: *Bethel*; teste Conrado Hietling. Præsertim cùm erectio lapidis in titulum, juxta Nicolaum de Lyra hic, facta fuit insignum rei futuræ, seu fundationis templi & passio-

Petrus Lüll. in declar. folii tituli.

Serm. in S. Parasc.

In Cæli Davidici variis versionib.

Comment. in Apoc. cap. 3. Sect. 4. fol. 189.

Vers. 22.

Manuduct. libr. 2.

passionis Christi; adeoque in fundamentum, hic lapis positus fuit, futuri Templi S. Resurrectionis. Tum, si tituli nomine, etiam Religio venit, ac sacrum Institutum Ordinum; futurum erat, quod Jacob, seu Jacobus Minor, Apostolus, visa scala scilicet Cruce Christi, posito lapide super Sepulchrum ejus; hisque peractis, erecturus erat lapidem in titulum, id est fundaturus Religionem, ac Institutum Regularis Ordinis, qui in Ecclesia Resurrectionis, votis obstrictus offerret Sacrificia, & ibi in loco Divino, perpetùo famularetur. In illa enim scala, juxta Lyranum, Religionis altitudo intelligitur; congruè Religio à S. Jacobo fundanda notabatur, cujus ex ratione votorum finis sit, altissimos spiritualis profectûs, gradus, tanquam sublimes ascensiones, in corde suo disponere, & penes has, humilitatis infimum gradum tenere; ideo Religiosorum speciem gerebant Angeli ascendentes & descendentes. Et quia hæc scala, juxta Cornelium hìc, figura fuit Crucis Christi, & quidem duplicatæ, (utpote ex duobus lateribus constituta) ac rubricatæ, nimirum sangvine lateris Christi, rectè Religiosorum talem gerentium ab uno latere, tessera fuit. Soporifera verò super lapidem capitis Jacobi reclinatio, species fuit professionis, ac vocabuli, locique designatio dictorum Religiosorum, quod hi, Duce S. Jacobo, ad lapidem Sepulchralem Christi Domini, vigiles Custodes collocati, ad illum habebunt suum reclinatorium ac Ecclesiam, mentemque ac cogitationem, cultui Sepulchri Christi adhærentem, ratione cujus ex illo lapide, visuri sunt scalam virtutum, & ascensum ad superna.

Deinde, sicut lapidem illum unxit Jacob, fundens oleum desuper, quæ unctio significabat consecrationem, ut inquit Abulensis; *Inunxit, eumque inungendo, Deo quasi consecravit*; illoque lapide, quasi altari consecrato usus est. Lapis Sepulchri Christi, fuit Divinitate delibutus; sacratus morte Christi, unctus svavissimo Nomine JESU; unctus oleo lætitiæ & exultationis, præ omnibus aliis, particeps tanti doni factus, Deo specialiter deputatus ac consecratus, fuitque altare Dei. Sanctus enim Ambrosius libr. 2. de Sacr. dicit: *Quid enim est altare? nisi forma Corporis Christi*, quam de integro in sua consecratione, expressit lapis Sepulchri Christi: sicut dicit Hieronymus Natalis: *Consecratus enim erat ille locus* (scilicet Sepulchri) *Corporis Christi præsentiâ, & tactu sensum induerat, &* In Adnotat. de Chr. Resurr. fol. 430.

 refere-

referebat totius Corporis Christi effigiem; itaque non tam saxum est, quam expressio quædam Corporis Christi sepulti. Tum quòd in Ecclesia S. Salvatoris Hierosolymis, est lapis ille magnus valde, quem ab Angelo legimus revolutum à monumento, & est hodie mensa altaris magni, in eadem Eecclesia; ut dicit Breyndenbach. Tandem sicut Jacob in illo lapide, redux ex Haram, votum suum
vers. 20. explet: *Votum vovit Domino*; ita S. Jacobus Minor, Patriarcha Ordinis Nostri, & semen ejus, hoc est Canonici S. Sepulchri, redeundes ex Haram, id est ex mundo: Haram enim interpretatur: *destructus*; significat mundum depravatum, destructum moribus; reddunt vota sua Domino in hoc lapide Sepulchri; hoc est vota professionis Religiosæ: *Vota mea reddam Domino, in atriis Domus Domini*, id est in Sepulchro Christi, in medio Jerusalem sito. Reddunt ac reddebant vota omnes mundani Principes, Reges & Potestates. Demum, ut dicunt Hebræi hic, apud Nicolaum de Lyra, quòd acceperit tres Jacob lapides, & quando evigilavit, invenit quod illi tres lapides, facti erant unus lapis; & propterea dicitur: *Tulit lapidem*: & dicunt, quod fuit in signum Unionis in Christo scilicet Corporis & Animæ & Deitatis in unitate Personæ; quia scilicet cum Christus evigilaturus est de Sepulchro, hæc tria, (quorum unum tantum, nempe anima separata erat) permanente conjunctione, unus Christus, verus Deus & Homo, factus est vivus. Vel etiam tres Ordines deputatos, pro honore S. Sepulchri, in unum convenire, sive unum habere Institutum sub nomine Sancti Sepulchri; Sive in lapideo Sepulchro Christi tria insimul fuerunt expressa mysteria; mors, Sepultura & resurrectio Christi.

Figura hæc firmatur Authoritate Pauli de Palacio, quâ priùs
InMatth. cap. 27. suppositâ, alludit his verbis: *Fugiens Jacob fratrem suum Esau, venit ad quendam locum, in quo quiescere voluit; fugiens Christus à Judæis, venit ad Crucem & ad Sepulturam, ubi dormire volens, Sepulchrum in lapide secto delegit: Super lapidem caput reclinans in eo somno, scalam ipse fecit, ex inferno ad SEPULCHRUM, & è SEPULCHRO in cælum. Per eam scalam Angeli descendebant, & animæ sanctæ festivissimè ascendebant. Cum igitur Christus à somno evigilat, fatetur in eo loco jacuisse Deum, eundemque in carne resurrexisse. Quod vero LAPIS SEPULCHRI sit erectus in titulum, præsens experientia testa-*

testatur: lapis enim Monumenti, Ara est etiam nunc, super qua Sacrificium Domino celebratur.

Lapis Smaragdus, inter quatuor ordines lapidum, connumeratus in rationali judicii, ut habetur Exod. 28. v. 17. Hi enim lapides, ut fuerunt figuræ variorum mysteriorum, futuri Messiæ Christi Domini; ita hic lapis Smaragdus, fuit repræsentatio Sepulturæ Christi. Sepulchrum enim Christi, est rationale judicii, quatenus non procul ab illo, erit illud universale omnium hominum judicium: Adrianus Lyræus in elog. Sepulchr. Christi inquit: *Time! propè Tumulum Tribunal erit. Ubi jacet reus mortis, vita Judex sedebit.* Et de Regno Hierosolymitano Author quidam scribens dicit: *Hierosolymis Venerabile SEPULCHRUM Domini conspicitur, quem nobiscum fatentur, in hac regione extremum habiturum judicium.* Lapidi Smaragdo, Sepulchri Christi lapidem comparat Michaël Aygvani; *Nam, ut dicit Isidorus libr. 16. hic lapis à Gryphis eripitur, & ne possent Smaragdi incopia inveniri, Gryphorum immanitate, visus hominis impeditur. Sic & Christus Dominus occultabatur in SEPULCHRO tumulatus, quia Sepultus. Ubi nota, quòd Gryphi habent corpus Leonis, alas & plumas aquilæ. Quid autem per Leonem, nisi Christum intellige, qui est Leo de tribu Juda, quid autem per aquilam, quæ teste Job: In petris manet; nisi SEPULCHRUM Christi, in petra excisum designatur? Sic ergo in Grypho corpus Leonis sub alis Aquilæ absconditur, ad significandum Christi SEPULCHRUM; ubi verus Leo Christus sub alis Aquilæ, id est lapidei Sepulchri fuit absconsus.* Hic ergo doctissimus Commentator, suæ expositione Psalmi, instituit comparationem Sepulchri Christi cum lapide Smaragdo: quòd sicut hic sub tutela Gryphorum manet, sic & Sepulchrum sub præsidio Christi, quod illum texit; adeoque ex consequenti, lapis Smaragdus in rationali existens, indicare videbatur Sepulchrum Christi, quod licet communi illi fuerat stabilitum saxo; hoc tamen solium Divinæ gloriæ, signabant grandes, viridi cum luce Smaragdi. Tum sicut ille lapis, fuerat sculptus nominibus duodecim tribuum, vel annuli sculptura, ut Exod. 28. v. 21. dicitur: *Cælabuntur singuli lapides nominibus singulorum per duodecim tribus.* Hebraice: *Sculpes eos sculptura sigilli, secundùm nomen suum.* Chaldaicè verò: *Sculpes eos sculpturâ distinctâ, sicut scriptura annuli.* Sic Sepulchrum Christi fuit sculptum & signatum annulô, habuitque insculpta

Libr 7. cap. 3. fol. 554. de imit. Chr.

In Exposit. super Psal. 49. fol. 375. num 812.

Apocal. 5.

Cap. 39.

 sculpta

SuperPsal.20. sculpta duodecim nomina duodecim Apostolorum, qui juxta Hugonem Cardinalem, exprimuntur in illis lapidibus duodecim, quos gestabat Summus Sacerdos in rationali: Testatur enim Hietling: Manuduct. 10 lib.2. fol.184 *Sanctissimum SEPULCHRUM situm est in medio, rotundo Mosaico labore, in circuitu parietum, exprimens imaginem Apostolorum.* Vel si, In Commentar. illust. fol. 439. referente Sophranis, putant aliqui, in illis gemmis filiorum Jacob, non tam nomina singulorum inscripta, quam insignia & gentilitia stemmata designata; In Sepulchro Christi, & S. Jacobus Minor, & filii ejus hoc est Successores Sancti Episcopi Hierosolymitani, ac Canonici S. Sepulchri descendentes succesive, sua nomina Sepulchro Christi insculpserunt. Nomina enim bene meritorum; ut te- In Schediasm. Sacroproph. libr. 6. cap. 12. num. 64. statur Aloysius Novarini, de Domini Sepulchro; in tabulis quibusdam, in Sepulchro Domini asservari consvetis, conscribi solita, videtur colligi ex Sophronio Patriarcha, non illo vetere, sed recentiore, qui Manueli Imperatori scribens ait: *Scripsimus nomen Dominationis tuæ, in Sanctum & vivificum SEPULCHRUM Domini Dei Nostri.* Idem asserit & Jacobus Gretser, in 2da part. Hort. S. Cruc. fol. 134. Beda & Gregorius super hunc locum apud Glossam dicunt, nomina Patrum & Patriarcharum, fuisse in lapidibus sculpta. Talia præclara nomina Patriarcharum, & aliorum Sanctorum Patronorum Ordinis Nostri, ac Patrum bene meritorum, in lapide Sepulchri insculpta: Item insignia sive stemmata hoc est gentilitia signa passionis, scilicet S. Jacobi pertica, S. Simeonis Crux, S. Qviriaci crates, S. Maximi compedes, S. Anastasii gladius, S. Stephani Ecclesiæ Hierosolymitanæ Diaconi lapides, in lapide Se- Libr. 5. de gest. Longobard. cap. 34 pulchri censeo designata ac exarata. Testatur Paulus Varnefridus, Diaconus Forojuliensis, quòd Longobardis in bello extinctis, consangvinei eorum in sua Sepulchra, perticas figere consveverant. Inquit Paulus Diaconus libr. 5 histor. Longobard: *Si quis autem in bello extinctus fuisset consangvineus ejus in Sepulchro suo perticam figebat.* Novimus bene S. Jacobum Minorem, Episcopum Hierosolymitanum, Patriarcham Ordinis Nostri, in bello pro fide Christi suscepto occubuisse perticâ; usum legis nominatæ, transferamus ad observationem nostram. Hanc gentilitiam perticam, insigne ejus Martyrii, nos descendentes, non alibi figimus, nisi in Sepulchro Christi, quod ejus & nostrum est. Et sicut hujus Sancti Apostoli, ita omnium duodecim Apostolorum, ac cæterorum Hieroso-

soly-

ſolymis, ac in tota Palæſtina occumbentium pro Chriſto Martyrum, paſſionis eorum inſignia ac ſtemmata, huic Sepulchrali Chriſti, quod in pectore gerebant, inſculpo, infigo, ac exaro lapidi.

Lapis Sepulchri Chriſti fuit figuratus in illo lapide Joſue, de quo ibidem: quòd cùm percuſſiſſet fœdus, & propoſuiſſet populo Cap.24. v.27
præcepta, atque judicia Joſue, ſubdit Scriptura: *Tulit lapidem prægrandem, poſuitque eum ſubter quercum, quæ erat in Sanctuario Domini; & dixit ad omnem populum: Et lapis iſte erit vobis in teſtimonium, quod audierit omnia verba Domini, quæ locutus eſt vobis, ne fortè poſtea negare velitis, & mentiri Domino Deo veſtro.* Joſue eſt Chriſtus JESUS, qui tunc fœdus pepigit, dum extenſis manibus in Cruce, Deum nobis reconciliavit; propoſuit præcepta populo, novam legem gratiæ ſanctificantis inſtituens, & ſimul judicia; omne enim pater dedit Filio judicium: & Eccleſia in Feſto S. Crucis, legit Evangelium: *Nunc judicium eſt mundi.* Tulit tandem lapidem prægrandem, id eſt lapidem Sepulchralem; hic enim fuerat lapis grandis. Lapis hic eſt poſitus ſubter quercum, id eſt proximè ad lignum Crucis cujus materia erat quercus. Locatus in Sanctuario Domini, id eſt in Eccleſia S. Sepulchri. Et iſte lapis eſt in teſtimonium, quod audierit verba Domini; id eſt receperit ſub ſe Verbum Domini; id eſt Filium Dei, unitum Corpori. Idque lapis Sepulchri Chriſti, eſt teſtis tam mortis, quàm reſurrectionis Chriſti. Advertit enim S. Chryſologus, quòd lapis Sepulchralis in Evangelio, dicatur ad oſtium monumenti, & obvolutus & revolutus, per quod mortem repræſentat, & vitæ titulus apparet.
Beatus LAPIS, qui Chriſtum & revelare meruit & velare; beatus, qui Serm. 74. de
non minus corda aperit, quàm SEPULCHRUM; Beatus, qui dat re- Reſur. Dom.
ſurrectionis fidem, fideique reſurrectionem; qui Divinam Carnem reſur- n. 12.
rexiſſe teſtatur. Proinde viſo illo lapide, nemo negare poteſt, Deum reſurrexiſſe, cùm hic lapis falſo mendacio, ac ſiniſtræ negationi tam mortis, quàm Reſurrectionis Chriſti, obruat viam, factus doctrinæ Chriſtianæ firmamentum. *Propterea revolutus LA-* idem Scholion
PIS ab oſtio Monumenti, Diſcipulos in fide Reſurrectionis Chriſti con- in Serm.
firmavit, inquit idem. Et Serm. 77. de reſurr: in hæc verba: *Sedebat ſuper eum,* ait: *Deſtructam eſſe mortem, cæleſtis miniſter officii, talis ſeſſionis ſuæ declarabat indicio, & eſſe Deum, qui paſſus eſt; Deum, quem habitu ſuperno, ſic reſidens teſtabatur aſſertor.*

Lapis Sepulchri fuit ille lapis, in quem depoſita fuit Arca 1. Reg. cap. 6. v. 14. Arca enim, Corpus venerabile Chriſti oſtendit; Tertullianus canit; Ager Bethſamithæ, in quo locata fuit Arca, eſt Ager Joſephi ab Arimathæa. Joſue enim Bethſamita binominis, ſignificavit Joſephum ab Arimathæa. Et ſicut Joſue, cujus erat ille Ager, *reputatus eſt à Deo, vir juſtior cæteris*, inquit Abulenſis; ita Joſeph ab Arimathæa, in cujus Agrum Arca Corporis Chriſti introducenta erat, præ cæteris Synagoge viris, dicitur juſtus. Tum ille Ager erat primus locus in terra Iſràël; ita Ager Joſephi ob depoſitam in illum Arcam Corporis Chriſti, principatum inter alios omnes obtinuit. Levitæ deponentes Arcam, id eſt Corpus Chriſti fuerunt, Beatiſſima Virgo cum aliis mulieribus, Joſeph & Nicodemus, qui hanc Arcam depoſuerunt de plauſtro, id eſt de ligno Crucis, *& poſuerunt ſuper lapidem grandem*, id eſt ſuper lapidem Sepulchri; hic enim fuerat magnus & grandis, qui vix à viginti hominibus moveri poſſit; teſte Ludolpho de vita Chriſti. Et S. Chryſologus de illo inquit: *Planè magnus & magnus valde, & plus jam magnus meritô, quam formâ, qui Creatoris mundi Corpus, claudere & operire ſuffecit.* Deinde Hebræi, teſte D. Hieronymo, Dionyſio Carthuſiano, hunc lapidem exiſtimant, fuiſſe quandam Aram, olim à Patriarcha Abraham ædificatam: Et Mendoca ſentit, hanc illam ipſam, quam ædificavit, filium ſuum immolaturus. Hic ipſe lapis, in quo, ſeu ſub quo depoſita eſt Arca Corporis Chriſti, pro altari deſervit, in quo celebratur, & immolatur Iſaac, Chriſtus Dei Filius; Scribit Burchardus: *Lapis enim fuerat advolutus oſtio interioris ſpeluncæ, cujus una pars, translata eſt in montem Sion, ut ſup rponeretur Altari; quam quidem partem, & ego ibidem vidi.* Et recentior Quareſmius in Elucidat: Terræ Sanctæ: *Lapis Monumenti, eſt in monte Sion, ſupra Altare collocatus, ubi Omnipotenti Deo incruentum Sacrificium offertur, magnus valde & durus; particulæ namque ex ipſo, nonniſi cum magna difficultate abſcinduntur.* Itaque Honorifica fuit mentio hujus lapidis, quia fuit myſterio Sepulchri Chriſti venerabilis.

Lib. 4. Carm.

Part. 2. Cap. 71.

Serm. 82. de Reſurr. num. 7.

Tom. 2. Cap. 12. libr. 5.

Lapis Sepulchri Chriſti, lapis adjutorii, de quo 1. Reg. cap. 7. v. 12. *Tulit autem Samuel lapidem unum, & poſuit illum inter Maſphath & inter Sen; & vocavit nomen loci illius; Lapis adjutorii; dixitque: hucuſque auxiliatus eſt nobis Dominus.* Lapis Sepulchralis Chriſti, fuit,

fuit *imo* unus; hæc enim verba: *Monumentum in petra excisum*, sic multi Interpretes legunt; *ist est uno lapide, secundùm quantitatem hominis concavatum.* Fuit item unus; quia quicunque lapides dicuntur pretiosi & æstimantur, magnisque opibus comparantur, illis omnibus præponderat lapis Sepulchri Christi; unde illi inscribo lemma: *Lapis omnis clauditur uno.* *2dò*, fuit positus inter duos terminos, qui termini juxta Glossam, medietatem Salvatoris adnotabant, Sepulchrum ejus fuit in medio terræ, in corde enim terræ, & in medio terræ, idem prorsus est, juxta Gabrielem Acosta Commentar. in Genes. fol. 121. Et Georgius Venetus refert, in Ecclesia S. Sepulchri esse lapidem, in quo legisse, se idem affirmat id, quod scriptum in illo: *Hic est medium mundi.* Item inter duos terminos, hic lapis positus; id est inter custodiam, quæ erat in duplici ordine: Custodes enim à Judæis destinati fuerunt, & boni & mali; tum inter custodiam modernam, Christianorum & Infidelium. *3tio*, Josephus apud Glossam hîc dicit: quòd Samuel lapidem adjutorii fixit, velut terminum victoriæ & hostium fugæ; eumque lapidem *fortitudinem* appellavit, qui Hebræis signum esset, Divini solatii contra hostes adhibiti. Sic Samuel Christus, positus à Deo Patre in Sepulchro, (Samuel enim in indice interpretationum, ad finem Bibliorum interpretatur: *positus à Deo*) lapidem Monumenti fixit, velut terminum victoriæ; manet enim hucusque pro trophæo reportatæ victoriæ, & in postera sæcula retinebitur. In Codice Bovarico, in revelatione de Sepulchro notatur. *Et est SEPULCHRUM ejus gloriosum; quia locum, in quo regnum mortis diruit, palmæ perennis indiciis memorabilem servavit.* Et simul terminus hostium fugæ; à Sepulchro enim Christi in fugam versi custodes; dæmones fugati toties; inimici peccatores repulsi. Quod ipsum probatur illis verbis Psalmi 56. *Misit de cœlo & liberavit me, & dedit in opprobrium conculcantes me.* Super quæ commentatur Aygvani: Misit de cælo, & liberavit me, *ut sit sensus: Pater liberavit me, scilicet à morte resuscitando; quô factô, statim misit de cœlo, scilicet Angelum, Resurrectionem factam prædicantem, & milites custodes Sepulchri exterrentem. Et ipse Angelus dedit in opprobrium conculantes me; conculcabant enim illi milites Christum; quia supra Christi Sepulchrum jacebant, qui ad vocem Angeli, ut in opprobrium dati fuerunt,* ut dicitur Matth. 28. *Præ timore autem ejus exterriti sunt custo-*

Tom. 3. Sect. 5. problem. 178.

fol. 359.

Comment. super Psalm. fol. 447.

custodes. Ex cujus versus explanatione patet, lapidem Sepulchri, esse lapidem adjutorii; seu quia in illo manet beneficium Dei præstitum Humanitati Christi: scilicet liberatio illius ex Sepulchro, & simul signum victoriæ, per terrorem ac fugam hostium. Est item *fortitudo*, quia mortem in illo, quâ nihil potentiùs, Salvator debellavit, ac in illo, velut lydio lapide, fortitudinem suam probavit; & tam fortis fuit, ut nisi illum cælica vis, valeret amovere. Et de illo Psalmo 17. v. 30. dicitur: *Quoniam in te eripiar à tentatione; & in Deo meo transgrediar murum.* Quem versum sic Quaresmius de fruct. Sacr. Vulner. ad Sepulchrum Christi applicans intelligit: *Verè Christus Dominus, qui in sua passione fuit per omnia tendatus, ut S. Apostolus dixit:* fuit à pœnarum tentatione, *erutus Dei virtute, & eadem transgressus est murum, rupem scilicet Sepulchri; quia nec apertum, nec disruptum fuit, ut exire possit; sed virtute Divinitatis, per dotem subtilitatis, illæso permanente, penetravit & transgressus est.* Si itaque Samuel, quia totam illam victoriam in Deum referebat, lapidem illum vocavit adjutorii; ita pariter, quia Humanitas Christi, ut ex his propheticis locutionibus constat, victoriam obtentam ex loco Sepulchri, attribuit Patri æterno, ac ejus auxiliaribus suppetiis, indivisim tamen procedentibus à Verbo Divino, poterit omnimodè hoc imponi nomen Sepulchrali saxo: *LAPIS ADJUTORII.* In eo enim trophæo Humanitas non suas, sed divinas virtutes prædicavit. Imò universi mortales, cum Samuele dicimus adstantes Sepulchro: *huc usque auxiliatus est nobis Dominus*; id est vel quia Deus à Sepulchro portendit nobis, omnia auxilia salutaria; ex Sepulchro enim, initium factum, novæ applicationis, meritorum Christi passionis. Vel quia tunc Deus vel maximè auxilium suum præstitit, cùm nobis vitam ex Sepulchro immortalem exportavit: Unde hic lapis est titulus auxilii, & adjutorii Divini, tam Christo, quàm nobis per illum.

Cap. 1. Sect. 5.

Tum ex eo lapis adjutorii seu auxilii, quatenus ex Sepulchro, illa Psalmi 21. verba: *Tu autem Domine ne elongaveris auxilium tuum à me*, directa erant ad Deum Patrem, ut illi præstet auxilium, ut non derelinquat Corpus jacens in Sepulchro; Sic enim illa explicat Titelmannus: *Tu verò Deus Pater meus, qui non relinquis me solum, qui mecum semper es, ne mihi nunc in Sepulchro posito deneges AUXILIUM tuum, postquam ab omni humano & temporali destituor:*

In Elucidat. Psal. fol. 42.

Sed

Sed aſpice ad defenſionem & liberationem meam, ut me in morte non derelinquas, neque in inferno neque in Sepulchro, quemadmodum iſti opinantur, ſed ut ad vitam poſt triduum quantocyus reſuſcites. Dum ergo Chriſtus auxilio Deitatis identicæ & Patri, liberatus eſt è Sepulchro, lapis ille Divini adjutorii, auxilii & fortitudinis ſignum extitit. Tum quòd Sepulchrum idem fuit lapis adjutorii, fugæ hoſtium, & victoriæ Chriſtianorum, conformiter ad illud factum, quod deſcribit Joannes Geerbrandus Lendenſis, in Chronic. Belgic. quòd Comites Flandriæ, Hollandiæ, Hannoniæ, aliique præclariſſimi viri versùs Accon Civitatem, pugnantus cum Saracenis, venientes ad ſtationem ſui exercitus, implorabant Divinum auxilium, flexis genibus, & Beatam Virginem MARIAM cum Sanctis omnibus, & ſano conſilio ordinaverunt, quòd omnes Chriſtiani clamarent: *Adjuvet nos Deus, & Sanctum ejus SEPVLCHRVM!* & prælió inchoató, pugnaverunt continuè per tres horas, & Chriſtiani corde orabant & ore clamabant: *Adjuvet nos Deus & Sanctum SEPVLCHRVM ejus*, quó adjutorió Dei, omnes Saracenos devicerunt. Quod probat & illud exemplum à Cæſario in hiſtoria memorabilium libr. 10. cap. 12. adductum. Cum peregrini in prima expeditione obſiderent Civitatem Accon, contigit quadam die ut egreſſi Saraceni, manu violenta, propellerent Chriſtianos in caſtra ſua. Erat autem tunc miles quidam, nomine Theoricus, pater Domini Canonici de Rulant, is adeo infirmabatur, quod in lecto ſuo non per ſe, ſed in linteamine vertebatur. Hoc audito ſtrepitu & fragore fugientium, interrogavit: quid hoc eſſet? & cum audiſſet rem, juſſit ſibi afferri arma ſua, & ſe armari in lecto ſedendo. Tandem accinctus enſe, juſſit ſe levari ſuper equum ſuum, in eadem infirmitate, acceptâque lanceâ exivit dicens: *Deus adjuva me & Sanctum Sepulchrum*, qui tantâ vehementiâ prorupit in Saracenos, tranſiens & circumgirans, quòd omnes Chriſtiani confirmati & confortati ſunt adeo, quod ejecerunt hoſtes à caſtris ſuis. Quo facto, rediit ad lectum, & tertia die mortuus eſt. Ecce Sepulchrum Chriſti lapis adjutorii, fixus à Chriſtianis in ore & corde, pro fuga hoſtium & termino victoriæ.

Libr. 18. cap. 18. fol. 168.

Lapis Sepulchri, eſt ille lapis Davidis, quem elegit de torrente, *& tulit unum ex aliis, & percuſſit Philiſthæum in fronte, & infixus eſt lapis in fronte ejus, & cecidit in faciem ſuper terram*: Chriſtus

2. Reg. cap. 17. v. 49.

ftus enim, qui nomine Davidis, fignificabatur, defcenfurus ad pugnam, humiliatus in carne, flocci habitus, affumpfit varia media & arma, nunc peram, fcilicet Humanitatem; nunc fundam, id eft funibus peccatorum circumplexus, fuftibus cæfus; nunc baculum, id eft Crucem, quibus debellaret Philifthæum diabolum; tandem inter hæc, elegit & lapidem Sepulchralem de torrente Sangvinis fui, Hierofolymis, & in Monte Calvariæ effufi. Hoc ergo lapide Sepulchrali percuffit Philifthæum in fronte, id eft fuperbum & elatæ mentis diabolum, illô contrivit, & ad ima ufque terræ proftravit; ita, ut de illo dicatur: *Prævaluit David adverfus Philifthæum, in funda & lapide*, id eft Chriftus adversùs diabolum, & illius cohortem, agmenque Judaicum, in funda, id eft Humanitate; baculo fcilicet Cruce, & lapide Sepulchrali prævaluit, confringens, conterensque caput fuperbi Goliath. *Lapis*, (id eft Sepulchri; de eo enim S. Cyrillus Hierofol. ait Catech. 13.) *offendiculum Judæis, & lapis falutaris credentibus.* Hoc certamen tam præclarum ac celebre, & infignem ex lapide reportatam victoriam, ipfe Lapis Sepulchri demonftrat. Primò enim *Lapis ille ad MONUMENTUM nimis magnus pofitus*, juxta Haymonem Epifcopum, indicabat obligationem originalis peccati, quæ tam dura & indiffolubilis fuit, ut nullus (excepto Chrifto & Beatiffima) tam juftus fuiffe legatur, qui fit ab illa liber; adeoque indicabat illud bellum, ortum inter Philifthæos & Ifràélem; id eft inter diabolum & homines, ex peccato originali proveniens: quod tam durum ac potens fuit, ut nullus ex caftris Ifràélis, id eft purorum hominum fuiffe legatur, qui contra Goliath, illum virum fpurium, de Angelicis caftris Luciperum, valeat prævalere. Elegit fe David Chriftus, in affumpta carne humana, tulit unum lapidem Sepulchri, & aliquantifper fe circumducens, hoc eft infernum circumiens, hoc eodem lapide illum debellavit. Quod victoriofum facinus, indicavit illa feffio Angelica, fupra lapidem Sepulchri, ut ex eodem patet dicente:

Homil. in die S. Pafch. fol. 258.

Ibid. fol. 260. *Et ut inimicum humani generis perfectè à Domino fuperatum declararet, non ftans, fed fedens Angelus, fuper SEPULCHRUM apparere voluit: Sedet enim Rex in throno gloriæ fuæ, miles autem poft victoriam quiefcit: quia ergo Dominus caput antiqui ferpentis contriverat, omnesque electos Dei, de ejus poteftate liberaverat, rectè teftis Refurrectionis ejus non ftans, fed fedens in MONUMENTI lapide apparuit.* Sedit Ange-

lus

lus in lapide Sepulchri, velut in ſigno & inſtrumento bellici ſtratagematis, quo ſuperatus & contritus eſt diabolus, in illo decla ans victoriam, & glorioſum triumphum Chriſti.

Lapis Sepulchri Chriſti, eſt figuratus inter illos lapides, de quibus Propheta dicit Pſalm. 101. v. 15. *Quoniam placuerunt ſervis tuis, lapides ejus.* Lorinus hunc verſum Pſalmi, intelligit de locis Sacris Palæſtinæ, quæ placuerunt ſervis Chriſti, per hoc, quod ea viſitabant. Et hanc fuiſſe cauſam Petro Anachoretæ, aliisque plurimis viſendi loca Sacra Palæſtinæ: Hoc enim verſu Pſalmi, argumentum ſingularis amoris, & pietatis erga Templum Dei, & loca Chriſti, exprimitur, ut ipſamet rudera, lapides, placeant ſervis ejus, & quadam commiſeratione commoveant. Hoc facit quivis alius ſincerus amor in alium, ut quem amat, etiam locum ejus, domum, contempletur cum magna lætitia. Itaque tunc placuerunt, ſive loquendo de futuro, juxta Metaphoram, placebunt ſervis tuis Chriſte lapides ejus, quando ii in conteſtationem ſingularis ſui erga te amoris, venient ad contemplandum & videndum, cum magna lætitia, Sepulchrum tuum in lapide & petra fundatum. S. Hieronymus dicta verba legit, apud eundem Lorinum: *Quoniam placitos fecerunt ſervi tui lapides ejus*; Alii: *complacuerunt*; *voluerunt*; *dilexerunt*. Arnobius & Caſſiodorus: *beneplacitos habuerunt, ſervi tui lapides ejus.* Omnis hæc lectio futuram deſignabat pietatem Servorum Chriſti, qui tunc, dum Sepulchrum Chriſti intendebant viſitare, ſive viſitarunt, nimis placens fuit hic illis locus, nimis complacuerunt, voluerunt, dilexerunt, & beneplacitum habuerunt lapidem Sepulchri Chriſti; prout id conſtabit ex illo Capite & Paragrapho, in quo referentur Sancti, aliique Servi Dei, viſutantes S. Sepulchrum, & ibi palam patebit veritas hujus prædictionis, quoniam placuerunt Servis tuis Chriſte lapides Sepulchri tui; ſive ibi, ubi oſtendetur, Sepulchrum Chriſti eſſe glorioſum, ex erectis Eccleſiis; Capellis, Monaſteriis, in honorem S. Sepulchri; item ex reliquiis.

LECTUS.

Tam ſibi intimè conveniunt, lectus & Sepulchrum, ut de ſe ad convertentiam dici poſſint. *Lectus enim Tumuli, mortis imago, ſopor.* Et Sepulchra, in quibus corpora noſtra, tutiſſima ſede requi- Homil. 1.

quiescunt, lecti sunt; juxta S. Maximum. Christus duos habuit lectos, unum in Cruce ligneum, alterum in Sepulchro lapideum, ut dicit Thomas Jorgius S. R. E. Cardinalis Sabinensis, uterque conspicuus, Christo conveniens. Primus, quia de illo scribitur 2. Reg. cap. 23. *Ipse est quasi tenerrimus ligni vermiculus*; jam autem vermiculus ligni non quiescit, nisi in perforato ligno. Durus hic lectus fuit Christo, quia ferreus, ut Deutor. 3. *Monstratur lectus ejus ferreus.* Secundus naturâ lapideus, similiter conveniens Christo. Tum quia lectus requiei locus est, ibi infirma lassaque consveta sunt membra requiescere; ut dicit Divus Aponius in Cantic. Christus, qui infirmitates nostras portavit, lassusque in opere redemptionis, fatigatus in supportandis, pro sceleribus nostris, doloribus, membris suis requiem in Sepulchro constituit. *Excubat in dura, corpore fessus, humo.* Verè hoc, quamvis durum, mollè tamen stratum, in quo etiam inter injurias, svaviter Sanctæ quiescunt animæ. Tum quia Christus, tanquam minimus terræ, ob suam humilitatem, sapientior tamen cunctis sapientibus, de se dicit: *Lepusculus, qui in petra cubile suum locat.* Tum quia strenui ac probi milites, respuunt molles lectos; Christus Victor surgit è Tumulo. Tum quia (ut Cornelius à Lapide dicit:) duri & lapidei lecti, sunt gymnasia & palestræ roboris & virtutis; Christi Sepulchrum lapideum, schola probati roboris, virtutis Divinæ, ac fortitudinis. Et tali titulo salutat Sepulchrum Germanus, Patriarcha Constantinopol: *O LECTULE! in quo Rex gloriæ requievit, reclinans sponte suum caput, lubensque dormivit vitalem somnum, qui & somno sopitus, pervigilem illum hostem evertit, spoliatis inferorum regnis.* Et Æneas Sylvius Cardinalis, Senensis, & post Pius II. Papa, in Expeditione persvadente contra Turcos, scribit: *Officinas nostræ salutis Mahometus obtinet, Sacrosanctum Domini SEPULCHRUM, lectumque illum veneratione dignissimum, in quo propter nos vita nostra obdormivit in Domino, Saracenorum impuræ manus contrectant.*

Comment. super Psal. 3. v. 5. fol. 24.

Proverb. 30.

Super Gen. cap. 28. v. 11.

Orat. in Adorat. Cruc. temp. jejun.

Sepulchrum Christi est lectus Eliæ, in quem posuit filium mulieris, matrisfamilias Sarephtanæ, ut illum suscitaret ad vitam. Christus Dominus Naturam humanam, mortuam resuscitaturus, posuit in lectum Sepulchri. Elias *mensus est super puerum tribus vicibus*; quâ mensurâ trinâ, significavit spatium temporis trium dierum,

2. Reg. cap. 17. v. 19.

dierum, collocationis Christi in Sepulchro, eô intervallo *anima pueri reversa intra eum*, id est ad Corpus Christi anima, & revixit Corpus: Ita Petrus de Natalibus, Episcopus Æquilinus: *Elias filium Sarephtanæ viduæ, super ejus lectum positum, à mortuis resuscitavit: Elias autem, qui interpretatur, Deus meus, significat Deum Patrem, qui Filium suum in Cruce mortuum, in SEPULCHRI LECTULO collocatum, à mortuis excitavit.* Lib. 4. de Resur. Dom. fol. 66.

Sepulchrum Christi est lectulus floridus. Quod Sponsa de suo, hoc Canonici S. Sepulchri, de nostro dicamus lectulo: *Lectulus noster floridus.* Per hunc enim lectulum floridum, Domini Sepulchrum interpretatur D. Aponius, dum ait: *LECTUM namque floridum, id est Sparsum floribus, ubi ejus pulchritudinem decoremque in omnibus membris agnovit, SEPULCHRUM Domini, per ænigmata ab Ecclesia intelligitur dictum; floridus autem lectulus, justa ratione prædicatur, in quo aromata vel aloë, quæ de multis speciebus herbarum, succis, vel floribus, arte pigmentaria composita, cum Christi Corpore intromissa sunt, quibus, eo resurgente, SEPULCHRUM est aspersum.* Isidorus à S. Ægidio, in Corona Mariana: *MONUMENTUM Sponsi cælestis, LECTUS ejus floridus est.* Ulber super hæc verba Canticorum, ita habet: *LECTULUS dilecti SEPULCHRUM est, quô per passionem fuit reconditus; quia ideo floridus, quia ex hac Sepultura, effloruerunt gloriosæ resurrectionis insignia.* Tum quia flore Nazareno sparsus & ornatus. Tum quia non generant similes, Pæstana rosaria flores, quales Sepulchrum Christi germinavit. D. Ambrosius ait: *Sanè conveniens erat, ut flos iste pretiosus ex SEPULCHRI hortulo gigneretur; & Salvator reassumeret Corpus redivivum. Ergo in hortulo vivum Corpus reassumit, & inter florentes arbores, & candentia lilia, mortua ejus Caro jam reflorescit; & ita germinat de SEPULCHRO, ut germinantia & nitentia cuncta reperiat.* Tum dicente Sylveira: *Cùm Christus Dominus exiit à SEPULCHRO, tunc totum SEPULCHRUM, mirâ elegantiâ, floridum apparuit.* Tum quia obsoletus, squalidus fuerat in ante locus ille, ast postquàm, positum est in eo Corpus Christi, lectus perfusus nimis grato odore, & admodùm florum, pulchro vernavit honore. Oleaster: *Aridus enim erat, & horribilis fuerat ante lectus iste, ast postquàm ei insertus est flos campi, floridus factus est; & quia prius erat locus corruptionis, mortis, ac putredinis, factus est locus vitæ, immortalitatis.* Tum hæc

Cantic. 1. v. 15.

In Cantica Cant. Lib. 3. Biblioth. Vet. PP. Tom. 9. fol. 39.

Stella 8. Radio 10. num. 721.

Homil. 3. in Pentec.

Tom. 5. libr. 9 c. 1. qv. 15. num. 104.

hæc verba Septuaginta Interpretes legunt: *Lectulus noster umbrosus*, id est opacus & occultus, scilicet in occulto & amæno loco situs, ita refert ac legit Origenes: *LECTULUS noster umbrosus, id est in loco umbroso, amæno, contra vehementes solis ardores atque æstus.* Sepulchrum Christi fuit lectulus floridus, quia in amœnissimo loco situm, scilicet ad Montem Calvariæ, sub umbra Crucis Christi; ut quisquis ingentes amoris concipit ignes, hîc in illis ad Sepulchrum Christi refrigerium capiat: vel si incentivis, ac æstibus illicitis premitur, fugiat ad umbrosum lectulum Sepulchrum Christi; ibi noxii ardores supprimuntur, frigescunt, ac debilitantur. Et nihil est delectabiliùs dilecto Sponso defesso, seu laboranti in via spiritualis profectûs, quam lectulus floridus Sepulchrum. *Consolabitur me lectulus meus.* Delectabilis locus, & uberior ad lætitiam, quam humana vix possit capere affectio. Tum Paulus Scherlogi, in explanatione mystica hujus versus Cantici, disertè in ipso titulo, per lectulum floridum intelligit Sepulchrum Christi, assignans rationes, quare? *At cur ni floridum Christi bustum? nonne inter flores & plantaria, quæ dulciter halant, in horto scilicet excavatum? nonne sub verna tempestate sepultus & redivivus, quando natura sinum expandit, peristromata diffundit, floribus variegata? Probè igitur floridus LECTULUS, qui resurrectionem indicat, ut nihil esse in Salvatore post tumulum concipiamus, quod non immortalitatem spiret.* Mos olim fuit Christianis æquè ac Gentilibus, Sepulchra spargere diversorum generum floribus, teste S. Hieronymo ad Pammach: Epist. 26. *Super tumulos spargunt violas, rosas, lilia, floresque purpureos, & dolorem pectoris, his officiis consolantur.* Magistrorum Sepulchra floribus ornabantur. Hinc Marcus Aurelius, teste Capitolino, tantum honoris detulit Magistris suis, ut eorum Sepulchra, floribus semper ornaret. Christus sparsit super Sepulchrum suum, seipsum, tanquam florem primarium: Rosas, vulnera, Sangvinem purpureum, merita nimis decora & speciosa. Violas, gratias amænissimas. Pari modo, exorna & tu variis floribus, Sepulchrum Christi: *Sertisque Sepulchrum, ornabit custos, ad tua busta sedens*; sicut ornarunt primævi Ordinis Nostri Custodes Sepulchri. Conjice supra, hunc tumulum Magistri tui, lilia alba innocentiæ, ex utero exportatæ cum S. Jacobo, Simeone, Zacharia, Sanctia: rosas martyrii, patientiæ, cum S. Mathia, Alexandro &c: odoriferas variarum virtutum species, cum Narcisso,

In Cantic. hom. 3.

Job. 7. v. 13.

Novarini in Sacr. Elect. libr. 2. num. 339.

Propert. libr. 3. Eleg.

cisso, Cyrillo, Sophronio. *Spargamus coram tumulo fragrantia facta. Ornemus morum floribus ingenuis*, & sic Sepulchrum, lectulus noster floridus erit. Quod reddes florigerum, si custodiens illud, odore virtutum repleberis, externis internisque sensibus tuis, fragrantiam pietatis religiosæ habebis. *Væ enim* (exclamat Drogo, Ostiensis Episc. de Sacram. Dom. Passion. Serm. 1) *peccatoribus Domine, SEPULCHRUM tuum obsidentibus, quoniam verè declinas ab eis, & non inveniunt te in lectulo tuo svavi & florido. Beatus autem, qui sigilat ad Monumentum tuum, & custodit te non langvido Spiritu, sed venusta explicatione florentissimæ observantiæ.*

R. P. Jac. Radlinski in fig. Sepul. carm. descript. figur. 23.

Bibliot. Vet. PP. Tom. 12. fol. 487.

Sepulchrum Christi est lectulus, in quo Sponsa quæsivit dilectum animæ suæ: *In lectulo meo per noctes quæsivi, quem diligit anima mea:* Super hæc enim verba S. Bernardus dicit: *An non LECTULUS tumulus?* Et Paciuchellius tractans de Sepulchro Christi, Exposit in Joan: *De hoc LECTULO* (id est Sepulchro) *locuta est Sponsa Domini:* In lectulo meo per noctes *quæsivi &c. quasi diceret: O SEPULCHRUM! ô LECTULUM Domini mei! in quo ipse quiescit, in quo eum ex toto cordis affectu perquiro.* In hoc itaque lectulo, quæsivit per noctem, id est toto illo triduo, (quô quasi in nocte, absconditus fuit Sponsus ab oculis, præsentissimus tamen cordi) Beata Virgo, Sponsum suum Christum, piissimo affectu, amore & contemplatione, frequenter veniens ad hunc lectum, internâ meditatione. Prædicta enim verba Alanus Magnus, in Elucid. in Cantic. fol. 18. sic explanat: *Posset intelligi de gloriosa Virgine, quod frequenter ad Sepulchrum ierit, quod cum magna diligentia eum quæsierit:* Et infra: *Lectus autem intelligitur Sepulchrum, in quo requievit Corpus Dominicum, quod dicitur ratione originis esse Virginis, quia Corpus est, quod in Sepulchro quievit, quod Christus de virginea carne assumpsit. Pernoctes igitur, id est per multas tribulationes, quas de amarissima dilecti Filii Passione sustulerat, & potissimum mortis Christi triduo, quæsivit per desiderium, quem diligebat anima sua.* In hoc lectulo quæsierunt Sancti Discipuli, quem diligebat anima eorum. De illis, nominatim de S. Petro & Joanne, dicta verba Canticorum explanat S. Bernardus & dicit: *Denique quæsitus est postmodum à Petro & Joanne identidem in Sepulchro, sed minimè inventus.* Quæsivit in nocte, id est dum adhuc tenebræ essent, Maria Magdalena, aliæque Sanctæ Mulieres, ut eum invenirent, quem totâ animâ diligentes, in lecto

Cantic. 3 v. 1.

Sup. Cant. Ser 75.

Lect. 32 num. 12. fol. 49.

Monumenti jacere noverant. Alanus Magnus, ibidem capitulo 3. commentans dictum textum: *Hoc est manifestum in Maria Magdalene, quæ frequenter, dum adhuc essent tenebræ, ivit ad Sepulchrum.* Tali feria investigatione, dum mente sedula, quærebat in lecto Sepulchri, Christum Dominum. Magdalena, veniens ad illud, & ibi, dilectum suum non inveniens; illa de se subsequentia Sponsæ verba figuravit: *Per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea;* Uti hujus sensus est S. Bernardus, super hæc verba dicens: *Puto, arbitrata est egressum de tumulo, publicum mox petisse, si fortè reciperent resurgentem de morte, qui se recepturos promittebant descendentem de Cruce.* In hoc lectulo quærebant in nocte, ist est omnes devoti, vigiles fuerunt, quomodo amorem dilecto suo ostenderent, per honorem lectuli illius, id est Sepulchri. Vel quærebant in lectulo per noctom, hoc est, etiam totas noctes peragebant in devotione, peregrini ac devoti ad Sepulchrum. Sive in nocte infidelitatis, & peccatorum existentes animæ, in hoc lectulo potissimum dolentes, quærebant Sponsum Christum, & inveniebant. Stabilit, licet oblonga, maximè tamen servitura huic loco, Authoritas Rndmi Hieronymi Povodovii, Canonici & Archipresbyteri Cracovien: qui verba allata sic explicat: *Primùm quidem lectulus Magdalenæ dici potest SEPULCHRUM Domini, ex duplici ratione: Primò quidem propter solitudinem & sollicitudinem, illi Davidicæ similem, quando dicebat:* Si ascendero in lectum strati mei; *Si enim per Sabbatum & custodes licuisset, ipsa nunquam, donec officium internum absolveret, à Sepulchro recessisset: interea autem tantum desiderium, ex tabernaculo & statu proprio, Sepulchrum ei ingerebat. Secunda ratione, quia sicut Crux Christo Domino erat pro throno, infernus pro paradiso, sic Sepulchrum pro thalamo & requie. Dilectum suum quæsivit per noctem, apparet id ex Evangelica historia:* Vespere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, (*hoc est ultimò crepusculo vespertino*) venit (*utique denuo*) videre Sepulchrum. *Ex quo apparuit in Magdalena illud Salomonis:* Fortis est ut Mors dilectio; *quando non perhorrescens noctis incommoda, toties Sepulchrum Christi visitaret.*

Serm. 76. in Cantic.

In Christolog. Serm. de Pasch 2. cap. 4. fol. 32.

Imitaberis anima devota sponsam, sive præsignatam Magdalenam, si pio ac ferventi affectu per noctem, id est, sive in Religiosa vita tua, quæ nox est sæculo, dies cælo; sive tempore illo passionis ac lugubribus hebdomadæ Sanctæ diebus, quæsieris eundem

dem ſponſum in lectulo Sepulchri, publicè expoſitum & jacentem. Tempore illo vigil ſis & excubes in meditatione Sepulti Chriſti, conſopitis affectibus, in erectis Monumentis, ſimul cum Sepulto JESU, plenè per amoris exhibita deſideria, conquieſcas. Non ſinens pati tantum otium ac deſidiam, ut ſaltim in illis noctibus, in lectulo Sepulchri, ſeduló amore intenſo, eum non perquiras. Non patiaris te vinci muliebri in veſtigatione, tam anxiâ & ſollicitâ, dilecti ſponſi in lecto, ſed earundem ſanctarum, exemplum ſequere. Cum ingens multitudo credentium animarum concurrit ad hunc lectum, quærendo dilectum in hoc lectulo Sepulchri, totas noctes peragendo, in ſumma laude, ac reſonantibus hymnis; tu ferventioribus dilectionis actibus, exercitiis operum, ſecretis, ſanctis, ac profundiſſimis in Deum cogitationibus, in lecto Sepulchri decumbentem, variis monſtratæ dilectionis affectibus perquiras, ſciens non alibi tutiorem requiem animæ tuæ inveniri, niſi in lectulo Sepulchri. Sepulchrum Chriſti eſt lectus non doloris, ſed dilectionis, gaudiorum ineffabilium. Si in lectulo qui eſtis, juxta Gilbertum, vota magis inardeſcunt; In cap. I. Sepulchrum Chriſti veræ quietis locus, ſanctuarium pietatis, de- Cantic. lectationis cubiculum, locus accommodatus oblectamento charitatis. In hoc ergo lectulo, amplectere ſtrictiſſimè Sponſum tuum, & Sanctis ejus fruere amoribus. In hoc lectulo, mens fatigata ſuſcipiat fervens deſiderium; ibi totam ſe ad quærendum impende, dilecta Sponſa Chriſti, anima religioſa, quære eum protunc præſentem votis, quære actibus dilectionis; inveni fide, poſſide ſpe, tene affectibus. Signum monſtrandæ dilectionis erga Sponſum præcipuum, quæſitio Sponſi in lectulo Sepulchri: Quæ variè fieri poteſt: Tum per frequentem aditum ad lectulum Sponſi, ubi certiſſimè invenitur. Tum per demiſſionem ſui in terram, ac ſæpiſſimam inclinationem, procidendo & adorando, ac ſic humilitate quærendo. Tum non deſiſtendo à variis modis, quærendi Sponſi in lecto Sepulchri, quousque perfectiſſimè non inveniatur; indeſinenter tibi inculcans: In Sepulchro meo quæſivi, & quæram per noctes tribulationum, periculorum, incommodorum, quem diligit anima mea, donec inveniam requiem animæ meæ. Non quæram in delicioſis lectiſterniis, non in ſtratis mollibus, nempe licentioſa vivendi ratione, non in plateis civitatis

perambulandis, & in negotiorum ſæcularium turba, ſed in lectulo duro Sepulchri ad inſtar IESU. *Sepultura enim Chriſti* (inquit S. Auguſtinus) *nihil aliud eſt, niſi requies Chriſtiani.* Da mihi JESU bòne, ut ſuper ſtratum hoc, memor ſim tui, & mediter in te, & de te in matutinis; da ut unicè te quæram, dilectum animæ meæ! Ad hos inventionis actus, nos urgentiſſimè excitat Divus Aponius, ſcriptor antiquus, dicta verba Canticor. libr. 5. exponens, his verbis: *Hæc ergo prænuntiata ſunt, quæ conſummata agnoſcimus, in Domini SEPULTURA, dum Mulieres ad SEPVLCHRVM, ut dictum eſt pervigilant. Quam requiem anima, ſi fidem accommodaverit Evangelio, in Chriſti Sepultura inveniet; ut ea Perſona Eccleſiæ oſtendit Spiritus Sanctus in ejus Sepultura hanc requiem inveniri. In hoc LECTVLO in noctibus, quem diligit, perfecta anima quærit, id eſt in terra tenebroſa perſecutorum, plebe Judaica; ibi invenit ejus SEPVLCHRUM; ibi invenit ſuæ requiei locum. Illuc enim de omni mundo, de omni gente, concurrit multitudo credentium animarum, requiem ſuam, Dei Filium, requirendo, qui dixit:* Tollite jugum &c. & invenietis requiem animabus veſtris. *Illuc utique per noctes, in multis ſecretis cogitationibus, credendo, multitudo animarum, ſuæ voluntatis, ingreſſum oſtendit.*

Serm. 123. — Biblioth. Vet. Patr. Tom. 9. fol. 817.

Sepulchrum Chriſti eſt lectulus Salomonis, de quo ibidem verſ. 7. dicitur: *En lectulum Salomonis ſexaginta fortes ambiunt ex fortiſſimis Iſraël, tenentes gladios, & ad bella doctiſſimi, unius cujusque enſis ſuper femur ſuum propter timores nocturnos.* Primo Philo Carpatiorum Epiſcopus in Cantica, per hunc textum, conformiter ad notitiam Evangelicam, intelligit Sepulchrum Chriſti, quod fortis illa cuſtodia militum ambiebat, armatorum inſtar, induti loricis, cinctique gladiis ad femur: *Ecce lectulum Salomonis* (inquit) *LECTVLVM, intellige SEPVLCHRVM JESV, qui omnes pace replevit, per propriam ſuam necem, atque reſurrectionem; de quo & Angeli teſtantur, cum dixerunt:* Ecce locus ubi poſuerunt eum Sexaginta potentes &c. *potes & omnes illos intelligere, quos Judæi Sepulchro JESV cuſtodiendo præfecerunt, habentes rhomphæas, docti ad pugnam, unusquiſque gladium ſuper femur ſuum, propter metus nocturnos. Hæc enim acciderunt illis cuſtodibus, quando cuſtodientibus ipſis, terræ motus factus eſt magnus, & cuſtodes exhorruerunt: idcirco dixit:* à pavoribus nocturnis. Et de his ſexaginta fortibus, ampientibus lectulum

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 4. fol. 569.

Salo-

Salomonis, nempe custodibus Sepulchri Christi, militibus, procedit versus 7. Psalmi 3. *Non timebo millia populi, circumdantis me,* nempe Christum jacentem in Sepulchro. Hunc enim versum Burgensis, Jacobus Valentia, & Titelmanus, de custodientibus Sepulchrum intelligunt, de quorum sexaginta numero Eudoxia in Homeri centonibus, de custodientibus idem Sepulchrum, hoc modo cecinit: *Hi autem trecentique & sexaginta extitere. Illic autem ante fores sedebant.* Refert Lorinus in hunc versum, fol. 48.

Secundò Soto Major, Exposit. in Cantic. hìc, dicit lectulum Salomonis, rem omnino esse sacrosanctam, inviolabilem, atque ejusmodi hominibus, id est profanis inaccessam. Hoc elogium subserviebat magis S. Sepulchro JESU, quod erat sacrosanctum, inviolatum, atque hominibus profanis, infidelibus ac peccatoribus inaccessum. Hic lectulus, valdè præstantior est illô Salomonis, utpote requies Dei Hominis.

Tertiò per istos fortissimos Isràël, S. Chrysost: in Psalm: 2. intelligit Angelos Custodes, Sepulchrum Christi stipantes; quia illud Angeli, tanquam Sanctuarium Domini, custodiunt: *Angelos ideo visos* (ait) *in Sepulchro, ut ostenderetur, ibi Deum esse Sepultum, cui Angeli inserviebant. Et veluti lectulum Salomonis, heròüm instar fortissimorum circumdabant, & quasi vallo communiebant.* Imô Germanus Patriarcha Constantinopolitanus, adductus superiùs, non qualescunque Angelos, sed Seraphinos intelligit; sic Sepulchrum Christi alloquens: *Te LECTVLVM Regium, & omni honore dignum, stipant sexaginta potentes ex fortissimis Isràël, ubi sexagenorum mentio, in memoriam mihi revocat, excellentissimum illum Seraphinorum, sex alas habentium, conventum.*

Quartò, de lectulo isto Drogo, Ostiensis Episcopus, sic commentatur in Cantica: *LECTVLVS tuus Christe, plusquam Salomon, SEPVLTVRA tua est, in qua Sabbato requievisti, ab omni opere, quod patrasti; ibi te ambiunt sexaginta fortes, in quibus opera sex dierum, opera bona & valde perfecta sunt.* Biblioth. Vet. Patr. Tom. 12 fol. 487.

Quinto, per lectulum Salomonis, intelligo cum supra omnibus adductis Authoribus Sanctum Sepulchrum, templumque ejusdem S. Sepulchri. Hebræi enim, referente Soto Majore in Cantica hoc loco, per lectulum Salomonis, intelligunt templum Hierosolymitanum, à Salomone Rege ædificatum. Itaque intelligo

templum resurrectionis, cujus figura fuit templum Salomonis; ut sub titulo: *TEMPLUM*, patebit. Per sexaginta autem fortes, ambientes lectulum, intelligo Canonicos Ordinis Nostri. Sicut enim supra, Hebræi per lectulum intellexerunt templum Salomonis, ita per Sexaginta fortissimos Israel, intelligunt Levitas, Sacerdotes, & alios illius templi Custodes; sic exponit Chaldæus Paraphrastes. Cùm itaque Cononici S. Sepulchri, in Levitis fuerint figurati, (ut dictum fol: 31) benè hi Custodes, ac præsidiaria cohors, lectuli Sepulchri Christi, intelliguntur, quorum hocce ad illud palatium, seu templum Hierosolymitanum, est officium ac ministerium, ut muniant, excubias agant, tanquam fidi satellites. Iique sunt Ordinis ejusdem, Patriarchæ, Episcopi, Prælati, Sacerdotes, Sancti ac devoti Viri, qui veritate acerrima, vigilantiâ non interruptâ, firmitate ac robore Apostolico, defendebant honorem S. Sepulchri, nec permittebant, ut aliquid provanum insidiosum, ac malum, accedat ad hunc lectulum. *Tenentes gladios & ad bella doctissimi*, id est exercentes se, in armatura militiæ, quam professi sunt, & regulari observantia; expediti ad omnia bella, adversitates, persecutiones sustinendas; sive habentes ex ore procedentes gladios, id est verba ac sermones divinos, quibus honorem, devotionem S. Sepulchri, ore & opere simul promovebant. *Uniuscujusque ensis super femur suum*; id est, hi armigeri pro tessera habentes, assutas sive appensas cordi suo cruces. *Accipe tela, quibus tumulum Custodia servet. Crux tibi sit Clypeus, crux tibi sit gladius.* Hujus sensûs, pro Avita sua nobilitate & Antiquitate, est Petrus Lûll, Regularium Canonissarum Sacri Sepulchri, Juliaci Commissarius, dicens: *Qui ergo nunc hi fortes sunt, qui ad SEPULCHRUM & LECTULUM Regis nostri JESU stant, & illud ab initio venerabantur, quam Religiosi Sacri Sepulchri? Vigiles enim ab initio Ecclesiæ erant, & gladio Spirituali pietatis ac precum, ita zelosè dimicarunt, ut milites Spirituales vocati fuerint.* His sexaginta fortibus, annumerari satage, & tu ad bella spiritualia edoctus, tuisque armis, quibus es instructus, decerta pro ejus gloria.

In Mausol. S. Jacobi.

Sextò S. Bernardus, per hos fortes tenentes arma, intelligit Milites Custodes, qui à Patriarcha Hierosolymitano Ordinis sui institutionem habentes, & more Canonicorum Regularium, perpetuò vivere professi, (ut infra), hoc sibi injunctum ministerium habue-

habuerunt, ut tenentes arma, defenderent omnes peregrinos à latronibus, & incursantium insidiis, adeuntes ad S. Sepulchrum, Cruces rubeas vestimentis suis habentes affixas, quod proprium Sangvinem pro defensione S. Sepulchri effundere sint professi. *Tales sibi elegit Deus*, (scribit S. Bernardus) *& collegit à finibus terræ, Ministros ex fortissimis Israël, qui veri LECTULUM Salomonis, Sacrum scilicet SEPULCHRUM, vigilanter, fideliterque custodiant, omnes tenentes gladios, & ad bella fortissimi.* Exhort. ad Milites Templ cap. 4. num. 8.

Septimò, per lectulum Salomonis, Quaresmius, intelligit Sepulchrum Christi floridum, propter spirituales delicias, non plumeum ob voluptates. Per fortissimos autem, Equites S. Sepulchri, qui sunt fortissimi, non solùm fide, sed animi corporisque fortitudine. Sexaginta; hoc est in copioso numero, ut ad lectuli custodiam & decorem sufficiant. Tenent gladios, quasi duos habent, nec unico sunt contenti, accincti & gladio spirituali, id est mente, ore & manu, adeoque & materiali, ut illo utantur pro defensione S. Sepulchri: cùm illorum obligatio sit, non solùm bona temporalia, sed & vitam pro ipsius defensione, si opus fuerit exponere; & accincti super femur eorum gladii, hoc fine benedicuntur. Libr. 6. cap. 64.

Octavò, intelligi possunt omnes fortissimi Reges, Duces, ac Defensores Sanctissimi Sepulchri, quorum quilibet, tunc lectulum Salomonis, id est Sepulchrum Christi, ambiebat, quando tenentes gladios, & accincti super femur suum ensibus, potentissimè intentarunt, ut tali Sanctæ Stationi, ipsi ex fortissimis Israël, id est Orthodoxi Imperatores præficerentur, hunc lectulum fide, spe, ac charitate Christi armati ambirent ac stiparent. Et in his fortissimis suos milites, qui pro eliberando Sepulchro Christi militarunt, agnovit Rex Alemannorum Conradus in actuali ad conflictum cum hoste præparatione, taliter ipsemet exhortatus: *Jam tandem ulciscamur eos, quorum impuris conculcati pedibus, & Consangvinei nostri & Christiani Fratres, in communem illum Sacrum locum abierunt, in quo defunctorum contubernalis factus est Christus; Nos sumus potentes illi, nos omnes gladios strinximus, qui vitale Divinumque Sepulchrum, tanquam Salomonis CUBILE circum sistimus.* Nicetas Choniat. sub Manuele Comneno lib. 7. fol. 11.

Sepulchrum Christi est lectulus, quem sibi Job patientissimus Christus, sternit in tenebris. Est lectulus, quem David, aliique pœni- Capit. 17.

pœnitentes, rigant in lachrymis. Eſt lectulus, in quem langvens decumbit, & eſt lectulus, in quo defunctus reſurgit. Eſt lectus, Pſal. 40. v. 3. ſuper quem Dominus opem tulit Humanitati, & univerſum ſtratum ejus, verſant devoti, in infirmitate paſſionis ejus.

LOCUS.

Sub titulo Lectus, pono ſtatim titulum, Locum; non ſolùm enim in, ſed etiam ex lecto, locum Sepulturæ & reſurrectionis Chriſti, cognitum & adoratum fuiſſe; Aſſurgere hanc figuram, in illa celebri moribundi in lecto Jacobi, ac ejus ultimata diſpoſitione demonſtro. Genes: 47. v. 30. Cum cognoſceret finem vitæ ſibi adeſſe, nimis ſolicitus erat de Sepultura, & de loco Sepulchri ſui. Super quævis alia deſiderans, ut corpus ejus nequaquam in Ægypto ſepulturæ mandaretur, ſed ut ad Sepulchrum majorum ejus potius transferatur. Ad quod ipſum, filium ſuum Joſeph inviſentem, præcepto obligavit tali: *ut non ſepelias me in Ægypto, ſed dormiam cum Patribus meis, & auferas me de terra hac, condaſque in Sepulchro majorum meorum.* Quod ipſum ſervandum jurejurando promittere ei debuit filius ejus Joſeph. Quo præſtito, ſeu ut inquit Sacer textus ibidem vers. 31. *Quo jurante*, quid ſecutum ex tali pollicitatione, innuit Scriptura, *Adoravit Iſraël Deum, converſus ad lectuli caput.* Duo hîc conſideranda ad evincendum intentum veniunt. Primum: Cur quæſo tanta cura hujus Sancti Seniculi de loco Sepulchri ſui? ut animæ poſt mortem bene eveniat, id cuilibet curandum, eſto corpus mortuum ubicunque ſepeliatur. Doctiſſimorum Patrum & Authorum reſponſio eſt; Sanctum Patriarcham lumine divinæ revelationis præditum, quòd Meſſias venturus in ea terra vivet, patietur, tandem moriens ſepelietur ac reſurget ad vitam. Inter alios Toſtatus Epiſcopus Abulenſis: *Cauſa autem, quare volebat in Sepulchro illo ſepeliri, erat; quia Jacob videbat in Spiritu, quod Meſſias in terra illa converſari debebat, & mori & reſurgere* Secundum conſiderandum, quòd cùm Jacob prævidiſſet in illa terra vitam, mortem, ſepulturam, atque ex illa reſurrectionem Corporis Chriſti ad gloriam, cum qua ſperabat, ſicut multorum Sanctorum corporum, ita & ſui reſurrectionem, ſimulque certiſſimus eſſet de loco ibi ſuæ ſepulturæ juxta juratam ſponſionem filii ſui Joſeph; protinus Jacob in loco, in extremis conſtitutus

ſtitutus, ad devotum adorationis obſequium prorupit. *Adoravit Iſrael Deum, converſus ad lectuli caput.* Duplici hac conſideratione propoſita, jam circa expreſſam adorationem varii ſunt ſenſus Doctorum, quid nam Patriarcha adorarit? Septuaginta Interpretes vertunt dicta verba: *Adoravit faſtigium virgæ ejus.* Juxta quam verſionem Remigius Epiſcopus dicit, quod Jacob in ſummitate virgæ, quam Joſeph protunc Patri præſens pro dignitate honoris ſui in manu geſtabat, potentiam & honorem Regni Chriſti adoravit. S. Thomas de Aquino in cap: 11. Epiſt: ad Hebr: lect: 5. pag. 226. ſentit, quòd Crucem Chriſti in illa virga adoravit, & in ſummitate virgæ, titulum Crucis. Nequaquam tamen à vero alienum credo, ſi dicam Jacobum in ultima vitæ ſuæ periodo, in lecto decumbentem, adoraſſe & locum Sepulturæ ac reſurrectionis Chriſti. Sicut enim conſcius Chriſti paſſionis in virga Joſeph eandem paſſionem, tum Crucem, & in ſummitate titulum Crucis adoravit; ita conſcius Sepulturæ & reſurrectionis Chriſti in illo loco à ſe exoptato, locum pariter deſignandum dictæ Sepulturæ Chriſti ac reſurrectionis ex eodem, adoravit. Et ratio ulterior eſt, quia Pineda in Job cap: 19. v. 25. num: 23. ad hæc verba: *Adoravit ad lectuli caput*, ſubdit: *Corpus Redemptoris reſurgentis.* Merito dum Jacob de loco ſepulturæ ſuæ ita obnixe ſatagebat, ut per hoc adoraret Corpus Chriſti reſurgens, eodem intuitu & actu reſpexit & locum Sepulti ac reſurgentis. Virtus enim pleni deſiderii Patriarchalis, in vicino ſuæ Sepulturæ, ad locum Sepulti Corporis Redemptoris, etiam propendebat ad ſpiritualem ædorationem futuri ut myſterii, ita & loci reſurrectionis, extremumque ſpiritum ad eandem impulit. Quôve loco pro conditione carnis Jacob concupierat Sepulchrum, pro merito obtinendæ immortalitatis & religionis, reſurgentem pariter in loco ſui Sepulchri in ſpiritu cerneret, adoraretque Meſſiam. Spectando pariter aliam dictorum verborum apud Interpretes verſionem, quæ ſic legit: *Adoravit florem virgæ.* Siquidem concepit Jacob ſpiritu, ubi Chriſti figurata Sepultura, reſurrectio, per quam ejus etiam reflore-ret caro, dum ſe convertit ad lectuli caput, divertit etiam mentem ſuam ad venerationem lectuli illius, in quem declinare credebat caput & Corpus mortui, futuri Meſſiæ. *Adoravit ad lectuli caput.* Aut in flore virgæ Joſeph, quam portabat in manu, pro-

phetico viſu Jacob percepit, à Joſeph ab Arimathæa deportatam per ejus manus de Cruce aridam virgam Corporis Meſſiæ, deferri in locum, qui ſub poteſtate & regimine ejusdem Joſeph extiturus eſt, nempe in Monumentum, ex quo langvida Caro Chriſti per mortem, refloreſcet per reſurrectionem ad immarceſcibilem vitam, juxta illud Prophetæ David: *Refloruit Caro mea* nempe de Sepulchro, ut ſupra explanatum. Propterea & florem virgæ, videlicet Corpus Redemptoris reſurgentis, & lectuli locum, Sepulchrum ejusdem, humili corde, pronaque mente adoravit. Lectus itaque Jacobi, exhibitaque in eo reverentia, indubitati fuere teſtes affectus propenſique animi ad locum mortis, Sepulturæ, ac reſurrectionis ſui Salvatoris, præcipuoque honoris cultu habendum.

In quanto proinde honore, gloria, & appretiatione, ante Iſaiam habitus eſt locus Sepulchri Chriſti, vel exinde liquet; dum non alibi Sancti illi Patres antiqui, tam concupiſcenter ſepeliri exoptabant, ut Gen. 47. v. 29. & Cap. 49. v. 29. niſi ibi, ubi Chriſtus ſepeliendus erat; ibique ſua habere Sepulchra, ubi in Spiritu noverant Chriſto erigendum. Hoc autem, non ideo fecerunt, quaſi non eſſent ubivis ſecuri de ſua reſurrectione, vel minùs integrè corpora ſua, etiam ex illo loco ſurrectura ſperarent; ſed ut dant rationem multi SS. Patres & Expoſitores, hoc in eis pium Sanctumque deſiderium effecit, quod in eo potiſſimùm vellent ſepeliri loco, ubi Salvator Sangvinem effuſurus erat, Corpusque ejus tumulandum, ſpiritu prophetico prævider̃ant. Et ita in terminis, præter Nicolaum de Lyra, ſuper Genes. Cap. 47. v. 29. Jacobus de Valentia, Epiſcopus Chriſtopolitanus, in Expoſit: Pſalmi 107. in indice, ſub litera S. dicit: *Sepeliri cupierunt Patriarchæ, ad SEPULCHRUM Chriſti.* Hinc D. Auguſtinus expreſſè ſcribit: *Ubi ergo ſepelienta erant cadavera Patriarcharum? niſi in ea terra, ubi Crucifixus eſt.* Et infra: *Dicunt ab illo loco, quod Abrahamium vocatur, ubi ſunt illa corpora, non in remotiſſima valde abeſſe diſtantia à loco, ubi Crucifixus, & Sepultus eſt Dominus.* Id ipſum teſtatur & D. Dionyſius Carthuſianus. Cujus diſtantiæ hanc dat rationem, emeritus S. ſcripturæ Interpres Gabriel Acoſta de Sepult. Patriarch. Jacob: *In ea autem diſtantia, à Sepulchro Chriſti eſſe voluerunt, in qua facillimè, poſſent adeſſe in die Reſurrectionis, Sepulchro Chriſti Domi-*

Quæſt. ſuper Geneſ. libr. 1. Capit. 161.

In Geneſ. Enarr. Art. 98 fol. 268.

Tract. 2 §. 2. fol. 122.

Domini. Sicut ergo omnes Patriarchæ & Prophetæ, in tanto honore habuerunt locum Sepulchri Christi, ut illi consepeliri maximè optarent; ita in multis locis veteris scripturæ, gloriam Sepulchri Christi fuisse locatam, patebit ex sequentibus.

Locus Sepulchri Christi, est locus, qui appellatus est: *Dominus videt.* Sicut enim Abraham, locum illum, ideo appellavit *Dominus videt*; quia arietem hærentem cornibus, inter vepres vidit, quem assumens, obtulit in holocaustum pro filio; sic locus Sepulchri Christi, ex quo exiliit Aries Christus, immolatus in Cruce pro nobis, appellari potest. *Dominus videt.* Aries enim ille, qui pro Isaac immolatus est, fuit verus non putativus; sed unde tam citò exilire potuit, ut ferè ad manum esset Abrahamo pro victima? Alcuinus putat, Angelum eum aliunde attulisse, quàm ibi de terra, post sex dierum opera procreasse. Cæterùm Joseph de la Zerda, Benedictin: Episcopus Almeriens: ad petram Sepulchri Christi, id factum alludit his verbis: *Si aries pendens Christum mortuum figurabat, quomodo ex rupe continuò sub mortis imagine, patibulique specimine emersit? Satiùs videbatur, in Sepulchralis lapidis fidem, rupem illam sic feracem ostendi, qui ostiô in apertô edidit Salvatorem, quem è Crucis ligno, è redimientibus vepribus, suscebit immolatum.* Si ergo juxta hunc Præsulem, è rupe Sepulchri figurativus Agnus immolatus prosiliit, denominatio illa loci, Sepulchro bene convenire poterit: *Dominus videt*; inde enim Dominus, ubi in Cruce clausit oculos mortuus, ex Sepulchro aperuit, dum se vivum & videntem, post suam interfectionem in carne exhibuit. Imò & Angelus, quasi apperuisset oculos venientibus ad Sepulchrum fæminis, ut per ostensionem illius, Dominum sperarent videre, dum dixit: *Videte locum, ubi positus erat Dominus*; ac sic per cognitionem Sepulchri, devenerunt ad visionem Domini. Vel explicabat Abraham in sua nomenclatura loci, quod nisi hic Filius, in carne arietis, immolatus exilierit; id est, nisi Christus, verus Dei Patris Filius, ex illius voluntate, in carne humana immolatus, è petra feraci prodierit, non aliter Dominus videri poterit in sua beata patria. Vel si Hebræa, & Septuaginta Interpretum lectio habet, *Dominus videbitur*; id est quod hoc videre Divinum, futuri Messiæ, in illo loco demonstrabit majora producenda, & elegantiora ad effectum opera, perfectioris scilicet obedientiæ,

Genes. 22. v. 14.

Academ. 29. cap. 81. fol. 663.

immolationis, promptioris obtemperantiæ Divinæ voluntati. Sepulchrum Christi typicè, ille mons Moria fuit; ut enim hic mons idem significat, quo mons myrrhæ, ut habetur in secunda interpretatione apud Glossam in additionibus; Sepulchrum Christi totum myrrhatum fuit, & ibi promptior Isaacò obedientia facta, conformior voluntatis Divinæ, non intentione sed effectu, exhibita conformatio Abrahamô; adeoque illa locutione, denominatum fuit Sepulchrum Christi, myrrhâ plenum, locus consummatorum in carne passibili meritorum, & à Sepulchro Christi, Humanitas meritorum suorum Theandricorum, perspectam à Deo, receptura erat mercedem. Unde Sepulchrum Christi est locus, ex quo & Dominus videtur, & videt; inde enim oculum Providentiæ suæ, quàm patenter aperit, ut prospiciat propitiationi nostræ, ut reconciliationem cum Deo ineamus; inde oculi Domini super justos & injustos, omnibus necessitatibus prospicientes, subveniunt.

Est locus terribilis, qualem agnovit Jacob, dum à somno evigilavit, dicens: *quàm terribilis est locus iste!* Locus enim ille Jacob dormientis, fuit figura loci Sepulchri Christi: Testatur enim Nicolaus de Lyra, super Genes: cap: 28. v. 19. locus ille, ubi dormierat Jacob, tunc erat extra Urbem, sed postea inclusus est, & vocavit Urbem Bethel, quod interpretatur: *Domus Dei;* quia scilicet locus Sepulchri Christi futurus extra Civitatem, ut habetur Joannis 20. inclusus erit sub Helio Adriano intra Civitatem, secundum visionem Jacob prædictam, & vocabitur Bethel, id est nova Jerusalem, in qua fundandum est templum, seu Domus Resurrectionis Dei, dicta. Hunc itaque locum suum, in quo jacebat, scilicet Sepulchrum, Deus Jacob terribilem reddidit. Primò enim Sepulchrum Christi, terribilis locus fuit militibus, qui Christo jam resurgente, tanto timore per territi, ut putarentur dimisisse Sepulchrum; ut ait D. Hieronymus. Secundò Mulieribus: *At illæ exeuntes fugerunt de Monumento; invaserat enim eas tremor & pavor.* Tertiò, terribilis ipsi terræ; ut prædixit Psalmista: *Deus cùm egredereris in conspectu populi tui, terra mota est,* quasi attonita & obstupefacta, respectu suæ sortis, quod ipsi contigerit, tantæ majestatis Dominum continere; vel tremuit, seu tremendo, locum terribilem dixit, qui cum tremore adorabitur ab omnibus.

Marginal notes: Genes. 28. v. 18. — Epist. ad Hedib. q. 6. — Marci 16. v. 8. — Psam. 67. v. 8.

Quar-

Quartò, locus terribilis ipsi Lucipero; omnia enim loca sacra, sangvine & mysteriis Domini insignita, vehementer formidat, ut nec uno motu propius ad illa accedere possit, etiam & modò; ut testatur Maria à JESU in mystica Civitate. Imò dum hic stygiæ 3.Part. libr. 8. num. 337.
legionis dux teterrimus, adversarium se socium, à longè tamen nimis distantem, præbuisset visitanti loca Sacra, Virgini Beatissimæ; & locum illum, ubi cum toto suo orco victus erat, intrante Domina, nullatenus intrare potuit, etiam superbo suo multoties adactus impulsu, ob timorem & tremorem, quem incutiebat locus ille; ut habetur ibidem, num: 481. Terribile est Sepulchrum Christi cunctis dæmonibus; ut S. Hieronymus scribit Epistol. ad Hedib: *Si nobis non credimus, credamus saltim diabolo & Angelis* Epist. 150. q. 5. n. 25.
ejus, qui quotiescunque ante illud, (id est Sepulchrum Domini; de illo enim ibi est Sermo) *de obsessis corporibus expelluntur, quasi in conspectu Tribunalis Christi, contremiscunt, rugiunt, & serò dolent crucifixisse, quem timeant.* Et in descriptione ejusdem, quidam peregrini sic testantur: *Sepulchrum Christi hoc habet, quòd sive à Chri-* Anno 1509.
stianis, sive ab infidelibus Turcis sine timore, & mirabilis alicujus horroris notâ, videri non potest; dolor autem talis, & devotio adstantium talis excitatur, quòd se à lachrymis & suspiriis cohibere nequeunt. Unde hoc non semel compertum est, quod nemo, quamvis magnorum peccatorum sibi conscius, sine dolore, & aliquo terrore cordis, non exit. Et non tantùm hominibus, sed etiam dæmonibus Sepulchrum Christi terribile ostenditur; dum enim homines obsessi ad Sepulchrum Christi appropinquant, tremunt, ac horribili voce clamant, non secus, ac quasi coram Judice Christo sisterentur. Quintò, locus terribilis infidelibus; ut testatur Salomon Szweyger, Lutheranorum Prædicantius, in descriptione sui itineris, quem adducit Gretser: *Verumtamen* Libr. 3. cap. 32.
Sepulchrum Christi, quod modernis apparet temporibus, verum Sepulchrum Domini esse, maximè exinde liquet, quod sine maximo horrore ac tremore, à nemine non solum Christianorum, sed Turcarum maximè videri possit. Nam cum ego (inquit de se ipso) *illud Sepulchrum vidissem, non hac intentione intravi illud, ut pro vero Christi Sepulchro existimarem, sed sicut alias omnes reliquias suspectas habui, tanquam pura sanctitatis figmenta,* (Lutheranus enim erat) *ita quoque & illud Sepulchrum pro superstitione habui: Verùm veniendo in petram seu fornicem, tantus horror ac timor me, omnesque meos Dominos Consodales* inva-

invasit, ut omnes crines in altum erigerentur, videremurque cælum inter & terram moveri; imò velut in extasim rapi: Sed dulcedo quædam spiritualis cordibus nostris infusa est, & devotio erga Christum Dominum, & fervor erga orationem, & Christianam gratiarum actionem, in nobis excitatus est; adeo, ut supra omnem modum & captum sit. Vide ab inimico, ore sat fidele de Sepulchro Christi ac veridicum testimonium; tunc enim maximè veritas Christiana patet, si illam hostis fidei Catholicæ, infensus probat & confirmat. Sextò, terribilis locus omnibus malis; ut patet ex Joanne Dubliulio, sic in Prologo ad Lectorem de Sepulchro Domini ajente: *Et bonis Angelis honori, & malis formidini est.* Jure igitur de hoc loco Sepulchri Christi in Epist. 394. ad Patriarcham Hierosolymitanum scribens S. Bernardus Abbas, exclamat: *O quàm metuendus est locus ille, in quo primùm per viscera misericordiæ Dei nostri, visitavit nos Oriens ex alto! O quàm metuendus est locus ille, in quo primùm occurrit Pater Filio, revertenti de regione dissimilitudinis, & accumbens super collum ejus, stola gloriæ induit eum! O quàm metuendus est locus ille, in quo dulcis & rectus Dominus, vulneribus nostris vinum pariter infudit & oleum! in quo constituit nobiscum pactum fœderis Pater misericordiarum, & Deus totius consolationis!* Exclamo ulterius: O quam metuendus est locus ille, dum terra tremuit, cum exurgeret Deus! O quàm metuendus est locus ille, qui terret malos custodes, arguit sacrilegos, damnat perfidos, perstringit sceleratos! O quàm metuendus est locus iste, ubi magna multitudo dulcedinis tuæ Domine, quam abscondisti timentibus te! ubi dedisti metuentibus te significationem justitiæ & misericordiæ, & videntes illum multi, & timent & sperant in Domino, turbantur timore horribili suorum criminum, & mirantur in subitatione insperatæ salutis, dicentes intra se: ecce locus demonstrativus, justitiæ vindicativæ in Filio peccatorum meorum, & retributionis gloriæ, veniæ & gratiæ; & præ angustia compunctionis & salutaris doloris, gementes & mœrore confecti abeunt.

In Hierosol. Peregr. Hodæpod.

Est *locus fletus* vocatus, ubi sepulta est Debora, nutrix Rebeccæ ad radices Bethel, subter quercum; ut Genes: 35. vers: 8. habetur; vel *locus flentium* sive *lachrymarum*; ut Judic: 2. vers. 5. Debora interpretatur Verbum, & significat percommunicationem idiomatum, Verbum Divinum, sepultum ad radices Bethel, subter

ter quercum, id est ad radices montis Calvariæ, sub Cruce. Qui vocari potest locus flentium; quemlibet enim intuentem se, ad lachrymas provocat. Sic de Beata MARIA Virgine scribit Ludolphus de Saxonia, Carthusianus: *Mater SEPULCHRUM FILII sine magno dolore videre non potuisset; Si enim SEPULCHRUM FILII vidisset; quasi doloris gladius, animam ejus perforasset.* Et Bernardinus de Busto in Mariali: *Rigabat lachrymis faciem, & extincti Filii Corpus, lapidemque, quô Corpus ejus positum & locatum fuerat, lachrymis madebat; in quo adhuc lachrymarum ejus indicia apparere dicuntur, qui nunc in ingressu Ecclesiæ S. Sepulchri esse memoratur.* Et D. Thomas à Villanova, de Maria Magdalena: *Manet sola Maria, Soror Lazari, ad Sepulchri ostium; neque enim inde divelli eam sinebat amor, affectusque Magistri, luget, totumque replet, ejulatibus locum. Prospicit iterum iterumque Sepulchrum.* Idemque de Sanctis fæminis adfert, quòd hæ secutæ Petrum & Joannem, ad Sepulchrum redeunt, ibidemque manentes, amarissime plorabant; quasi guttis illis volebant cavantes emollire lapidem, singultuque ut ceram liquefacere, cui amoris imprimerent in Christum characteres: Vel, ut sic aperiatur illis Monumentum, quod lachrymosis guttis, velut depluentibus gemmis, crebris ictibus tundebant; ut de Magdalena Drogo, Ostiensis Episcopus Serm. de Pass. 1. *Si fieri potuisset redimendo Corpori, Sepulchrum lachrymis implesset.* Nullus tam obdurati cordis est, tam immitis, etiam in malo obstinatissimus, ac Pharaone durior, quem ad lachrymas, ad fletus non moveat, locus ille Sepulchri JESU. Ibi enim etiam barbaræ ac efferatæ gentes, nunc palmis pectora tundunt, nunc in profusos fletus se solvunt, ita (ut testatur Burchardus) ut in lachrymas plerumque deducant ipsos Saracenos, qui detestandum Mahomet adorant & prædicant: Multò magis, omnem fidelem, debet compungere ille locus. Plorabis & tu ac flebis anima Christiana, si oculis internis, vividâ consideratione, inspicies Monumentum hoc admirandum; perpendens simul, quomodo pro te mortuus & Sepultus est! quantum inde ex Sepulchro, tuæ accessit gloriæ, dotis, ut cum Christo simul regnes in æternum.

In Vita JESU Christ. 2. Part c. 70. n. 12.

Part. 10. num. 1mô.

In die S. Resurrect. fol. 176.

Est *locus nativitatis*, ad quem jussus est reverti Jacob, ut beneficia accipiat à Deo: *Domine, qui dixisti mihi: revertere in terram tuam, & in locum nativitatis tuæ, & benefaciam tibi.* Hæc enim

Gen. 32. v. 9.

enim jussio, extendebat se in persona Jacob ad Christum, à Patre Æterno sibi dicentem: revertere in terram tuam, & locum Nativitatis; id est, qui exivisti de Utero Terræ Virginalis, iterum redi ad locum nativitatis tuæ; id est ad Sepulchrum, quod locus nativitatis Christi fuit; ut patebit sub titulo: *UTERUS.* Et S. Thomas à Villanova: *De Virginis utero mortalis exortus est Dominus; de terræ gremio nascitur immortalis.* Ex quo Nativitatis loco, Humanitas Christi, beneficia Divina maxima agnovit: Nisi enim Christus rediret in terram, & ex illo loco, post Resurrectionem, nasceretur, non perciperemus tanta beneficia, quanta post tumulum recepit Humanitas Christi, totaque per illam natura humana.

Est *locus Sanctus,* quem solutis, ac depositis nonnisi calceamentis, ingredi ac calcari licet. *Ne appropies huc; locus enim, in quo stas terra Sancta est.* Et Josue: *Solve calceamentum de pedibus tuis; locus enim, in quo stas, Sanctus est.* Verba hæc, quæ in figura dicta sunt Moysi, ad veritatem Sanctitatis loci Sepulchri, extendit S. Bernardus, scribens ad Patriarcham Hierosolymitanum: *Legimus olim dictum ad S. Moysen, quoniam mandatum accepit à Domino, quod traderet filiis Israël:* Solve calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo stas, terra Sancta est. *Sanctus quoque locus; sed in illo figura, in isto autem veritas expressa signo Sanctitatis. Sanctus ille, sed iste Sanctior.* Et infra: *Ecce locus longè Sanctior illô, in quo stetit Moyses; & longe nobilior, quia locus Domini locus inquam est illius, qui venit per aquam & sangvinem.* - - Ecce locus, ubi posuerunt eum. Quid enim locô Sepulchri Christi divinius? quid Sanctius? non est in toto Sanctior orbe locus. Unde Barradius in verba Isaiæ: *Gloriosum sanè fuit, hodieque est Christi Sepulchrum; etenim ab omnibus colitur, celebraturque Christianis. Sanctissimus ille locus.* Et Eusebius: *Sepulchrum, quod meritò Sanctissimum appellatur.* Joannes quoque Dubliulius, in Prologo de Sepulchro Christi: *Adeo locus ille, quo nihil præclarius est in orbe terrarum, nihil Sanctius.* Quomodo enim non Sanctus, qui Sancti Sanctorum habitaculum extitit? *Deus in loco Sancto suo.* Vel ut Chaldæus apud Lorinum legit: *In habitaculo domûs Majestatis Sanctæ suæ,* quale fuit Sepulchrum, ut ex titulo: *Domus* patet. Quomodo non sanctus locus, qui nos ad Sanctitatem inducit? Hæc enim verba Psalmi 113. *Facta est Judæa Sanctificatio ejus,* Henricus Ludovicus Cassanæus, Episcopus

Exod. 3. v. 5.
Cap. 5. v. 16.
Epistol. 393.
Tom. 4. Libr 7. Cap. 3. fol. 327.
Libr. de Vit. Constant.
Hodæp. ad Lector.
Psalm. 67.
In Exercit. su-

ſcopus Pictavorum intelligit, & explanat de illis, qui Hieroſolymitana peregrinatione ſuſcepta, loca Sacra, (ut eſt primum illorum Sepulchrum Chriſti,) perluſtrant, quòd à tali perluſtratione locorum ſacrorum, quisque ſanctificetur. *Dum* (inquit idem) *tanta criminum ſuorum pœnitudine afficitur, ut veluti planè ſanctificatus, novam pariter & piiſſimam vitæ rationem ineat.* Hunc ergo locum Sanctum ob illius dignitatem ac reverentiam, nonniſi depoſitis Calceamentis de pedibus, ingreſſi ſunt, Moyſes, Joſue; id eſt Patriarcha & Clerus Ordinis Noſtri, Duces, Principes, ac Bellatores illi potentiſſimi; ut Raymundus de Agiles: *Congregati ſunt Noſtri Principes, & Clerus, & nudis pedibus, incedentes ante Sepulchrum Dominicum, multis orationibus & lachrymis, miſericordiam à Domino deprecabantur.* Id ipſum fatetur & Sanutus, de Militibus Sancti Sepulchri, poſt recuperatam Hieroſolymam, his verbis: *Poſt conſummatam victoriam, ad referendas gratias Summo Regi, in proceſſione diſcalceati, ad Eccleſiam S. Sepulchri, univerſi procedunt.* Imò, ut refert Dubliulius, illum locum, juxta vaticinium, quod jam videmus impletum, *non ſolùm fidelibus tantæ venerationi eſſe conſpicimus, ut ii depoſitis calceamentis, ingredi nudipedes, flexîsque genibûs Chriſtum adorent; ſed & Chaldæis, Indis, Syris.* Et Joannes Cottovicus, in Itinerario lib. 2. *In Sacello S. Sepulchri, ſoli Latini Miſſam celebrant, reliquis intrare tantùm permiſſum eſt; ita tamen, ut calceos priùs exuant.* Devota ad Sepulchrum Chriſti anima, dum tibi ſacrum hunc locum, nudis pedibus adire non licet, mente ac corde viſitans, diſcalcea cor tuum, quod malè ambulavit in mandatis Domini, & in via peccatorum ſtetit, omnibus pravis habitibus, exue mundanas ſordes, ſive inclinationes, vel uſum incompetentis Religioſo ſtatui veſtitûs projice abs te: non decet te in tali habitu viſitare Sepulchri locum; veteres depone exuvias, ac ſic terrenis deſpoliatus deſideriis, tanquam calceamentis, nudo pectore, recto tramite, locum hunc ſanctum pronus adora, ut ipſum magis ac magis religioſum ac reverentem reddas; uti admonet Sanctus Bernardus Patriarcham Hieroſolymitanum: *Et ego dico tibi: ſolve calceamentum pedum tuorum; locus enim, in quo ſtas, terra ſancta eſt.* Si adhuc affectus tui, ex aliqua parte, involuti ſunt oneribus mortuis, ſolve velociter; locus enim (nempe Sepulchri) in quo ſtas, terra ſancta eſt.

per Pſalm. fol. 205.

Hiſtor. Hieroſ. fol. 180. num. 5.

Fidel. Cruc. lib. 3. part. 5. cap. 8. n. 10.

Eſt locus mundiſſimus extra caſtra, de quo Levitici Cap. 4. v. 6. & ibidem Cap. 6. v. 11. ubi præcipitur, ut Aaron victimâ holocauſti (quam vorans ignis exuſſit) poſitâ juxta Altare, ſpolietur prioribus veſtimentis, & cineres in loco mundiſſimo conſumi faciat. Vel ut Numer. 19. v. 9. mandatur, ut vaccæ rufæ ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, combuſtæ, cineres vir mundus effundat extra caſtra in loco puriſſimo, ut ſint multitudini filiorum Iſrael in cuſtodiam. Hanc figuram annotavit Rupertus in Comment. ſuper Levit. reſpectu Chriſti crucifixi extra Urbem. Ego verò quantum ad locum puriſſimum, conſidero. Agnus enim immaculatus, pro peccato oblatus, cum pelle & omni carne, quem exuſſit vorans ignis amoris, juxta Altare, ſeu in ligno Crucis, fuit Corpus Chriſti, quod Sacerdos Aaron, Chriſtus ipſe, ſpoliatus prioribus veſtimentis: *Diviſerunt ſibi veſtimenta*, indutusque aliis ſcilicet ſindone, linteamine, ſudario, in loco mundiſſimo poſuit; id eſt in Sepulchro: & cineres, non ſui Corporis, (expers enim prorſus incinerationis erat) ſed cineres, id eſt peccata, in loco Sepulchri mundiſſimo, conſumi fecit. Cui intelligentiæ ſubſervit id, quod ſcribit S. Auguſtinus in Quæſt. ſuper Numer. Cap. 33. *In eo, qui comburit, eos figuratos arbitror, qui Chriſti Carnem ſepelierunt, reſurrectioni eam, veluti conflagrationi mandantes.* Unde accommodando me verbis Numerorum ſupra allatis; Juvenca rufa, juxta S. Aug. quæſt. in Numer. 33. & S. Gregorium, Carnem Chriſti ſignificat, in qua nulla erat macula: hanc vir mundus, id eſt Joſephus ab Arimathæa, effudit extra caſtra; id eſt poſuit in loco puriſſimo, ſcilicet Sepulchro ſuo, in quibus communiter in cineres rediguntur corpora. Cinis autem vitulæ aſperſus, id eſt Sangvis Chriſti (ut hîc intelligit S. Paulus ad Hebr. Epiſtol. 9. v. 13.) reſperſus in hac Carne, immaculatæ Vitulæ, ſanctificavit, & emundavit ab omni incineratione locum illum, omnem auferens immunditiam, & ſanctitatem aſpergens. Ut quemadmodum Uterus MARIÆ, in quo Caro Chriſti concepta fuit, omni utero fuerat purior; ita locus, in quo Caro Chriſti extra caſtra, id eſt extra Civitatem, erat poſita, fuit mundiſſimus, puriſſimus. In hunc ſenſum ſcripturæ, adeſt Rupertus, quem citat Carthagena: *Quid illâ cæremoniâ voluit Spiritus Sanctus eſſe indicatum, quâ præcepit Levitici 6. corpus vituli mortui poni extra caſtra, in loco mundo? utique*

Libr. 6. Moral. cap. 77.

Homil. de Sepul. fol. 3.

utique quod in eum locum acutè observavit Rupertus: Christum Dominum, velut vitulum, in ara Crucis mactatum, in Sepulchro esse ponendum. Qui locus non alii multitudini filiorum Israël est datus in custodiam, nisi Canonicis Ordinis Nostri, qui veri sunt filii Israël, id est Sancti Jacobi Minoris Propago; nomen enim Jacob Israël appellatum: *Nequaquam Jacob appellabitur nomen tuum, sed Israel.* Gen. 32. v. 28.

Est locus erectionis, de quo Numerorum Cap. 10. v. 21. quod *Caathitæ profecti portantes Sanctuarium. - - Tamdiu tabernaculum portabatur, donec venirent ad erectionis locum.* Quid enim per Caathitas, quod nomen interpretatur Congregatio? nisi Sancta illa Virorum ac Mulierum designatur Congregatio, quæ tabernaculum Corporis Christi tamdiu portabat, donec venirent, ad locum erectionis, scilicet ad Sepulchrum, ex quo & Christus seipsum erexit, *& erexit cornu Salutis nobis*, & Sepulchrum in altum honorem extulit. Locus enim ille, per hoc ipsum, quod Sepulturæ Domini destinatus est, sublimiter ultra omnia loca erectus est. Hoc ipsum probat figura de Agro Abraham Patriarchæ, sub titulo: *Ager*, qui dum figuram Sepulchri Christi expressit, erectus est & elevatus. Hæc enim verba Scripturæ: *Et confirmatus est Ager, & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem Monumenti, à filiis Heth*; Cardinalis Cajetanus, scribens super hunc locum, ait: *Juxta Hebræum habetur: & surrexit Ager*; id est locus ille, in quo fuit antrum duplicis speluncæ, Monumenti Christi præsignativæ, evectus sit & sublimatus, ad majoremque surrexit honoris verticem. Tum locus Sepulchri, locus erectionis est ex eo, quia primò Joseph ab Arimathæa, ad Principis, ad divitis, ad Senatoris, ad justi titulos; & ad perennem nominis sui famam, à loco Sepulchri pervenit. Ut illum alloquitur Bertoldus in vetusto libro, in Horologio devotionis: *O quanti æstimavit te Deus, ut apud te eligeret Sepeliri, præ cunctis mundi locis, in cujus nimirum potestate erant omnes fines terræ, & quæ ambitu cæli continentur! Dico tibi virorum illustrissime, quia exinde eris apud Deum & homines honoratus, quamdiu steterit mundus, & fidelium floruerit numerus.* Et Euthymius de eodem, in Matth. cap. 27. *Insignis erat & ante Joseph, sed insignior factus est eo, quòd Corpus Christi ausus est sepelire.* Secundò Magdalena, quia citiùs ad Monumentum cucurrit, festinè ad gradum altiorem evecta. *Insignior autem erat Magdalena*

Genes. 23. v. 30.

Cap. de Sepult. Dom.

in hoc, quòd festinavit & præcessit ad Monumentum, inquit idem. Tertiò ad magnam dignitatem erigitur, quisquis cultor Sepulchri Christi existit; ut observat Aloysius Novarinus, de Mulieribus venientibus ad Sepulchrum, ad quarum conspectum & adventum, Angeli, qui erant sedentes, illis venientibus ad Monumentum assurgunt, quasi jam essent majoris honoris, à cultu Sepulchri: *Primò sedêre Angeli tanquam custodes Sepulchri; deinde dum visi sunt à mulieribus, surrexerunt, quod in honorem Sanctarum Mulierum præstitum est.* Et infra: *Honorantur ab Angelis mulieres, quia honorem Christo Domino, ejusque Sepulchro præbuerunt.*

In Matth. cap. 28.

Est locus specialiter dignus notatu: ut dicitur Ruth Cap. 3. v. 4. de Booz: *Quando autem ierit dormitum, nota locum, in quo dormiat.* Hic enim locus dormitionis notatus, quid aliud denotabat? nisi locum Sepulchri Christi, in quo Booz, qui interpretatur *in fortitudine*; id est Christus cum sua fortitudine, id est Divinitatis potentia, cùm comedisset in Cœna cum discipulis, & bibisset in Cruce vinum myrrhatum, factus hilarior, *exultavit cor meum in salutari tuo*, ivit ad dormiendum in locum Sepulchri, juxta acervum manipulorum: *Ingredieris in abundantia Sepulchrum, sicut infertur acervus tritici, in tempore suo*; quæ verba Sepulchro Christi convenire dicetur, sub titulo: *SEPULCHRUM.* In cujus consortio projecit se, & cum illo jacuit & Ruth, hoc est saturata Natura humana Corpore & Sangvine ejus; dormivitque ibidem, usque ad noctis abscessum usque manè. Et ecce ex hoc loco, discooperta palliô, seu relictis linteaminibus, relicta passibilitate, gravitate, ac quantitate, corporibus humanis congrua, & absque ullo dubio suscepta à Domino, *surrexit, antequam homines se cognoscerent mutuò*; id est ex loco illo summo manè, antequam homines per excitationem à somno, in mutuam devenirent sui inspectionem ac cognitionem. Adeoque hic locus, in quo tam somno mortis dormivit, scilicet ipsa Crux Sancta; ut super hunc locum Lyranus, quàm Sepulchrum Christi, in quo pariter post somnum surrexit, debet notari, id est devotè considerari. Ut de Sanctis mulieribus sentit D. Remigius in Catena, in Cap. 27. Matth: *Diligenti cura notaverunt locum, in quo Corpus Domini poneretur*, conformiter ad locum Marci 15. v. 47. *Maria autem Magdalene, & Maria Joseph aspiciebant ubi poneretur.*

Job. 5. v. 26.

Est

Est locus destinatus Davidi, à Jonatha intimo amico ejus, in quo celandus erat de manu inimicorum, ut dicitur 1. Reg. Cap. 20. v. 18. *Dixitque ad eum Jonathas; Cras Calendæ sunt, & requireris: requiretur enim sessio tua usque perindie. Descendes ergo festinus, & venies in locum, ubi celandus es in die, qua operari licet, & sedebis juxta lapidem, cui nomen est Ezel.* Pater Æternus, qui tam intimè, plus quam Jonathas, dilexerat Filium suum Unigenitum, videns multis stipatum persecutoribus, ac insidiatoribus vitæ suæ, ac honoris Regii denegati, potestatisque Supremæ, *non habemus Regem*, & *nolumus hunc regnare super nos*, his verbis allocutus est Filium suum: Cras Calendæ sunt; (Calendis enim Aprilis, passum esse Christum testatur Baronius;) & requireris illis diebus ad mortem, ad necem, & requiretur sessio tua usque perindie, id est opportuna ac requisita erit sessio tua triduana, seu tridui dies sessionis, seu locationis Corporis tui, illis verbis notati: *Descendes ergo festinus*; quia Christi Corpus absque ulla cunctatione, & propter solennitatem Sabbati proximè secuturi, ne funestaretur horrendô corporum suspensorum in Cruce spectaculô, citò depositum est in locum, *ubi celandus es*, nempe in Sepulchrum, in quo celatus est; clauserunt enim ostium monumenti; *In die qua operari licet*; id est feriâ sextâ ante Sabbatum; *Et sedit ibi*, id est jacuit *juxta lapidem*: *Advolventes lapidem ad ostium Monumenti*; & in eodem loco hucusque delituit, quoûsque Jonathas, scilicet Pater Æternus intimo, quia in unitate Naturæ, Filio suo non intimaret, signa manifestativa suæ voluntatis & exitûs, in illo jaculo sagittarum indicata, quæ signa in arcano inter Filium & Patrem abscondita erant: *De verbo autem, quod locuti sumus ego & tu; sit Dominus inter me & te in sempiternum.* Ibidem vers. 23. Hoc ergo signum, erat emissum circa illum locum Sepulchri, id est tres sagittæ in uno arcu, scilicet trium Personarum Divinarum una potentia, una operatio, ex illo loco extrahens Christum, ad omnem securitatem & regimen æternum. Propterea dictum ibi: *quæ sagittæ intra te sunt*; quia potentia, virtus excitandi seipsum eadem inerat Christo, quæ & aliis Personis. Hæ ergo tres sagittæ, id est trium Personarum voluntas ac potentia, cum accessisset, *misit sagittas suas & dissipavit eos*, inclamavit Jonathas, hoc est Deus Pater, intimavit mandatum suum Christo: *Festina velociter*; id est, exi de loco, in quo celatus

Tom. 1. fol. 189.

celatus es, ex loco Sepulchri: *& surrexit David*, id est Christus, *& abiit*, seu manifestavit se palam, ex illo loco, omnibus discipulis amatoribus suis.

Psal. 75. v. 2. Est locus Christi in pace, de quo Psalmista: *Factus est in pace, locus ejus*. Sepulchrum enim Christi, est locus in pace factus; Comment. super Psal. fol. 606. n. 1247. Michaël Aygvani, super hunc versum sic dicit: *Aliqui autem exponunt hunc versum, de Sepultura Christi; quia à principio nativitatis suæ, semper Christus persecutiones fuit passus, usque ad mortem; sed post mortem Sepultus, in pace requievit*. Jacobus de Valentia, Episcopus Christopol: In Exposit. Psal. fol. 573. in hunc versum Psalmi; *Imò ubi Hieronymus posuit: Factus est in Salem, locus ejus. Septuaginta posuerunt: Factus est in pace locus ejus; id est Sepulchrum ejus, qui in illo LOCO, & Sepulchro, dormivit Christus in pace*. Quam intellectionem de Sepulchro Christi, & sequentia firmant verba: *Ibi confregit potentias arcuum, scutum, gladium & bellum*; quia ex Sepulchro Christus resurgens, processit victor debellatô peccatô, morte, & infernô. Fol. 575. Et vers. 6. *Dormierunt somnum suum &c.* sic intelligit: *Isti etiam duo versus, possunt referri, ad milites custodes Sepulchri: nam dum milites armati custodierunt Sepulchrum, resurrexit Christus, & sic nihil invenerunt in manibus suis; quia ab increpatione & voluntate Christi dormierunt, nec potuerunt Christum in Sepulchro detinere*. Sepulchrum Christi est locus, quem David in Spiritu, suo nomine, & Regum totius mundi futurorum, adoraturum pollicetur, dicens: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus*, Psalm: 131. sive ut dicit: Psal. 98. v. 5. *Adorate scabellum pedum ejus, quoniam Sanctum est*. In quæ verba Tract. in Psal. S. Hieron: *Ergo secundum literam possumus hoc dicere verbi causâ, ubi natus est, ubi crucifixus, ubi resurrexit*. Adeoque in priori textu, locus sumitur mysticè, pro locis sacris, Deo dicatis, qualis potissimùm est Sepulchrum ejus. Et S. Hieronymus, de adorat: Ad Desider. epist. 154. hujus loci ait: *Adorasse, ubi steterunt pedes Domini, pars fidei est*; Quibus insistens Dubliulius, asserit Sepulchrum Christi, adeo re- Libr. I. Hodæp. peregr. Hierosol. fol. 17. ligionis causâ frequentatum fuisse, ut magnam religionis partem, in hoc sitam esse, penè omnes existimarent. Et hanc prophetiam, in se completam, fassi sunt Milites S. Sepulchri, sic de se testantes, apud Fulcherium Carnotensem: In Gest. Peregr. Franc. fol. 401. num. 50 *Cùmque Sancta Sanctorum* (id est Templum Domini, & Resurrectionis Dominicæ) *desideratissima, perspiceremus, gaudio ingenti repleti sumus. O quoties memo-*

rati

rati fueramus, illius prophetiæ Dominicæ: Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus! *Quod de nobis completum, tunc vidimus.* Hunc pariter textum, de adoratione Sepulchri Chriſti, intelligere videtur & Bertoldus, dum loco ſupra citato, inquit: *Venient ad hunc LOCUM Sanctum inviſendum, de extremis finibus terræ, peregrini multi, & adorabunt in LOCO iſto, ubi requievit Corpus Domini.* Confirmant & coincidentia alia, ejusdem Pſalmiſtæ verba: *Adorate ſcabellum pedum ejus, quoniam Sanctum eſt.* Hebraicè legitur: *Incurvabimus nos, ſcabello pedum ejus*, ſcilicet Sepulchro Chriſti, quod eſt ſcabellum pedum ejus; ex illo enim dum conſurrexit, ſtetit ſuper pedes ſuos. Vel ut Chaldæus habet, apud eundem Lorinum: *Adorate Dominum, ſanctuarii ejus.* Eccleſia autem S. Sepulchri, Sanctuarium dicitur, à Baldrico Archiep: de illa ſcribente: *Adventabant à remotis orbis partibus Chriſtiani, orationis gratiâ, & honorabant SANCTUARIUM illud, largifluis oblationibus*; id eſt ad Eccleſiam S. Sepulchri, magnas largiti ſunt eleemoſynas.

Lorinus hîc.

Hiſtor. Hieroſ. fol. 86.

§ 3.

Ex literis M. N. hi tituli glorioſi: MANNA, NIDUS, demonſtrant gloriam Sepulchri Chriſti.

MANNA.

In myſterio Mannæ, multi Sancti Doctores & Expoſitores, varios proponunt typos & Symbola. Dicunt alii, eſſe Symbolum Conceptionis Chriſti, typum tranſubſtantiationis panis in Corpus Chriſti; Cornelius à Lapide, Valentia, multique alii, genuinam fuiſſe imaginem, Sanctiſſimæ Euchariſtiæ dicunt; plerique etiam myſterium paſſionis Chriſti, per Manna figurari arbitrantur. Sanctus Damaſcenus homil: in Sabbatum Sanctum, typum myſterii Sepulturæ Chriſti, conſiderat, dicens: *Quin & ſtuporem mihi injicit, admirabile Mannæ Sacramentum: Sicut enim Sabbathi duntaxat veſpere recondebatur; ita JESUS Deus meus, meique causâ factus Homo, mea totus dulcedo, totusque cupiditas, in fine Paraſceves, Sepulchro tegitur.* Inſigne Symbolum Sepulturæ Chriſti, videtur in Manna. Hoc, mittebatur in terram de cælo per manus Angelorum: Chriſtus de cælo miſſus, per manus B. MARIÆ & diſcipulorum in terram Sepulchri poſitus. Inter beneficia Dei, ſingulare,

Mannæ

Mannæ miſſio; Sepultura Chriſti, ſpeciale myſterium, & beneficium Reſurrectionis ex Sepulchro excelſum. Manna ad ortum ſolis colligebatur; Chriſtus ex Sepulchro, Corpus & Animam collegit, & extulit ad ortum ſolis, & ante luciferum ex utero Monumenti genitus. Ignorabant filii Iſràël, quid eſſet Manna? Chriſti Sepultura, & Reſurrectio ex Sepulchro, res fuit admiranda, & naturali modo ignota; *viam colubri ſuper terram ignoro.* Omne delectamentum in ſe habebat; Sepulchrum Chriſti omnis ſaporis includebat ſvavitatem, & omnium virtutum, amplectebatur Virtutem. Iſraeliticus populus, reſpiciebat ſingulariter ad Manna; mulieres & alii diſcipuli venerunt ad Monumentum, ut illud ſeduló reſpicerent, & in Sepulchro capiebant animi oblectamentum. Manna habuit lumen divinum incorporatum, juxta Lorinum; Sepulchro Chriſti, inerat lumen Divinum, & incorporatum, ſeu Perſona Verbi unita Corpori; tantum ſplendorem & nitorem habuit, ut ipſimet Angeli, aliique viſitatores, cum timore & tremore illud inſpicerent. Manna gloria Dei vocatum, ait Barradius: *Dicitur Manna gloria Dei, quia potentiam & gloriam Dei enarrabat.* Et dicitur Exod. 16. v. 7. *Manè videbitis gloriam Domini*; nempe manè collapſum Manna colligetis; Sepulchrum Chriſti, à Propheta dicitur glorioſum; quia potentiam & gloriam Dei manifeſtat. Et ex illo manè viſa eſt gloria Domini, nempe Chriſtus virtute ſuæ potentiæ Divinæ, ſe ex Sepulchro colligens, reſurrexit, & adimplevit deſideria & ſolatia Matris ſuæ Sanctiſſimæ, Mulierum ac Diſcipulorum, & ſaturati ſunt pane hoc vivo, videlicet Chriſto, redeuntes à Sepulchro. Manna in arca aſſervabatur, juxta S. Paulum ad Hebr. 9. v. 3. *In qua, urna aurea, habens Manna.* Sepulchrum Chriſti plusquam urna aurea; quia omni auro dignius, immenſum Deum & magnum, cujus magnitudinis non eſt finis, concluſit; in Sepulchro humiliatus panis, qui de cælo deſcendit, & dedit vitam, ſub arca clauſus eſt. Manna Hebræos ſervavit incolumes, inquit Abulenſis: *Manna corpora Hebræorum conſervabat, ne morbô aliquô tabeſierent*; In Sepulchro Chriſti Corpus, conſervatum ab omni tabe, ſive corruptione. Et poſtquam hoc Divinum Manna, Corpus Chriſti intra ſe ſumpſit Sepulchrum, ita hunc comedentem quaſi, ſeu receptorem locum, fortem reddidit, ut nullis adverſis debilitari ſinat, reddat

incolu-

incolumem, & in ſua hucusque conſervet gloria. Mannæ inſcriptum lemma: *Quæcunque latent, meliora puta*; Sepulchro Chriſti id affigo epigraphe: Multas ſpecies virtutis & gloriæ ſuæ habet hic locus, ſed omnia illa meliora puta, quæ in illo latebant; ab hoc omnimodam ſpeciem & pulchritudinem ejus deſume. Mannæ appoſitum illud ex Apocalypſi lemma: *Vincenti dabo Manna abſconditum*; quia poſt devictos Pharaonis aſſultus, datum; tenet Symboli loco inſcriptum, Sepulchrum Chriſti: *Vincenti dabo Manna abſconditum*; quia dum per Crucem & mortem, Chriſtus peccatum & infernum debellavit, dedit Corpus ſuum abſconditum tumulo. Rei tamen hujus figuratæ, perhibuit majus teſtimonium, magnum miraculum, quòd Manna non in cunas, aut in præſepium, ſed in Sanctum Sepulchrum pluiſſe refertur his verbis, apud Bartholomæum Chaſſanæum, in Catalogo gloriæ mundi, part. 12. Conſiderat. 75. fol. 991. *Porro in teſtudinis medio, ſuper Domini JESU glorioſum SEPULCHRUM, latè patet apertura rotunda, miri, ut dicitur, effectus; nam alii perhibent roridô Cælô, per hanc aperturam dulciſſimum MANNA, ſuper Chriſti SEPULCHRUM ſæpe pluiſſe. Alii affirmant, ignem cæleſtem, miniſteriô Angelorum, per hanc deſcendere ſolitum, à quo Sancti SEPULCHRI lampades fuerunt accenſæ, juxta Propheticum:* Cadet de cælo ſuper vos globus ignis, à quo illuminabimini. *Aperturam hanc multi Principes, piô zelô ducti, ſæpe clauſerunt argenteis vel aureis laminis, ſed altero die, ſolito more patuit, remotis laminis, Angelicô miniſteriô.* Talis itaque prodigioſa immiſſio Mannæ in Sanctum Monumentum, comprobat figuram fuiſſe, Sacramentum Mannæ, myſterii Sepulturæ Chriſti. Cap. 2. v. 17.

NIDUS.

Sepulchrum Chriſti, nidus ſalutis, incunabula vitæ: proinde videtur illi competere hic titulus. Et ex eo; ut enim avis in nido ſuper ova cubat, quæ deinde in pullos erumpant; Sic Chriſtus in Sepulchro requievit, ut juſtos omnes ſua reſurrectione foveret, qui deinde cum eo, in lucem æternam prodirent. Huc voco illud Plinii: *Hìc quies nulla, niſi in NIDO*; ex quibus verbis præconceptum Symbolum tenet Nidus: *Hìc mihi ſola quies.* In Sepulchro Chriſto morienti ſola fuit quies, & omnibus devotis viſitatoribus, ac Sanctis Ordinis Noſtri, ſola in Sepulchri Chriſti nido

 quies,

quies, vera & tranquilla, *nulla requies tutior*. Nido præfixum lemma: *reticturo satis*; quia aves iis ad interim angustiis nidi contentæ vivere, quæ succrescentibus membris, sunt easdem desertu-ræ. Christus Sepulchri angustias, triduum tantum petiit, quia eas adveniente Anima Corpori, & suæ potestatis fortitudine, post resurrectionem deserturus erat. Christus per os Prophetæ, uni passeris aviculæ se assimilavit, transmigrans in Montem Calvariæ, sicut passer: dum autem positus est in Sepulchro, & ibi aliquantisper vigilavit, *passer invenit sibi nidum* factus est sicut passer solitarius in tecte, & illic nidificavit: dum autem ex illo resurrexit, *Anima ejus sicut passer*, unà cum Corpore, *erepta est de laqueo venantium*, nempe custodientium Sepulchrum ejus, ipsis penitùs nescientibus, quando avolavit ex hoc Nido Sepulchrali. Sacra Scriptura Proverb. cap. 27. v. 8. virum derelinquentem locum suum, similem facit avi transmigranti de nido suo: *Sicut avis transmigrans de nido suo, sic vir, qui derelinquit locum suum.* Christus, dum dereliquit Sepulchrum suum, factus est sicut avis transmigrans de nido suo. De Christo ejusque Sepulchro, ac competente illi hîc expresso titulo, vere dici potest illud Jerem. Cap. 48. v. 28. *Reliquit Civitatem* (quia extra illam passus est) *& habitavit in petra, & factus est, quasi columba Nidificans, in summo ore foraminis*: Adeoque Monumenti Christi petræ inscribo: *In petra nidificat.* Tum sicut aves sternunt sibi, & construunt nidos in locis excelsis, ut liberentur à malis, & securitatem provideant pullis suis educandis; ita Christi Sepulchrum, in excelso loco nidus ejus, in quo secure dum quievit, liberatus fuit in eo de manu mali, nimirum Corpus suum, præservavit ab omni corruptione, læsione, & in omni integritate extulit.

Job. 29. v. 18. Illa verba Job sub titulo niduli, quibus ait: *Dicebamque: In Nidulo meo moriar, & sicut palma multiplicabo dies meos*, videntur regulari ad Christum, ejusque Sanctum Sepulchrum. Translatio Græca, ut adnotavit Beda in Job, dicta verba legit: *Sicut phœnix, multiplicabo dies meos.* Quæ verba S. Zeno Veronensis, resurrectioni Christi accommodans, testatur, quod phœnix avis illa pretiosa, cùm maturum lethi tempus advenerit, nidum habet pro Sepulchro, in quo ex diversis odoriferis arboribus concrematur, & ad vitam redit; Adeoque mors, natalis est ei dies; *Et post Monumentum,*

mentum, festo exultat in tumulo, non umbra sed veritas, non imago sed phœnix. Præclarum utrumque insigne Jobi niduli, id est tumuli, & palma & phœnix; palma enim adhibetur in eandem significationem mortis vitalis, sicut phœnix, ut ait Plin. libr. 13. Cap. 4. *Mirum de ea accepimus, quæ putatur ex hujus palme argumento nomen accepisse, remori ac renasci ex seipsa.* Dum igitur Job dicit: *In nidulo meo mori.r, & sicut palma multiplicabo dies meos;* idem est, juxta sensum Interpretum, ac si diceret: Ita mihi fiet Sepulchrum meum nidulus, sicut phœnici & palmæ, quæ multiplicat ex nido suo dies: *Construit illa sibi nidum, seu Sepulchrum.* Quid expressius atque signatiùs, in causam Sepulturæ Christi? aut cui alteri rei, in documentum melius adduci potest, quàm Christi Sepulchro? Quando mortuus Christus deductus est in tumulum, velut altera pretiosa phœnix, deductus est in nidum, ex quo pulchrè renatus, multiplicavit dies suos. Ex fasciculo lignorum, in quo fuerat mortuus, depositus in nidum Sepulchri, trium dierum spatio jacens, seipsum suscitavit. Sicut de phœnice scribit Epiphanius: *Cùm avis trium dierum spatio, seipsam suscitet,* & multiplicavit velut palma dies suos, cum de illo dixerit Propheta: *Justus ut palma florebit.* Igitur tumulus, ubi sepultus, est nidus, ubi jucundissimè per mortem natus. *Post funera vivam.* Vivit phœnix ex funere, surgit ex morte. Ubi Christus paravit Sepulchrum, paravit incombustum rogum, hæc unica avis, paravit ab urna, cunabulum. Sic loquitur S. Augustinus, Serm. de Pasch. *Ecce surrexit ab antro Sepulchri, rediviva Caro Phœnicis, quam cinnamomum decoxerat pietatis.* Felicitas igitur & gloria niduli Sepulchri ex eo apparebit, quia Christus ibidem ex morte, vitam suam reformabit, & multiplicatio dierum, juxta Jobi prædictionem, fiet in Sepulchro ejus, ad instar phœnicis & palmæ. Disce hinc, hominem Christianum, si intra nidum hunc Sepulchri, jugi consideratione detineatur, igne amoris succensus; ad fidei & gratiæ vitam auspicatissimè evolabit, & à fatalitate mortis animæ præservatus, dies suos in profectu, & incremento spirituali, velut palma multiplicabit.

Lactant. v. 77.

CAPUT III.

Enumerantur tituli gloriosi Sepulchri Christi, ex literis initialibus P. Q. R. veteris testamenti.

§. I.

Ex litera initiali P. hi tituli gloriosi vereris testamenti. PARADISUS, PETRA, PUTEUS, demonstrant gloriam Sepulchri Christi.

PARADISUS.

Genes. 2. Christi Sepulchrum, *locus voluptatis* summæ est, piis fidelibus. Nullus tam obstrusus est sensus, quem deliciæ hujus Paradisi, non oblectent. Hanc attribuit dignitatem Sepulchro, in Horto Pastorum, Jacobus Marchantius, de ejus gloria tractans: *SEPULCHRUM tabernaculum est mortis; tu verò PARADISUS es vitæ & amoris. Paradisum te voco vitæ & amoris; quia ille paradisus dicitur, ubi Divinitatis est visio & fruitio; tu verò contines ejus Corpus, qui omnes sua reficit visione, & Divinitatis suæ, facit consortes.* Et Hieronymus Povodovius, Archipresbyter Ecclesiæ S. Mariæ in Circulo, & Canonicus Cracovien: Serm. 4. de Pass. Cap. 11. Sepulchrum Christi, *vestigium cælestis Paradisi* vocat. Præterea omne id, quidquid convenire dicitur Paradiso, eminentiori modo, adeoque & titulo, competit & Sepulchro Christi. Imò digniorem hunc puta, illô paradisum, quò magis obtutu evidenti cernes, quæ sensuum illecebris, quæ optatis animarum deliciis, quæ æternis perpetuisque delectationibus, præstantiora ac longe excellentiora Paradiso; - - in Sepulchro, agnoveris. Primò dicitur: *Plantaverat autem Dominus Deus, Paradisum voluptatis, à principio;* quasi exinde, loco illi accesserit multùm dignitatis, quod non Angelus, non manus fabrilis alicujus creaturæ, sed ipsa Divina dextera, Deus ipse, Author ac fabricator, Paradisi extiterit. Sublimiorem vel exinde puta Paradisum, Sepulchrum, cui id convenit, quod Deus illud, tam excellenter ornatum, propter Deum Hominem creavit, ut ipsum Verbum Divinum, illius Operarius, per suam immanentiam internam, non solùm per externam, productionis jussionem; corporalis ac manualis Author fuit. Si enim,

Tract. 3. de fid. Chr. propos. 3. fol. 152.

Genes. 2. v. 8.

propter

propter hominis conditi, felicitatem augendam, profpiciendo commodo ejus, ut jucundam ac pacificam agat vitam (qui tamen perduellis, ac rebellis futurus erat) Deus ipfe, dicitur huic fe accinxiffe operi, plantandô, tam concinnô ac ornatiffimô Paradifô; quid dicendum de præparatione Sepulchri Unigenito Filio? cum illud ad eum finem foret, ut in illo poneretur fecundùm Humanitatem, formatus novus Homo, Chriftus JESUS, ex quo augendus & reparandus cultus Divinus, fervitiumque ei æternum præftandum, foret. Nonne Deum ipfum, huic fe appofuiffe labori? fcilicet in defignando ac præparando Sepulchro, omnigena prorfus venuftate ac pulchritudine ornatiffimo? Et fic agnofcit Rupertus, dum elegantiorem illam ftructuram Sepulchri, non alicui manufacturæ Creatæ, fed Divino adfcribit attributo, fuper Joan. Cap. 19. v. 41. fcribens: *Hoc fibi præviderat ipfe, qui fepeliebatur, ut ficut nafciturus Uterum fibi Virginalem præparavit, ad quem vir non accefferat; ita & refurrecturus, novo & lapideo Monumento recon- deretur, in quo nondum quisquam pofitus fuerat.* Deinde S. Anaftafius Sinaita in Hexamer. in hæc verba Genefis dicit: *Quod ait: plantavit, Deus infignem quandam curam commonftrat, quâ Deus locum illum accuret.* Diligentior cura ac fedulitas Dei fuit, quia eam Æternus Pater habuit, pro Filii Sepultura, ac illi præparavit Sepulchrum gloriofum, ut dicit Cornelius Janfenius Epifcopus Gandavenfis: *Juxta paffionis locum, Sepulchrum quoddam Divinitus, erat paratum.* Deinde Deus fic, hucusque accurat locum illum, ut amplitudo, præftantia, ac cultus illius, nulli perturbationi fit obnoxius, ut ceffante ignoto Paradifi illius ornatu; non ceffet, nec delitefcat fub tenebris ignorantiæ, fed palam fiant, per continuum ad illum acceffum; deliciæ, voluptates, ac folatia Sepulchralis Paradifi Chrifti.

In Concord. Evang. fol. 1051.

Secundò, in Paradifo produxit Deus, omne lignum pulchrum vifu, & lignum etiam vitæ, in mediò Paradifi. Sic in Sepulchro Chrifti, produxit Deus, primò lignum vitæ; de illo enim dicit S. Joannes Damafcenus: *Domini quidem Sepulchrum, quod vitæ dedit principium, quod fuit fors Refurrectionis;* quatenus ex Sepulchro Chrifti, omne lignum aridum homo, vitam immortalem fumpfit. Et Illuftriff. Princeps Stanislaus Radziwil, M. D. Lithv. Cancellarius, in hiftor. paff. Chr. *Novum Chrifti SEPULCHRUM, tan-*

Orat. 2. de Dormit. Deipar.

quam arbor scientiæ boni & mali, in hoc altero horto plantata, ex cujus radice protensi sunt rami, usque ad cælum, imò ornantes ipsum cælum. Produxit lignum vitæ, scilicet Christum Dominum, qui est arbor excellenter vivifica, cujus fructus vel semel degustatus, vitam homini, non ad centenos, sed æternitatis annos prorogat. *Insitum est lignum vitæ in terra* (scilicet Sepulchri) *ut maledicta terra, deinceps frui posset benedictione, & ut liberentur mortui & vivificentur*: inquit S. Cyrillus Hierosol. Catech. 13. Qui fuit lignum vitæ, omnis scientiæ & sapientiæ, & fuit tanquam lignum plantatum in medio Sepulchri, quod fructum suum dedit, in tempore suo. Produxit lignum vitæ in Sepulchro; tum quatenus Crux Christi, quæ est lignum vitæ, apud Sepulchrum censetur esse inventa, ut libro 3tio ostendetur; tum quia idem lignum vitæ, scilicet Crux Christi, quæ olim latuerat, à quodam homine Syro revelata, ac quasi de novo producta in lucem, ad Dominicum Sepulchrum, tanquam ad Paradisum, per Canonicos Nostros Ecclesiæ Hierosolymitanæ, processionaliter illata. Tot produxit insuper plantas, quod varias Divinarum perfectionum exhibuit virtutes, quibus eximiè venustatur. Item omne lignum, pulchrum visu, ex Sepulchro prodiit, quod Sanctissimi Viri Apostolici, Episcopi, Martyres, Confessores, Virgines ac Viduæ, ex Sepulchro Christi, velut fructiferæ arbores prodierunt, quorum aspectus vitæ, ac exemplorum sanctitatis, ligno pulchrior quocunque, omnem visum ad se provocat, & allicit.

Fulcherius Carnot. fol. 399. in Gest. Peregr. Franc.

Vers. 10. Tertiò: *Fluvius egrediebatur de loco voluptatis, ad irrigandum paradisum, qui inde dividitur in quatuor capita.* De loco voluptatis Sepulchro Christi, egressus est vitæ fons, qui non tantum terrestrem, sed & cælestem irrigavit Paradisum. Tum per istum fluvium, intelligo copiosissimarum gratiarum ex Sepulchro Christi profluvium, quæ irrigant animas hominum. Tum hic videre est flumina pretiosi sangvinis, in quatuor capita divisa, seu in universitatem emanata, quæ mirificè irrigarunt & propagarunt hunc Paradisum; ut vulnera tanquam docoræ rosæ, immarcescibiles ac vernantes prodirent. Tum fluvius, Humanitas Christi Domini, de hoc loco voluptatis egressa, quatuor dotata donis gloriosis. Tum fluvius, id est honor, gloria S. Sepulchri, quæ copiosissimè emanat ab illo loco; & dividitur, id est divulgatur in quatuor mundi partes.

Quar-

Quartò. *Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in Paradiso voluptatis, ut operaretur & custodiret illum.* Fortè non aliunde tulit Dominus Deus hominem, nisi de Cruce: tulit inquam Deus hominem, quatenus Persona Divina conjuncta humano Corpori Christi, Sepulchrum ingressa. Tum quia jussit Deus tollere Josepho & Nicodemo Corpus suum, & ponere in Paradiso, scilicet in Sepulchro, ut ibi operaretur salutem nostram, & custodiret illud sua perseveranti manutentione; sive custodiretur, suâ dispositione, deputatâ custodiâ.

Quintò. In Paradiso, *immisit Dominus soporem in Adam*; sic in Sepulchro, immisit Deus soporem in Christum: ille enim Adami sopor, fuit dormitionis & soporationis Christi figura; ut dicit de se apud Psalmistam: *Ego dormivi & soporatus sum*; quæ dormitio & sopor, Christi in Sepulchro dormitionem designant; ut sub titulo: *Quies, & Requies*, dicetur. Et sicut obdormiente Adamo, producta est Eva; sic dormiente Christo in novo Sepulchro, novus homo secundùm Deum creatus est. Sepulchrum enim novum significat, juxra Gerardum Lorichium, novum hominem, secundùm Deum creatum; adeoque sicut Paradisus fuit Sponsi thalamus, ubi Deus Adamum in matrimonio copulavit, uxorem dedit ei, & præceptum multiplicandi; ut observat Procobius in istum locum Genesis; sic Sepulchrum Christi, fuit thalamus, in quo cælestis Sponsus, procedens de hoc thalamo, junxit simul Animam Corpori, & inde Ecclesia in uxorem assumpta, crevit & multiplicata est, in tot fidelibus.

In Evang. Luc. fol. 49.

Sextò, quantum ad excessum Sepulchri Christi, mystici Paradisi, ab illo. In Paradiso, Adam transgressus mandata Divina, mortem nobis intulit, per peccatum originale: Christus Sepultus in horto, ad significandum, ut dat rationem Angelicus Doctor, quod *per mortem & Sepulturam ejus, liberati sumus à morte, quam incurrimus, per peccatum Adæ in horto Paradisi commissum.* Et S. Cyrillus Alexandrinus in Joan. Cap. 42. *MONUMENTUM autem in horto erat, quæ res significat, recursum nobis ad PARADISUM, morte Christi esse præparatum.* Et sicut ex arbore mali, omne malum universo generi humano enatum est; sic ex Sepulchro, sub arbore ligni Crucis consito, omne bonum humano generi, emorsit. Videntur id indicare verba Sponsi, Cantic. 8. *Sub arbore malo suscita-*

3. Part. q. c. 9. q. 11. Artic. 2. ad 4.

vers. 6.

suscitavi te, ibi corrupta est Mater tua, ibi violata est genitrix tua, quasi diceret Sponsus, alloquendo Sponsam: quandoquidem sub ligno seu arbore mali, jam olim in Paradiso peccando, corrupta & violata est genitrix, id est Mater viventium natura humana, sumendo scilicet malum, seu pomum de ligno vetito, & inde facta nimis infimæ ac deterrimæ conditionis; Ego te iterum ô Sponsa, sub arbore suscitavi & excitavi, id est ex horto Sepulchri sub ligno Crucis situato, & ibi te peperit genitrix & Mater tua, scilicet Sepulchrum, ut esses iterum Sponsa, & amica mea, & unicè dilecta; & hinc in meliorem statum & conditionem, tuam vilitatem, & ignobilitatem gener.s, patriæ, ac nativitatis, ex hoc Paradiso, scilicet Sepulchro, noveris reparatam. *Quippe sicut flos surgit è terra, induens incognitam pulchritudinem, sic Christus in Sepulchri Paradyso, novus Adam induit immortalitatem,* ait Villaroél Tom. 1. Tavtolog. 5. Didasc. 17. numer. 2. ad fin. Tum sicut Adam Paradisum per peccatum, in labyrinthum convertit, in quo errans nimis, viam salutis ignoravit, quam sibi peccatô originali præcluserat; è contra hanc Christus in Sepulchro demonstravit. Ut illa

Psalm. 15. verba Psalmistæ: *Notas mihi fecisti vias vitæ, adimplebis me lætitiâ,* pertractans occasionaliter Didacus de Celada, ita alludit ad Se-

Comment. in Ruth. Cap. 1. v. 17. §. 83. fol. 158. pulchrum Christi dicens: *Christus mortuus & sepultus, in mortis ac SEPULTURÆ tenebris, viam invenit ad vitam, gloriosa Resurrectione redivivus.* Et propterea observat idem, quod in plurali dicat, nomine *vias*; quia, ut inquit idem: *Primus pater Adam, primævi sceleris reatu, in hoc Sepulchrali mortis labyrintho, cæcis ad vitam itineribus erravit; Christus in SEPULCHRI labyrintho, vias vitæ per Resurrectionem invenit.*

Septimò, in Paradiso mulier propinavit viro mortem, dum porrexit fructum arboris, comestu prohibitum, à Sepulchro Mulier Magdalena, vitam propinat, dum porrigit notitiam discipulis, fructum ligni Crucis incorruptum, ex Sepulchro exivisse, Ut S.

Homil. 25. in Evang. Gregor. *quia in Paradiso mulier viro propinavit mortem; à SEPULCHRO mulier viris annuntiat vitam.* Et sicut Deus in Paradiso objurgavit mulierem, ob porrectum Adamo pomum; sic Christus ad Sepulchrum suum, in forma hortulani apparens, correxit ac emendavit Magdalenam: ut de illa Gregorius Nyssenus scribit.

Orat. 2. in *Forsitan autem non abs re, hortulanum putabat JESUM, sanè ipse verus*

rus & immortalis Agricola Paradisi erat, in horto MONUMENTI, sicut in PARADISO mulierem, quæ Adamum, primum hortulanum, per incredulitatem deceperat, lapsam erigens ac emendans. Tum sicut mulier, Paradisum in Sepulchrum commutavit; & ex Paradiso orta Sepulchra; testatur S. Petrus Chrysologus: *Mulier est titulus Sepulchri, quia nomen dedit Sepulchro, dum Adam in peccatum induxit, per quod nobis mortem comparavit & Sepulchrum*; ita mulier Sepulchro Christi, melioris Paradisi nomen indidit, dum illud videre venit, ut inde recuperaret fidem, unde perpetuum, prævaricationis suæ, sustinebat opprobrium: Ut super hæc verba: *Venit Maria, & altera Maria videre Sepulchrum*, idem S. Chrysologus asserit: *Quæ de Paradiso perfidiam sumpserat, festinat fidem sumere ex Sepulchro, contendit rapere de morte vitam, quæ de vita rapuerat mortem.* Demum, in Paradiso visus arboris pulchræ, mulierem deceperat: è contrario, mulieres visus Sepulchri illuminavit, & ad actus salutares fidei perduxit. Idem S. Chrysologus super hæc verba: *Venit videre Sepulchrum*, dicit: *Ut quam deceperat arboris visus, visus repararet Sepulchri, & quam prostraverat illecebrosus aspectus, aspectus salutaris attolleret.* Clausit diabolus oculos mulieri in Paradiso, ne ita perspicaciter agnosceret sortem suam, à qua excidenda erat, sumptô pomô; Sepulchri aspectus, oculos mundavit mulieri, ad videndam felicitatem suam ac voluptatem, quanta expectabat illam, post Sepulchrum visum. *Videte locum, ubi positus erat Dominus.* Unde infert Thomas de Aquino, Clericus Regularis: *SEPULCHRUM Christi est, quod oculos purgat.* Quicunque peccatorum tenebris offunditur, intueatur Sepulchrum Christi, quod est cælestis in terris Paradisus, destinatum æternis voluptatibus.

Christi Resurrect.

In Scholion. ad Sermon. 79. num. 3.

Idem Serm. 77. num. 8.

Serm. 74. num. 4.

Ibid. num. 7.

In Annot. Moral. super Evang. Quadrages. fol. 366.

Octavò. In Paradiso primus Adam, esto esset nudus, minus tamen erubuit: in Sepulchro Christus linteamina reliquit, & nudus egressus est, ut nostram illis tegeret erubescentiam, & ex Sepulchro in statum innocentiæ reinduceret. Doctissimus observat Sylveira: *In statu innocentiæ, nudus degebat Adamus in Paradiso, absque eo, quòd erubesceret; nudus è Sepulchro resurgit Christus, absque sudario & linteaminibus, ut videatur per ejus resurrectionem, recuperatus antiquus status, in Adamo amissus.*

Comment. in Evang. Matth. Tom. 5. libr. 9. Cap. 11. qu. 2. n. 18.

Nonò. Collocavit Dominus, ante Paradiſum voluptatis Cherubim, ad cuſtodiendam viam ligni vitæ; id eſt Angelos ex ordine Cherubinorum, ut arcerent ab acceſſu ligni vitæ; ut hîc Tyrini exponit. Sic Deus ex eodem ordine deſtinavit Angelos, ut dictum fol. 27. qui locum Sepulchri Chriſti cuſtodirent; non arcentes, ſed invitantes, ac monſtrantes purum ac innocentem acceſſum ad Sepulchrum; ut immediatè citatus Commentator docet: *Sicut unus fuit Cherubin pro cuſtodia Paradiſi, prohibens acceſſum ad locum ligni vitæ, duo verò modò ſtant pro cuſtodia SEPULCHRI, à quo verum vitæ lignum Chriſtus ſurrexerat; niſi quod ille in oſtio Paradiſi, flammeô gladiô arcebat ab ingreſſu: at ad SEPULCHRUM Angeli in albis alliciebant, ac invitabant.* Arcent tamen, ab hoc Paradiſi ingreſſu, omnes prævaricatores, indignos, ac in peccato mortali conſtitutos. Sicut enim ille Paradiſus, non eſt paſſus intra ſe lethali inquinatum ſcelere; ſic nec Sepulchrum Chriſti tales admittit, ſed foris repudiat. Quanquam Deus ipſe, qui illi Paradiſo Angelum præfecerat, ita terribiliter inſtructum; huic Sepulchro Angelos miſit, in gratiſſimo ac amicabili ornatu, qui ſuâ præſentiâ, nobis apertum demonſtrarent Paradiſum, dum revolverunt lapidem, ut ſic omnis pia anima, ſanctaque cunctorum deſideria, patentem habeant introitum. Imò dum lapis Sepulchri revolveretur, Angelus ille à Paradiſi cuſtodia, remotus eſt. Inquit Haymo: *Sed Dominus JESUS Chriſtus, qui eſt magni conſilii Angelus, ab oſtio Monumenti lapidem revolvit, quia reſurgens; Cherubim & flammeum gladium, atque verſatilem à via Paradiſi removit*; oſtendens feliciorem plantari à ſe Paradiſum Sepulchrum, cui dum inſitum fuit, hoc vitæ lignum, tantos in illo reliquit fructus, qui prægustati non mortem, ſed vitam adferunt. Proinde non arceri propter aditum debet, ſed in aperto patere, ut frequentiùs viſitetur locus ille voluptatis, ac ſtatus prioris integritatis, per acquiſitionem ſupernaturalium donorum ex illo, in quolibet homine diutiùs conſervetur.

Tom. 5. libr. 9. Cap. 11. quæſt. 6. num. 49.

Homil. in die S. Paſch.

PETRA.

Si Sepulchra, Domus æternæ nominata; ſi Monumenta, Latinis, memoriæ dicta: Sepulchrum Chriſti, triduani incolatûs, æternæ tamen gloriæ habitaculum, noſtri decoris domicilium, quia

quia futurum erat sempiternum, primæva suæ gloriæ fundamenta, in nativis petris posuit. Nunquam casum subitura erat superstes Monumenti fama, cujus immortalitati elaborandæ, solidæ insistebant petræ. Nullæ hostium, quantumvis igne spirantes minæ, è sua situatione, exturbare præsumpserunt; in cujus firmamentum, tot ingentes sæculorum petræ, se submiserunt, & effecerunt, in expugnabile fortunæ nostræ fortalitum, Antemurale Christianitatis munitissimum. Si Ecclesia fundata supra firmam petram, stat suo robore inconcussa: Gloria Sepulchri Christi, quia duratura erat, sine ulla unquam sui ruina, tot præsidiis cincta, quod ambiunt illud *eminentes petræ ex utraque parte*, scilicet 1. Reg. cap.
veteris etiam testamenti, & ut Eccl. 26. vers. 24. *Fundamenta æter-* 14. v. 4.
na, super petram solidam.

Rupes enim illa Sarcophagi Divini, est petra, super quam Moyses, daturus legem & præcepta Domini, articulosque bonæ vitæ, jussus est stare: *Et stabis supra petram*; quia Christus, de Exod. 33. v.
quo dicitur: *Ecce dedi te Ducem & præceptorem*; daturus nobis & 21.
publicaturus legem gratiæ, mandata magna & nova; non in alio loco constitit, nisi in petra Sepulchri. *Ecce locus est apud me, & stabis supra petram*, ex qua nos docuit omnia, quæ nunc sciuntur, vel sciri desiderantur. Vel si Sancti Angeli, sunt Duces & Præceptores nostri, hi prædicatores ac præcones, non in alio constituti loco, nisi in petra Monumenti Christi, qui nos, ejus Resurrectionem, Monumenti observantiam, edocuerunt. Ab hoc facto docemur, præcones ac prædicatores, non priùs nos publicaturos populis verba salutis, doctrinam Evangelicam, nisi prævio ascensu, super Sepulchri petram; id est præmissa veneratione S. Sepulchri; ut solidissimè advertit hîc Paulus de Palacio: *Primùm igitur prædicator, Christi SEPULCHRUM ingrediatur, pie & devote Christi sacerrimam Passionem, Crucem*, (addo & Sepulchrum) *meditando. Si enim Judæi attendere ad petram, unde excisi, jubentur, &* Isaiæ 51.
ad cavernam laci, unde erant præcisi; cur non potiùs Christiani, maximeque prædicatores, ad cavernam, unde nostra manavit justificatio, & resurrectio, attendamus? Si Moyses stare supra petram, imò in foramine petræ, poni præcipitur, ut legem Domini, quam populo proponat, Exod. 33.
suscipiat; quantò potiùs prædicatori, intrare in PETRAM SEPULCHRI, præcipiendum erit? Unde & subsequentia verba, dicta

Moysi: *Cumque transibit, gloria mea, ponam te in foramine petræ, & protegam dexterâ meâ*; sive ut alii, referente S. Augustino, interpretantur: *Et ponam te, in spelunca petræ*; applicari videntur Christo, ponendo in foramine Sepulchri. Non legitur enim, positus fuisse Moyses in foramine petræ, sed his indicari videbatur, quòd cùm transibit, id est adveniet gloria Dei Patris, quæ fuit in accommodata tam dignè Sepultura Filio, ponam te, quia ponetur Christus in foramine Sepulchralis petræ, & proteget eum dextera Patris; ut de ipso dicit his verbis apud Psalmistam: *Dextera tua suscepit me*; quæ exponens Jorgius Cardinalis, inquit: *Dextera tua; id est: Dextera Patris tui, tunc suscepit Christum, Filium suum hominem, quando animam ejus in inferno, & Corpus de SEPULCHRO eduxit.* In hoc textu Exodi, Sepulchrum Christi denotari firmat, vetustissimus ac celeberrimus Doctor Judæorum & Princeps, Rabbi Jehuda Haccadosch in libro Rabbi Abrahami, qui ex Hebraico: *Revelans arcana* inscribitur; ut refert Paulus Weidnerus, sanctæ lingvæ, in Archigymnasio Viennensi Cæsareo Professor, ex Judaismo conversus, sic differens: *Post triduum verò Anima Messiæ, ad Corpus suum revertetur, & exibit ex illo lapide, in quo erit Sepultus, sicut dictum est Exod: 33.* Ecce locus est apud me, stabis super petram, cumque transierit gloria mea ponam te in foramine petræ. Quem textum, etiam prophetiis annumerat Hvetius.

Quæst. in Exod.

Psalm. 17.

Comment in Psal. fol. 198.

Propos. 9 cap. 142. fol. 942.

Hæc est petra Etam, in quam descendens Samson habitavit; & ex illa duobus novis funibus ligatus, exiens: *Ligaverunt eum duobus novis funibus, & tulerunt eum de petra Etam, & vincula, quibus ligatus erat, dissipata sunt & soluta, & Philisthæos percussit.* Quia scilicet Christus Dominus, fortissimorum fortissimus, descendens in speluncam petræ, ibi duobus novis funibus, scilicet novo Sepulchro, & linteaminibus novis ligatus; refocillato spiritu, id est reassumptâ Animâ, hæc vincula solvit; id est reliquit Sepulchrum, intactum tamen, per quod major apparuit fortitudo, quàm Samsonis; linteamina ac sudaria, in unam fascem convolvit, & exiens percussit tam Pharisæos, quàm diabolum. Vel ut hic interpretatur Emmus Hugo Cardinalis: *Duo funes, quibus ligatus est Samson, sunt mors & Sepultura Christi, & dicuntur novi, quia novum & inauditum fuit, quòd Filius Dei moreretur & sepeliretur.*

Judic. 13. v. 13.

Fol. 209.

Sed

Sed Samson vincula rupit & Christus & mortis & Sepulturæ vincula, in Resurrectione dissolvit. Unde Psalm. 115. *Dirupisti vincula Domine.*

Hæc est petra, *quæ fundebat mihi rivos olei* Job Cap. 29. vers. 6. Ex hac petra Sepulchri, effusum est svavissimum oleum Nominis JESU, & inde hoc oleum, propagatum per Orbem universum; fundebat copiosissimum oleum Divinæ gratiæ sanctificantis, quâ inunguntur animæ, ut venustæ semper appareant in conspectu Dei. Ab hac petra Sepulchri, promanavit oleum benedictum: non solum enim in Sanctorum Basilicis; sed etiam in illis locis, quæ insigni aliquo Redemptoris nostri beneficio, ejusque contactu & præsentiâ fuerunt illustrata & sanctificata, oleum ponebant benedictionis, gratiæ, in templis, Bethleemitico, Calvariæ, & apud Sepulchrum Christi. Quæ omnia ex S. Paulini versibus, libr. 5. de Vita S. Martini colliguntur:

Jacobus Gretser de Cruc. Libr. 1. Cap. 91.

Namque ut sæpè solent, præcauto corde, fideles
Vasa oleo opplere, & servandæ adducta saluti,
Vel justis offerre viris, vel condere Sanctis
Relligione locis &c.

Et enumerato loco Bethleem, Calvariæ; de horto, ubi Christi Sepulchrum, sic canit:

Aut ubi disrupti, felicia concava saxi,
Attactu gavisa Dei, sine lege Sepulchri,
Mox surrecturis, patuerunt subdita membris.

Tale itaque oleum benedictum, emanavit de petra Sepulchri, conservandæ saluti, & justis oblatum viris. Petra hæc fundebat rivos olei, id est ab illo loco, tot uncti Reges, Pontifices, ac Sacerdotes Sanctissimi, uncti Christi; & tanquam rivi olei, spiritualis vitæ cibo, sapidissimi promanarunt. Vel ut Deuteron. 32. de eadem petra dicitur: *ut sugeret mel de petra, oleumque de saxo durissimo*; quibus verbis indicari Tyrini dicit, montes Palæstinæ tam fertiles esse, ut apes etiam in petris mellificent spontè, & olivæ mire fructificent. Hæc fertilitas, multò competentior est Sepulchrali Petræ Christi, quæ ita sponte mellificavit, ut dulcius hyblæô, nectar eliquaverit. Talem illi dulcedinem attribuit Bourghnesius: *Cæteris Sepulchris inscribitur: Hic jacet; huic* (id est Divino) *inscribendum ænigma Samsonis* Judic. 14. v. 18. *De comedente exivit cibus, & de forti exivit dulcedo.* Cum enim juxta S. Aug. quæstio ista, nihil aliud signifi-

In Hist. & Harmon. Evang. cap. 145. fol. 1022.

Serm. 107. de Temp.

ſignificet, quàm Chriſtum à mortuis reſurgentem, benè propoſitum problema, taliter ſolvi poteſt: *De comedente*; id eſt de Sepulchro Chriſti; huic enim ad inſtar comedentis, per introſumptionem, Corpus Chriſti immiſſum eſt; & Sepulchrum Chriſti nomine ventris ac uteri, item piſcis Jonam devorantis exprimitur. *Exivit cibus* ille, qui dixit: *Ego ſum panis vivus, & de forti egreſſa eſt dulcedo*, ſcilicet de fortiſſima Sepulchri petra, egreſſa eſt dulcedo noſtra Chriſtus. Tum ſicut in illo ænigmate obſcuro, latebat pura veritas, quod Samſon invenerat mel in cadavere leonis, in parte comeſtibili, id eſt in ore; ita fortiſſimi Spiritu, de ore & oſtio Monumenti Chriſti, per fortitudinem Dei, id eſt Gabrielem Angelum aperto, in quo Chriſtus accubans dormivit ut leo, inveniunt mel, omne delectamentum in illo reperiunt, & omnis ſaporis ſvavitatem. Quid enim dulcius poteſt eſſe? quid ſvavius? quàm interna Spiritûs conſolatio? Hanc mirum in modum, ex petra Sepulchri exſugunt, quicunque illam, devoto ore lambunt. *SEPULCHRUM exoſculantur devote*, (inquit Hieronymus Natalis) *& percipiunt ſingularem Spiritûs conſolationem & guſtum.* Imô quàm ſit ſalubre, Sepulchrum Chriſti viſitare; vel inde, quia ibi mellea in anima ſvavitas, prægustatur. Deus ipſe teſtatur, dum de adeuntibus loca ſacra, & nominatim Sepulchrum Chriſti, in revelationibus B. Birgittæ dicit: *Ergo qui ad loca iſta venerit mundus, cum bona & perfecta voluntate, habebit videre & guſtare, quàm dulcis & ſvavis ſum ego Deus.* Illis Pſalmiſtæ ſubſerviunt verba: *Et de petra melle ſaturavit eos*; quia ſcilicet omnes devoti, peregrini, viſitatores, Canonici Ordinis Noſtri, de hac petra Sepulchri melle ſaturati. Mel hìc ſumit Lorinus, pro vario genere ſvavium fructuum. Tali melle, id eſt univerſis virtutibus, ex petra Sepulchri ſaturati fuerunt, primævi Ordinis Noſtri Anteſignani. Nectare dulcis illis labor quicunque fuit, dum more apum, mellificabant in petra; id eſt opera grata ac pura, continuò exercebant, in honorem S. Sepulchri JESU. Deus ergo Sepulchri ſui petram, quæ ante dura & infæcunda fuit, fecit rem, quaſi dignam admiratione, quòd adeo abundaverit omnibus, ad vitam animæ neceſſariis, quod ſatis ſuffecerit ad ſaturandum, quacunque ſvavitate populum ſuum. Et propterea additum: *Mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo*; quia inde liquor dulcedinis mellifluæ, ac ſolidæ Evangelicæ doctri-

De Reſurr. Dom. fol. 427

Revelat. 13. lib. 5. quæſt. fol. CI.

Pſalm. 80.

doctrinæ fluxit, quo Sancta Ecclesia stabilitur ac nutritur. Si igitur aliquid ingrati, acerbi in Religione senseris, vel non ad gustum tibi acciderit, constituas te super petram Sepulchri contemplatione, ac mentali locatione, & suges mel de petra, internis repleberis consolationibus, senties in Spiritu dulcedinem, & nutrimentum suppeditabit tibi, svave oleum gratiæ Divinæ, ut quæque à petra Sepulchri, dulcescant amara. Præterea mel & oleum de petra; quia Ecclesiæ Catholicæ Sacramentorum virtus, ex Sepulchro Authoritatem & firmitatem habuit. S. Gregorius homil. 26. in Evang. *Oleum de petra; quia ex Sepulchro, resurgente Christo, unctio Spiritus Sancti subsecuta.*

Hæc est petra, super quam Manue, hædum posuit, offerens Domino, qui facit mirabilia. Petra enim Sepulchri, erat Altare lapideum, ut sub titulo. *Altare,* dictum; in qua oblata fuit hostia Deo, in recognitionem mirabilium operum, patratorum in opere redemptionis consummatæ. Manue, qui requies interpretatur, Josephum ab Arimathæa, in requiem, id est in Sepulchrum Christum deponentem expressit, de quo ni fallor Eccl. *Oblatio justi impinguat Altare, & odor svavitatis est, in conspectu Altissimi,* quia Joseph ab Arimathæa dictus justus, oblationem deposuit in Altare Sepulchri scilicet Corpus Christi, & odor svavitatis ungventorum, erat acceptus in conspectu Altissimi. Hic Joseph tulit hædum in Cruce immolatum & occisum, & posuit super Monumenti petram, offerens Domino, cujus admirabile est Nomen ejus, & qui facit mirabilia magna solus. *Cùmque ascenderet flamma Altaris in cælum;* quòd ex illo lapide processit ignis consumens holocaustum, interpretatur Lyranus; quia cum ex illo lapide, processisset in sublime ignis consumens Christus, sive ignis ille amoris, qui inclusus Sepulchro fuerat, cum usque ad cælum pertingeret, seu flamma illa Altaris exiliens, luce claræ manifestationis fulgeret. *Angelus Domini, pariter in flamma ascendit;* quia verè Dei Angelus, ad certificationem veri exitûs Christi de Sepulchro, ascendit in Monumentum, & sedit; *in flammâ;* quia aspectus ejus velut fulgur, ad cujus ascensum pavore concussi custodes.

Judic. 13. v. 19.

Cap. 35. v. 8.

Hæc est petra, in qua Ecclesia Hierosolymitana, se fatetur per os Davidis exaltatam: *In petra exaltasti me.* Ecclesia enim Hierosolymi- Psalm. 60.

solymi-

ſolymitana, exaltata eſt in petra Sepulchri; quia omnem ſuam dignitatem, præeminentiam ac exaltationem, accepit ex ratione Sepulchri Domini, in illa contenti. Anonymus enim in Hiſtor:
Fol. 1162. num. 40. Hieroſolymit: de translatione oſſium Friderici Imperatoris (ſepulta carne in Antiochia) ad Eccleſiam Hieroſolymitanam, ſcribens dicit: *Dignum quidem, & Deo ordinatè procuratum, ut eam Eccleſiam incoleret, quam Domini SEPULTURA præeminentiùs extulit.* Præterea dum anxiaretur, id eſt premeretur tot hoſtium incurſionibus, devaſtationibus, ſpoliationibus, non aliud habuit tutamen, ne in ultimam deveniat deſolationem, niſi petram Sepulchri; & ab hac fatetur ſe eſſe exaltatam: *Dum anxiaretur cor meum*, id eſt internè turbaretur omni ſuo decore, *in petra exaltaſtime*, tanquam tutiſſimo loco, Sepulchri tui protexiſtime; quia in hac rupe ſolidior, nulla vi everſa, ut monſtrabitur libr. 3tiò. Inſuper Humanitas exaltavit Deum in Sepulchro, illis verbis: *Exaltabo te Domine, quoniam ſuſcepiſtime*, ſcilicet, ut exponit Remigius, Epiſcopus Antiſiodoren. *Me*, inquit, *caput ſuſcepiſti de Sepulchro*; ſal-
Enarrat in Pſalm. vaſtime, *id eſt carnem meam, à deſcendentibus in lacum; non enim computruit caro mea in Sepulchro*: adeoque in petra Sepulchri, exaltata eſt Caro Chriſti.

Hæc eſt petra, de qua Pſalmo 77. vers. 19. *Et eduxit aquam de petra & deduxit tanquam flumina aquas.* Chriſtus enim alter Moy-
Deut. 32. ſes, legis gratiæ lator, de quo dicitur: *Dominus ſolus Dux ejus fuit, & non erat cum eo, deus alienus*, ligno arido Corporis ſui, ſive ligno Crucis, dum percuſſit Sepulchri petram, ſeu eandem attigit appoſitione, eduxit copiam aquarum multarum; nimirum copioſiſſimas gratias: ex qua petra, veluti ex perenni memoriali petræ
Pſal. 113. v. 8. illius, fluenta gratiarum, & miraculorum eruperunt. *Convertit petram in ſtagna aquarum, & rupem in fontes aquarum*; nimirum Corpus ſuum convertit in ſtagna aquarum, dum in morte Chriſti continuò effluxit Sangvis & aqua; & rupem Sepulchri in fontes aquarum, profluentium beneficiorum. *At ipſe tanquam PETRA* (inquit Macarius Archiepiſcopus Philadelphienſis) *geminam aquam dedit; nunc aquam cum Sangvine poſt mortem ex latere profundens; nunc verò vitæ poculum ex SEPULCHRO, terrarum orbi miſcens, quod verè gaudii & pacis cauſa eſt.*

Hæc

Hæc est petra, quæ est refugium herinaciis, ut Psal. 103. dicitur: *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaciis*; quasi his verbis innueret David: Mons ille Calvariæ, sub quo factum est excelsum Sepulchrum Christo, ad quod confugit, in petra fundatum, idem est refugium hominibus. Cervi sive cervæ nomine, intelligitur à Jorgio Cardinali, & à Michaële Aygvani, Commentariis super Psalmos; natura humana; quia sicut cerva de nocte latitat in cubili suo, à quo mane prosilit, apparens in manifesto: sic Christi Humanitas, quasi in cubili, scilicet Corpus in Sepulchro latebat; manè autem diei tertiæ resurgens, apparuit in manifesto. Et Jacobus de Valentia Commentar. in Psalm. in titulum Psalmi 21. qui secundùm Sanctum Hieronymum inscribitur: *Victori David, Psalmus pro cerva matutina*, sic dicit: *Per quam intelligitur Humanitas Christi. Nam sicut cerva, magis tempestivè, inter cætera animalia se recludit in latibulo ad dormiendum, sed summo manè, præ cæteris surgit, & saltat exiliens de latibulo: ita pariter Christus depositus de Cruce, horâ ante occasum solis, repositus & clausus est in SEPULCHRO; sed summo manè ante ortum solis, surrexit & saltavit ab eo, cum apparuit Magdalenæ & cæteris Apostolis. Propterea assimilat se Genes. 49. Cervus emissus, dans eloquia pulchritudinis.* Hunc cervum, id est Christum insecuti sunt venatores, Principes Sacerdotum; ut Thren. 3. *Venatione ceperunt me*, mittentes sagittas suas; id est dicentes: *Crucifige eum*: Canes venatici, milites; de quibus dicitur: *Circumdederunt me canes multi.* In ista venatione, diu cervum insecuti; hic in uno angulo, seu Sepulchrali petra se abdidit, quem & ibidem obsederunt; sed tandem Cervus aufugit, & evasit manus insidiatorum: *Fuge dilecte mi, & similis esto capreæ hinnuloque Cervorum super montes aromatum*; ut taliter explanant citati Expositores. Quòd ergo Christo, factum est refugium, petra Sepulchralis; hæc eadem Cervis, id est magnis Spiritualibus Viris, rapido cursu tendentibus; id est frequenti ac celeri perfectione ad montana: *Et herinaciis seu lepusculis*, hoc est timidis ac scrupulosis, sive minimis, imò & maximis peccatoribus. Et quisquis hostium tuorum impetiris telis, latratu detractionis famæ, vocibusque caninis oblatraris, fuge dilecte mi ad petram, sub monte excelso Calvariæ jacentem, aromatum plenam, Sepulchrum Christi; ibi & famæ læsæ refugium invenies, & absque ullo morsu, securus evades.

Super Psalm. 21. titulum.

Fol. 218.

Vers. 21.

Psalm. 21. v. 17.

Cantic. 8.

Hæc eſt petra, in cujus foramine, columba innocentiſſima, id eſt puriſſimum Corpus, absque omni peccati felle, latibulum in-
Cantic. 2. venit: *Columba mea, in foraminibus petræ.* Monumenti enim oſtium, Cyrillus Hieroſol. Catech. 14. illud dicit, de quo in Canticis in foraminibus petræ, & ſubdit: *Foramen petræ dicit* (ſcilicet Sponſa) *id, quod tunc ante oſtium Salvatoris Monumenti, erat foramen ex eadem petra, ſicut hîc ſolet eſſe ante monumenta, exciſum.* Præterea hæc verba Cantici, legit Pagninus: *in latibulis & cavernis, quæ fiunt circa Arces, ſeu muros Civitatis.* Petra Sepulchri Chriſti fuit in abſcondito, fuit caverna circum Arces, ſeu muros Civitatis Jeruſalem, in qua tunc ſe contulit columba Chriſtus, dum à rapacibus accipitribus, ſcilicet Judæis, fuerat impetita, firmam ſibi providens requiem. Petra Sepulchralis Chriſti eſt latibulum, & receptaculum ſimplicium, candidarum, & omni prava amaritudine, carentium animarum, ad quod ſecurè ſe confert & latitat, quicunque candorem, ſimplicitatem, & innocentiam amat. Bona hæc foramina, quæ fidem adſtruunt reſurrectionis, & Chriſti Di-
S. Bernardus. vinitatem patefaciunt: *Surrexit, non eſt hîc.* Unde hoc reportatum oraculum? niſi ex foraminibus Sepulchralis petræ. Tantò ibi ſecurior habitatio, quantò & potentia Salvantis, & fides firma in Salvatorem, non dejicit à formidine.

Hæc eſt petra, cujus viam, ſe ignoràſſe, ille ſapientiſſimus
Proverb. 30. Regum, dicit: *Viam aquilæ in cælo, viam colubri ſuper petram;* id
v. 19. eſt, hæc myſteria difficilia fuerant captu, huic Regi: Chriſti cælos penetratio, per Aſcenſionem ejus facta, quam per viam aquilæ in cælo intelligit Lyranus; & Chriſti Reſurrectio, clauſò Sepulchro, per viam colubri in petra deſignata, idem Lyranus hîc: *Chriſtus enim paſſus, per ſerpentem, vel colubrum deſignatur, ſecundum quod dicitur Joan. 3.* Sicut exaltavit Moyſes, ſerpentem in deſerto, ſic exaltari oportet Filium hominis: *Chriſtus autem paſſus & Sepultus in Sepulchro lapideo, inde mirabiliter exiit in ſua reſurrectione, clauſô Sepulchrô; & ſic tenuit viam colubri ſuper lapidem.* Et de tali difficultate, ac intelligibilitate hujus viæ ſuper petram Sepulchri, procedunt illa verba Sapient. 4. *Videbunt finem ſapientis, & non intelligent, quid cogitaverit de illo Deus, & quare munierit eum Dominus?* Id eſt videbitur ſapientiſſimi Chriſti finis, id eſt mors, & non intelligent, non aſſequentur, nec pervenient ad hanc cognitio-

gnitio-

gnitionem, quid de illo facere Deus decreverit, & quod constituerit Deus eum resurrecturum: hæc enim notitia, à multorum intellectu abscondita; & quare, tum lapide Sepulchrali, tum petrâ, tum custodiâ militari, eum munierit Dominus? Hanc ergo viam, & exitum illius, de his munitionibus, non facilè in ante cognoverunt, nec intellexerunt, nisi expost; adeoque munitio petræ, etiam pervicaces sensus hebetavit, & sapientissimo Regi ad intelligendum difficilis fuit, quia honorem suum, in occultis Sapientiæ abditis, tantisper celavit, ut sui notitiam celebriorem ex post faceret. *Viarum enim Christi* (inquit Angelus del Pas) *una & maxima est, post triduum, è SEPULCHRO signato resurgere. Unde eam Salomon inter tria difficilia cogitatu statuit, vocavit viam colubri super terram. Colubrum dixit Christum, juxta figuram serpentis ænei, quem Moyses in salutem populi erexit. PETRAM appellavit SEPULCHRUM, ex petra conditum.* In qua hebescit tantum ingenium, ubi tam acutè & subtiliter, viâ facti procedit Rex redivivus, non dirutâ petrâ, nec lapide fissurato.

In Symbol. A-post. Expos. libr. 7. de Artic. 5. cap. 28.

Confirmantur figuræ, conglobatim adductæ, de Petra Sepulchri Christi, Authoritate Beati ac Venerabilis Simonis de Cassia, S. Augustini, Eremitarum Doctoris, explanantis hæc verba: *erat excisum de petra*, sic agente: *Sepultus est Dominus JESUS in petra. Ecce petra excisa, de qua populo Dei plenitudo, & aquarum copia magna defluxit. Ecce petra Remmon, ad quam ut evaderent, se Benjamin filii contulerunt. Ecce petra, quæ Job rivos olei refundebat. Ecce petra Sancta, refugium peccatoribus herinaciis. Ecce petra, in qua dum anxiatur cor hominum, si ad illam per fidem refugit, exaltatur. Ecce petra, ad quam malæ nostræ peccatorum soboles alliduntur.* Ad hanc itaque petram allide & tu parvulos tuos, ut tibi svadet Psalmista, Psalm. 136. *Beatus, qui allidet parvulos suos ad petram*, id est parvas imperfectiones, seu peccata venialia, ut hæc etiam ad petram Sepulchri Christi confracta, dispereant: Scias enim (quasi diceret superioribus verbis Psaltes) non tantùm hunc esse beatum, qui ingentes scopulos, scyllas, ac tumentes fluctus; id est peccata magna, ac in altum excrescentia, allidit ad Sepulchralem petram; sed obtinendæ beatitudini tuæ pernecessarium etiam est, ut morales imperfectiones, parvas transgressiones, leves, ac quæ tibi pro parvis videntur & sunt, ad

Libr. 13. de Pass. Dom. fol. 400.
Numeror. 20.
Judic. 2.
Job. 29.
Psalm. 103.
Psalm. 60.

Sepulchralem allidas petram, ne ulterius crescant; & facta tali spirituali allisione, occidas; ne dum adoleverint, in te magis sæviant.

PUTEUS.

Altitudinem gloriæ Sepulchri, ad profunda putei deducimus. Quò in humilioribus figurata locis, eo celsior majestate sua, venerabunda assurgat. *Fons hortorum*; id est ex omnibus præclarissimus, hortus Josephi, ex quo erupit fons vitæ, uno nectitur
Cantic. 4. v. 15. ligamento: *Puteus aquarum viventium*, scilicet accumulatorum, ac novorum beneficiorum. Sepulchrum Christi, declaravit ingens
Joan. 4. v. 11. humilitatis exemplum, tenet & altum gloriæ: *& puteus altus est.* Ubi Agar accepit ab Angelo, juxta puteum, bonum nuntium, de conceptu & partu filii Ismaëlis, eò, *quod audierit Dominus afflictionem ejus*, appellavit *puteum viventis & videntis me.* Agar ani-
Genes. 16. v. 14. mam peccatricem, & pœnitentem, juxta Ferum hic, significans, Magdalenam vocabuli nomine designabat; quæ dum mirè afflicta fuisset, circa recessum à se Domini, venit ad puteum, scilicet ad Monumentum, & ab Angelo bonum accepit nuntium, quòd sterile & saxosum Sepulchrum, Deo omnia benedicente, Divino imprægnatum fœtu, concepit & peperit Filium Primogenitum, cujus nomen est JESUS. Nonne Sepulchrum, *puteus Dei viventis & videntis me?* ut ipsa testatur: *Vidi Dominum*, & confestim fuit visa à Domina; ab eadem Magdalena nominandum est.

Sepulchrum Christi, conformitatem aliquam, similitudinemque videbatur præferre, quoad diversitatem appellationum, in puteo Isaac, de quo Genes. 26. à vers. 17. usque ad 22. In diversis enim illius putei cognominibus, videbatur designari, multiformis statûs, putei Sepulchri Christi, varietasque temporum ac revolutionum, in quibus existebat Sepulchrum Christi. Hunc enim puteum fodit homo, & servus veri Dei Joseph ab Arimathæa, quem traderet in possessionem Isaac, id est Filii Dei, Corpori reponendo, & ob hanc causam, vehementer magnus effectus est & locu-
Tom. 3. in Cap. 19. Joan. homil. 84. pletatus; ut ita existimat S. Chrysostomus: *Mihi videtur nobilissimum fuisse Joseph, quod ex SEPULCHRO constat.* Imò & ipse Isaac Christus, ad locum illum putei, id est Sepulchri, initium gloriæ nominisque sui venerationem, auspicatus est. Cui invidens diabolus

bolus eundem puteum obſtruxit primò, dum illum humô, ac cæteris deſuper ruderibus ſordidis obduxit, ac occluſit: Sed dum Helena Imperatrix, hujus putei cernendi avida, & ex illo ad potandam ſalubrem aquam toti generi humano educendam ſollicita, apertionem inſtaret; fodit in Torrente, id eſt juxta Montem Calvariæ, & ibi reperit puteum aquæ vivæ. Sed poſtquam jurgium factum eſſet Perſarum, Saracenorum, Turcarum, adverſùs paſtores Iſaac, id eſt fideles Chriſtianos, jure ſibi meritò vendicantes, & appropiantes hunc puteum: *Noſter eſt puteus*, noſtraque aqua, quæ ex latentis, in hoc puteo Sepulchrali, Chriſti latere profluxit: Et ex illis, quæ acciderant jurgiis, protunc puteus Sepulchri, dici ac nominari poterat; *litigium* ut Oleaſter legit, loco calumniæ apud Pererium hîc, fol. 741. vel *occupatio, aut detentio*, ex eo, quia ut illum Iſaac, Philiſthini occupaverunt, & detinuerunt, ſeu per vim rapuerunt, ut explanat eandem lectionem Oleaſter; ita Perſæ, Saraceni, Turcæ occupaverunt injuſtè, vi ac potentiâ rapuerunt Chriſtianitati puteum. Sed poſtquam iterum magno labore, ſumptu ac Sangvinis effuſione, per Godefridum, aliosque Principes & Reges foderetur; id eſt de iniqua retentione, ac occupatione eriperetur, vocatus eſt *Latitudo*: quia protunc & Nos, Dominus, nempe Ordinem Noſtrum, tam Hieroſolymis, totâque Palæſtinâ, & in aliis Regnis ampliavit, quàm vel maximè gloria ejusdem Sepulchri toto terrarum orbe ampliata & dilatata fuit. *Dilataſti cubile tuum*, & crevit ſuper terram. Iſaiæ 57. v. 8.

Sepulchrum Chriſti, eſt puteus ille, quem vidit Jacob, veniens in terram Orientalem, de quo Genes. Cap. 29. quia ſcilicet S. Jacobus Minor, Fundator Ordinis Noſtri, hunc puteum, nempe Sepulchrum Chriſti intuitus erat. Sicut enim illius putei os, grandi lapide claudebatur, ob raritatem aquæ, inquit hîc Abulenſis; ita de Sepulchro Chriſti ſcribit Matthæus, quod Joſeph advolvit ſaxum magnum ad oſtium Monumenti; idque non ſolùm Joſeph, ſed etiam alii, qui fuerunt cum eo in Sepultura Chriſti, Lyranus ſuper Cap. 25. Marci, ad finem: quia magna raritas, in illius Sepulchro erat, Deus Homo Sepultus. Deinde tres quoque greges ovium accubantes juxta eum, & inſpectantes, ut quis revolveret lapidem, & reficeret eas; quid quæſo ſignificabant? niſi tres Mulieres, venientes ad Monumentum, quod erat in agro clau- Cap. 27. v. 60.

clausum lapide; expectantes, ut quis revolveret lapidem, ac reficeret in hac siti, quam patiebantur, desiderantes aquam vivam, fontanam perpetuò scaturientem, ex illo puteo emanare; & inde copiosam tam sibi, quàm reliquo gregi Discipulorum adaquationem futuram pollicerentur. Ut habetur Marc. 16. *Maria Magdalene, & Maria Jacobi* (scilicet Minoris) *& Salome - - veniunt ad Monumentum, orto jam sole; & dicepant ad invicem: quis revolvet nobis lapidem ab ostio Monumenti?* Tum per tres greges ovium accubantes juxta puteum, intelligi possunt tres Ordinis, in custodia primæva S. Sepulchri persistentes. Primus Canonicorum Regularium S. Sepulchri, more Apostolorum viventium. Secundus Ordo Sanctimonialium seu Canonissarum S. Sepulchri. Tertius Ordo Militaris, in defensionem S. Sepulchri institutus. Hi tres Ordines, tanquam tres greges ovium, accubabant ad S. Sepulchrum, unum Pastorem Patriarcham Hierosolymitanum habentes. Præterea veniente Rachel cum grege suo, Jacob amovit lapidem, quó puteus claudebatur; per quod apparet eum, fuisse ingenti naturæ robore; ut Cornelius à Lapide hìc observat: Ita veniente, sive spiritualiter, sive corporaliter Beatissima Virgine cum grege suo, id est mulieribus, ad Monumentum, Angelus Gabriel, qui interpretatur *fortitudo Dei, amovit lapidem de ore putei, & quô puteus claudebatur,* ut adaquaret gregem illum potu sanissimo, resurrectionis gratiâ perceptâ & haustâ. Cui facto conveniunt illa verba Cantic. 5. v. 6. *Pessulum ostii mei aperui dilecto meo.* In quæ verba sic commentatur Jacobus de Valentia, Episcopus Christopolit: *Sponsa aperuit pessulum dilecto suo, quia Maria Magdalene cum altera Maria, emerunt aromata, ut irent ad Monumentum. Angelus autem Domini descendit de cælo, & accendens revolvit lapidem, qui erat tanquam pessulum claudens SEPULCHRUM.* Insuper Jacob amoto lapide à puteo, & adaquato grege, osculatus est Rachelem; ut ibidem vers. 11. ita dum Angelus aperuit Monumentum, & adaquavit venientem gregem Sanctarum Mulierum & Apostolorum, Sponsa prorupit in hæc verba: *Osculetur me osculo oris sui.* Hoc enim Canticum à morte & resurrectione Christi inceptum esse, non solùm sic in terminis dicit, sed & probat Paulus Scherlogi, Tom. 1. in Cantic. super hunc versum adductum. Et in Rituali antiquo Romano, qui Ordo Romanus vocatur, legitur; quod in ipsa nocte matutina in

In Cantic. fol. 1395.

Cantic. 1. v. 1.

Vestigat. 1. fol. 42. num. 59.

in die Resurrectionis, luce rumpente tenebras, surgentes in Ecclesiam veniunt, hoc est illo tempore, quô Christi Sepulchrum, ut ille puteus aperitur, & innotescit resurrectio, mutua charitate, se invicem osculantes, dicunt: *Surrexit Dominus de SEPULCHRO.* Ut refert Angelus del Pas, in Exposit. super Symbol. Apostol. Fol. 367.
Tum, ut considerat Origenes, ad illum puteum, primus conjugiorum amor, magni legis Patriarchæ, ostensus erat; ita secundum conjugium inchoatum est à Sepulchro, cum illo anima reunita Corpori, quasi secundas, post primas in Utero, cum Verbo Divino nuptias, ac conjunctionem inierit, effecto simul uno Corpore & Anima, unita Verbo Divino; Ait enim Origenes: *Sanctorum nuptias dico, conjunctionem esse animæ cum Verbo.* Quæ conjunctio animæ Christi cum Corpore ejusdem, cùm sit facta ad puteum Sepulchri Christi, inde ex Sepulchro, & Christi & Sponsæ illius Ecclesiæ, auspicatum est Epithalamium, in quo resonavit mysterium Resurrectionis Christi, per amotionem lapidis; & Sponsa dedit osculum Sponso, dicens: *Osculetur me osculo oris sui;* & æterno se fœdere, indissolubili unquam copulavit, & dotem gloriosam acquisivit.

Sepulchrum Christi est *puteus juramenti*, de Gen. 21. v. 30. & 46. v. 1. Ideo enim ille puteus, dictus est juramenti; quia penes illum juratæ fidelitates, pacta, fœdera, præstolata fuerunt: ut de Abraham & Abimelech dicitur: *quia ibi uterque juravit.* Et inierunt fœdus *pro puteo juramenti.* De Sepulchro Christi scribit Aloysius Novarini: *Per Christi SEPULCHRUM, olim jurare solebant aliquando.* Nicetas Choniates libr. 5. in Manuele Comneno, ex Græco; *id est Christi SEPULCHRUM jurans.* Et ad hunc puteum, *Juravit Jacobus, se non comesturum panem ab illa hora, quâ biberat calicem, donec videret eum resurgentem à mortuis.* Et si Nasamones, populus Lybicus, tantam exhibebant Sepulchris reverentiam, ut cum de re aliqua dubia jurandum esset, id facerent, illorum Sepulchra contingentes; Herodotus libr. 4. Unde apud Senecam: *Per Sepulchra nostra jurabitur.* Non impar fuit & Christianitatis, erga Dominicum Sepulchrum reverentia, *quorum animus, tam religiosè afficiebatur erga Sepulchrum Dominicum* (inquit Gretserus) *ut se milites & peregrinos SEPULCHRI Christi nominarent, ejus interpositu, fidem suam obligarent, & si quid jurejurando confirmandum erat;*

Genes. 21. v. 30.

S. Hieron. in Catal. Script. Ecclesiast.

Pro Cruc. Expedit. fol. 188.

erat; per Dominicum SEPULCHRUM, tanquam per rem Sacratissimam, jusjurandum dabant. Imò quamcunque rem, sibi obligatam, bona fide habere volebant, semper, tanquam jurate fidei notâ, usi sunt hoc modô dicendi: *In fidelitate Sancti Sepulchri*; ut videre est apud Robertum Monachum, Histor. Hierosol. libr. 3. num. 10. fol. 440. & apud Baldricum Archiep. fol. 100. num. 40. Accedunt vota, fœdera religiosa, sponsiones, emendationes juratæ melioris vitæ, proposita, ac pacta firmissima, ad S. Sepulchrum inita, ac pertractata. Item obsecrationes & obtestationes, per Sepulchrum Domini, de quibus legitur, apud Nicetam Choniatem in Annal. fol. 66. quòd idem Nicetas exiens ex Urbe Byzantio, per auream portam, videns nefarium barbarum rapi puellam formosam, Judicis cujusdam filiam, contra raptorem virginis, à Francis prætereuntibus militibus, ad vindicandam hanc injuriam, & eripiendam puellam, opem implorabat taliter: *Obtestor vos, per Divinum SEPULCHRUM, & Christi præcepta, quæ Christianos omnes jubent, ea facere hominibus quæ ab iisdem sibi præstari cupiunt.* His verbis ex tempore usus, virorum illorum animos excitavit, ut puellam seriò repeterent. Tanta igitur reverentia fuit erga S. Sepulchrum, ut illius invocato nomine, sive obtestatione per nomen Divini Sepulchri interposita, ad vindicandam læsionem Divinorum præceptorum, homines Christiani animarentur.

Sepulchrum Christi est *puteus, quem foderunt Principes, & paraverunt Duces multitudinis, in datore legis, & in baculis suis.* Sicut enim ille puteus erat repletus terrâ; sic Sepulchrum Christi erat à Judæis multâ terrâ exaggeratum; ut sub titulo: *Ager*, dictum, & dicetur Libr. 3. Per Principes, qui foderunt hunc puteum, intelligo Constantinum & Helenam, qui congregarunt ingentem populum, ad eruderandum hunc puteum. Per Duces multitudinis, intelligo Duces Militiæ S. Sepulchri; præsertim Ducem Godefridum, qui comparatus est Moysi, ut indicat illa visio, quam refert Albertus Aquensis; quod sicut Moyses fuerat à Deo prædestinatus Dux ac Præceptor populi sui Israel, ut foderet illum puteum; ita Godefridus Princeps populi Christiani constitutus, ut armis, fortunâ, dispendio vitæ foderet, seu de manibus Infidelium, eriperet hunc puteum, quem tantoperè sitierunt; ut Sapient. 11. v. 4. *Sitierunt, & invocaverunt te, & data est eis aqua de petra altissima,*

Numer. 21. v. 18.

Libr. 6. Hist. Hierosl. fol. 284. num 10.

tissima, & requies sitis de lapide duro. Per baculos, quibus effossus hic puteus fuerat, intelligit hic Hugo Carensis, potestatem, quâ Principes adduxerunt subditos, ut foderent puteum: ita omnimodè intelligi poterit, potestas Augustissimorum Imperatorum, demandans ac seriò exequens, per legem, sive mandatum executivum eruderationis putei Sepulchri. Sive intelligitur potestas Ducis Godefridi, animo sitas ac fortitudo nostrorum, infodendo puteo; scilicet recipiendo S. Sepulchro, quomodo in manu forti, & exercitu robusto, introitum & accessum Sancti Sepulchri Domini Nostri patefecerunt. Unde eruderatô puteô, cecinit Israel carmen istud: *Ascendat puteus*; quia scilicet *in redundatione aquarum, cognoverunt victoriam suam, de hostibus secuturam;* ut inquit hic Hugo Cardinalis: Ita effosso puteo Sepulchri, cecinit carmen gratulatorium, de tanto beneficio ac miraculo, totus Israel, nempe Christianitas. Cecinit Macarius, & assistentes illi Canonici Regulares S. Sepulchri; Helena cum suo Imperiali comitatu; tunc omnes Principes & Reges, & universa plebs adveniens, præ abundantia gaudii exultantes, cecinerunt Carmen istud: *Ascendat puteus*, vel *Ascende putee*, ad bibendum ex te fluentes gratias; ascende ad te visitandum; amplietur, dilatetur honor tuus. Veniant omnes anhelantes, de ultimis finibus terræ, & bibant omnia jumenta, pecora, & volucres cæli; id est justi & peccatores, ascendant ad hunc puteum explendum, revelantes ariditates & siccitates suas. Simile auditum Carmen & sub Duce Godefrido, dum hic puteus, qui terrâ illâ luteâ ac sordidâ, Turcarum ac Saracenorum multitudine, fuerat obrutus, postquam in altum prodiit, ac ex redundatione aquæ copiosæ, quâ scatuit ille puteus, cognoverunt victoriam suam de hostibus: *Tunc ad SEPULCHRUM Domini, & Templum ejus gloriosum, euntes Clerici simul & Laici, exultationis voce altisona, canticum novum Domino decantaverunt*, ac puteum illum hymnis, laudibus, veneratione summa, in altum extulerunt: *Ascendat Puteus.*

Fulcherius Carnoten. in Gest. Peregr. fol. 399.

§ 2.

Ex literis Alphabeti Q. & R. QUIES, seu REQUIES Christi in Sepulchro, demonstratur.

Titulus hic videtur spectare ad Sepulchrum Christi, tum ex generali ratione Sepulchri, quod *locus quietis*; *quietorium*; *requietorium*;

torium; appellatur: tum ex particulari de Sepulchro Christi. Hæc enim verba Isaiæ Prophetæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, D. Hieronymus hic accipit, pro quiete: Unde Hebræus legit: *Et erit requies ejus gloria.* Septuaginta vertunt: *Et erit requies ejus honor:* Adeoque sicut Sepulchrum Christi fuisse gloriosum, ante Isaiam, in titulis gloriosis ostenditur; ita & requies Christi in Sepulchro, fuit gloriosa in signis, & figuris expressivis illius ante Isaiam. Tum quia locus, ubi ponebatur Arca, dicebatur quies Domini; quia ibi repræsentabatur sedes Domini, ut Lyranus in 2. Paralip. Cap. 6. Sic quia Sepulchrum repræsentat sedem Dei, in qua locata est Arca Corporis Christi; ideo quies, & locus quietis dicitur.

Primò enim præfigurata fuit in illa requie Dei, quam Deus dicitur habuisse post peracta opera: *Requievit die septimo, ab universo opere, quod patrârat.* In quæ verba S. Aug. libr. 16. Contr. Faustum Manich. Cap. 29. dicit: *Id egit, ut Caro ejus in SEPULTURA Sabbato requiesceret, ab omnibus operibus suis.* Id approbat & Authoritas Benedicti Papæ XI. in Evang. D. Matth. Enarrat. in Cap. 5. fol. 126. *Et quia requies Sabbati, in veteri testamento, significabat Christi SEPULTURAM, dicente Augustino* libr. 4. super Genes. ad liter. Cap. 13. *Sabbati dies, significat Dominicam cessationem in SEPULTURA. Quid ergo mirum, si Deus istum Diem, quô erat Christus in SEPULTURA quieturus, volens etiam hoc modo prænuntiare, ab operibus suis, dicto die quievit.* Cum igitur requies Sabbathi; significaverit requiem, quam Christus, completo opere redemptionis nostræ, habiturus erat in SEPULCHRO; manifestum est, quòd postquam Christus in Sepulchro die Sabbati requievit, non est Sabbatho quiescendum; quia si hoc fieret, adhuc prænuntiaretur, quòd *Christus sepeliri deberet.* Succedu Emmus Cardinalis, Hugo Carensis super dicta verba Genes. fol. 4. dicens: *Vel requievit die septimo; id est requiesciturum in SEPULCHRO, septimo die significavit.* Accedit & hæc ratio; quia Deus non dicitur requievisse, nisi facto & perfecto homine, ut observat S. Ambrosius, libr. 6. Cap. 29. ultimo Hexameron: *Fecit cælum, non lego, quòd requieverit; fecit solem, lunam & stellas, nec ibi lego, quòd requieverit; sed lego, quòd fecerit hominem, & tunc requieverit.* Porro Deus in Cruce moriendo, de novo creavit hominem feria sextâ, per redemptione millius à peccato, ut dicit S. Bonaventura: *Sicut in creatione*

Genes. 2. v. 2.

Sabbat. Sanct. Serm. 1.

tione mundi Deus hominem, sexta die creavit, ita etiam in sexta hominem recreavit; creavit hominem inspirando, recreavit autem expirando, emissa voce magna, expiravit. Adeoque & non alio die requievit, nisi illô, quo hominem creaverat, in Sepulchro positus, succedente immediatè Sabbato. Ita, ut sicut dies sexta fuit mortis Christi, seu creationis hominis typus; ita requies post factam creationem, similiter fuit figura quietis Christi in Sepulchro. Ut videtur hanc rationem firmare Authoritas Bedæ in Hexamer: *Per requiem diei septimæ, post opera sex dierum significabatur dies ille Sabbathi, quô Christus semel in SEPULCHRO quieturus erat, perfectis sexta die omnibus operibus, quibus mundum, sex diebus perfectum restauravit.* Sicut ergo ille dies, Sepulturam & requiem Christi in Sepulchro designabat; ita benedictio diei septimo, & illius sanctificatio, significabat benedictionem, & Sanctificationem Sepulchri Christi. Si enim ille dies, ideo fuit benedictus & sanctificatus, ob hanc causalem, quæ illie datur, dum dicitur: *Et benedixit diei Septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret*; ita locus ille, in quo requieturus erat Deus, scilicet Sepulchrum, ab omni opere redemptionis, in carne passibili, erit benedictus & sanctificatus, id est, ut hic Interpretes, *Sanctus, celebris, gloriosus, festivus* redditus; & in illo loco laudes, gratiarum actiones fieri Deus voluit, ut Hugo; & posuit & sanctificavit, id est consecravit, illum cultui suo mancipavit. Et quemadmodum dies festos appellamus Sanctos, quòd contineant memoriam alicujus singularis beneficii, à Deo nobis dati, ut hic Procopius; ita locus Sepulchri Sanctus appellandus, quòd contineat memoriam singularis beneficii, scilicet Quietis & Resurrectionis Christi.

In Gloff. Ordinar. Tom. I. fol. 62. hîc.

Secundo requies Arcæ Nôé, de qua Genes. Cap. 8. vers. 4. Per Arcam enim Corpus Christi significatur, quod tanquam inter scyllam & charybdim, alternis agitationibus sævorum tormentorum collidebatur; & recedente una tempestate passionis, altera succedebat: euntes & redeuntes aquæ sangvineæ, Corpus Christi tanquam Arcam impetebant, à rabidis procellis furentium Judæorum artus convulsi, membra conquassata. Dum itaque adduxit Deus Spiritum super terram, & imminutæ sunt aquæ, requievit Arca die septimo, & mense septimo super Montes Armeniæ. Quia

dum Spiritus, id est Anima Christi advenit super terram, infernum petens, & consummata est persecutio, & prohibita est amplius potestas in Corpus Christi sæviendi; die septimo inchoato, scilicet Sabbatho, requievit hæc Arca Corporis Christi, ad Montem Calvariæ in Sepulchro.

Tertiò, requies illa sub arbore, quam Abraham Patriarcha
Gen. 18 v. 6. illis tribus Angelis, sub uno nomine Domini, svasit dicens: *requiescite sub arbore.* Sicut enim juxta Eusebium, ille Angelus in Trinitate unus, in humana forma apparens, significabat Secundam Personam Sanctissimæ Trinitatis, unum Deum in Carne humana appariturum & venturum, & propterea illum adoravit Abraham cultu latria. Similiter allatus paxillus aquæ, & lavati pedes, indicabant lotionem Christi à peccatis, per mortem & agonem suum in aqua & Sangvine, quô pedes seu sordes Corporum nostrorum sunt ablutæ; ita requies sub arbore, indicabat Sepulturam & Sepulchrum Christi, sub Crucis arbore; ut dum Abraham ad requiem invitabat tres Angelos, simul Domino Incarnato, ex illis tribus futuram requiem in Sepulchro, sub arbore ominabatur. De arbore enim Abrahami dicit S. Augustinus Serm. 66. apud Cornelium à Lapide hìc, quod sub illa Abraham constituerat effugium, angustum quidem homini, sed sufficiens majestati; & fides illius devota pingebat palatium dignum Deo. Sepulchrum Christi refugium fuerat Christo, ut fol. 78. angustum quidem Divinæ majestati, sed dignum Corpori Christi; fides devota ac pietas Josephi, palatium erexerat; ut dictum sub titulo: *DOMUS* fol. 66. ac clarum in receptaculo quietis Abrahami, pingebat Deus, umbraculum Sepulchri.

Quartò, Requies Christi in Sepulchro significata fuit in requie leonis, & leænæ, de qua dicitur Genes. 49. vers. 9. *Catulus leonis Juda, ad prædam fili mi ascendisti, requiescens accubuisti ut leo, & quasi leæna, quis suscitabit eum?* Et enim juxta S. Anastasium Patriarcham Antiochenum, in visione quatuor animalium ab Ezechiele Propheta, mysteria Christi significantur; per Angelum & hominem Incarnatio, in qua magni Consilii Angelus, humanam formam subiit, tanquam homo videbatur in terra. *Ut leo autem* (inquit) *eùm ceciderit dormiet in MONUMENTO, cæterum Divinitatis habebit apertos oculos; non enim somni affectione, aut alicujus alterius capitur*

(Libr. 3. in Hexam. Biblioth. Vet. PP. Tom. 6. fol. 643.)

pitur Divinitas; resurgens autem à mortuis, tanquam Aquila Rex assumptus in cœlum. Tum, sentit Hieronymus Povodovius, Archipresbyter Cracovien. in sua Christologia, Serm. 4. de Pasch. cap. 15. *Manifestè Christus in Passione accubuit, quando inclinato capite tradidit Spiritum, & quando in SEPULCHRO positus fuit, velut quodam somno Corporis quievit.* Berengosius Abbas de luce visibili: *Hæc est illa lux, per quam Judas requiescens accubuit ut leo, dum Christus in SEPULCHRO tribus diebus requievit in Deo.* Requies ac accubitus ejusdem leonis, indicat ex multis rationibus, requiem Christi in Sepulchro. *Catulus leonis habitans in abditis.* Tum ex Authoritate S. Augustini, sic legentis dicta verba: *Recumbens*, scilicet *in SEPULCHRO dormisti*; addit enim: *Certè Sepultura* (alias Sepulchrum) *ejus cognoscitur, in qua recubuit dormiens, & unde illum nullus hominum, sicut Prophetæ aliquos, vel sicut ipse aliquos suscitavit, sed sicut à somno ipse surrexit.* Idem de Benedict: Jacob Patriarchæ super hæc verba: *Requiescens accubuisti ut leo*, dicit: *Manifestissime Christus in passione accubuit, quando inclinato capite tradidit Spiritum, & quando in SEPULCHRO positus fuit, velut quodam Corporis somno quievit.* S. Cyrillus Hierosol. Cateches. 13. apertè hac prophetiâ Jacob, dicit significari Sepulturam Salvatoris. Imò ut refert Aygvani super Cantica, veteribus Theologis ita placet, ut sicut in illis Sponsæ verbis: *Dum esset Rex in accubitu suo*, ita & in his: *Requiescens accubuisti ut leo*, juxta mysticum & propheticum sensum, utrobique sermonem esse de accubitu seu dormitione Christi in Sepulchro, in quo brevissimo tempore per triduum, instar leonis fortissimi accubuit & quievit, donec cito & statim similiter ut leo, ad prædam evigilavit, & magna cum gloria excitatus est, seu potiùs se excitavit. Tum ex connexione verborum; postquam enim dixisset; *Ad prædam ascendisti fili mi*, subdit: *requiescens accubuisti ut leo*; quia scilicet mortuo Christo, Anima infernum deprædatura ascendit, & Corpus in Sepulchro requievit, seu accubuit ad instar leonis. Sicut enim leo (ut hic conformiter ad translationem Aquilæ & Symmachi, Cornelius à Lapide explicat) prædâ potitus, cernuat se in terram & recumbit; ita & tu, ut leo de Tribu Juda, suo tempore potitâ prædâ, scilicet infernali hoste subjugato, securus te paci & quieti in Sepulchro trades, & similiter te in lecto strati tui collocabis. Tum

Ibid. Tom. 7. fol. 299.

Libr. 16. cap. 40. de Civit. Dei.

Fol. 332.

Rabanus Maurus, in Cap. 49. Genes. Origenes homil. 17. in Gen. censent, optimè comparatam esse requiem Christi in Sepulchro, cum requie ac accubitu catuli leonis; quod Glossa Ordinar: ex Isidoro refert: *Ajunt Physici, quòd catulus leonis tribus diebus dormit, & tribus noctibus; deinde patris fremitu tremefactus, cubilis locus excitat dormientem: Christus quoque in cubili SEPULCHRI, tribus noctibus jacens, somnium mortis implevit.* Unde dictis verbis & requies Sepulchri & triduum, ex sensu citatorum Authorum exprimitur. Tum sicut leonem dormientem, nemo audet excitaro, ut hìc dicitur: *quis suscitabit eum?* Sic Christum in Sepulchro dormientem, nullus valuit suscitare, nisi ipse, qui ait Joan. 2. *Solvite Templum hoc, & in triduo resuscitabo illud.* Hic catulus juxta S. Bernardum, *suscitatus Paterna voce, prodiit & TUMULO, excitavit se,* postquam æstuantis leænæ, scilicet Beatissimæ Virginis, sive Ecclesiæ rugitus, id est desideria audivit. D. Thomas à Villanova: *Audit è TUMULO, catulus æstuantis leænæ rugitus, nec longum differt protelare soporem, properat resumere, quos fœdârat -- Cruore, tempestas passionis artus, prostratumque TUMULO levare cadaver.* Tum quia hæc verba: *ex præda ascendisti fili mi*, apud Leonardum Coquæum, in Cap. XL. S. Augustini de Civit: Dei, Libr. 16. Septuaginta legunt: *ex germinatione fili mi ascendisti*; ita etiam legit S. Ambrosius, libr. de benedict. Patriarch. Cap. 4. D. Hieronymus, in tradit: Hebraicis. Quæ verba indicare videntur ascensum Christi de Sepulchro, seu post recubitum Resurrectionem; cùm in Sepulchro erat germinatio Filii Dei Corporis: in illo enim Caro Christi refloruit, & germinavit; dictum sub titulo: *Hortus* & *Lectulus floridus.* Tum quòd requies hæc, assimilatur leænæ: *Accubuisti*, id est accubabis, *ut leæna*; sicut enim leænæ non contingit secundus partus, ut addit S. Epiphanius, quidquid sit de veritate hujus, decernat Cornelius à Lapide. In Sepulchro Christus accubuit ut leæna, hoc enim, unicum nonnisi peperit Filium Christum, qui dicitur Primogenitus ex mortuis, nec illi contigit, similis ullus secundus partus. Tum juxta S. Gregorium in Job libr. 9. Cap. 33. leæna dum catulis escam inhianter quærit, in foveam cadit; quia Christus, dum sedulò quærebat salutaria pascua catulis suis, in foveam decidit Sepulchri. Sylveira Tom. 5. libr. 9. qv. 8. num. 53. *Hæc beata Leæna, Sacratissima Virgo Maria,*

Serm. 1. in die S. Pasch. num. 5.

In die S. Resurr. fol. 174.

Maria, suum fortissimum Leonem Christum Jesum, de Tribu Juda, somno mortis dormientem, ac jacentem in Sepulchro, suis validissimis suspiriis, genitribus ac clamoribus, tertia die ad vigiliam vitæ revocat.

Quintò. Requies Christi in Sepulchro, significata fuit in requie expressa in benedictione Benjamin, Deuteron. 33. v. 12. *Amantissimus Domini, habitabit confidenter in eo, quasi in thalamo tota die morabitur, & inter humeros ejus requiescet.* Per sortem enim Benjamin, intelligit hic Cornelius Jerusalem, dicens: *In sorte Benjamin, puta in Jerusalem.* Per amantissimum Domini Glossa Ordinar. hic, Christum; qui est amantissimus Dei Patris: *Hic est Filius meus dilectus.* Hic ergo in Jerusalem, *in eo*, scilicet in Sepulchro sito ibidem, *habitabit confidenter*, id est secure, pacifice, *in pace factus est locus ejus*; idque ita, *quasi in thalamo.* Ubi hic per thalamum, idem Glossa habet: *Uterum Virginis:* Sic itaque Christus in Sepulchro habitabit, sicut in Virgineo thalamo, id patebit ex titulo: *Uterus & Nativitas*; & vide apud Reverendiss. P. Jacobum Radlinski, Ordinis Nostri S. Th. Doctorem, Præpositum Generalem, in Considerationibus de Sepulchro Domini, super verba Psalmi 18. *Tanquam: Sponsus procedens de thalamo suo.* In hoc ergo thalamo tota die, id est una pro tribus, secundùm suas partes sumptâ, morabitur. *Et inter humeros ejus requiescet*; quibus verbis exprimi videtur situs Sepulchri Christi; humeri enim sunt inferiores capite, & capiti adjacentes proximè; ita postquam Christus caput suum in monte inclinasset, quietem habuit ad caput primi Adami, seu ad declivium Montis Calvariæ, Sepulchrum. Vel si per humeros intelligitur medium, tum Christus in thalamo, id est in Sepulchro, in medio terræ sito morabitur. Vel si humeris onera portantur, quod firmissima petra, Divinam fortitudinem portabit, - - videtur hic locus innuere. Theodoretus apud Glossam hic, istud: *inter humeros ejus requiescet*, Templum Hierosolymitanum intelligit, nec aliud, nisi Templum Resurrectionis Dominicæ; ut patebit ex titulo: *Templum.* Tum, quia novam Jerusalem, ob sanctificationem Christi redemptione ac locis sanctis, præcipuè Christi Sepulchro in ea contento, Ecclesiastes nominat Civitatem requiei, sic pro illa Deum rogans: *Miserere Civitati, sanctificationis tuæ Jerusalem, Civitati requiei tuæ.* Et idem Templum, requiem dormientis Christi, in sua Oratione appellat

Consid. 19. fol. 44.

Cap. 36. v. 15

Tyrius libr. 1. fol. 640. num. 10.

appellat Urbanus II. Pontifex his verbis: *Sancta Resurrectionis Ecclesia, requies dormientis Domini.*

Psal. 3. v. 6.

Sextò. Requies Christi & dormitio in Sepulchro, significata fuit in multis Psalmorum Davidis versibus: Primò in illis: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi*; quia S. Augustinus hic istum Psalmum esse de Passione, & Resurrectione Christi, diserte affirmat; nominatim hæc verba. *Ego dormivi, & soporatus sum & exurrexi*, nullatenus possunt referri ad Davidem, in fuga à facie Absalon existentem, pro quali statu inscribitur titulus hujus Psalmi, ob differentiam inter soporem & somnum, quæ datur apud Glossam; nam sopor significat tranquillam & sapidam quietem, quam protunc non habuit David: Referenda ergo sunt ad Christum, ejusque mysteria insignia, scilicet Mortem, Sepulturam ac Resurrectionem; ut hic Glossa in additione ait: *Sensus hujus Psalmi, proprius & literalis est, ut intelligatur de Christo in Passione, morte & Sepultura, Resurrectione, & persequentium punitione.* Et sic primò per istud pronomen *Ego*, exprimitur Christus. Per *dormivi*, mors Christi in Cruce; ut hic Glossa in Additione: tum quia in Scripturis accipitur *dormire*, pro *mori*; ut 3. Reg. cap. 2. *Dormivit David cum Patribus suis.* Et D. Aug. Tract. 47. in Joann: *Quid est dormivi? Mortuus sum*: Tum sicut in dormitione omnes sensus corporis à labore quiescunt; ita morte Christi, qui est caput nostrum, nosque membra ejus, securi fuimus, ac quievimus ab onere condignæ satisfactionis pro peccatis, sufficientissimè exhibitæ per illum. *Et soporatus sum*: Isidorus legit in Genes. cap. 3. *Quievi*; & S. Ambrosius libr. de benedict. Patriarch. *Requievi.* Hebræi idem, *quod jacere & cubare*: quæ omnes lectiones exprimunt soporem, quietem, requiem, cubationem in Sepulchro. Cardinalis enim & Episcopus Sabinensis, Thomas Jorgius, Ord. Prædic. Commentar. super Psalm. hic: *Sciendum, quòd inter dormire, & somnum capere, in proposito sit distinctio; quia Christus dormivit in duplici lecto: unde dormivit in ligno, somnum vero cœpit in SEPULCHRO lapideo.* Et sopor significat sapidam & tranquillam quietem, quam Christus in Sepulchro habuit; ut constat ex titulo: *Locus*, ex illis verbis: *Factus est in pace locus ejus*, & ex sequenti: *In pace in id ipsum* &c. ad quem textum hic Vincentius Gilbertus, in Psal. 3. addit: Christum in plano Crucis dormivisse, quia ibi laboriosam

Lorinus hic Commentar. sup. Psal.

habuit

habuit dormitionem, quoad omnes corporis partes, cum non haberet ubi caput reclinaret: *At in concavo SEPULCHRO, in quo nulla gravitas sustentabatur, cum summa tranquillitate & pace quievit.* Et. D. Bruno, Episcopus Herbipol: in Exposit: ejusdem Psalmi vers: *Ego dormivi*, explanat, *id est post passionem in SEPULCHRO quievi.* Ultimo tandem dicitur: *Et exurrexi*, quô verbô exprimitur Christi Resurrectio: S. enim Hieronymus legit: *Evigilavi.* Psalterium Ambrosianum: *Surrexi.* Romanum vero: *Resurrexi*, quibus indicatur mysterium Resurrectionis de Sepulchro; ut id & reliqua stabiliunt verba, *quia Dominus suscepit me.* Beda enim sic illa exponit: *quia Dominus Pater me suscipiet de SEPULCHRO.* Apertissimam hujus adfert interpretationem Judocus Clichtovæus, Serm. de Pasch: *Ego dormivi & soporatus sum, & exurrexi: Enimverò dormivit Dominus noster somno mortis, quando in Cruce pendens emisit Spiritum, & soporatus est in SEPULCHRO, quantum ad Sacrum Corpus in eo reconditum, & resurrexit tertia die à mortuis, ad gloriam immortalitatis.* Et Glossa in additione: *Et soporatus sum in SEPULTURA, in qua primò requievit à persecutionibus & opprobriis. Sicut enim in morte Christi, quæ fuit abjectissima & ignominiosa, consideratur magnitudo patientiæ ejus & constantiæ; sic ejus Sepultura fuit honoratissima, & ore prophetico taliter proclamata:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum, *ad denotandum virtutem magnam morientis, qui contra intentionem occidentium, etiam mortuus honorificè sepelitur.* Sequitur: Et exurrexit; *quia tertia die resurrexit.* Sequitur: Non timebo millia populi; *scilicet Custodes Sepulchri, qui authoritate plurimorum, Christum circumdabant, nec valuerunt Resurrectionem Christi impedire.* Vel ut Jacobus Parem, Episcopus Christopolit: Non timebo millia; *id est Milites populi circumdantis SEPULCHRUM, nec si multa millia populi essent ibi.* Exurge Domine; *id est fac me resurgere tuâ Divinâ potentiâ.* Quam conjunctionem horum mysteriorum, præsago Spiritu fecit hic Propheta, scilicet Mortis, Sepulturæ & Resurrectionis; quia scilicet hæc mysteria, in unum conventura erant locum, scilicet Sepulchrum Christi, in quo, & ex quo facta est resurrectio, & mons Calvariæ, ac lignum Crucis, in quo dormivit, uni adjacent loco; dictum sub titulo: *Ager*, fol. 3.

Lorinus hic.

Fol. 245.

Deinde requies Christi in Sepulchro, significata est in illo versu 9. Psalmi 4. *In pace in idipsum, dormiam & requiescam.* Istum etiam Psalmum, totum referendum esse ad Christum, docet S. Hieronymus: propterea & verba adducta de requie Christi futura in Sepulchro. Christus enim in Sepulchro in pace requievit; primò in pace mentis, absque ulla interna sui perturbatione: in pace corporis; nullam enim alterationem, commotionem, detrimentum sui decoris sensit Corpus Christi: in pace loci; quia non solùm protunc omnis securitas, etiam incognitis Judæis, ob honorem loci provisa est, sed etiam nunc locus Sepulchri Christi, locus pacis respectu sui est.

Præterea requies Christi in Sepulchro, significatur in illis verbis Psalmi 15. *Caro mea requiescet in spe.* Iste enim Psalmus secundum sensum literalem, de Resurrectione Christi, quam David prævidit in Spiritu Sancto; adeoque & hæc verba procedere de requie Christi in Sepulchro, præter Lorinum adductum numer. 52. Lyranus in Psalm. David, explanat: *Caro mea requiescet*, scilicet *in Sepulchro*: *In spe*, scilicet *resurrectionis gloriosæ.* Et Cardinalis Jorgius, ex his verbis demonstrat necessariam fuisse Christo quietem in Sepulchro; quia cum juxta Philosophum: in motu reflexionis, oportet intendere quietem mediam; motus autem Christi fuit reflexus, utpote compositus ex descensu Verbi in Carnem, seclusis tamen imperfectionibus, quas importare solet descensus; & ascensu de Sepulchro in Carne ad Patrem: propterea hanc quietem mediam debere intervenire, insinuatur his verbis: *Caro mea requiescet*; ut docet super illa idem Emmus: *Fuit autem quies ista in loco lapideo, videlicet in Sepulchro.* Remigius, Episcopus Antisiodoren: sic exponit: *Insuper; id est non solùm anima gaudebit, sed & Caro mea requiescet in spe, id est jacebit in Sepulchro.* Et Bruno, Episcopus Herbipolen: hunc locum ita exponit: *Vel intelligitur de Carne Hominis Christi, quam pro nostra salute suscepit, quæ in Sepulchro quievit in spe resurrectionis.* Sicut enim Sepulchro Christi, fuit annexa spes gloriæ Corporis Christi per resurrectionem, quam in eo expectabat; ita nobis ab eodem provenit spes, quâ tendimus in bonum absens, quodam conatu voluntatis, fundato in gratia Divina, cum resolutione animi ad superandas difficultates, propter consecutionem summi boni, id est Dei; cùm requies Christi in Sepul-

Hic fol. 151.

Enarrat in Psalm.

In Exposit. Psal. Biblioth. Vet. Patr. Tom. II. fol. 64.

Sepulchro, ac ex illo resurrectio facta, ad consecutionem hujus boni absentis, spes nostras obfirmat, adeoque & mens nostra si Christo consepula conquieverit, ac requiem spiritualis quietis, pacisque internæ in Sepulchro invenerit, secura sit de spe virtutis Divinæ auxilia tricis, ac resurrectionis ad statum perfectæ conjunctionis, per amorem cum Deo. Et de hac spe proveniente ex Sepulchro, procedunt verba Psalmi 129. *A custodia matutina usque ad noctem speret Isráël.* Sic enim illa explanat idem Bruno: *Custodia matutina est resurrectio Christi, qui custodientibus SEPULCHRUM militibus, matutino tempore surrexit; ex quo enim Christus resurrexit à mortuis, spes Ecclesiæ confirmata est in Domino.*

Insuper requies Christi in Sepulchro, fuit expressa his verbis Psalm. 40. *Nunquid, qui dormit, non adjiciet ut resurgat?* Commentatur enim Lyranus sic: *Nunquid qui dormit, id est jacet mortuus in Sepulchro.* Et Michaël Aygvani hunc versum de integro: *Verbum iniquum constituerunt adversum me: Nunquid qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* taliter exponit de Sepultura ac resurrectione Christi: *Et hoc fuit verbum illud iniquum, quando scilicet* convenerunt Principes Sacerdotum & Pharisæi ad Pilatum: Domine recordati sumus &c. jube ergo custodiri Sepulchrum; ut habetur Marci 27. *quod ideo fecerunt, quia non credebant Christum resurgere posse, sed hunc per Apostolos esse furandum, & hoc est quod dicebant:* Nunquid qui dormit, *qui in Sepulchro jacet mortuus*, non adjiciet, *faciet*, ut resurgat? *quæ omnia dicebant contemnendo ejus Resurrectionem: & vide, quia ipsimet suis verbis capiuntur; quia Christum in Sepulchro positum, dicunt dormire: in potestate autem dormientis est, seipsum excitando, resurgere.* Verùm hæc verba, juxta eundem, possunt referri ad ipsum Christum, ex Persona sui dicentem, & arguentem futuram incredulitatem Judæorum, hoc sensu: Nunquid Christus, qui dormit, seu dormiet in Sepulchro, non adjiciet, seu non faciet hoc, ut resurgat? cum sit simul Deus: Simili allocutione pollicitam, immediatè in textu præcedenti, spem resurrectionis ex quiete in Sepulchro Christi, & tibi certam facio, ac subinfero taliter: Nunquid qui dormit in Sepulchro Christi, id est, si amator Christi, in Sepulchro ejus tumulaverit omnes suas imperfectiones, & commissa à juventute peccata, nunquid non adjiciet, ut resurgat? hoc fiet indubitatè, quòd fiet resurrectio

Fol. 272. n. 682.

ctio ad vitam cæleſtem. Sicut enim poſt quietem Chriſti in Sepulchro, infallibiliter ſecuta erat reſurrectio Chriſti, quæ ad ipſius præmium pertinebat; ſic ſi inolita conſvetudo pravorum habituum, vel abuſus inordinatus, frequentis transgreſſionis legum tuarum, Divino incluſi fuerint Sepulchro; certus ſis, quòd ex illis velociter reſurges, præmium & gratiæ & gloriæ percepturus; ita, ut ſenſu morali, de quolibet homine peccatore, ſive juſto, verum ſit dicere: Nunquid qui in Sepulchro Chriſti dormierit ſpiritualiter, non adjiciet, ut reſurgat ad firmam emendationem, vel ad majus meritorum augmentum? Sepulchrum enim Domini eſt repoſitorium vitæ, & acceptio ſeu recuperatio novæ; ut probat Oratio Judoci Andries: in libell. *Fauſtus Annus.*

Demum requies, ſive ſomnus in Sepulchro, præſignatur illis verbis Pſalm. 131. *Si dedero ſomnum oculis meis, & palpebris meis dormitationem*, nempe in Sepulchro. Ita intelligit Bruno, Commentar. in Pſal. *Somnus iſte intelligendus eſt requies mortis, quia triduana tantùm pauſatione in Sepulchro ſuſceptus eſt, & nullam Corpori corruptionem intulit, ſed quietem.*

Ultimò, requies Chriſti in Sepulchro, præfigurata videtur eſſe in requie Davidis, & dormitione, cùm fugeret à facie Abſalon filii ſui, de qua 2. Reg. cap. 15. & in titulo Pſalmi 3. quia juxta doctrinam Expoſitorum, David in ſuis perſecutionibus, prævidebat myſteria Chriſti paſſionis, mortis & Sepulturæ, ac Reſurrectionis: proinde multos facit Pſalmos horum myſteriorum præfigurativos. Adeoque David in hac ſua per ſecutione fugiens à facie Abſalon, prævidit myſteria paſſionis & mortis, ſicut hoc luculenter explicat Valentia, Epiſc. Chriſtopolit: Inſuper in eadem fuga, prævidit & myſterium Sepulturæ, ſeu quietis & requiei ac dormitionis in Sepulchro, quod explicat idem Præſul his verbis: *David in tali perſecutione, præ afflictione raptus à ſenſibus, factus in extaſi dormivit; ſed poſtea recuperatis viribus, à tali dejectione ſurrexit, & fuit reſtitutus in regnum ſublimiùs, quam ante: prævidit David in Spiritu, qualiter Chriſtus erat moriturus, in SEPULCHRO ſepeliendus, & exinde ad gloriam reſurrecturus, & dominium ac poteſtatem accepturus, & ſuper inimicos regnaturus.* Sicut ergo poſt illum aſcenſum in clivum olivarum, ut habetur 2. Reg. Cap. 15. in extaſi dormivit David, & recuperatis viribus regnum capeſſit; ſic

In titul: Pſal. 3.

Chri-

Christus post ascensum in clivum montis Calvariæ, dormivit in Sepulchro; ex quo dum iterum recuperat Corpus & Animam, viresque potentiæ suæ Divinæ auget, iterum dominatur, imperat, & regnat æternè.

Septimò. Requies Christi in Sepulchro, significatur his verbis Cantic. 5. v. 2. *Ego dormio & cor meum vigilat*; hæc verba sic intelligit Jacobus de Valentia, Episc. Christopolit: præmissâ doctrinâ, quòd Christus licet mortuus jaceret in Sepulchro, tamen semper vigilabat in exercendo opere, nostræ redemptionis, ita inquit: *Licet videatis me verum mortuum in Cruce, & in SEPULCHRO, tamen cor meum, id est anima mea vigilat.* Et Lyranus in prœmio in Evang. Marc. *Licet autem Caro Christi in SEPULCHRO dormierit, per veram mortem & animæ separationem, tamen Divinitas utrique conjuncta vigilabat, secundum quod dicitur Cantic. 5.* Ego dormio, & cor meum vigilat. Hic itaque nota, quod dormitio Christi in Sepulchro, vigiliæ fuerunt in exercendis operibus redemptionis nostræ, cubabat quantumvis clausus tumulo & oculis, saluti tamen nostræ primum vivens prospiciebat. Fatigatum licet, fessum Corpus, dulci dedit quieti, sed anima forti accincta negotio, de germano mortis somno triumphabat. Etiam sopor ejus actio fuit, quâ dormiens pugnavit Persona Verbi unita Animæ; eadem, quæ Corpori cubanti in Sepulchro præsens aderat; & illum æternis tenebris addixit, qui non dormitat, neque dormit circuiens quærens quem devoret: Cor enim ego Divinitatis Verbi vim esse arbitror. Quanta operatus est sopor immortalitatis Verbi? ex expergefacto Christo collige. Palmas victrices præsefert, vexilla explicat, gloriosus in vulneribus ac cicatricibus apparet. Ergo prostrato Corpore pugnavit & hostem stravit. Prodigiosum itaque quis neget somnum: *Ego dormio & cor meum vigilat*? Nonne igitur & prodigiosum Sepulchrum est? dum hæc in eo fiunt.

Exposit Cantic. 5. Cap. part. 13. fol. 965.

Juxta Divum Basilium: *Cella, Dominicæ Sepulturæ* (aliàs Sepulchri) *propemodum æmula*, non solum ob hanc rationem, quam dat idem S. Doctor, *quæ* (inquit) *peccato mortuos suscipis, & per afflatum S. Spiritus Deo reviviscere facis*: Sed etiam mansio Religiosi Corporis, dormitorium est, Christi in Persona status tui qui escentis. In quo ad objectum lucidum, delectabile, clausi oculi petulantes; manus ad opera mundana remissæ; pedes à motu ac pro-

cessu inordinato liberi; sensus proprii absque omni libertate & velle sui, obedientiæ tantummodò parentes, legique Superiorum; totus dormire tibi mundoque cerneris. Ergo similis sit tua dormitio in cella, ut in Christi Sepulchro; altissimè clausis, benè compositis, ac securè consopitis sensibus tuis, qui mortuus mundo es, innocentissimè dormi, & simul vigila attentè, quomodo inde securè pro Sanctimonia saluteque tua ac aliorum labores infatigatus. Etiam necessario somno deditus, spiritus vigil advertat, quantum aggrediendum opus inchoandæ vel centinuandæ virtutis. Etiam tuus sopor, rebellem vincat hostem. Stratum tuum & quietis, & prostrationis passionum tuarum ac illecebrarum, locus sit. Dormire itaque tibi sit in Sepulchro cameræ tuæ, ad instar Jacobi; dormi in cella lapidea, & simul sanctis occupare negotiis. Vide ascensum & descensum; hoc est, an ascendas ad perfectionis gradum cælo quàm propinquum, sive an descendas; demittens te deorsum, à virtutis gradu deflectens; adeoque sic te gerens, cellam tuam, ad formam Sepulchri Christi instaurabis, dum in ea dormiendo mundo; corde ac te ipso; Deo ejusque amori, ac obsequio invigilabis.

CAPUT IV.

Enumerantur tituli gloriosi ex literis initialibus Alphabeti S. T. U. veteris testamenti, & adaptantur gloriæ Sepulchri Christi.

§. I.

Ex initiali litera S. hi tituli gloriosi: SEPULCHRUM, SPELUNCA, STERQUILINIUM Job, demonstrant gloriam Sepulchri Christi.

SEPULCHRUM.

Quantum olim antiquis Hebræis fuit studium, in ostendenda magnificentia Sepulchrorum, propter se suamque posteritatem construendorum, passim in multis invenies Authoribus, qui hac de re ex professo scripserunt. Satis est adducere, quod à Henrico Spondano, & Sophranis scribitur, quòd tantò sumptu, & tam magnifica extruebant Sepulchra, ut nullibi magis visi sint affectâsse suam immortalitatem; portentum gloriæ, nominisque sui cele-

celebrandi ostendere, quàm in amplissimè constructis Sepulchris. Nec miror, quod id fecerint; quia cùm multa illorum figurabant Sepulchrum Christi. Ut sentit Ludovicus Alvarez, dum, locô infrà citandô, ait: *Joseph Sepulchrum, Christi SEPULCHRUM videtur adumbrâsse.* Dignum ac congruum erat, ut illis decenter ornandis, ampliandis, tantam impenderent operam; quâ ejus futuram, etiam in suis tumulis venerarentur ac recolerent gloriam; adeoque in hoc titulo ostenderent gloriosum esse Sepulchrum Christi.

Quod primò est: Sepulchrum Adami in Monte Golgotha, sive Calvaria constistutum; communis enim Patrum sententia & antiqua Hebræorum traditio confirmat, primi hominis Adami calvariam ibi sepultam; Ita S. Augustinus Serm. 71. de temp: *Etiam hoc antiquorum relatione fertur, quòd & Adam primus homo, in ipso loco, ubi Crux fixa est, fuerit aliquando sepultus, & ideo Calvariæ locum dictum esse, quia caput humani generis ibi dicitur esse sepultum.* S. Athanasius de Pass. Salvatoris: *Quapropter non alibi patitur, neque in alia regione crucifigitur, nisi in Calvariæ loco, quem Hebræorum Magistri dicunt Adami Sepulchrum fuisse; ibi enim post maledictionem, humatum esse asseverant.* Idem S. Hieronymus in Epistol. ad Marcellum. S. Epiphanius libr. 1. contr. Hæres. hæres. 46. Theophylactus in Ioannis cap. 19. Origenes Tract. 32. in Matth. aliique plurimi. Sepulchrum ergo Adami primi hominis in monte Calvariæ, præfigurabat Sepulchrum Christi Redemptoris, non alibi constituendum esse, nisi sub monte Calvariæ; ut dum primus sepelitur homo, alter Homo Deus ibidem suam, per caput primi hominis designaret Sepulturam. Et quem Christus cum sua tota posteritate redemit in monte Calvariæ per mortem suam, illum unà cum posteris, per resurrectionem ex Sepulchro, resuscitaret ad vitam. Caput illud primum generis humani, non alibi humari decebat, nisi ibi, ubi Restaurator à peccato, suum inclinaturus per mortem, & reclinaturus per Sepulturam erat caput. Capite suo humato reveretur Adam, & osculatur terram, in qua Christus moriturus & sepeliendus erat, & jam in ante præparatam morti & Sepulturæ Christi terram, sua & posteritatis obligatione, profundè adorat, dum inclinat verticem: Ostendens in hoc loco mortis & Sepulturæ Christi, sibi restitutam vitam gratiæ & gloriæ. Canit Ecclesia: *O felix cul-*

pa Adæ, quæ tantum meruit habere Redemptorem! Concino: O felix Sepultura Adæ, quæ suo meruit consepeliri Redemptori! O mira dignatio Dei, quæ ibi primum voluit collocari Parentem, ubi ipse charitatis Pater, tumulum sibi præelegerat! indicans se mori & sepeliri pro peccato primi Adami & ejus posterorum; adeoque vicinè cum eo sepeliri. O beatam vicinitatem! Sangvis Domini cecidit per petram super caput Adam, ut habetur in Codice ex Bibliotheca Bavarica

In Hort. Cruc. 4. part. cap. 29. apud Gretser, & ipsum Corpus Domini in petra cadendum sive condendum erat, ad quam Adam sepultus extitit. Gloria hæc summa fuit Adami Sepulchri, in monte Calvario sepeliri, quæ propinquitas Sepulchri Christi gloriam consignabat, ut in contiguo tumulo, Adami peccatum in morte Christi sepeliretur, & gloriosa foret hominum Sepultura, cum revocatione ad vitam justorum bonam, si ad sui Redemptoris gloriosum Sepulchrum, more Parentis tumulari cupiant. Omnis itaque mens hominis ea imbui debet cogitatione, ut in capite primo Adami sepulto in Calvaria, mortem cogitaret Christi & Sepulturam; sive primum dicat esse caput suæ gloriæ, Christi Crucem & Sepulchrum.

Gen. 31. v. 47. Secundò est tumulus ille, *quem vocavit Laban: tumulum testis.* Sicut enim ille tumulus, fuit testis, reformatæ amicitiæ inter Laban & Jacob, ut ex his verbis colligitur: *Dixitque Laban: tumulus iste, testis erit inter me & te hodie;* ita Tumulus Christi, futurus erat testis, unionis illius amicæ ac intimæ, inter candidissimum corpus Christi, (Laban enim interpretatur, *candidus*) & Animam supplantatricem, (ut interpretatur Jacob) inferni; factumque est in Sepulchro Christi, Sacramentum pacis & concordiæ. Tum sicut ille tumulus, fuit ex aggregatis lapidibus, ut ibi dicitur: *Afferte lapides. Qui congregantes fecerunt tumulum, comederuntque super eum;* ita super Sepulchrum Christi congeriem lapidum fuisse patet; tum ex illis verbis Job Cap. 8. vers. 7. *Super acervum petrarum radices ejus densabuntur, & inter lapides commorabitur;* tum ex Angelo del Pas, in Exposit. in Symbol. Apost. fol. 379. qui quadraginta horis, quibus Christus post mortem fuit & jacuit in Sepulchro, dicit maxima præsignari mysteria, quas horas applicat quadraginta filiorum Israël mansionibus, de quibus Numeror. cap. 33. ac veniendo ad trigesimam octavam mansionem Israëlitarum, scilicet Jeabarim, quæ apud Glossam juxta S. Ambrosium, Tract. de 42. mansion:

mansion: Acervum lapidum transeuntium sonat; sic ad Sepulchri Christi mansionem accommodat: *Erat & tunc Christus in acervo lapidum transeuntium, utpote in SEPULCHRO, quod non solùm magnô saxô claudebatur, sed aliis multis, quos Judæi, acceptâ à Pilato licentiâ, adhibendi custodes advexerant*, juxta *Juvenci carmen* libr. 4. *Conveniunt, saxique ingentia pondera volvunt. Et limen signis, & saxum milite signant.* Adeoque mansio Israelitarum, acervum lapidum exprimens, fuit figura Sepulchri Christi; de quo & Nicephorus, Histor. Eccl. libr. 8. cap. 28. scribit, lapidibus ingentibus superficiem Monumenti constravisse idolatras. Consequenter tumulus Laban, super quem fuit congregatio lapidum, etiam hoc in puncto, repræsentabat tumulum Christi. Comestio super tumulum Laban, significabat à Sepulchro Christi, incipiendam communionem Sanctorum. Tum, quia Laban tribus vicibus dixit: *Tumulus iste testis erit*; scilicet primò vers. 48 secundò vers. 51. tertiò vers. 52 ad significandum, quòd tumulus Christi fuit testis, primò Mortis Christi, ut dictum sub titulo Ager fol. 5 - - secundò Sepulturæ; tertiò Resurrectionis. Tum trina illa assumptio pro teste tumuli, significabat, quòd Sepulchrum Christi, fuit repræsentativum mysterii Trinitatis; ut dicetur Libr. 3. Tum trina repetitio tumuli, indicabat futurum triduô Corpus Christi in tumulo.

Sepulchrum Christi fuisse expressum in Sepulchro Jacob Patriarchæ, qui designando locum suæ Sepulturæ, scilicet in Hebron, non in monte Calvariæ, per hoc in Spiritu reverentiam, ac venerationem Dominico exhibuit Sepulchro. Gabriel Acosta, Doctor Theologus hanc dat rationem: *Si quis autem, quærat: Cur Patriarcha Jacob, cùm mente prophetica, viderit SEPULCHRUM Christi in monte Calvariæ, non mandaverit Josepho, ut suum quoque cadaver in eodem monte deponeret, non longè à Sepultura Christi? illud factum esse, propter reverentiam loci SEPULCHRI Domini.* Ita & Sepulchrum ejus ad instar Sepulchri Domini esse, dicit Ludovicus Alvarez, in illustrat: in Joseph: *In Sepulchro Jacobi, typus SEPULCHRI Christi.* Sicut enim illi tumulo, non alius mandavit ex Fratribus corpus Jacob, nisi Joseph; quia tumulus Christo, non aliùs è discipulis destinabitur, nisi Josephi ab Arimathæa, qui juxta eundem Alvarez, fuit figuratus in illo Josepho, uti id deducit. In Sepulchro Jacobi, spelunca duplex; pariter & Chri-

Genes. 49. v. 29.

Tract. 2. de Sepulc. Jacob 52. fol. 112.

Fol. 570. num. 2. & 3.

Chriſti tale futurum, dictum ſub titulo Ager fol. 7. & dicetur ſub titulo *Spelunca*. Et pariter ſicut illud, ita & hoc lapideum fuit. Unde verba Geneſis, quæ procedunt de Sepulchro Jacob, conjungendo verbis D. Matth. de Sepulchro Chriſti procedentibus, concludit in margine ejusdem Tractatus, Paragrapho III. fol. 121. idem Acoſta: *Facit pro Chriſti SEPULCHRO ad literam, cujus ſimile fuit Sepulchrum Jacob.* Refert inſuper idem, in Sepulchro Jacob, deſcriptam eſſe, eam pugnam, quam habuit cum Angelo; cùm Hebræi præcipua facta, in Sepulchris inſculpere ſolebant: In Sepulchro Chriſti inſtrumenta Paſſionis Chriſti, ſcilicet Crux, ſpinæ, clavi, quibus pugnatum eſt contra dæmonem, & tota Paſſio Chriſti, ſculpta & exarrata cum imagine Reſurrectionis, ſcilicet poſt ſangvineam pugnam, victoriæ.

Sepulchrum Chriſti figuratum eſt in Sepulchro Joſue. Sicut enim menſis & dies mortis Joſue, memoratus in Calendario Hebræorum 26. Niſan, fuit figura, eodem menſe, moriendum eſſe verum JESUM, Dominum noſtrum, advertit Tyrini in cap. 24. v. 29. Ita & Sepulchrum ejus, fuit figura Sepulchri Chriſti. Sicut enim, cùm ſepeliretur Joſue in monte Ephraim, contremuiſſe terram, iidem Hebræi affirmant, ad figuram quòd ſepultô Chriſtô, terra movenda erat, juxta illud: *Factus eſt terræ motus magnus*, idem Tyrini. Et preſſiùs Cosmas Magalianus Bracharenſis, in libr. Joſue, part. 2. cap. 24. Sect. 3. num. 9. fol. 328. *Ut intelligamus* (inquit) *illius Sepulchrum, ne dum vitam & nomen, ſed Chriſti Domini præfiguraſſe SEPULCHRUM, de quo ſcriptum eſt:* Et erit Sepulchrum ejus glorioſum. Tum affirmant Philoſtrates, Montanus, Iſràëlitas ſolis ſimulacrum, cujus ille curſum precibus retrasserat, ſuper ejus tumulum poſuiſſe. Noſtri Salvatoris ac Ducis glorioſior tumulus, cui non ſuperficialiter, ſed internè ſol juſtitiæ Chriſtus alluxit, noctem ac tenebras in lucem vertens. Vel certè etiam Divino, ſculpendus eſt ſol Sepulchro, quem ipſe obtenebravit ſuper orbem, dum lucem ſuam terræ credidit, & egreſſurus de Sepulchro ſolem hunc quotidianum ſuo curſu, atque exortu antevertens, obſtupeſcente natura, citius exoriri fecit. Imò tam glorioſa inſculpenda monumento facta, quàm Theandrica meritorum hujus Joſue portenta, inſigniora palam ſub ſole patuerunt. Tum juxta Septuaginta, apud Gloſſam in Joſue cap. 24. Poſuerunt

runt in Sepulchro Josue cultros lapideos, quibus circumcidit filios Israël in Galgalis, quando eduxit eos ex Egypto; quòd scilicet à Sepulchro Christi, omnes cæremoniæ legales, ac ritus veteres finem acciperent, & jam sepultæ erunt in suis observationibus, incipiente lege gratiæ; ut scribit S. Paulus ad Hebr: *Circumcisionem nihil valere in Christo; quia consepulti sumus cum illo, per baptismum & mortem*; adeoque cultros circumcisionis, petræ Sepulchri imponendos, cessante scilicet usu illorum ac utilitate. Quaresmius dicit: *Isto Dominico Sepulchro lex Moysi evacuata fuit, & Christi stabilita; eradicata Synagoga, & plantata Ecclesia.* Imò & non absque causa, cultri eodem cum illo in loco positi sunt, ut inde disceremus, juxta S. Cyrillum Alexandrin: *Circumcisionis spiritualis gratiam, morte ac Sepultura Salvatoris Christi, in nos membra ejus derivatam.* Proinde dum Hebræi ingens mausolæum ædificant Josue, digni perenni laude, quòd Ducis sui memoriam, amplo & visendo tumulo, immortalem reddere sunt conati; Sed digniores ex eo puto, quòd eundem apparatum acornatum, Divino magis impenderunt tumulo, repræsentato per bustum Josue, futura informantes sæcula, Divinum Monumentum magnificâ pompâ, ob memoriam sepulti JESU, adornandum, extollendum, ac decorandum, ut gloria ejus omni temporum cursu, maneret immortalis.

Elucid. terr. Sanct. Tom. 2. lib. 5. c. 19.

Libr. 4. in cap. 51.

Sepulchrum Christi esse figuratum in Sepulchro Elimelech, de quo Ruth cap. 1mo. Elimelech enim interpretatur: *Deus meus Rex*, & significat Christum Dominum Regem. Sepulturæ autem, magnam esse allegoriam ad Sepulchrum Christi tradit Gabriel Acosta; præcipuè quòd sicut ille, inter profanos Moäbitas, mortuus & sepultus est; ita Christus ad locum sceleratorum, nempe Calvariæ, mortuus & sepultus est: Et in eadem terra sepelitur Elimelech, scilicet in terra Moab, ubi & Moyses: Quia dum Messias, Salvator, totius Ecclesiæ Rex, post mortem Sepulchro imponetur, desinet lex Moysis, succedente gratia Christi. Suum sensum citatus promit Author: *Putaverim ego, adumbratam esse Sepulturam Christi, in hoc nomine*: in terra Moab; *ut sit allusio ad legem sepultam Moysis, per mortem Christi: Moyses enim, sicut dicitur Deuter. 34.* mortuus est in terra Moab, jubente Domino, *cujus Sepulchri nec leve vestigium relictum est, cùm tamen SEPULCHRUM Christi fuerit semper gloriosum, ut vel ex hac Analogia cognoscamus, sepulto Christo Domino,*

 ejus

ejus Evangelium publicatum fuiſſe inter gentes, cùm tamen apud eaſdem, omnino ſepulta ſit lex Moſaica. Ex qua occaſione, citati hic Sepulchri Moyſis, hoc pro gloria Sepulchri Chriſti addo, quod Moyſis Sepulchri, nemo conſcius fuit; quia, ut dat rationem S. Auguſtinus: *Ne Sepulchrum ejus populus Iſràël, ſi cognoviſſet, adoraret.* Quod ſcilicet adoratio gentis Judaicæ, ſoli ſervabatur Sepulchro Chriſti, hocque, non Moyſis, ab omni gente, populo Iſràël, venerari ac adorari debet. Nec alia de cauſa factum arbitror, id, quod oculatus teſtis adducit Quareſmius, ſcilicet nullum extare, niſi unicum, intra Civitatem Hieruſalem, eſſe Sepulchrum Chriſti, quod olim erat extra Civitatem; quia foris honor aliis Judæorum Sepulchris, exul procul ab Urbe, ſolum Sepulchrum Chriſti, Urbi & Orbi inferendum, cunctarum gentium ac populorum, meretur cultum ac reverentiam. Occultatum fuit Sepulchrum Moyſis, ne pateret cultui Judæorum; revelatum eſt Sepulchrum Chriſti, ut in illo adoraretur. Ita Barradius: *Sepulchrum Moyſis occultavit Deus Deuteron. 34. at Sepulchrum Chriſti, cunctis hominibus, per Angelos patefecit: Cognoſcunt homines SEPULCHRUM Chriſti, uſque in præſentem diem inviſunt, venerantur. Sepulchrum Moyſis occultatum eſt, ut ajunt, ne populus Iſràëliticus, ſi Sepulchrum cognoſceret, hominem Moyſen, ut Deum coleret, quod diabolus cupiebat, quod etiam prohibebat Michaël, & occultabat, ut habetur in Epiſtola Judæ Apoſt: Sepulchrum autem Chriſti, obſeratum, atque occultatum eſſe optabat diabolus, ne reſurrectio crederetur.* Voluit diabolus manifeſtum fieri Sepulchrum Moyſis, ut in illo ad idololatriam obcœcata corda induceret; voluit occultare Sepulchrum Chriſti, ne in illo cultus latriæ Deo exhiberetur: Sed Deus potentiam inferni confregit, abdidit Sepulchrum Moyſis, ut gloriam Sepulchri ſui manifeſtam redderet, & reſurrectionem declararet.

Libr. I. de mirabil. Script. cap. 25.

Tom. 4. Lib. 8. fol. 345.

Sepulchrum Chriſti figuratum eſt in tumulo Abner, 2. Reg. Cap. 3. v. 32. Abner enim Interpretatur *Patris lucerna*, & ſignificat Chriſtum Dominum, qui in Symbolo Niceno dicitur: *Lumen de Lumine.* Sicut exequiæ Abner, figurabant exequias Chriſti Domini. Ludolphus de Saxonia Carthuſianus, 2. part. cap. 66. tenere videtur; ita tumulus ejus, fuit figura Tumuli Chriſti. Sicut enim David ipſemet, curavit ſolennem ſepulturam Principi ſuo Abner; ita Deus ſuprema ſua poteſtate, per omnes circumſtantias

In Vita Chriſt. de ſecund. Complet.

tias ac modos, honorandam & Regalem Corpori Chriſti deſignavit Sepulturam: *Agit Sepulchri curam Deus ipſe*; S. Chryſologus Serm. 83. Tum ſicut David, ſtans ipſe primus, *flevit ſuper tumulum Abner* virorum fortiſſimi, ut ſic exemplo ſuo commoveret ad lachrymas populum: Viſo enim flente Rege, confeſtim populus uberrimis lachrymis irrigavit tumulum; *flevit autem & omnis populus*: Sic ſuper tumulum Chriſti, flevit primò Regina & Dominatrix potentiſſima, Beata V. MARIA. Sic enim de illa dicit D. Bernardus: *Monumentum, in quo poſuerunt eum, modo mirabili madidabat.* Angelorum quoque millia millium, decantantes exequias ſepulti JESU, qui omnes convenerant, ad Sepulchrum Domini ſui, juxta S. Aug. Tract. 120. in Joann. Hi inquam pacis Nuntii, amare flebant, ſeu, ſi capaces eſſent lachrymarum, illis abluerent Sepulchrum, provocati tam piô aliorum exempló. Flevit Maria Magdalena, ſedula Sepulchri Chriſti Cultrix ac Viſitatrix; his verbis teſtatur Drogo Oſtienſis Epiſcopus: *Fugientibus & latentibus* Serm. 1. de *Viris* (hoc eſt Apoſtolis) *mulier imperterrita* (id eſt Magdalena) Sacramen. *ſtabat ad Monumentum plorans*; *ſi fieri potuiſſet redimendo Corpori,* Paſſ. *SEPULCHRUM lachrymis impleſſet.* Flebant ſuper tumulum Chriſti, aliæ mulieres, de illis S. Cyrillus: *Venerunt illæ beatæ ad SEPULCHRUM, & quærebant eum, quia jam reſurrexerat & eruperunt illis* Cateches. 14. *lachrymæ de oculis.* Flebat Helena Imperatrix, quæ Hieroſolymam Joann. Horainviſens, ibi poſtquam locus, ubi Chriſtus morte occubuerat, ubi tius Scoglius. tumulo conditus, ubi redivivus ſurrexit, præſens oculis ſpectandus occurrit, ea ipſe volvens mente, protinus in pias lachrymas animi ſenſum effudit, terque quaterque oſculata humum, collem perluſtrat.

Sepulchrum Chriſti erat Sepulchrum Samſonis, hoc enim erat domus illa, ſive palatium, in quo omnes Principes Philiſthinorum & cæteram populi multitudinem, ſubverſa domo, per concuſſionem columnarum, quibus nitebatur, unà ſecum ſepelivit. Sic Sepulchrum Chriſti fuit domus & Palatium Chriſti, imò Regia Regis Æterni; hæc enim verba: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum,* Pagninus legit: *Tranquillum regnum ejus, erit glorioſum,* Sepulchrum hic accipitur pro regno, ex quo *Dominus regnavit, decorem indutus eſt.* Unde Vincentius Gilibertus, Clericus Regularis, in Pſalm. 3. v. 4. Stella 13. ait: *Ubi in cujuslibet mortalis Regis, regio*

 monu-

monumento, & sceptra pendent, & coronæ visuntur; in Regis Æterni SEPULCHRO, & sceptra florent, & coronæ reflorent. Imò Sepulchrum Christi esse prætorium Summi Imperatoris, unde regiô amictus paludamento prodiit, probat Joannes Masculus, in Ponderat: Conc. in S. Augustinum, ex eodem S. Doctore, Serm. de Ascens. Domini: *Etiam quando resurgit, domestici Angeli destinantur, ut à nube ac prætorio MONUMENTI, resurrexisse nuntiarent Dominum cæli.* Prætorium autem idem, quod palatium ex indice Gregorii Cnapii patet. In hoc ergo prætorio, id est palatio, Sepulchro suo, quia Christus hostem capitalem, id est diabolum cum suis Angelis extincturus erat, concussis januis inferni, similiter mortem devicturus, apprehensis ambabus columnis, id est Corpori unitâ simul Anima, & Judæos conterendos, *conquassabit capita in terra multorum*; ideo in hujus figuram, Samson humatur in palatio triumphali, inter hostium cadavera. Et ita appositè his verbis Gabriel Acosta, de Samsone agens, ipso titulo §. IV. *Moritur Samson proprio tectus triumpho, in figuram gloriæ SEPULCHRI Christi.* Etenim palatium illud, quod pro Sepulchro Samsoni fuit, ex eo gloriosum evasit; quia in eo patuit potentia, fortitudo, ac ingens robur Samsonis, quod ipsi de novo accessit, licet jam infirmum ac debilem illum putarunt Philisthæi, utpote abraso capite ac effossis oculis, vinctumque videntes, ac illi illudentes; de eo S. Ambrosius, Epist. 70. scribit: *Quod ejus sepultura fuit præstantior, ac triumphalem invenit exitum, propriô tectus triumphô.* Sic Sepulchrum Christi, ex eo gloriosum fore, quo in eo manifesta fiet potentia, robur, ac virtus invicta Christi, in triumpho diaboli ac Judæorum, qui hujus sensus sui erant, recessisse à Christo omnem fortitudinem ac potentiam, dum jam sepeliretur in tumulo, quasi penitus ablatas fuisse, & dum jam sepeliretur in tumulo, quasi penitus ablatas fuisse, & fortitudinis suæ vires existimantes, quos dum tam notabili strage concussit, potentiæ ac fortitudinis ejus evidentissimum documentum, Sepulchrum extitit. Adest hujus intelligentiæ Patronus, dictus insignis Commentator, dum præmissâ Samsonis sepulturæ gloriâ, ex gesta potentia, allusionem facit ad Sepulchrum Christi: *Similiter de Christo Domino, juxta id, quod prædictum fuerat ab Isaia:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum; *de SEPULCHRO enim spoliavit avernum, mundum reconciliavit, animas beatificavit; atque ita in uno & eodem SEPULCHRO Christi, & potentia infinita, & virtus, atque*

gloriæ

Fol. 840.

Comment. in Gen. cap. 49. Tract. 26. fol. 87.

gloriæ majeſtas oſtenſa eſt. Imò ad gloriam SEPULCHRI illius invicti Samſonis, hoc addit Scriptura, quod multò plures interfecit moriens, quam ante vivus occiderat. Chriſtus plures vivificat mortuus, quam vivus. *Proinde* (infert idem Doctor) *Chriſti Servatoris SEPULCHRUM, ſeminarium fuit vivorum, Samſonis Sepulchrum mortuorum.* Samſon enim & ſeipſum & omnes hoſtes, ſuo conſepelivit tumulo; Chriſtus ubi mortuos accepit, majorem potentiam exercuit, dum vivos è ſuo Sepulchro reddidit, & quod ingrediuntur mortui in Domino, tot vivi cum eodem à Sepulchro prodeunt; Idem Author: *Sepulchrum Samſonis, tumulos morientium hoſtium; SEPULCHRUM Chriſti, factum eſt potiùs ſeminarium reſurgentium inimicorum.* Omnes nos, qui in peccatis mortui eramus, conſepulti ei, cum eo vivimus in æternum. Longè ergo glorioſior eſt tumulus Chriſti, quàm Samſonis: Ille adverſariorum ſtrages mortifera; hic peccatorum vita. Illò ſternuntur tot cadavera; ab hoc fœtida corruptione lethali corpora, reſurgunt ad vitam, quæ ad mortem ceciderant: *Multa Corpora Sanctorum ſurrexerunt.* Qui ſe in hoc tumulaverit Sepulchro, etiam fœtidus quatriduanus Lazarus reſurget, nunquam moriturus. *Recte autem* (dicit S. Aug. in Serm. de Temp. Tom. 10. Serm. 133.) *hanc vitam nos in noſtro Sepulchro condidimus, ut vivificet mortem noſtram, & cum ipſo reſurgamus.* Geſſit itaque gloriæ Sepulchri Chriſti figuram triumphalis ille tumulus Samſonis, ſed quam à Scriptura, meritus eſt panegyrim, hanc minuit, dum Iſaias Divino tumulo, adſcribit gloriam: *Eſt igitur* (concludit idem Commentator) *glorioſum Chriſti SEPULCHRUM, ſicut de eo prædixerat Iſaias, longè magis, quàm tumulus Samſonis, quamvis ille triumphalis fuit.*

Judic. 16.

Sepulchrum Chriſti figuratum eſt, in Sepulchro Regis David, de quo 3. Reg. cap. 2. vers. 10. *Dormivit igitur David, & ſepultus eſt in civitate David.* Notat enim Beda libr. 3. allegor. expoſit. ſuper Esdram, quòd David non in Bethleem, ut quidam putant, ſed in Jeruſalem eſt ſepultus. Et hoc ex certa ratione myſterii: Sicut enim in Bethleem natus, & in Regem conſtitutus, Chriſtum ibidem naſciturum de ſemine ſuo, & à Magis, ſub Perſona Regis, adorandum figuravit; ita in Jeruſalem defunctus & ſepultus, ipſum in eadem Civitate paſſurum & ſepeliendum; adeoque ſicut Sepul-

Apud Gloſſ. in Nehem. c. 3. verſ. 16.

tura

tura David, fuit figura Sepulturæ Christi; ita & Sepulchrum illius, figura Sepulchri Christi. De Sepulchro David scribit Josephus, in antiquitatibus Judaicis, quod & Procopius testatur, aliique multi, quòd in Sepulchro ejus multum auri defossum est, cujus conjectura vel inde liquet, quod postmodum aperiens Hyrcanus Pontifex, prolatis inde tribus talentorum millibus, eorumque parte Antiocho numerata, periculo oppugnationis se exemit; idem Josephus habet. Ditiùs fuit Sepulchrum Christi, quòád præstantiores aurô thesauros, quod licet ante nihil in se valuerit, vel inde tam æstimandum erat, quia à Deo præordinatum, & prædestinatum suo tempore magis ditandum, Corporis Christi in illud illatione, quò receptô, tantum sese erexit, ut onustum Davidis Sepulchrum, & quæque æraria, suâ superexcederet opulentiâ. Et illud describens Thomas Waldensis, testatur Sepulchrum Christi fuisse sumptuosum & amplum, quantum tunc temporis pretium exigebat, pro viro divite & nobili, qui administratione erat Decurio, fabricatum. Imò in illo, tam amplæ repertæ sunt opes (nempe merita infiniti valoris, sangvis, vulnera, & alia hujusmodi) ut non unam tantùm civitatem, sed infinitos mundos, universumque humanum genus, ab obsidione inferni, & vinculis peccati, redimere & liberare possent. Ad id propositum decidit Joannes Carthagena, libr. 13. de Christi Sepult: *SEPULCHRUM Christi Domini fuit præfiguratum, in celeberrimo illo Davidis Sepulchro, de quo Joseph in Antiquit: commemorat - - Hoc quid quæso præfigurabat? nisi infiniti pretii thesaurum Corporis Christi emortui, in SEPULCHRO Christi latentem; cujus quidem divitiis, omni auro pretiosioribus, ejus scilicet vulneribus, & pretioso Sangvine, & Reipublicæ Christianæ, spiritualibus necessitatibus succurritur, & peccati morbo laborantes, ad pristinam sanitatem revocantur; hoc quis non videat, gloriam hujus SEPULCHRI, mirum in modum commendari?* Imò si juxta Clementem VI. in Extravagant: Unigenitus: Thesaurus infinitus, militantis Ecclesiæ inexhauribilis, sunt Indulgentiæ; has plenè continet Sepulchrum Christi, dum illud qui ingrediuntur, copiosissimè illis dotantur, ac eas acquirunt. Testatur Stephanus Ragusinus, Stagni Episcopus: *Audivi ego doctos & antiquos Prælatos Orientales, quòd à Silvestro, nominis hujus Primo, Christi Vicario, concessa fuit Indulgentia plenaria, omnibus contritis & confessis, ingredientibus Dominicum SEPULCHRUM.*

Libr. 7. cap. 12.

In Doctr. Fid. Chr. Tom. 2. Titul. 14.

Homil. unica pag. 8.

Com-

Commendat Sepulchrum Davidis hoc, quod ex deprompto auro, latente in illo, Xenodochia pro infirmis curandis, fuerint constituta ac erecta: Ex Sepulchro Christi infirmitas utraque tam corporalis, quam spiritualis, perfectissime curata est. Inde erectum est hospitale pro infirmis hominibus, fragilibus ac debilibus, qui inde & curantur, dum infirmi sunt, & reparantur, ne fiant debiles. Inde spirituales nummi Divinarum gratiarum proferuntur, quibus & necessitatibus salutis nostræ semper succurritur, & inopia in juvandis infirmitatibus nostris, quibus frequenter subjacemus, sublevatur. Insuper ex Sepulchro Christi constitutum est Xenodochium, scilicet fundatus est Ordo Hospitalariorum, qui ad instar Canonicorum Regularium Ecclesiæ S. Resurrectionis, voto se adstringentes, Patriarchæ Hierosolymitano & aliis Prælatis, Canonicis Ordinis nostri humiliter obedientes, susciperent peregrinos ad S. Sepulchrum, in hospitali suo necessaria sufficienter ministrantes, infirmis procurantes commoda, tum ex fidelium eleemosynis, tum ex oblationibus S. Sepulchri; habetur decisum apud Albertum Aquensem, à Fratre Regis Baldvini, inter illum & Patriarcham, circa oblationes S. Sepulchri negotium habentem: *unum videlicet in oblatione Dominici SEPULCHRI, ad usus Fratrum*, (id est Canonicorum illius loci; hi enim nomine Fratrum ibi veniunt, ut patet ex lectione Capitis & verbis sequentibus) *Deo inibi famulantium; alterum in sustentatione hospitalis langvidorum, cæterorumque invalidorum.* Adeoque ex Sepulchro Christi, ut ex Davidis divitiis, similes providebantur impensæ. Imò non solum Christianorum, tam spiritualibus, quàm temporaneis, ex Sepulchro Christi subventum est necessitatibus; ut contigit sub Saladino, qui dum nimium aggravavit Christianos tributis, quorum calamitati compatientes cæteri, unanimi consilio, pauperes ex auro & argento Dominici Sepulchri redemerunt; habet Parisiensis, Histor. Anglor. Anno 1191. Sed quod magis ipsi Turcæ ac Saraceni, cæterique infideles, ex illo pecuniosi ac opulenti fiunt, & bene se habent, dum non solùm à peregrinis ad illud, sed quàm maximè à Christianis ibi degentibus, magna tributa pecuniosa, ac summas notabiles impositas recipiunt, se redimentibus ex eleemosynis, S. Sepulchro oblatis. Et testatur Gvilelmus Reginaldus Anglus, in collatione Machometanæ perfidiæ cum Calvinistica, Sanctum Sepulchrum Fol. 90.

nemini fas est intrare, qui non prius Imperatoris Turcarum Exactoribus persolverit ordinarium tributum. Unde meritò ad hoc intentum dicit Quaresmius: *Sed quid dico thesaurum, dicam potiùs thesauri venam, esse SEPULCHRUM Christi, etiam ipsorum infidelium testimoniô, qui ex Christi SEPULCHRO magnos continuò, & à venientibus peregrinis, & multò magis ab ibidem manentibus Christianis, exigunt proventus.*

Eluci d. Terr. Sanct. Tom. 2. libr. 5.

Quàm frequenter Civitas tua, scilicet anima, hæc beata patria, circumquaque à mundo, carne, diabolo obsidetur, à tentationibus oppugnatur, tibi per experientiam constat. Unde itaque te redimes his obsidibus? unde depromes aurum, quô tam molestam obsidionem, vel servitutem solvas? inimicos, qui portis, id est sensibus externis circum omnibus instant, abigas? Ad Sepulchrum Christi confuge. Præfectus thesauri inibi certò existentis, en aperuit cellam Monumenti, digitô monstrat opes intrà viscera: *Ecce locus, ubi posuerunt eum!* Huc itaque applica animum cupidum, ibi succursum quære, postpositis cunctis terrenis substantiis, ac vilipensis; qualiter omnia vilipendit terra, quidquid pretiosissimi intrà viscera sua generare unquam potuit; dum Christi Corpus, vulnera, & Sangvinem intra se abdidit. Similiter & tu ad fallaces non refuge opes, quæ te magis pluribus adversariis vallant, hostibus obsessis tenent; ad Corpus, vulnera, Sangvinem, Crucem, clavos, spinas, quæ sunt facultates, possessio, ac fortuna Sepulchri Christi, te confer. Ibi auxiliantis gratiæ gazæ sunt; ibi talenta, quibus cælum emitur, acquiruntur virtutes; redimuntur capitales hostes, possessiones amplæ ac multæ perfectionis comparantur; fortissima proposita, tanquam heroës invicti, salariantur, ac infirmæ animæ providendæ sanitati, hospitale satis provisum, ac commodum erigitur.

Sepulchrum Christi figuratum est in Sepulchro Elisæi Prophetæ, de quo 4. Reg. cap. 13. vers. 12. Huic propositioni, primò suffragatur Authoritas, S. Ambrosii dicentis: *Sepulchrum Elisæi, esse typum SEPULCHRI Christi*, refertur in Sylva Allegoriarum, sub titulo: *Sepelire.* Et S. Maximus ait: *Legimus beatum Elisæum Sepulchrô conditum, ingestô à latrunculis cadavere, intrà tumulum suum corpus extincti, tactu sacri Corporis suscitasse: Quis hîc alius præfiguratur? nisi Dominus noster JESUS Christus, qui resurrectionem de morte largi-*

Serm. 57.

Hieron. Lauret. f. 916.

Homil. 1. in Fest. Pasch.

largitur, & vitam SEPULTUS operatur. Secundò, factum illud Elisæi, qui *Dei mei salus* interpretatur, præfigurabat à Christi Sepulchro resuscitationem mortuorum: & quidem longè majori virtute resuscitativa, pollendum Sepulchrum Christi, quàm Elisæi; illud enim unum latronem resuscitavit; hoc Christi omnes homines, etiam latrones, & sceleratissimam erronum cohortem, reviviscere facit: Sicut enim Corpus Christi passibile, nostra omnia repræsentavit corpora, ac redemptio, quæ facta est in passione corporis illius, nobis appropriatur, ut illo redimente, nos redempti censeamur; ita Crux Christi, in qua salutem nostram consummavit, dicitur salvare nos, liberare nos. Ita idem Christi Corpus mortuum, dum vivificatum in Sepulchro est, simul nos peccatores putrida cadavera, cum illo ex eodem Sepulchro, prodivimus vivi; ita, ut Sepulchrum Christi vivificaret nos omnes, denominativè à Corpore Christi vivificato. In Salvatore enim (S. Maximus homil. 3. de Resurr.) *omnes resurreximus, omnes reviximus. In illo enim nostra portio, nostra conditio, & mortem pertulit, & revixit.* S. Leo Papa Serm. 2. de Resurrect: *Nos in Christo crucifixi, nos sumus mortui, nos sepulti, nos etiam in ipso, die tertio suscitari.* Adeoque Sepulchrum Christi, titulum amplioris meretur vitæ, quàm Elisæi, cui ab universitate hominum, inscribendum elogium: *Revixit homo, & stetit super pedes suos.* Tertiò Sepulchrum Josephi ab Arimathæa, quid fuerat ante? nisi ad instar latronis, ut alia sepulchra, quæ more latronum despoliant omni ornatu, divitiis in illa illatis, & ipsis corporibus deprædantur. Hoc unum illorum, postquam tetigit ossa & Carnem Christi, id beneficium contulit ei contactus, ac miraculum declaravit, quod talis deprædatrix natura, removebitur, ac ejicietur à Sepulchro Elisæi id est Christi, ut hoc inauditô prodigiô demonstraretur sanctitas Humanitatis Christi, & prærogativa loci. Quartò, sicut mortuus Elisæus, defuncto cadaveri vitam restituit; ita Christus in Cruce occisus, Sepulchro suo, quædam vitæ munera contulit, ut illud omnes mortui, non tam corporaliter, quam spiritualiter, attingentes, ad vitæ gratiam redeant, illisque habitaculum mortis, fiat principium vitæ; licet enim in Sepulchrum Christi mors sit illata, tamen postmodum ex illo, nobilior & perpetua vita dimanat. Quintò demum, ex ipsa materiali constructione; Sepulchrum

Elisæi gerebat speciem Sepulchri Christi; quia apud Glossam in additionibus hic habetur, quod fuerat in antro saxeo excisum, & saxum adhibitum ad ostium monumenti: quia sic Sepulchrum Christi futurum fore; ut hic Abulensis Episcopus, illud æquiparat, ac stupendis prodigiis insigne fiet. Hac sors & tibi contingat peccatori, quæ illi latroni. Sepulchro Christi te conjice, resuscitabitur corpus tuum & anima in novitatem vitæ. Mandavit olim Popheta Addo: *Cùm mortuus fuero, sepelite me in Sepulchro, in quo vir Dei sepultus est;* similiter tu exopta, vel fac similiter, cùm mortuus fueris, id est in anima, moribusque tuis aliquid mortiferum, sive disponens ad mortem adverteris, sepeli te in Sepulchro, in quo Christus sepultus est; certus firmiter à contactu tam sacri Corporis, tam loci, te redire ad vitam amissam, ab Auctore vitæ. Cor tuum, Sepulchrum est Christi, tangens per Sacram Communionem Corpus Christi. Si Elisæi sepulti corpus mortuum, non est passum mortuum, sed vivum effecit; quomodo Corpus Christi vivens, tuum cor pati poterit mortuum? id est sine gratia, quæ est vita animæ tuæ, & destitutum vita spirituali putridum cadaver? nonne continuis operationibus spiritualibus, tanquam actibus vitalibus, te viventem à Corporis Christi tactu, Sepulchrum tuum cor, monstrare debet?

Quæst. 19. fol. 137.

3. Reg. 13.

Sepulchrum Christi est figuratum, in illis verbis Job cap. 3. *Qui expectant mortem, quasi effodientes thesaurum, gaudentque vehementer, cum invenerint Sepulchrum.* Hic locus potest intelligi, primò de Constantino Magno, & de S. Helena; quia hi Principes Augustissimi, ardentissimô desideriô expectabant mortem, id est nimis desiderabant Crucem, in qua mortem subiit Christus, & Monumentum invenire. *Plurimi porro faciebat* (S. Helena,) *ut Crucis lignum, & vivificum MONUMENTUM Christi inveniret.* Unde ad jussionem illorum, obrutum locum Crucis & Sepulchri Christi, fodiunt rastris, durisque ligonibus humum; adeoque sicut effodientes thesaurum, expectant cum desiderio ejus inventionem. Taliter dicta verba commentatur Lyranus; Ita dum præsente Augustissima Imperatrice, foderetur terra illa, cum ingenti desiderio, expectabant inventionem thesauri Sepulchri Christi, quod perquirebant summa authoritate & labore. Et quantumvis difficulter, attamen eô tandem inventô, tantum, imo majus advenit omnibus

Nicephor. Histor. Eccl. lib. 8. capit. 29.

bus populis, totique Christianitati gaudium, quantum, cum quis invenerit pretiosissimum thesaurum. Sicut ergo homines gaudebant, quando Sepulchrum inveniebant, propter ea, quæ erant ibi reposita; (his verbis Jobi innuitur), scilicet quòd antiquitùs in Sepulchris Magnorum, reponebantur aliqua pretiosa: Sic nimis longè lætati sunt Principes, dum Divinum invenerunt Monumentum, Magni Dei nostri, in quo repositum Christi Corpus fuit, & tot multa pretiosa, scilicet, penes quod Crux, clavi, titulus, spinea corona, aliaque. Unde D. Petrus Damianus: *Quia Crucis* (adeoque & Sepulchri Christi) *inventionem colimus, quasi repertô totius mundi thesauro, communiter in Christo gaudere debemus.* Si tota Regna, opesque, quibus abundat terra ac mare, piissimus Imperator ac Imperatrix suó posiderent Imperió, importarent ærario, necdum ita gauderent, quantô repleti sunt vehementissimè gaudió, dum Sepulchrum Christi invenerunt. Vix verò verbis exprimibilis, intellectu conceptibilis est lætitia D. Macarii, Archi Antistitis protunc Hierosolymitani, ac Canonicorum suo Præsuli adstantium, ac eum Comitantium. Et sicut Ecclesia præcipit, ut in Domino quisque lætetur in die quâ infinitus thesaurus, in manifesto resplenduit, id est Christus de Sepulchro resurrexit; ita dum Monumenti Christi, quod gazophylacium est, post illam effossionem ex ingesta terra, facta est resurrectio, gaudendum universo mundo. Dies, hora, inventi Monumenti Christi, reperti thesauri, dies gaudii & universæ exultationis. Qui effodiunt thesaurum, vehementer gaudent; Sepulchro scilicet Christi, sub terra invento, legit Pineda. De quo gaudio Silvestri Pontificis, Constantini Magni, & omnium fidelium, testatur Carolus Sigonius sic referens: *Dum Constantinus Romæ, majore pompa, Vicennalia Imperii sui perageret, Nuntius de SEPULCHRO, & Cruce Christi inventa accessit, qui & ipsum & Pontificem Silvestrum, & universum piorum populum, ingenti lætitia extulit.* Secundò locus prædictus Jobi, potest itelligi de præsignatis militibus, S. Sepulchri defensoribus, qui expectabant mortem, mortem inquam beatam, pro Christi nomine, & S. Sepulchri via, quibus tamen non venit, seu qui in illo bello sacro non occupuerant, sed feliciter ad illud devenerunt, nemini ferè experta gaudia, quanta ibi fuerunt, dum Sacratissimum Sepulchri locum, quasi jam à suo honore deperditum

Comment. in Job.

In Hist. de Occiden. Imper. libr. 3. f. 91.

tum, invenerunt. *Venerunt autem omnes noſtri gaudentes*, (ut in Geſtis Francor: refertur), *& præ nimio gaudio plorantes, ad Noſtri Salvatoris JESU Sepulchrum adorandum, & reddiderunt ei capitale debitum.* Non ſic gaudebant de opimis, ac ditiſſimis ſatis ſpoliis, quæ copioſiſſima ac inæſtimabilia repererunt; ſed de inventione, ac recuperatione è manibus infidelium Sepulchri Chriſti, toti effuſi in gaudium; ut verè in illis tunc impletum ſit: Qui expectabant mortem in bello, non venit, quaſi effodientes theſaurum, gaudebant vehementer, cum invenirent Sepulchrum Chriſti. *Peregrini* (Sanutus libr. 3. part. 6. Cap. 3.) *finem intenti ſui aſſecuti, videntes ſuum deſiderium adimpletum, de Sepulchro Domini, ac Civitate Sancta Jeruſalem, nihil ultra quærentes, cum gaudio ad propria reverſi ſunt.* Et ita de his, aliisque peregrinis ad S. Sepulchrum, dicta verba intelligit S. Bernardus, dum inquit: *Quàm dulce eſt peregrinis, poſt multam longi itineris fatigationem, poſt plurima terræ marisque pericula, ibi tandem quieſcere, ubi & agnoſcitur ſuum Dominum quieviſſe! Puto jam præ gaudio, non ſentiunt vitæ laborem, nec gravamen reputant expenſarum, ſed tanquam laboris præmium, curſûsque bravium aſſecuti, juxta Scripturæ ſententiam*: gaudent vehementer, cum invenerint Sepulchrum.

Serm. de Sepulch. Dom.

De Sepulchro Chriſti, videntur procedere verba illa ejusdem Job Cap. 5. *In abundantia ingredieris Sepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo.* In eo enim figuram eſſe Sepulchri, cenſet Antonius Serpenſis in Chronolog. Euchar. ſuper hæc verba percunctator: *Nam quis unquam in abundantia, poſt mortis indigentiam, ingreſſus eſt Sepulchrum? quiſve in buſtum horridum, acervus ſicut tritici in horreum ſuum infertur? Nemo ſanè, niſi ille, qui obiit quando voluit, & ſic obiit ſuo tempore.* Sciens JESUS, quia venit hora ejus, *quique SEPULCHRUM ingreſſus eſt, ut triticum in abundantia, ingreſſum talem fecit.* Quaſi hic diceret Job: Quemadmodum in acervum fruges maturæ, tempore ſuo aggregantur; ſic frumentum electorum Chriſtus, maturus & ſatur redemptionis, ac fructuum meritorum ſuorum, horâ certâ ac tempore, colligetur de acervo Crucis, & aggregabitur in Sepulchrum: Chriſtus enim ſuum Sepulchrum in abundantia ingreſſus eſt. Tum quia Divinitas, quæ eſt Ens ſufficientiſſimum ſibi ad eſſe, omnium perfectionum cumulus, in Perſona Verbi, fuit unita Corpori; Ut in hunc ſenſum

ſenſum loquitur Nicolaus de Gorran, in Poſtill. ſub. Epiſt. S. Pauli ad Hebr. capitul. 10. liter. C. qui enumerando varios ingreſſus Dei Filii, ſubjungit: *Quartò ingreſſus eſt SEPULCHRUM, ſicut lapis imum, avis nidum; juxta illud Job. 5.* Ingredieris in abundantia, *ſcilicet Divinitatis*, Sepulchrum, ſicut infertur acervus tritici in tempore ſuo. Tum quia Chriſtus, poſtquam dixit: *Conſummatum eſt*, id eſt ſuperabundanter conſummavit condignam, pro peccatis ſatisfactionem, Sepulchrum ingreſſus eſt. Tum quia Sepulchrum Chriſti, quod antea vacuum fuit, tantum abundavit ad illationem Corporis Chriſti, ut in illud inferri videretur copia, præcipuarum & notabilium gratiarum. Et ſicut effugit ille famem præſentem, qui auget acervum; ſic ut nos effugiamus famem inferni, ecce ſelectiſſimi grani frumento, ac pane vivo, cæleſtique pabulo, impletum Sepulchrum, tanquam acervus, in quo retentum fuit frumentum, ad ſubveniendum fami animarum noſtrarum. Tum ſicut ad acervum, ex quatuor lignis conſtructum, importantur tempore meſſis collectæ ſegetes; ſic Sepulchrum Chriſti, penes quadratam figuram Crucis erectum, tempore collectionis de ligno Crucis, frugem recepit Corporis & Sangvinis, ut talis famelicis nobis à Salvatore provideretur alimonia. Propterea non caret res myſteriô, quòd patientiſſimus Job, cum ſuperioribus verſibus dixiſſet: *In fame eruet te à morte*, vers. 20. & iterum: *In vaſtitate & fame ridebis*, vers. 22. quæ ergo remedia? quis cibus, & ubi reſerventur frumenta, quibus reficiamur, ne fame pereamus? ubi tanta opima horrea, impleta fruge, in quibus fidentes, irrideamus fami? Ecce ſubjungit: *Ingredieris in abundantia Sepulchrum* ſcilicet Divinum, in quo triticum mundiſſimum, Corpus Chriſti repoſitum, eruet te à fame mortis. Hoc, eſt locus paſcuæ, alimenti in abundantia, quod ſi ingreſſus fueris, in abundantia cordis & devotionis tuæ, illos, qui famem patientur, ut canes, irridebis; refectus ex illo, pane ſvaviſſimo amoris Chriſti, ac ineſcatus ſpiritualibus paſcuis.

Concludo præſentem titulum, hac addita reflexione. Prima quam adnotavit Jacobus de Valentia in Pſal. 77. quod cauſa; quare fuit antiquis Patribus tanta cupiditas ſepeliendi in terra promiſſionis, fuit hæc: quia revelatum fuit Abrahæ, Jſaac & Jacob, qualiter Chriſtus ibidem erat moriturus, & ſepeliendus & reſurrecturus, Fol. 590.

rus

rus. Secunda reflexio, quod obnixè permulti olim, uti Joseph, Tobias, & cæteri, nimis desiderabant, ut in patriis suis, unà cum cognatis & affinibus, sepelirentur sepulchris, id videre est in variis Scripturæ locis, quorum desideria his verbis proferuntur: *Sepeliar juxta Sepulchrum Patris & Matris meæ. Sepelite me in patrio Sepulchro. Da'e mihi jus Sepulchri vobiscum. Condasque in Sepulchro Majorum &c.* Imò & in vivis, prope Sepulchra Patrum suorum habitare, omni ope contendebant. Villalpandus; Spondanus, aliique permulti testantur. Hoc autem faciebant, tum ratione mutui amoris; tum ratione consangvinitatis, ratione familiaritatis, ratione communicationis fidei in Messiam. Pariter & tu Christiane, vel tu Canonice S. Sepulchri, omni ope, conatu, curâ, satage, ut cor tuum, mentem, & Spiritum tuum, non alteri consepelias tumulo, nisi Christi dicens: *Sepeliar in Sepulchro Christi mei. Sepelite me juxta Sepulchrum Patris mei Christi. Date mihi jus Sepulchri Christi. Condasque me in Sepulchro JESU.* Cui omnes consepulti eramus. Sic enim ex adductis rationibus; nempe amoris in Christum, familiaritatis & fidei in illum in Sepulchro eodem, ambiebant multi sepeliri. Primò B. V. MARIA: de qua S. Bernardus: *Dum igitur Joseph & Nicodemus, Dominum ponerent in SEPULCHRO, volebat simul cum illo Mater mæstissima sepeliri.* Secundò, Maria Magdalene; quam sic loquentem inducit Origenes: *Stabo, & hic moriar, ut saltim juxta SEPULCHRUM Domini mei sepeliar. O quàm beatum corpus meum, si fuerit sepultum juxta Magistrum!* Tertiò S. Mulieres; ut de illis inquit S. Chrysologus: *Illæ ingrediuntur SEPULCHRUM, ut consepultæ Domino, totam fidei resurgerent in salutem.* Et Cajetanus in hæc verba: *Sedentes contra Sepulchrum*; dicit: *tanquam Domini SEPULCHRUM meditantes, acsi ibi essent eorum mentes ac oculi defixi, ac cum Domino sepulti.* Demum Sancti & devoti viri, jusserunt cadavera sua ad patibulum sepeliri, ad recordationem passionis & Sepulturæ JESU Christi, qui etiam apud patibulum passus & Sepultus est; prout S. Franciscus, de quo infra in Catalogo visitatorum S. Sepulchri. Abrogatus, Episcopus II. Argentinensis, juxta Bruschium de Episcop. Germ. Imitare & tu hoc sanctum desiderium, & laudabilem optionem, sepelias te spiritualiter ad Sepulchrum Christi; ex his causis: Primò, ratione amoris Christi, ut qui conjunctione spirituali, uniri debes per amo-

Serm. 77. de Resurrect.

amorem Chriſto, eodem conſocieris Sepulchro; adeoque charum cor tuum, in chariſſimi JESU tumulo reconde. Secundò, ratione conſangvinitatis; Chriſto enim factus es conſangvineus ac concorporeus, & per gratiam ſanctificantem, filius Dei adoptivus. Tertiò, ratione familiaritatis; cùm enim cordis tui nulla ſit familiarior vita, quam cum Chriſto, ejus ſemper intima præſentia, cum eo interna converſatio, frequentiſſima occupatio, continuus ad eum recurſus; decet, ut cùm eodem, clauſtro tumuli contineatur. Quartò, ratione communicationis meritorum ejusdem habitæ per participationem debitam Sacramentorum, ut dum ejus particeps ſis meritorum tibi applicatorum, uno recipiaris Sepulchro. Ex his ergo rationibus, ſolicite & tu ſtude, ad Chriſti conſepeliri tumulum. Verumtamen dum ſic ambis, more illo antiquorum Patrum, & exempló allegató Sanctorum & Sanctarum, conſepultus eſſe in Chriſti Sepulchro, memor ſis quæſo illius, quod ſcribit Sedulius: *Mori priùs oportet peccato, ut poſſis Sepeliri Chriſto. Si enim vivis adhuc peccato, conſepeliri non potes Chriſto, nec in novo ejus Sepulchro collocari, quia vetus homo tuus vivit, & non poteſt in novitate vitæ ambulare.* (In Epiſt. ad Rom. fol. 76.) Depone antiquam pravitatem morum, exue inveteratam mali originem, conſveta vitia, vel propenſiones ad peccatum inclinantes, mortifices & mori facias, & ſic dignus eris in proximo ad Sepulchrum Chriſti tumulari, ad quod nihil inveteratum inferri debet. Ama Chriſtum, permane in ſtatu gratiæ, conjunge te intimè Deo, & ſic in patrio tuo, & hæreditario Sepulchro Chriſti cupias collocari.

SPELUNCA.

Sepulchrum Chriſti fuiſſe Speluncam, paſſim aſſeritur; & recens Commentator Jacobus Tyrini, hæc verba Matth. cap. 28. *Sepe ivit in Monumento novo*, ſic legit: *Nempe in Spelunca.* Barradius, in hæc verba Iſaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, dicit: *Glorioſum enim SEPULCHRUM eſt, glorioſa SPELUNCA, ex qua cum ſumma gloria mortuus, ſepultusque reſurgit.* (Tom. 3. libr. 7. cap. 14. fol. 144.) Quam duplicem fuiſſe communiter cenſent, quicunque de illa ſcripſerunt. Ut ſcilicet clariùs pateat, ac firmetur commune Expoſitorum judicium, duplicem Abraham Speluncam, de qua fol. 7. figuram fuiſſe Sepulchri Chriſti, etiam in hoc puncto; ut præter alios Quaresmius: *Præfigu-* (Elucid. Terr.)

Sanct. Tom. 2. libr. 5. c. 16. *ratum in primis video, Sanctissimum Domini SEPULCHRUM cum horto, ubi erat; Genes. 23. ubi legimus Abraham noluisse aliorum Sepulchra, ad sepeliendum mortuum suum, sed speluncam duplicem emisse, quæ erat in extrema parte Agri. Et Æternus Pater, noluit dilectum Filium suum in communibus Sepulchris sepeliri, sed in SEPULCHRO novo, quod erat in horto, habensque SPELUNCAM duplicem.* Quæ sepulchralis Christi Spelunca, quia futura erat gloriosa, in multis aliis ante gloriosis Speluncis, fuit præfigurata.

Josue cap. 10. v. 18. & 27. Primò in illa Spelunca, ubi latebant Reges quinque, quos inter, primus fuerat Rex Jerusalem, id est in figura Christus, Rex Judæorum, qui suspensus in stipite Crucis usque ad vesperam, & decumbente sole, à sociis, seu Beatissima, Joseph & Nicodemo, Joanne, aliisque sociabus mulieribus, depositus de patibulo, & positus in Speluncam, super cujus os saxum ingens est positum. Et ita tenet Lorinus, Commentar: in Psalm. 68. v. 16. *Neque urgeat super me puteus os suum.* Ad hunc locum Psalmi sic dicens: *Eodem spectat lapidis tropologicè super Speluncam, in qua latebant Reges, Josue 10. v. 17. aut super Lazari Sepulchrum, quia sunt etiam figuræ Sepulti Christi, cum lapide posito super SEPULCHRUM.*

Secundò Sepulchrum Christi fuit figuratum, in Spelunca Odolla, de qua 1. Reg. cap. 22. Ipse enim ordo figuralis mysteriorum Christi, ante Sepulturam peractorum, qui in immediatè præcedente exprimitur capite, indicat hoc caput procedere de Sepultura Christi; In priori enim capite, expressa est in Davide intrante domum Abimelech, & comedente cum pueris, invasis mundis & sanctificatis, panem sanctum; institutio Sacramenti Eucharistiæ, seu dies Cænæ Domini, quo die Christus David, ingressus domum Cænaculi cum discipulis suis, de quibus ad Hebr. 2. v. 12. *Ecce ego & pueri mei, quos dedit mihi Deus;* sanctificatis vasis suis, id est Apostolis, ut hic Rabbanus, qui à contagione Judæorum, fide sanctificati erant; cum his inquam purissimis ac mundissimis, panes propositionis, id est Corpus suum sumpsit. Et deinde accepit gladium, quo percussit Goliath, qui erat involutus pallio; quia Christus, accipiens Crucem, in qua erat Sacro Humanitatis Corpore Personalitas Verbi latens percussit Philisthæum, id est diabolum, & liberavit genus humanum à peccato. His peractis idem David, abiit in speluncam Odolla, quia Christus, peractis myste-

riis illis præcipuis, in ante figuratis, abiturus est ad Speluncam Odollæ, id est Sepulchrum in Corpore suo ingressurus; de quo prædixerat Michæas, sub figura hujus Speluncæ, cap. 1. v. 15. *Usque ad Odollam veniet gloria Israël*; quasi diceret: gloria Hierusalem, & totius Israëlis, scilicet Sepulchrum Christi veniet ad Odollam, id est in spelunca Odolla designabitur. Quòd autem Spelunca hæc fuerit figura Sepulchri Christi patet, tum ex S. Augustino in Levit. cap. 2. adducto à Glossa, in Psalm. 141. sic dicente: *David fugiens Saulem, in Spelunca latuit, de quo tamen hic non agitur, sed de significato; David enim significat Christum, SPELUNCA verò SEPULCHRUM. David enim in Spelunca, Christus in Sepulchro.* Tum sicut audito hoc, quòd David lateret in Spelunca, fratres ejus & omnis domus ejus, descenderunt ad eum illuc; quia manente Christo in Sepulchro, non solùm ii, qui eum oderunt, descenderunt ad circumdandam Speluncam; sed etiam fratres ejus, id est Discipuli, ac domus, dilecta cognatio, Mater & Sanctæ Matronæ, descenderunt ad eum, quia intrarunt spiritualiter Sepulchrum, eum consolantes ac signa magnæ amicitiæ, & constantissimi amoris demonstrantes. Huncque Davidem stabiliter regnaturum, etiam post Saulis, id est Judæorum, persecutionem Fol. 1543.

Præterea Psalmus 141. qui secundùm literam procedit de Davide, juxta hanc seriem historiæ, quæ narratur hic 1. Reg. 22. figuraliter applicatur Christo, latenti in Sepulchro. Hugo Card. Commentar. in Psalm: *Psalmus tangens historiam 1. Reg. cap. 22. quòd videlicet fugit David à facie Saul, & latuit in Spelunca, mysticè de Christo, qui per David intelligitur, SEPULCHRUM dicitur SPELUNCA.* Unde titulum hunc, qui inscribitur: *Intellectus David, cum esset in Spelunca oratio*, sic ad Sepulchrum Christi exponit Glossa: *Id est quem intellectum habuit Christus; in SEPULCHRO oratio.* Et Jacobus Episcopus Christopol. in Exposit. in Psal. in titulum ejusdem Psalmi, in Commentar: *Unde per hoc, quòd David à Saul, ad Regem Geth, ne occideret eum, fugit; figurabatur, quomodo Christus fugit usque ad mortem corporalem Crucis, & latuit in SPELUNCA SEPULCHRI corpus ejus. Et sicut multi amici David erant afflicti, & expectabant exaltationem David; ita Apostoli, & totum genus humanum, in illo triduo, expectabant, ut Christus resurgeret à mortuis, & rediret ab inferno & SPELUNCA SEPULCHRI, ut omnes liberaret &c.* Hoc ergo Fol. 970.

prævidens David in Spiritu, per illam fugam & latitationem, fecit hunc Psalmum, in quo introducit Christum loquentem & petentem à Spelunca Sepulchri liberari. Unde totus ille Psalmus, fuit oratio ad Deum Patrem, Christi in Spelunca Sepulchri jacentis; ut ex pluribus indicatur versibus; quia Christus in conspectu Dei Patris, effundebat orationem suam, etiam jacens in Sepulchro, *cum deficeret Spiritus à me*; id est cum anima recessisset à Corpore. *Et cùm circumclusus fuissem, videbam, quia non erat, qui me cognoxeret*, recedentibus omnibus à me, sed solùm ad Dominum clamavit Humanitas, in illo spem habens, quod *requiret animam meam*, id est faciet eam uniri in Sepulchro corpori, cujus hæc *portio in terra viventium*, id est in Sepulchro, quod terra viventium est, sicut Calvaria terra morientis Christi. *Libera me à persequentibus me, quia confortati sunt super me*, sic idem Præsul exponit: *Libera me de crucifixoribus persequentibus me, quoniam confortati & roporati sunt super me, postquam in potestate eorum reliquisti me, crucifixerunt me; & sic tandem positus sum in hac SPELUNCA & SEPULCHRO, in quo adhibuerunt custodes armatos, & adhibuerunt magnum lapidem contra SEPULCHRUM, & sigillaverunt ostium.* Et de hac terra, scilicet Sepulchri, petit eductionem ultimis verbis: *Educ de custodia*, id est, ut exponit Glossa: *de SEPULCHRO*, cui appositi erant custodes. Vel ut idem Jacobus de Valentia: *Educ ergo de carcere inferni primò Animam meam, & Corpus meum de hac custodia, sive SEPULCHRO.* Dicitur: *Ad confitendum nomini tuo*, ut fiat confessio nominis Dei in toto mundo; *donec retribuas mihi*, id est faciendo retributionem meritorum Humanitatis, per Resurrectionem meam. Resurrectio enim juxta Cassianum: *retributio passionis est.* Nec alium quæras locum securæ mansionis, ac certum asylum, in quo declines insidias tentationum, persecutorum malevolentiam, æmulorum invidiam, nisi in Spelunca monumenti Salvatoris. Certè nullibi tuta infirmis securitas, nisi in Sepulchro Christi: tantò ibi securior habito, quantò frequentiùs illud visito. Noli quærere vagus, & profugus à facie Dei super terram, christicida peccator, ubi te abscondas à vultu iræ ejus. David qui erat de tribu Juda, ad Odollam fugit securus; quia hic locus erat in sorte Juda: Spelunca Sepulchri, sors Christianitatis est, sors tuæ professionis; ergo consulendo periculo tuo,

à ven-

à ventura ira Dei, hunc locum, qui Divinæ protectionis fuit & eſt, fugitivis peccatoribus aptiſſimus fiet, & tui ab omni malo ſit tutela.

Tertiò, Sepulchrum Chriſti fuit figuratum in Spelunca Engaddi, in quam David iterum ſecundò fugiens à facie Saul intravit, & ibi in interiori parte latitavit; habetur 1. Reg. cap. 24. de quali fuga David ad hanc Speluncam Engaddi, procedit Pſalmus 56. v. 56. Per Saul, qui cum ſociis ſuis quærebat David, intelligit Lyranus hîc Caipham Pontificem, qui cum aliis Sacerdotibus, quærebat mortem Chriſti. Et Michaël Aygvani, ex interpretatione nominis Saul, quod *Abutens* dicitur, accipit Judæos, qui abutebantur lege à Deo ſibi data. *Per SPELUNCAM vero* (inquit idem) *accipe Chriſti SEPULCHRUM, quod ad literam, erat Spelunca quædam in ſaxo cavata.* Invaleſcente itaque magna Judæorum perſecutione, qui dum jam ipſi vitam eripuerant, titulum tamen Regis corrumpere nequaquam valuerunt; adeoque in reliquo ſe Chriſtus ſalvans, latuit in Sepulchro. Ad id Rabbanus apud Gloſſam: *In SPELUNCAM fugit Chriſtus à facie Saul; tamdiu enim perſecuti ſunt eum Judæi, donec in Monumento poneretur.* Idem in terminis dicit & Angelomus: *MONUMENTUM SPELUNCA erat, quò fugit noſter David à facie Saul.* Sicut enim illa Spelunca erat rotunda, apud Gloſſam ex Joſepho; ita & Sepulchrum Chriſti ejusdem formæ; patet ex Beda aliisque. Tum quia David in periculo mortis erat, quando fugit ad Speluncam illam; quia Chriſtus verè mortuus, poſitus in Sepulchro, in cujus interiori parte ſpeluncæ latebat. Præterea ſurgens ex Spelunca David, præſcidit oram chlamydis Saul ſilenter; quia Chriſtus ſurgens ex Spelunca Sepulchri, reliquit ſola linteamina cuſtodibus, materiam ſui exitus, & oram chlamidis, ſeu regimen ex utraque parte diaboli ſcidit, & gloriam abſciſſionis regni Judæorum abſtulit. Cumque Spelunca Engaddi fuerat Sepulchri Chriſti figura, ita & Pſalmi 56. titulus, ſimiliter de Sepulchro Chriſti intelligi debet; inſcriptio enim illius talis præmittitur: *In finem, ne diſperdas David, cum fugeret à facie Saul in Speluncam.* Senſum hujus tituli, conformiter explicat de Sepulchro Chriſti & S. Auguſtinus, & Gloſſa Ordinaria: *quia fugit à Judæorum cognitione, cùm in SEPULCHRO tegeretur.* Et Jacobus de Valentia, Epiſc. Chriſtopolit. in hunc Pſalm. 56. ſic dicit: *Et ideo ad intelli-*

Expoſit. in Pſalm.

Stromat. in libr. 1. Reg. cap. 24. pag. 49.

In Expoſit. in Pſal. fol. 452

intelligendum hoc Sacramentum, est notandum; quia per hoc mysterium speluncæ, David prævidit in spiritu, totum mysterium Resurrectionis. Nam prævidit, sicut ipse latuit in Spelunca, & deinde surrexit illæsus, imò abstulit particulam chlamydis Saulis; ita Christus post passionem & mortem erat in Spelunca Sepulchri sepeliendus, & qualiter inde debebat resurgere. Hoc prævidens David in spiritu, fecit hunc Psalmum, & cum psalterio & clamore vocum, vocabat Christum, ut resurgeret à mortuis de Spelunca Sepulchri. Ex his patet, Sepulchrum Christi esse animæ latibulum, à persequentibus tegumentum, insidiantibus secura repressalia, salutem quærentibus confidentissima Spelunca.

STERQUILINIUM Job.

Ritum in Ecclesia Hierosolymitana fuisse, ut diebus Passionis legeretur Liber Job; quia ejus passio, in multis gerebat figuram Passionis ac Resurrectionis Domini nostri. Meritò enim in hac Ecclesia, quæ loca Passionis & Resurrectionis Christi specialiter continet, in dictis diebus passionis ac sanctificationis, B. Job passio legitur & meditatur; hujus adfert notitiam Joannes, Hierosol. Episc. in Stratagem. B. Job. Sicut ergo resurrectionis formam, Job in multis gerebat, ita & in Sterquilinio gloriam Sepulchri Christi: *Gloria ejus Stercus.* Notat enim ex Giraldo Joannes Eusebius his verbis: *Et quidem fuisse SEPULCHRUM STERQUILINIUM Job, annotavit Prosper Stellartiùs.* Si ergo titulus genericus Sepulchri, Sterquilinio Job conveniebat, nihil indecens est, ut figuret & Sepulchrum Christi. Ita dicit de Christo Sepulto Mefert, Serm. 2. de Pascha: *Sed sub FIMO SEPULCHRI positus, reintegratus est & revixit, cum anima corpori reunita fuit.* Sicut enim gloria Crucis Christi, in illo loco ignominioso Calvariæ, qui stercoris locus erat, & quæ egestis civitatis sordibus oppleta fuit; Adrichomius num. 242. adeo nobilitata & sanctificata, ut Angelis & hominibus venerationi esset: Ita non minuitur, sed attollitur gloria Sepulchri Christi, quod contiguum monti Calvariæ, quamvis in sterquilinio Jobi, abjectissima nominis conditione, præclarissimi tamen facti combinatione, evadit gloriosum. Quam sic instituit Paulus de Palacio, in Matth. cap. 28. *An non Job primùm vulneratus in Sterquilinio* (locus, ubi cadavera jactarunt mortuorum) *jacens, à propria uxore & amicis*

Lib. I. fol. 34.

I. Machab. c. 2. v. 62.

Fol. 1128.

amicis irrisus, postea verò, multò, quàm antea, ditior factus, Christum repræsentat, multò, quàm Job, patientiorem. In SEPVLCHRO jacuit Christus, sicut in Sterquilinio Job, à Synagoga & ab amicis relictus, sed postea multò, quàm ullus mortalium, ditior resurgens. Sedebat vulneribus inflictis plenus, extra civitatem in sterquilinio Job; jacebat vulneribus saucium undique Corpus, in Monumento, extra Urbis mœnia. Illud sterquilinium, quavis regali sella, erat splendidius; S. Chrysostomus: quandoquidem regales sellæ, citò à suo splendore decidunt, pulveribus mortalitatis aspersæ; in illa autem stercorum sede, gemmæ progenitæ, quæ in regno cælorum, coronam Jobo nexuerunt: Sepulchrum Christi Regum soliis illustriùs, ipsis thronis gemmiferis magnificentiùs, cujus non extincti splendores, non depressa altitudo, non disturbata à sua Majestate sedes. Sterquilinium Job, locus fuit exaltationis ejus, & certissimæ resurrectionis, ad multò meliorem & opulentiorem sortem, quàm ante extiterat: Sepulchrum Christi locus erectionis; ut sub titulo eodem patet, fol. 135. quia Humanitas, quæ olim vilis & abjecta, in loco humili inclausa, propter hanc humilitatem à Deo insigniter relevata, infinitâ gloriâ cumulata, ac regnô tam sublimi potita. De hac Sepulchri erectione, prædixerat in figura sterquilinii, David: *Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem.* Quia inops à terra, quia ex alieno solo; pauper, quia relictis linteaminibus, de Christus Sepulchro suscitatus ac erectus. Super hæc verba Angelomus, Luxoviensis, Stromat. in libr. 1. Reg. Cap. 2. pag. 13. ait: *Pater videlicet de terræ pulvere, Filium tam citô suscitavit, juxta quod ipse per Psalmistam postulat: Resuscita me & retribuam eis, ut caro ejus non videret corruptionem. Quare autem Majestas Dei Patris, de stercore eum sublimavit? ineffabiliter, ut sedeat* (inquit) *cum principibus, & solium gloriæ teneat.* Ex illo itaque loco, abjecta Humanitas, ad tantam surrexit gloriam, ut supernos prætergressa thronos, & Dominationes, in Divina locaretur sede. Non erat tantus splendor Regis in solio sedentis, quantus fuit Jobi in sterquilinio commorantis; ut dicit S. Chrysost. Nunquam erat similis ornatus, fulgor, & apparatus regalium sedium, quantus fuit Sepulchri, patientissimi Christi ibi decumbentis. Sterquilinium Job additamentum fuit in duplo omnium bonorum, quæ ante possederat; ex Sepulchro Christi non solùm in quadru-

Homil. 5. ad pop. Antioch.

Psal. 113.

quadruplo donorum quatuor, sed in centuplo, majorive additione, duplicium bonorum, id est temporalium & spiritualium, facta nobis absque numero additio. De sterquilinio Job, S. Chrysostomus ad Populum Antiochen. homil. 5. refert, quòd multi longinquas ac maritimas suscipiunt peregrinationes, ab ultimis terris in Arabiam properant, ut sterquilinium illud visitent, terramque illam exosculentur, quæ coronati illius Athletæ, coronam excepit; imò usque ad hanc diem, visitari in Arabia strenui Jobi sterquilinium, & ab indigenis anniversariis coli honoribus, narrare illos, qui illinc comeant, testatur Olympiodorus in Catena Græca fol. 541. in Job. Ecce ad quantam devenit gloriam sterquilinium illud, quod figuram tantùm gessit Sepulchri patientissimi Job Christi! Nonne venerabiliùs est, jam nunc ipsum Sepulchrum Christi, quod palæstra fuit, in qua & Christi Humanitas gloria & honore coronata, & universitas justorum hominum, illustres à Sepulchro Christi adepta est coronas? Proinde ad illud populosior, honoratior, à longissimis maritimisque terris, suscipitur peregrinatio, exosculantur multi illam terram, quæ Corpore Divino cicatricibus purpurato, tecta fuit. Regum purpuris toties stratis amicta, in dies perenni honore culta, totum orbem sibi substratum habuit; ut palam de se profitentur apud Baldricum Archiep. ii, qui Sepulchrum Christi adoraturi, ingrediuntur Civitatem Sanctam, & dicunt: *A finibus nostris, ut hîc oraremus, & SEPULCHRUM Dei nostri deosculaaremur, advenimus. Hæc, quam videtis, totius nostri, est causa laboris.* Si enim invicta unica patientia Job, ad tantum cultum extulit suum sterquilinium, in quo hanc exercuit virtutem, & quæque adversa devicit; quidni Sepulchrum, ad majorem evectura erat honorem, summa patientia Christi, dejectio, aliaque infinita merita? quorum palæstra fuit Sepulchrum Christi ac meta, quia ibi tota virtus Sangvinis Christi, congregata est ad salutem electorum. Sibimet hanc elevationem à Victore Christo, apud Habacuc Prophetam, cap. 3. ominatur: *Et super excelsa mea, deducet me victor in Psalmis canentem*; id est super omnia quæque excelsa, altiùs exaltabit Sepulchrum suum victor, id est Christus ex me resurgens, in Psalmis canentem; de Sepulchri enim gloria, tot cecinere Psalmi.

Histor. Hierosol. lib. 4. fol. 133.

§. 2.

§ 2.

Ex initiali litera T. U. hi tituli gloriosi: TABERNACULUM, TEMPLUM, THRONUS, TERRA, UTERUS, demonstrant gloriam Sepulchri Christi.

TABERNACULUM.

Hunc titulum, convenire Sepulchro Christi, patet & ex Authoritate S. Hieronymi, qui devotos, Sancta locia & Sepultura, per visitationem, appetere volentes, hortabatur & precabatur, illis Psalmi verbis: *Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* B. Alberti Magni, qui Matth. hæc verba: *Munierunt Sepulchrum*, explicans, Capitul. 27. legit cum illis verbis Jobi 19. *Obsederunt in gyro tabernaculum meum*; quasi illa obsessione in circulo tabernaculi Jobi, significabatur munitio circumcirca Sepulchri Christi. Et Angelus del Pas, Christi Monumentum expressè tabernaculum vocat. Sic libr. 6. Exposit. Symbol. de Artic. 4 cap. 36. dicens: *Felix Joseph, qui meruit TABERNACULUM excidere Domino.* Fol. 277. Tum quia tabernaculum, est habitatio itinerantium; & juxta S. Hieronymum, non est firma domus: unde componitur ex taberna, ubi homo quiescens aliquatisper, non diu moratur, sed ad locum destinatum properat; & cænaculum. Sepulchrum Christi fuit residentia brevis, permodum itinerantis in taberna, subitanea habitatio; vix quievit, aliò & inde properavit, unde exivit. *Tridui tantum spatio*, (inquit S. Augustinus, Serm. 2. in Sabb. Sanct:) *non tam in SEPULCHRO mortuus jacuit, quàm ut peregrinus, in alieno veluti lecto, pernoctavit.* Tum si juxta eundem S. Aug. in Psalm. 26. *Tabernaculum Deitatis Caro Christi*; Sepulchrum Christi Tabernaculum tabernaculi; quia Carnem Divinitatem occultantem celabat. Et ibi sumpsit cibum, id est explevit voluntatem Patris, quæ cibus ejus erat. Jam verò in particulari.

Sepulchrum Christi fuit præsignatum in tabernaculo Nòë, de quo Gen. 9. vers. 20. Christus enim per Nòë significatus, plantavit vineam in monte Calvariæ, ipse uva passa, ipse botrus in stipite Crucis pendens, quem duo bajuli Joseph & Nicodemus portarunt; rubro vino, id est sangvineo, salutaris calicis, repletus potu, vino defecatæ dilectionis fortiter inebriatus, usque ad amissionem

sionem animæ, & ideo somno vinoque sepultus, profundè dormivit, *tanquam dormiens Dominus, tanquam potens crapulatus à vino. Quia inebriavi animam lassam, & omnem animam esurientem saturavi. Ideo quasi de somno suscitatus sum, & vidi, & somnus meus dulcis.* Jerem. cap. 31. vers. 25. & 26. Unde evenit ad instar Nŏé, quòd nudaret infirma, & absconderet fortia. Jacuit itaque nudus in tabernaculo, dum in tumulo jacuit defunctus, sed in inferno reveritus. Et sic corpore in Sepulchro jacens, à Judæis irrisus: *Seductor ille dixit: post tres dies resurgam; jube ergo custodiri Sepulchrum, ne fortè veniant discipuli & furentur eum, & dicant, quia surrexit*; ecce quanta irrisio! Sed ubi dormiens irridetur, illatam sibi injuriam punit, cùm à somno evigilans maledixit Judæis, *& percussit inimicos suos, opprobrium sempiternum dedit illis.* Ad hanc rem apte S. Augustinus, adductus à Glossa Ordinaria, in hunc Psalm. 77. versum citatum supra, inquit: *Christus vinò passionis ebrius, dormiens in Sepulchro, excitatus est à morte, tanquam potens in resurrectione.* Et pressiùs ad hanc figuram Eminentissimus Cardinalis Jorgius: *Hujus figura* (id est quietis Christi in Sepulchro) *præcessit in Nŏé, Genes. 9. qui plantavit vineam, bibensque de ea vinum, inebriatus est, & nudus jacuit in TABERNACULO suo. Vinea enim, quam Christus dexterâ suâ plantavit, fuit populus Judaicus, de qua vinum præfatum bibens & inebriatus, jacuit nudatus in TABERNACULO, id est in SEPULCHRO.*

Psal. 77.

Ibidem.

Comment. super Psalm. 15. v. 9. fol. 151.

Sepulchrum Christi, videtur præferre in multis similitudinem tabernaculi testimonii, de quo Exod. 29. vers. 11. 30. & in aliis Scripturæ locis. Primò enim illud tabernaculum, dictum est testimonii; quia in eo erant, lex, & tabulæ legis. Sepulchrum Christi fuit testimonium legis novæ, gratiæ sanctificantis per Christum, quæ in Sepulchrali Christi fuit exarata lapide. Fractio enim Moysis duarum tabularum lapidearum, ac iterata illarum de novo promulgatio ac conscriptio, nonne videbatur indicare, quòd Christus abrogaturus vetera erat, ac promulgaturus in tabulis lapideis, scilicet ex Sepulchro, legem gratiæ. Quærit enim Nicolaus de Lyra: illæ secundæ Moysis tabulæ, quas jusserat illi Deus præcidere de lapide, de qualinam fuerunt excisæ? cum non habeatur ex textu, dicit ad hoc Rabbi Salomon, ut refert idem super Caput citatum Exodi; quòd fuerunt de lapide Saphyri. Jam autem lapis hic, Sepulchrum

Exod. 34.

pulchrum Christi repræsentat. Tum quia lapis Saphyrus, est coloris cœlestis; lapis Sepulchri, quia Deum continebat, cœlestis erat: & tali induuntur colore, seu cœlos petunt, quicunque lapidem hunc magni faciunt, sicut ex illo Christus cœlos petiit. Tum quia Saphyrus, juxta Lyranum, corpus humanum vegetat, & integra membra conservat: In Sepulchro Christi & Corpus illius vegetatum, & integerrimè conservata membra, & reddita venustiora. Tum quia, juxta Glossam in idem Caput Apocal: Saphyrus percussus radiis solis, ardentem emittit fulgorem; Sepulchrum Christi radio Solis justitiæ percussum, emittebat fulgorem ignis ardentis, qui ex illo exiliebat in Sabbato Sancto; tum emittit fulgorem, dum ab illo Sanctis illustrationibus illuminati intellectus, & affectæ voluntates, inardescebant in Dei charitate. Adeoque quia Christus Legislator alteram legem gratiæ, eamque novam, conscripturus & inchoaturus erat à Sepulchro, secundæ tabulæ legis ex lapide Saphyro, expressivo tumuli Christi, excavatæ. Tum ex eo dictum est tabernaculum testimonii; quia præsentiâ Dei, quasi testimoniô, confirmatum est; hic Cornelius à Lapide. Sepulchrum Christi tabernaculum testimonii; quia est Domus Deo consecrata, ubi confirmata & stabilita est certissima præsentia Dei, his verbis: *Sanctificabo tabernaculum testimonii, - - & habitabo in medio.* Chaldæus vertit: *ponam præsentiam*; Hebræus autem; *quietem Divinitatis meæ*: qua ultima lectione in Sepulchro, tanquam in sanctificato tabernaculo, Personam Dei præsentem quiescere in corpore, prædictum fuit.

[In Apoc. cap. 21. v. 19.] [Exod. 29. v. 45.]

Secundo. Mulieres excubabant in ostio tabernaculi, quia mulieres profectæ ad Sepulchrum, excubias agebant, in oratione ad illud jugiter persistentes; & tot devotæ matronæ, cultus Sepulchri Christi studiosiores, confluere solebant, pia opera exercendi causâ. In illo, tanquam in speculo crystallino, videntes maculas internas, animadvertentes aliquas labes, in meliores vultus & formas, animæ facies reformabant, ut speciosæ absque ruga infirmæ carnis, dilecto Sponso apparerent. Vel ut inquit Sebastianus Bollandt, in Aureis Serm: *In SEPULCHRO Domini, tanquam in speculo, relucent imagines eorum, quæ habemus post dorsum nostrum, id est memoriæ mortis & inferni; & ideo, si volumus, prout debemus, habere ista præ oculis, convertamus visum nostrum spiritualem ad illud speculum.*

[Exod. 28. v. 8.] [Fol. 493.]

lum. Insuper in atrium tabernaculi, nulli immundorum licitum erat intrare; Sepulchrum Christi omne immundum respuit: *Non accedet ad te malum, & flagellum non appropinquabit tabernaculo tuo.* Præterea, in tabernaculo atrium fuerat exterius & interius; in Sepulchro Christi, spelunca exterior & interior, solo pariete intermedio à priori segregata; per cujus parietis intermedii ostium, venitur in Sepulchrum Domini. Cornelius Jansenius, Episc. Gandavens. in cap. 24. Luc. asserit. Operimentum tabernaculi, erat ex rubricatis pellibus; per quod operimentum rubricatum, significantur Apostolici viri, juxta Bedam hìc apud Glossam; & juxta S. Aug. Martyres Sancti. Perpelles janthinas, quæ cum sint cælestis coloris, indicantur virgines, quæ Agnum sequuntur, juxta Bedam hìc, & Cornelium à Lap: Tale habuit duplex operimentum Sepulchrum Christi; fuit enim opertum rubricatis pellibus, id est Viris Apostolicis, Sanctis Patriarchis, Episcopis, Sanctis Martyribus Ordinis Nostri, qui non solùm Cruce rubra, sed proprio sangvine hunc locum operuerunt. Fuit insuper opertum pellibus janthinis, Sanctis Virginibus Ordinis Nostri & Reginis, quarum habitus sæculi, fuit janthina purpura, quæ cælo sanctitate proximæ, hoc fulgebant colore, & puritate Angelis pares, tegebant tabernaculum Sepulchri.

In Concord. Evang. part. 4. cap. 146.

Tertiò. Duo designati artifices à Deo, & architecti tabernaculi Beseleel & Ooliab; quia duo specialiter ex una tribu, Judæorum Synagoga, præparati discipuli, ad Sepulchrum Christo designandum, Joseph & Nicodemus. Et convenienter videntur significari, per nomina nuncupatorum artificum. Beseleel enim interpretatur: *Umbra Dei*, & bene significat Josephum, qui in umbra Sepulchri sui Deum sepelivit, & inde plurimum sibi splendoris conciliavit. Ooliab interpretatur: *protectio mea*, & bene convenit Nicodemo; hic enim homo magni consilii in Concilio Judæorum, cùm omnes Christum morti damnarent, ille innocentiæ ejus patronus ac defensor, & cum maximo vitæ suæ periculo, patrocinatus est pro Christo innocente.

Exod. 31.

Apud. Gloss. Ordin. in cap. 31. Exod. & Cornel. à Lap.

Quartò. Tabernaculum compactum erat tabulis ligneis; Sepulchrum Christi, tum tabulis Crucis Christi, tum Viris Apostolicis, qui nomine tabularum, à Beda hìc, significantur, fuit ita constrictum, ut nullatenus, gloria illius dissipari possit, sed per latitu-

latitudinem illorum doctrinæ, licet in universum mundum extenderetur honor, & amplitudo elogii Sepulchri Christi, semper tamen in suo esse stabili ac coadunato permanet. Tegebatur insuper cortinis, mira varietate contextis; Sepulchrum Christi habuit velamina variorum colorum. *imò*, Corpus Christi à flagris Sangvine, sputis decoloratum; quod tegebat Personam Divini Verbi. *2dò*, Linteamina, tanquam cortinas tegentes Corpus. *3tiò*, Lapidem mixti coloris. *4tò*, Singulariter nunc tegitur & protegitur portentoso & protenso, per totumque contexto tegumento, protectionis Divinæ. In introitu tabernaculi columnæ erant, quarum capita erant aurea; per quas hic idem Beda intelligit S. Jacobum Minorem, à S. Paulo ad Galat. 2. columnam vocatum: hic enim velut columna nubis per diem sua Episcopali solicitudine, pietate, sustentabat, ac ducebat populum ad adorationem locorum Sanctorum; & columna ignis in nocte, id est cæcis Judæis, ac in tenebris infidelitatis positis, lucem fidei resurrectionis veræ à Sepulchri tabernaculo demonstrans. Reliquæ columnæ fuerunt successores ejusdem Sancti Episcopi, fulcientes regulari vita, & Sanctimoniâ hoc tabernaculum, habentes aurea capita, scientiâ Divinâ imputa, ac splendore Pontificiæ dignitatis irradiata.

Quinto. In tabernaculo erat pars seu atrium exterius & interius. Cornelius à Lapide in Exod. Cap. 26 v. 21. & Baronius Tom. 1. fol. 25. ex Philone; primum vocabatur Sancta, alterior. Sancta Sanctorum, quod semel in anno intrabat solus Pontifex; & aliqui tenent, propter specialem vitæ puritatem, S. Jacobo Minori, Fundatori Ordinis Nostri, licitum fuisse ingredi. Sepulchrum Christi duo habuit atria, primum Sancta, in quod introierunt Mulieres; secundum autem illud interius, fuit Sancta Sanctorum, intra quod posita erat Arca Corporis Christi, & hoc atrium solus Pontifex Christus ingressus; quia ibi ille solus fuit sepultus. Et sicut referente ex Hebræo Novarini, summus Sacerdos, cùm Sancta Sanctorum ingrediebatur, non utebatur vestibus aureis, sed lineis Candidis. Quia scilicet summus Sacerdos Christus, Sanctum Sanctorum locorum ingressurus Sepulchrum, non alteriùs coloris, sive materiæ usurus est vestibus, nisi candidis linteaminibus. In cujus signum, cùm S. Jacobo Minori, hoc utrumque fuerat concessum privilegium, tam Sancta Sanctorum ingredi,

 quàm

quàm Sepulchri Chriſti eſſe primum Cuſtodem, Reſurrectionis teſtem, Civitatis ac Paræciæ illius Epiſcopum; propterea Jacobum Apoſtolum, Fratrem Domini, poſt ejus funus & triumphum, Eccleſiæ Hieroſolymitanæ primum Ordinatum Antiſtitem, lineam duntaxat geſtaſſe veſtem, & ſola ſindone linea uſum. Bellarminus ex S. Hieronymo. Cujus dat rationem Andreas Sauſſay, S. Sedis Apoſtolicæ Protonotarius, Illuſtr. Archiepiſc. Pariſien. Officialis & Vicarius Generalis, in Panoplia Clericali: *Quòd verò ipſe* (id eſt S. Jacobus Minor) *ſindone tantùm ſimplici uteretur, unde factum eſt, ut ad ejus imitationem, atque etiam in ipſius Domini Hieroſolymis Crucifixi, & ſindone munda in SEPULCHRO involuti memoriam, Succeſſores Epiſcopi Hieroſolymitani, haud circumſpectè induti incederent, ſed ſimplici candida veſte; licet ejusdem Eccleſiæ Clerici, ſericis atque etiam ſplendidis uterentur.* Ita Baronius in terminis, anno 458. num. 36. Tum juxta Abulenſem in Exod. 24. quæſt. 15. Summus Sacerdos intrabat in Sancta Sanctorum gemens & afflicto corde, pro ſuis peccatis, totiusque populi: exiens autem ſummâ lætitiâ perfundebatur; & propterea amicis, in ſignum gaudii, feſtivum parabat convivium. Chriſtus Summus Pontifex, dum Sancta illa adita Sepulchri ſui ſubibat, totus pro peccatis noſtris afflictus, gemens in Corpore viſus; at poſtquam ex illo exiliit, totum mundum gaudio implevit; in hujus lætitiæ ſignum, feſtivum paravit convivium, primò S. Jacobo Fratri ſuo, qui primus ex Diſcipulis meruit reſurgentem de Sepulchro contemplari; Gregorius Turonenſis tenet; cui ſe oſtendens dixit: *Surge Jacobe, comede; quia jam à mortuis ſurrexi*; ſecundò aliis Diſcipulis apparens, dixit: *Ego idem ipſe ſum, qui in ligno mortuus, & in Sepulchro clauſus fui; inde autem Divina vi evaſerim; ſi quid in promptu eſt vobis cibi, proferatur.* Vel etiam tabernaculum exterius, fuit Eccleſia Reſurrectionis Chriſti, in qua Sacrificia celebrabantur, & ſtabant Sacerdotes, id eſt Ordinis Noſtri, illius Eccleſiæ Prælati ac Canonici, habentes ſua Stalla; quæ Eccleſia S. Sepulchri, Sanctuarium vocatur. Secundum autem atrium, fuerat Sancta Sanctorum, id eſt Capella ac locus Dominici Sepulchri, Sancta Sanctorum Chriſti, in quod ob puritatem vitæ, qua olim fulgebant Sancti Canonici Ordinis Noſtri, gaudebant hoc privilegiô, quòd illis ſolis, utpote Filiis S. Jacobi Minoris, ab illo deſcendentibus, licitum

Hiſtor. Franc. libr. 1mo.

Nicephor. Hiſt. Eccl. Libr. 1. cap. 34.

licitum erat ingredi, quolibet tempore, Sepulchrum Christi interius. Hæc ergo prærogativa, quâ gaudebat Summus Pontifex, scilicet ingressu in Sancta Sanctorum, concessa in simili S. Jacobo Minori, juxta aliquos: index fuit, gaudere tali ingressu & accessu, ob castimoniam vitæ, in Sancti Sanctorum Sepulchrum Canonicos, S. Jacobi Minoris, Successores Sedis, innocentiæ futuros imitatores.

Sextò. Tabernaculum, quamvis mobilis structura erat, tamen Psalm. 45. dicitur: *Sanctificavit tabernaculum suum, Deus in medio ejus non commovebitur.* Quæ verba non solùm debent accipi ita, ut spectent ad Christum, quòd Christus in medio hujus tabernaculi non commovebitur, non inde movebitur, non recedet: Sed etiam regulantur ad ipsum tabernaculum, ut hoc non sit commovendum ideo, quia Deus est in medio ejus; per quod tabernaculum intelligitur hìc Corpus Christi, B. Virgo, Ecclesia. Quæ hæc mystica tabernacula, ex eo etiam non sunt commota, nec commovenda; quia Deus in medio eorum erat & est. Lorinus Catalogum adferens Expositorum, sic distingvit hanc orationem: *Deus in medio ejus, nimirum Civitatis vel tabernaculi, non commovebitur eadem civitas vel tabernaculum.* Super hæc verba & S. Augustinus ait: *Deus in medio ejus non commovebitur: unde non commovebitur? quia in medio ejus Deus.* Convenientissimè pariter, hæc verba intelligi possunt de Sepulchro Christi, ut de illo dicatur: Sanctificavit tabernaculum suum, nempe Sepulchrum. Sanctus enim Hieronymus legit hæc verba: *Sanctum TABERNACULUM Altissimi*; quale fuit Sepulchrum Christi. Alii: *Sanctum TABERNACULORUM, seu habitaculorum Altissimi*, & id convenit Sepulchro Christi. Quamvis enim alia tabernacula & habitacula Christi fuerunt Sancta, Sepulchrum tamen omnibus terrenis habitaculis Sanctiùs, imò Sanctissimum; in cujus medio fuit positum Corpus Christi. Propheta dixit: *Lætare Jerusalem, quia habito in medio tui*; nempe secundum Corpus in Sepulchro. Et propterea eundem locum Sacrum, hostes verebuntur lædere, quia in eo quiescens Deus, ut suum tutatur, *non commovebitur.* Sepulchrum Christi, licet ex natura sua Physicè immotum fuerit, utpote excisum in petra, non potente de loco transferri in locum naturaliter; movebatur tamen motibus sibi contrariis, à termino à quo ad quem; nempe dum

Comment. in Psal. Tom. 1. fol. 756.

Hiero-

Hierosolyma, à Christianorum potestate rediret ad Infideles, & ab his iterum ad Christianos; adeoque in hoc fuit ad instar tabernaculi. Cæterùm quamvis sic motum fuerat, immotum tamen factum est, suorum contrariorum destructione: imo continuatione laudis suæ stabilitum, interminatione visitationis, sibi exhibitæ reverentiæ, per continuam successionem firmatum, nec intermissus motus, à termino mundi ad eundem locum. Hujus autem immobilitatis non alia ratio, nisi quia præsentia Divina corporalis sanctificavit hoc tabernaculum, scilicet Sepulchrum, & Deus in illius medio, in corpore jacens erat, quasi in meditullio; propterea nec commotum, nec commovebitur, seu nullum vereri debet hostilem incursum, nullam cladem, nulla mala perturbativa sui.

Septimò. In Psalmo 18. dicitur Deus *posuisse in sole tabernaculum suum.* Tum quia Deus posuit in Jerusalem Sepulchrum suum, quæ Urbium & mundi sol, ab Adrichomio in Theatro appellatur. Tum quia sol est in media cæli regione; sic Sepulchrum Christi fuit in medio mundi. S. enim Hieronymus tractans Ezechielis
Cap. 5. v. 5. verba: *Jerusalem in medio gentium posui eam, & in circuitu ejus terras;* ait illis significari in medio mundi sitam, & umbilicum terræ.
Cataches. 13. Et S. Cyrillus Hierosolymit: *Medium enim terræ est hic Golgothas, non meus est sermo, Propheta dicit:* Operatus est salutem in medio terræ. Calvariæ autem loco, Sepulchrum est contiguum, dictum fol. 5. Tum quia Sepulchrum Christi in manifesta cognitione, omnibus evidens patet, ac in illo patuit manifesta veritas Resurrectionis Christi, ac tot patratorum miraculorum; quæ cognitio manifestæ visionis, nomine solis significari deducitur ex illo textu 2. Reg. Cap. 12. v. 12. *Tu fecisti in abscondito, ego autem faciam verbum hoc, in conspectu omnis Israël & in conspectu solis.* Tum quia Lorinus explicans Chaldaicam paraphrasim hanc: *Posuit TABERNACULUM suum illuminationem,* in illa commentatur, quasi diceret: *Posuit TABERNACULUM suum illustrissimum, ubi est sol.* Sepulchrum Christi, fuit in sole tabernaculum, quia fuit illustrissimum, ubi erat Sol justitiæ. Placidus Parmensis & Agellius, talem sensum horum verborum habent literalem: *Positam TABERNACULUM à Deo in Sole, id est soli ipsi.* Sepulchrum Christi tabernaculum solius Dei, Solis justitiæ, nulli alteri commune.

Tum

Tum quia Deus tabernaculum Sepulchri, posuit ad instar solis; sicut sol integritate sua servata, emittit radium, etiam corpora quanta compenetrantem, absque ulla illorum læsione; Sic Sepulchrum Christi Solem justitiæ, cum radiis suis, id est vulneribus, corpore perlucido transmisit; quod confirmant subsequentia verba: *tanquam Sponsus procedens de thalamo*; scilicet ita de tabernaculo prodiit Sol Mysticus, sicut idem, dum fuit Sponsus, de thalamo Virgineo, prout hæc verba interpretatur Sylveira: *Tunc Christus magna festivitate, gaudio, ac exultatione tanquam Sponsus processit de thalamo suo, de accubitu suo Sepulchri.* Tum demum, si nomine solis, persecutio denotari solet; sic in Evangelio Veritas dicit: *Semina, orto sole, aruerunt*, id est superveniente persecutionis ardore ex siccantur; Sepulchrum Christi fuit taliter in sole, in magna tribulatione hostili, adversitate inimica, ardore persecutionis, qui vix non omnem ejus exussit splendorem externum.

Libr. 9 de resurrect. cap 1. qv. 2. num. 9.

Matth. 13. v. 6.

Octavò, apprimè verba Psalmi 26. vers. 9. *Quoniam abscondit me in tabernaculo suo, in die malorum protexit me in abscondito tabernaculi sui*, exponere possum de Sepulchro Christi, ut sensus præsagus sit, tum de Josepho ab Arimathæa, qui depositum Corpus Christi de cruce, abscondit in tabernaculo suo; dum *posuit illud in monumento suo novo, quod exciderat in petra*, Matth. 28 vers. 60. *In die malorum protexit in abscondito tabernaculi sui*; dum in die Parasceves (in qua omnis malitia Judæorum efferbuit in Christum, juxta illud: *Inimici mei dixerunt mala mihi: quando morietur, & peribit nomen ejus?* Psam. 40. v. 5.) obvolutum corpus in Sindone, in profundo tumuli locavit, *& advolvit saxum magnum ad ostium monumenti*, quod in tam tuta protectione commorabatur. Tum dicta verba, procedere ex parte Humanitatis Christi Domini, confitentis absconsionem Corporis sui in tabernaculo Sepulchri; in die malorum, hoc est passionum, quæ irruerunt in eandem. Et simul recognoscentis protectionem suam, nempe præservationem ob omni corruptione, in abscondito tabernaculi sui, videlicet tumuli. Elucet conformitas intelligentiæ dictorum verborum, ex subsequente versu: *In petra exaltavit me*; nempe, quoniam Corpus Humanitatis Christi fuit absconditum in tabernaculo Sepulchri, & ibidem protectum ope Divina à putrefactione in abscondito ejusdem tabernaculi clausi & muniti; in eadem petra exaltavit Divini-

tas me Humanitatem per resurrectionem, & nunc exaltavit caput meum super inimicos meos.

Restat, ut videamus voluptatem Domini, quæ percipitur in loco Sepulchri Christi, & visitemus templum ejus in figuris hujus tituli.

TEMPLUM.

Quæ deorum Sepulchra priùs fuerunt, magnificentiùs condita, templorum appellatione vocata sunt: probat Eusebius de præparat. Evang. (Libr. 2. cap. 8. fol. 38.) Sepulchrum veri Dei, Christi magnificentissimè conditum, ipso summo angulari lapide JESU, nonnè Templum genuinè dici potest? in quo Christus gloriam suam, festivo celebravit ritu solennissimè. Illud hoc titulo nominat Joannes Thaulerius, in Exercit. de Vit. Chr. (Capit. 54.) *O Sacrum MONUMENTUM! ô excellens Dei TEMPLUM!* Paciuchellius, Ord. Præd. Discur. Moral. de Sepult. Redempt. fol. 607. *O SEPULCHRUM! de quo Isaias; ô TEMPLUM Dei excellentissimum!* Tum quia in hujus templi medio, suscepimus Deus misericordiam tuam, scilicet à Sepulchro Christi, quod est in medio Templi Resurrectionis, ut patebit alibi, magnam misericordiam Dei sumus consecuti. Tum sicut Deus in Templo habitat, ex ratione præsentiæ suæ, verissimæ velatæ, producens multos effectus, respectu salutis obtinendæ: Sic in Sepulchro habitabat corporaliter, omnis plenitudo Divinitatis, ac diversa dona virtutum, in animabus hominum producuntur, ex illo loco. Tum quia Psalmo 78. significatur per Lyranum oratio Ecclesiæ, contra Infideles occupantes loca Sacra; adeoque dum versu primò dicitur: *Polluerunt templum Sanctum tuum*, pro eodem accipitur; profanarunt, scilicet externè, Sepulchrum Christi, despoliarunt, ut fuit tempore Chosròé & Saladini; - - ita idem Lyranus. Tum quia hæc verba Psalmi 5ti v. 9. *Introibo in domum tuam, & adorabo ad templum Sanctum tuum*; idem sic exponit: *id est in Sanctum SEPULCHRUM tuum, in quo quievisti, modo reverenti & devote orabo.* Cùm itaque ex una parte, proprium teneat titulum templi Sepulchrum Christi; imò & pronunc inclyto cum sit inclusum Templo, quod communem à sua potissima hac parte sortitur denominationem *Templum S. Sepulchri; Templum S. Resurrectionis*: ex altera parte, cum veteris testamenti famosius, ac insignius nullum

monstre-

monſtretur Templum, quam Salomonis Regis; ideo gloriam S. Sepulchri Templique illius non in altero, quàm in hoc ſolo celebrari, ac in illo fulgido Templo, hujus ſplendorem ac fulgorem repræſentari oſtendam. Nemo in vili caſa Regem prædicat; nemo adamantem ſtramini inſerit; in excelſis thronis, ſubſellijs, cathedris, audiuntur Reges; in auro ſpectantur adamantes. Gloriam Sepulchri Chriſti totus ſtupet orbis: Templum miratur univerſum: proinde ejus honor, hæc penetralia Templi ſubire debet, quod totius mundi miraculum habebatur. Et ne id, quod dicitur de nobilitate Sepulchri, ſit infra ejus dignitatem, proportionata adit ſacraria Templi, ſcilicet illius Regalis, cujus excellentia fuerat admiranda.

D. Bernardus Exhortatione ad milites Templi Cap. 5. de Templo Hieroſolymitano, id eſt S. Sepulchri ſcribens, illud Templo Salomonis eminenter comparat ſic dicens: *Eſt verò TEMPLUM Hieroſolymis, in quo pariter habitant, antiquo & famoſiſſimo illi Salomonis impar quidem ſtructurâ, ſed non inferius gloriâ; ſiquidem univerſa ejus magnificentia, in corruptibilibus auro & argento, in quadratura lapidum & varietate lignorum continebatur: hujus autem* (id eſt Templi S. Sepulchri) *omnis decor, & gratiæ venuſtatis ornatus, pia & habitantium religioſitas, & ordinatiſſima converſatio.* Id eſt præter principale decus, Sancti ſcilicet Sepulchri, contenti in illa Eccleſia, cujus magnificentia omnem apparatum, divitias, ac quæque contenta Templi Salomonici ſuperavit; ſuperabat inſuper & Religioſorum penes illam habitantium dignitas, nempe Canonicorum (qui Prælati illius Eccleſiæ erant) religioſitas ac ordinatiſſima in communi vita converſatio, cæteræque, virtutes; venuſtatem illi addebant longe majorem, quam templo Salomonico, adſcriptus populus.

Præterea Franciſcus Quareſmius, in Elucid. Terr. Sanct. expreſſè dicit: *TEMPLUM Reſurrectionis, præfiguratum in lege, in Templo Salomonis*; ubi locô citatô oblongam utriusque inſtituit comparationem. Cæterum præter inſtitutam ab Authore citato, ego hanc adfero. Tom. 2. lib. 5. c. 1. fol. 347.

Primò. Templum Salomonis, fuit vocatum Templum Domini; Eccleſia Sancti Sepulchri, vocata eſt Templum Domini;

Canonici S. Sepulchri, vocati sunt Canonici Templi Domini; alibi hoc deducetur.

Secundò Ædificavit illud Salomon, Rex pacificus, ex præparata à Patre suo Davide materia; Sepulchrum Christi, Rex Salomon Christus tunc construxit, postquam destitit à cruento bello, à prælio sangvineo, & pacificavit ima summis, hostesque sub vestigio pedum suorum, jacens in tumulo prostravit. Idem Templum Resurrectionis, supra Sepulchrum Christi erexit Imperatorum pacatissimus Constantinus, sub quo pax universæ Ecclesiæ floruit; teste Eusebio: ex qua erectione perennem sortitur famam, multò notiorem, quàm Salomon apud gentem Hebræorum.

Hist. Eccl. lib. 10. cap. 9.

Tertiò. Salomon in opere Templi, quærit auxilium ab aliis Regibus, ut eò sit præcelsior structura, quò plurium Regum adminiculò ei sit subventum: sic Constantinus omnium Gentium Præfectis, versus orientem habitantibus mandavit, ut quæque adjumenta necessaria suppeditarent, copiosè subministrarent, quibus Templum illud augustum, circa salutare illud antrum extrueretur. Operarii fuerunt triplicis nationis; ut hìc Glossa in 3. Reg. cap. 5. scilicet Judæi, Sydonii, & aliqui Biblii; quia in Templo S. Sepulchri, fuerunt operarii Judæi, id est Episcopi, Patriarchæ, quorum multi fuerunt natione Judæi. 2dò Sidonii, qui venatores interpretantur hìc apud Glossam, fuerunt Sancti Antistites, Episcopi, & Pastores Orientales, habentes curam animarum, Canonici in Provinciis ac Civitatibus, possidentes Ecclesiastica Regularia Beneficia, in quibus venabantur animas prædicatione ac Pastorali solicitudine. 3tiò, Biblii, qui literati significantur, ut Glossa hìc; fuerunt Doctores ejusdem Ecclesiæ: S. Sophronius; S. Cyrillus; Cosmas; Isychius &c. Insuper hi operarii per tres menses ordinabantur, ut Glossa hic; per quod significabatur in Ecclesia S. Sepulchri tres Ordines fuisse operarios, scilicet Canonicos Regulares, qui in dicta Ecclesia opera laudis Dei, Sacrificia, Sacramentorum administrationem, doctrinam, prædicationem operabantur; secundi Equites S. Sepulchri, qui illud defendebant ab omnibus Infidelium incursionibus, liberum advenis ingressum procurantes, tertii Hospitalarii, suscipientes benignè, ac commoditatem præbentes infirmis, invisentibus S. Sepulchrum. Vel quod hi operarii ordinabantur ad tria vota exercenda, in illisque se exercentes,

Idem Euseb. de Vit. Constant. cap. 28.

tes, multum ſunt operati, pro honore ac ornamento Templi Sancti Sepulchri.

Quartò. Templi illius materia, fuerunt ligna & lapides. Ligna de Libano monte ſuccisa; 3. Reg. cap. 5. Lapides pretioſi grandes, quadrati, coloris albi & candidi, marmor Parius, juxta Bedam, Rabbanum & Joſephum; deſignabant non aliam futuram materiam, ex qua opus tam amplum, eximium & magnificè fabricandum foret, ſcilicet Templum S. Sepulchri, niſi primò ex ligno S. Crucis, de Libano monte, id eſt Calvariæ ſucciſo; Libanus enim interpretatur candidatio; in Calvario autem Sangvine loti, ſuper nivem dealbati ſumus. Altera materia ſolidiſſima, ac fundamentalis eſt lapis, ſeu ſaxeum Sepulchrum Chriſti, cui tota moles venerabilis illius Templi inhæret, ac antiquitas gloriæ ejus ſupſiſtit, in hoc ſolido marmore ſculpta manet. Pretioſiſſimum hoc ſaxum; grande, quia magnum; quadratum, quia figuram Crucis gerens; patet Libro 3. §. V. ſub titulo: Calix, ad finem; coloris candidi, quia novum Sepulchrum. Deinde duæ ſpecies lignorum tantùm erant, ſcilicet ligna abiegna, & ligna cedrina; ibidem 3. Reg. cap. 5. Per ligna abiegna, intelliguntur apud Gloſſam, in morali explanatione, Clerici; per cedrina Religioſi: Quia ſcilicet in tali comportatione, utriusque junctæ materiæ, præſignari videbantur, quòd ad inſerviendum Eccleſiæ S. Reſurrectionis, eligentur Clerici Religioſi, ſeu Canonici Regulares, qui ordinati erunt ad ſerviendum illi Eccleſiæ multô ævô.

Quintò. Templum Salomonis, fuit ædificatum in monte Moria, ut Beda in Cap. 6. 3tii Reg. in quo facta eſt immolatio Iſaac; quia futurum erat, quòd Eccleſia S. Sepulchri ſub monte, ſive ſimul cum incluſo monte Calvariæ ædificata, montem immolationis Filii Dei, unô concludet tectô; ſub titulo: *Ager*, dictum.

Sextò. Quantum ad ornatum, apparentiam, etiam materialem; Templum Reſurrectionis, vix non par Salomonico. In illo, Regum ditiſſimus, atria, Sanctuaria, porticus, deambulatoria, columnas &c. quæcunque elegantiæ & diſpoſitioni congruebant, ſapientiſſimè, conſpicuè comparari fecit; ita Imperatorum piiſſimus, ſive Imperatrix devotiſſima, regale & auguſtum Sanctuarium eidem Templo adjunxit, quod opus tam eximium fuit, ut ad infinitam altitudinem erectum, longitudine & latitudine immenſa pateret.

 Euſe-

Libr. 3. cap. 25. de Vit. Constantin. Eusebius refert. Imò non solùm Sanctuarium Templi, reliquis omnibus, quæ ubique sunt, pulchritudine antecelluit; sed etiam cæteræ partes illius tales erant, ut omnia templa, quæ in singulis Civitatibus primas partes tenent, hujus ædificii dignitate longe superentur: sic habet excerptum Epistolæ ejusdem Constantini, ad Macarium Episcopum. Quod verò ad divitem, ac pretiosum auri argentique splendorem ac decorem attinet; Templum Salomonis tam intus, quàm extra fulgenti auro tectum & coopertum, solis instar coruscare videbatur: Templum Resurrectionis, tam multô aurô cooperiebatur, ut totum, veluti luce clarissima, mirè videretur illuminatum; argento & lapidibus pretiosis ita fuit totum obductum, ac depictum, ut ferè numerô essent infinita. Eusebius habet. Quantam verò spiritualem claritatem, sanctitatis splendorem habebat? quicunque aspectu hujus sanctissimi loci gaudebant, illi soli noverunt, qui in splendoribus Sanctorum micant, in perpetuas æternitates luce gratiæ Dei, à loco Sanctissimi Sepulchri intus deaurati.

Septimò. Templum illud erat tantæ æstimationis, ut per universum mundum honoraretur, ac undique maximis Regum & Principum muneribus, honorariisque impleretur: De Templo S. Sepulchri testatur Quaresmius: *TEMPLUM hoc dignitate & sanctitate excellit, nedum cætera templa Hierosolymis, vel in tota Palæstina ædificata, sed omnia loca mundi: quare ad illud venerandum, ex omnibus mundi partibus confluunt gentes.* Propterea etiam idem Author, hæc verba Psalmi 28. vers. 9. *In templo ejus omnes dicent gloriam*, dicit procedere de Templo S. Sepulchri. *Non enim Salomonis*; (inquit idem) *quoniam illud jam omnino reprobavit Deus, ac præterea in illo solum Judæi hostias immolabant, quas nec accepturum se dixit Deus per eundem Vatem*: Non accipiam de domo tua vitulos, neque de grege tuo hircos; *igitur de TEMPLO Resurrectionis intellige, quia ad illud non tantùm Judæi, sed & omnes Angeli, qui ab illo Salomonico recesserunt, omnes Nationes, Græcorum, Latinorum & omnes Gentes, quas fecit Dominus, veniunt, ut adorent Dominum.* Omnis itaque creatura dicit gloriam in Templo S. Sepulchri, scilicet & cælestis & terrestris. Deferunt etiam munera ad illud, utriusque Authoritatis, Ecclesiasticæ & Secularis Principes, varia eaque pretiosa mittunt frequentissime donaria: Ut verè de illo dicatur apud Psalmistam:

Marginal notes: Tom. 2. libr. 5. cap. 1. — Ibidem cap. 3. fol. 355. — Psal. 49. v. 10.

miſtam: *A Templo tuo in Jeruſalem, tibi efferent Reges munera.* Of- Pſal.67.v.32.
ferent inquam Reges munera, ex longinquis partibus; quia tres Reges dum munera detulerunt, inviſerunt primò Hieroſolymam, antequam irent Bethleem; quia ſcilicet myrrham, quam detulerant, expreſſivam Sepulturæ Chriſti, in illo loco, ſuo tempore, locandam ac futuram demonſtrabant. Vel quòd etiam Coronati, à remotiſſimis partibus, Reges, non prætermittent viſitare, ac ſummopere adorare Sepulchrum Chriſti. Et ſimul intra dona Sanctorum Magorum, delatâ myrrhâ, ſive ultimo locatâ ordine, ſignificabatur, quòd hæc prima dona, aurum & thus deferentur S. Sepulchro; id eſt aurea diveſque ſuppellex, ad externum decus conducens; & thus, id eſt oratio ac devotio interna, quæ eſt omni valentior munere. His duobus externis muneribus, à Regibus etiam, non ſolum plebejis, Hieroſolymis ſtipandum fore S. Sepulchrum. Adeoque hi tres Reges futurorum præſcii, hoc ſubjectionis piæ exhibuerunt officium, dum in myrrha Sepulti Chriſti latentis memoriam ſpectantes, illam Hieroſolymam intulerunt, mediis muneribus adorandam. Tum quòd multi Cæſares, Reges, ad Templum S. Sepulchri varia mittebant munera; ut David Æthiopiæ Imperator, ad Romanum Pontificem, anno 1524. in ſuis datis literis ſcribit: *Cæterùm ego in magna habeo veneratione, Sanctum TEMPLUM in Jeruſalem, ad quod ſæpiſſimè mitto oblationes debitas, per noſtros peregrinantes.* Deinde Templi illius obtinendi, ſeu inviſendi magnô tenebantur permulti deſideriô: Longè majus ſuperavit deſiderium, conatus, intentio, animus Chriſtianorum in poſſidendo, viſitandoque Templo S. Sepulchri; vel ex modico literarum fragmento, Davidis Æthiopiæ Regis, ad Emmanuelem Portugaliæ Regem conſtare poteſt: *Et vos debetis continuò Deo ſupplicare, donec gratiam vobis det, potiundi Templi Sancti in Jeruſalem.* Quod item tantæ fuit reverentiæ, ut ob reſpectum illius, vel ne in aliquo honori illius, per indecens factum derogari videatur, tantiſper ſuperſedere voluerunt Principes Chriſtiani, à Paganorum profligatione; Hoc motivum in ſuis literis, idem Æthiopiæ Rex, ad Joannem III. Portugaliæ Regem exarat: *Et ſi eis* (id eſt Mauris) *nequaquam bellum infero, & penitùs profligo, temperandum eſſe mihi arbitror, ne illi contra S. TEMPLUM in Jeruſalem violent, & diruant, in quo eſt Sepultura JESU Chriſti.*

Damianus Goës de reb. Æthiop:

Octavò

Octavò. In Templo illo Salomonis, notitia Dei manifestabatur per illa, quæ ibi fiebant, signa externa, vel dicebantur: In Templo S. Sepulchri, tantò major exhibetur notitia Dei, dum non corpora arietum, taurorum sangvis; sed Agni immaculati verum Corpus immolatum repositum, Sangvisque respersus, realissima præsentia, tot denique peraguntur mysteria; ut vere de illo dicatur apud Psalmistam: *Deus in domibus ejus cognoscetur, cum suscipiet eam.* Christus enim in Templo S. Sepulchri, utpote constante multis templis, ut dictum hic fol. 3. cognoscitur maximè, quoad hæc mysteria, Redemptionis & Resurrectionis, tunc scilicet, cùm Corpus suscepit animam in Sepulchro, de quo consurgens, cognitus fuit Deus, & hucusque in eodem loco cognoscitur, dum ibi adoratur verus Deus. Notitiam Dei, adeo manifestam fieri in Templo S. Sepulchri, prædixisse deducitur David dicens: *Notus in Judæa Deus, in Israel magnum nomen ejus, & factus est in pace locus ejus.* Hunc enim Psalmum, mystice exponit Lyranus, de liberatione populi Christiani, tempore Baldvini, Regis Jerusalem; quasi diceret Psalmista: Tunc notus fiet in Judæa, id est Jerusalem, & in omni fideli populo Deus, cum locus ille, qui fuit in pace Christi, scilicet Sepulchri Christi Ecclesia, eliberabitur de manibus Infidelium, tunc erit summa devotio, honor, prædicatio, ac dilectio Dei; & simul *in Isràël magnum nomen ejus*; id est; - - exponit idem Lyranus, *in Clero illius populi, qui præ cæteris habebat majorem notitiam Dei*, scilicet in Clero Ecclesiæ S. Sepulchri; quia cum hic sit expositio, hujus Authoris, de eliberatione ex potestate Saracenorum Terræ Sanctæ & Jerusalem, nomine Cleri, quem intelligit in dictis Psalmi verbis, non alium venire arbitror, nisi hunc, qui protunc erat tempore Baldvini, scilicet Clerus Regularis Ecclesiæ S. Sepulchri; constat ex Fulcherio, Tyrio, aliisque permultis Historiam Hierosolym. describentibus.

Psal. 47. v. 3.

Psalm. 75.

Apud Glossam fol. 1006.

Nonò. Completò Salomon Templò suò, fecit illius dedicationem solennissimam, quæ describitur 2. Paralipom. cap. 6. Sic pariter primò Rex Regum Christus, completo opere Redemptionis nostræ, dedicavit Templum suum, scilicet Sepulchrum; primò illatâ in Sancta Sanctorum Arcâ; quia hæc deportatio Arcæ, significabat depositionem Corporis Christi in Monumentum, tanquam in Sancta Sanctorum, quâ importatâ, aderant statim Cherubin

bin & Seraphin, cælique miniſtri, qui excubias agebant ad hanc Arcam. Auditæ ſunt melodiæ, voces & diverſa genera muſicorum; quia tam Angeli, quam B. Virgo, aliæque matronæ & Sancti Diſcipuli, gaudio & exultatione mixta dolori repleti erant. Nebula implevit hanc Domum; quia Perſona Filii Divina, fuit velata illo corpore, quod jacebat in Sepulchro, & ipſum corpus lapide. Et gloria Domini implevit Domum; quia Chriſtus, Rex & Pontifex ſimul, gloriâ Corporis ſui, mundavit ſanctificavit, & replevit Templum Sepulchri ſui. In quo primò corruit pronus in terram, ſuper pavimentum ſtratum lapide, & laudavit & adoravit Deum Patrem, quoniam bonus, quoniam in ſæculum miſericordia ejus. Tum denique Vicarius Chriſti Summus, S. Petrus currens ad monumentum, procumbit, ut Luc. 24. v. 12. Cæteri quoque Reges & Principes, ac populi multitudo corruebat, & proſternebat ſe in atriis Sepulchri Chriſti.

Decimò. Dedicationem Salomonici Templi, excedit illa conſecratio Eccleſiæ S. Sepulchri, quam grandi, & verè Imperatorio ſumptu procuravit Conſtantinus, primus Chriſtianus Imperator. Illam multitudo Hebræorum, in lege ſervili exiſtentium, peragebat: hujus ſelectiſſima ferè totius orientis corona, Metropolitani Archi-Antiſtites, Præſules, Prælati & Canonici Ordinis Noſtri, doctrina & pietate ſelectiſſimi abſolvebant. Ad eandem conſecrationem Eccleſiæ S. Sepulchri, acceſſerunt ex Syria, Meſopotamia, & cæteris partibus Præſules Orthodoxi magni nominis. Hi ergo omnes magnificium illum cœtum exornabant, augebant, & implebant; illos verò innumerabilis populi concurſus, ex omnibus Provincus ſequebatur. In illa dedicatione Templi Salomonis, omnes Sacerdotes & Levitæ fuerunt tunc occupati in officiis ſuis, quorum eò viliora fuere, quò ad inſtar lanigenarum, in mactandis bobus, arietibus, ſive fumantium ac coquentium victimis, erant impenſa obſequio: In conſecratione Templi S. Sepulchri, Canonici in Levitis figurati, præſtantiora obſequiavi officii ſui exercebant; Alii enim incruentis Sacrificiis, & myſticis conſecrationibus, Divinum Numen placabant; alii, qui Divinis ſcientiis eruditi erant, diſputationibus publicis, hanc celebritatem ornabant; Alii ſacras lectiones interpretantes abditos & occultos ſenſus in lucem proferebant; Alii eloquentiſſimi Oratores, plusquam Tullianâ

ſvadâ, ſacri illius monumenti ac Baſilicæ magnificentiam, laudum encomiis prædicabant; ſicut ipſemet Euſebius publicam panegyrim, protunc ſe habuiſſe, in laudem Templi S. Sepulchri, teſtatur, & propheticos de illo ſenſus, propoſitis quibusdam evidentibus ſignis explicavit. Adeoque tota illa celebritas dedicationis Templi, theatrum fuit exhibens & Salomonis, ſcilicet Conſtantini Imperatoris opes, cujus fortunæ ærario ſteterat; & Levitarum officioſi miniſterii obſequia; id eſt Antiſtitum piorum illius Eccleſiæ, & Canonicorum Reſurrectionis Domini, ſpecioſo conſpectu unitam pietatem & eruditionem, totus fere mundi intuebatur oculus.

Ultimò. Templum Salomonis, quamcunque acquiſivit famam, decorem, apparentiam, (ad quam attonitam ſpectatorum traxit admirationem, provocavit intuitum) hæc omnia futuram præſtantiam ac elegantiam Sepulchri Chriſti, Templique illius effigiem ac typum gerebant, quod eò excellentiùs fuit, quò figuratum præſtantius eſt figurâ, & Chriſtus Salomone illuſtrior. Dumque Chriſtus in Domo Sepulchrali Corpus ſuum locavit, ac illud in Templum erexit, extingvi penitus ſplendores Templi Salomonici, ac evaneſcere debebant, velut umbra, adveniente majore luce; quidquid enim in illo defuiſſe viſum eſt, in iſto non deſiderari compertum eſt; ut demonſtrabit Prophetia Aggæi, Libr: 2dò.

THRONUS.

Inter alia admiranda opera & elegantiſſimas ſtructuras Salomonis, profectò dignitate rarum, viſu conſpicuum fuit ſolium, in quo gloriam ſuam, divitias oſtendebat. Adrichomius num. 113. Sed ſi quid in illo opifex natura, ſive artis opera mirata eſt, mirata eſt ſane Dominici Sepulchri prodigium. *SEPULCHRO enim Chriſti, nihil celebrius, nihil antiquius*, (inquit Cottovicus, miles Hieroſolymitanus) *uſquam locorum eſſe poteſt.* Antiquitatem & celebritatem monſtrabit thronus Salomonis, cujus gloriæ ſolium erat. Salomonicum illum thronum, myſticè præfiguraſſe Sacratiſſimum Domini noſtri Sepulchrum; expreſſè teſtatur Quaresmius in Elucid. Terr. Sanct. Primò. Fecit Salomon *thronum de ebore*; Sepulchrum Chriſti fuit Domus eburnea, quia nullas ſordes admittit, ſed honeſtiſſimæ vitæ ac morum. Divina Sacramenta, immaculatiſſimè ſunt in illa miniſtrata. Juxta Philonem, Epiſcopum Carpa-

[Margin notes: 3. Reg. cap. 10. — Tom. I. cap. 43. — In Cantic.]

Carpathiorum, ebur firmiſſimum eſt, & maximè durabile, regiisque ornatibus commodiſſimum; tale fuit Sepulchrum Chriſti, thronus eburneus, quia hucusque perennat, ac durat, quod ornarunt Reges, & Regum ornamentum fuit. Fecit 2dò *thronum grandem*; grandius Sepulchrum Chriſti: Magnus enim Dominus, & laudabilis nimis, illi inſidebat; & non mediocres ex illo loco percepimus gratias, ad ponenda non parva merita. Et quamvis multoties Chriſtiani nominis hoſtes, illud conati ſunt deſtruere, & hunc thronum evertere, ne in illo regnet honor Dei; hoc tamen præſtare non potuerunt, quia grandis thronus eſt, non facile dirui poteſt, cùm illum Divinæ portant vires, non humanæ. Thronus Salomonis veſtitus dicitur *aurô fulvo nimis*: In Sepulchro Chriſti charitas, quæ eſt aurum ignitum, reſplenduit. Sex gradus habebat; Chriſtus ad ſolium Sepulchri, per ſex gradus pervenit, ſcilicet completis diebus redemptionis, qui in ſex diebus creationis fuerunt deſignati; adeoque his in ante præmiſſis, ſeptimô in Sepulchro, ut in ſolio poſt ſex gradus, quievit. Vel etiam, quia ad Sepulchrum Chriſti per gradus aſcenditur, ſcilicet orationis, quæ eſt aſcenſio mentis. Vel ſex gradibus indicantur Canonici Regulares, quibus ex ratione votorum emiſſorum, incumbunt gradus tendentiæ ad perfectionem, his gradibus ſuſtentabatur Sepulchrum Chriſti. Summitas throni erat rotunda; de Monumento Chriſti dicunt Sancti Patres relati à D. Thomæ in Caten. Aurea ad Cap. 15. Marc. fuiſſe formæ rotundæ. Et citatus Eques, teſtis oculatus, Sacrum Dominici Monumenti phanum, ordinem referre Iconicum, & formam ſphæricam, in ſuo Itinerario Hieroſol. & Syriaco cenſet. Per quam formam exprimitur pulchritudo monumenti, cum juxta S. Hieron. in Ezech. cap. 1. figura rotunda eſt omnium pulcherrima. Duæ manus tenebant ſedile throni illius; quibus ſignificatur duplex manutentio Sepulchri Chriſti, Divina & Humana; Sanctæ Sedis Apoſtolicæ & Regum ac Monarcharum Chriſtianorum, in ornamentis, ac ſuſtentandis Perſonis, illius cultui deſtinatis.

Ad eundem thronum duo leones, & duodecim leunculi ſtabant, hinc inde; per quos intelligit Quaresmius, conformiter ad Gloſſam, Patres veteris & novi teſtamenti; quorum primi à longe ſtabant ad Thronum Monumenti Salvatoris, deſiderantes illud

videre: secundi propiores erant huic Throno; adeoque beatiores, quia viderunt & adoraverunt. Vel Ecclesia Orientalis & Occidentalis, Sacro huic tumulo adstans, forti præsidio. Verum per hos duos leones, duos illos intelligo audacissimos viros, Joseph & Nicodemum, qui velut leones impavidi, inter medios, nondum ablutis nefandæ à Sangvine cædis manibus, Christicidas; generosa mente irruunt, ac audacter cum omni pompa, locarunt Corpus in Throno Sepulchri, quem & adoraverunt. Per reliquos leones, Discipulos, ac invicti animi Discipulas, quæ hinc inde adstabant Sepulchro Christi. Sive duodecim leunculos, intelligo duodecim Apostolos, qui hinc inde pariter stipabant Sepulchrum Christi. In superiori enim Ecclesia (puta S. Resurrectionis) Hierosolymis, Apostolorum omnium esse insignia, refert S. Cyrillus Hierosol. Catech. 16. & Quaresmius spectator scribit, à parte aquilonari, superesse in Ecclesia S. Sepulchri, aliquas Apostolorum effigies, nondum totaliter collapsas, cum ipsorum nominibus: in parte autem aquilonari, esse excisum è rupe receptaculum Domini; testatur Beda, aliique Descriptores. Vel etiam duos leones, intelligo duas dignitates, Sepulchro Christi inservientes, Patriarchalem & Episcopalem, ordini Nostro à Summis Pontificibus concessam. Nicolaus enim de Lyra, in Apocal. Cap. 4. v. 7. cum aliis probabiliùs, per animal primum simile leoni, intelligit Patriarchalem Hierosolymitanam sedem; nam ibi incepit esse Ecclesia, & assimilatur leoni, propter constantiam ibi existentium. Per duodecim verò leunculos, Canonicos Regulares illius Ecclesiæ, quorum universitas in duodecimo designata numero; & hi utriusque dignitatis erant Rectores. Leo enim excubiarum & custodiæ signum est: dictorum autem Canonicorum professio, institutum, ad instar leunculorum, ante Thronum Sepulchri JESU, salutares agere vigilias. Vel per duos leones, intelligo Constantinum & Helenam; ut enim leo, rex est animalium, sic Imperator & Imperatrix, dignitate magnanimi, devotione, liberalitate, præsidio erga Sepulchrum Christi, cæteris præcelluerunt; reliqui leunculi, id est Reges, Principes, Comites, Barones, huic solio se substernentes, ac illud munificentiis, ac bellica fortitudine stipantes. Vel leunculos illos, repræsentare Equites S. Sepulchri; ut pariter idem Quaresmius, adductus supra, intelligit ex appositis à se

Tom. I. cap. 7. fol. 370.

ſe multis conformibus rationibus; mihi hæc ſit; ut enim canit Polonus, Horatius, Sarbievius: *Antris impavidus leo, hoſtem conſpicuis, ſternere collibus*; ſic Equites dicti, veluti leones, ab antro Sepulchri Chriſti, impavidi, hoſtem impedientem acceſſum ad hunc thronum, non ſolum in collibus conſpicientes, ſed ubique locorum ſternere parati. Proinde armati, velut ignem ſpirantes leones, Sepulchro Chriſti aſtiterunt, pro illius defenſione: hi enim ante thronum Monumenti Sacri, tali creantur forma: *Et tu eſto fidelis, ſtrenuus & robuſtus miles, Domini Noſtri JESU Chriſti, & Sanctiſſimi ejusdem Sepulchri*; quæ prædicata illis compentia, leoni ſubſerviunt.

Libr. 4. Lyric.

Illuſtr. Radzivil in ſua Peregrin. Hieroſ. f. 305.

Demum ille Salomonis thronus, erat ſpecie Tribunalis; Joſephus in Antiquit. in eo Salomon controverſias decernebat, capitalia judicia & ſententias proferebat, ac leges juraque dabat, Adrichomius dicit: Sepulchrum Chriſti ſolium Tribunalis; tum quia ab illo non procul erit univerſale judicium, ut dictum fol. 130. & Judæorum perfidiam Decreto Divino damnandam, ab illo cenſuit loco; ad quos intendens dixit aliquis: *Et in requie judicabit illos*; refert Cyrillus Hieroſol. Paſchaſius Ratbertus, in Evang. Matt. libr. 12. *Eo in loco, vaticinium Iſaiæ eſt completum*: Et erit Sepulchrum ejus glorioſum, *quia locus, in quo regnum mortis diruit, memorabilem ſervat judicii palmam.* Tum quia ad Sepulchrum Chriſti dæmones, quaſi coram Tribunali Summi Judicis contremiſcunt; refert Dubliulius. Et ut tribunal reis, ſic Sepulchrum impiis formidini, *exterriti ſunt cuſtodes & facti ſunt velunt mortui*, piis Sanctus timor, quô plenæ, dum ad Monumentum ſteterunt mulieres, Angelica meruerunt ſolatia: *Nolite timere*; quaſi diceret; ſolum peccatoribus Sepulchrum hoc incutit timorem, devotis viſitatoribus affundit lætitiam, foras pellit pavorem: *Nolite expaveſcere.* Tum thronus Sepulchri Chriſti, dum à Coronatis adoraretur Capitibus, veneraretur humili ſubmiſſione, ſimul cùm tremore adorabatur ut Tribunal, ut judiciaria Sedes. Scribit Robertus Monachus, in initio libri 9. *quod poſtquam noſtri Chriſtiani, viderunt à longè muros Hieruſalem, procumbentes, ſonitu oris, & nutu inclinati corporis, Sanctum SEPULCHRUM tuum ſalutaverunt, & te, qui in eo jacuiſti, ut ſedentem in dextera Patris, ut venturum Judicem omnium, adoraverunt.* Præterea in Throno Sepulchri, leges jura

Fol. 231.
Fol. 60.

Cath. 14.

In Prolog. ad Lector.

Hiſtor. Hieroſol.

 prolata,

prolata, lex nova gratiæ, jus adoptionis in filios Dei, ac hæreditas regni cælestis adjudicata. Angelus Gabriel, tanquam leo, flammiferis æstibus ardens; repræsentabat, sic Christum Magni Consilii Angelum, aspectu horrido, consessurum ad peragenta universalia Judicia. Et in eodem throno Sepulchri, tanquam Judex in materia fidei definiens, publicè protulit his verbis decretalibus, sententiam Capitalem: *Surrexit non est hic.* Secundam sententiam, gloriæ Sepulchri Christi decisivam: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Sancti Apostoli hoc solio fulti eburneo, jura dabant & leges populis, auspicantes prædicationem in totum mundum ab illo loco. Insuper in Templo Resurrectionis, fiebant Conventus Regum, Comitia, consultationes, in quibus ad Sepulchrum Christi, tanquam ad thronum Salomonis, sententiæ, decisiones, oracula, pro laude Dei, honores S. Sepulchri, conservatione locorum Sacrorum, integritate Regni, aliisque negotiis publicis, promanabant. Apud Aquensem habetur: *Proxima die in Templo SEPULCHRI Domini, Concilium statutum est.* Sanutus: *Cùm verò Christianis Principibus, res innotuit, habita deliberatiòne, ad SEPULCHRUM Domini, universus convenit populus.* Insuper S. Maximus, Episc. Taurinen. dat rationem, cur tam operosè custoditum fuit Monumentum Christi, dicit: *Custodiebant solicitè in SEPULCHRO; quia necesse illis erat, eum jam non doctorem timere, sed Judicem.* Sepulchrum Christi, Judæis thronus tremendi judicii.

Hom. 3. in Pasch.

TERRA.

Si teste Cicerone, Philippica 9. Sepulchrorum Sanctitas, in ipso solo est; multò magis Sepulchri Christi gloria, in ipsa terra est; & adjacentis terræ summus honor, ex ipsa ratione Sepulchri. Testatur S. Gregorius Turonensis: *TERRA ipsa insuper, quæ Domini adjacet SEPULCHRO, Divinam quandam ex Domini SEPULCHRO, proximè posito, virtutem hausit.* Si enim, teste Psalmista, sanctus socius, sanctum reddit; Sepulchrum Christi locus Sanctissimus, gloriosus, honorandus, ac exosculandus, nonne & terra pariter, illi contigua ac proxima, hujus erit socia gloriæ? proinde & illa, gloriæ suæ partem & titulum vendicat.

De quâ, prima, in initio creationis, mihi occurrit mentio, in his Scripturæ verbis: *In principio creavit Deus cælum & terram.* Ubi nomi-

Genes. cap. 1.

nomine terræ significari dico, terram Sepulchri Christi. Tum quia D. Anastasius Synaita, libr. 1. Hexam. in his verbis, dicit Imaginem Resurrectionis Christi repræsentari, dum ait: *Tertiò die ex profundo profert TERRAM Deus, prius apertè describens, Christi trium dierum Resurrectionem è TERRA*; scilicet post tres dies è terra Sepulchrali; adeoque illam venire in dictis verbis mysticè. Tum quia idem S. Patriarcha Antiochenus, citata verba sic legit: *Seu fecit in principio temporali* seu *placuit ei*, ut *fieret cælum, tanquam Deus, & terra propter JESUM Hominem* in qua scilicet non solùm videretur Deus, in carne humana vivus, sed etiam sepeliretur in ea mortuus Christus. Tum quia, dum nomine principii, intelligitur in alia versione, *Filius Dei*, ut Glossa hic: Cælum Sepulchrum, patet ex titulo: *Cælum*; expressio triduanæ Sepulturæ, in tertio die productæ terræ; ut ex allato patet textu; sequitur nomine terræ, non incongruè, terram Sepulchri Christi significari. Tum quia terra illa, erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyssi; quia, ut dicit S. Augustinus super Genesim, non erat lux; quia terra Sepulchri hucusque passura erat crassas tenebras, ac esse inanis & vacua, quousque intra se non recepit Christum, lucem veram; cui dum hoc lumen affulsit, terram Sepulchri, clarescere ultra solem fecit. Tum quia hæc verba: *Germinet terra herbam virentem*, apud Glossam Magnam Mysticam, Anagogicè sic leguntur: *Germinet Caro Christi, dotes glorificati Corporis*, quas non alibi, nisi in terra Sepulchrali germinavit. Adeoque terra tertiò primævæ hebdomadæ die virescens, fuit typus terræ Sepulchri Christi, quæ tertiò die, protulit herbam virentem, id est Carnem Christi, quatuor dotibus insignitam. Imò Adamum formatum extra paradisum ex limo terræ, præsignâsse Christum Dominum, tanquam secundum Adam, extra Hierosolymam, quæ paradisus terrestris fuit, formandum seu producendum de limo terræ, id est de Sepulchro; quia nomine limi, venire Sepulchrum Christi patet, ex Psalmi 68. verbis: *Infixus sum in limo profundi*, quæ sic explicat Lyranus: *Hoc etiam intelligi potest de Christo Capite, ratione suæ Sepulturæ; quia fuit positus intra TERRAM.* Et tunc novum auspicatum est à Christo, orbis redempti exordium, dum creavit *cælum & terram simul. TERRA facta est Cælum* (inquit Villaroël) *cùm Dominus deseruit telluris SEPULCHRUM: viso novo miraculo, dum*

Biblioth. Vet. PP. Tom. 6. fol. 638.

Tom. 2. Tautolog. 6. Didasc. 7. n. 4.

dum apparuit gloriosus è tumulo: quandoquidem miseri homines, visi sunt esto de terra, cælestes.

Terra Sepulchri, est illa terra, de qua ascendebat fons, irri-
Genes. 2. v. 6. gano universam superficiem terræ. Quis enim est tam uberrimus, tam largistus fons, ut omnem sua exundatione reficeret terram? nisi Christus Dominus, qui dum de terra Sepulchri ascendit, irrigavit universam superficiem terræ, irrigans novas plantas, scilicet Discipulos, fluentis eloquiorum suorum, & ex illâ, amplè profundens merita sua satisfactoria. Tum ab hac terra Sepulchri, fons doctrinæ Evangelicæ, & fluidissimæ prædicationis, totum orbem abluit.

Est terra Sancta; tum quia fuit destinata, Sancto Sanctorum
Exod. 3. Christo; tum quia rubus, scilicet rubrum Corpus Christi, quamvis in ea fuit, quæ vim habet corruptivam, ac in pulverem ad instar ignis resolutivam, nullatenus tamen, læsum ac corruptum, nec ejus viriditatem minuebat; tum quia tot Martyrum sangvine conspersa.

Terra Sepulchri Christi, est terra Sacerdotalis; quæ exempta
Genes. 47. v. 22. & 26. fuit per Joseph, à subjectione Pharaoni Regi, & libera à conditione solutionis Regibus Ægypti. Terra enim Sepulchri Christi fuit primò Summi Sacerdotis JESU Christi; hic Joseph Salvator, in cujus manu, nostra Salus fuit, cum subjecisset omnes possessiones; scilicet pretio sangvinis, cunctos populos à novissimis usque ad ultimos acquisivisset, Dominus & hæres universorum constitutus; præter alios titulos, hoc etiam titulo, scilicet Sacerdotii, terram Sepulchri, jure jurisdictionis Spiritualis optinuit. Secundò fuit libera à conditione solutionis, tum ex eo; quia in aliis terris posita corpora mortua, ordinariè in cineres resolvuntur, tanquam intributum & onus suæ conditionis humanæ, juxta illud: *terra es & in terram resolveris:* In Sepulchro, Christi Corpus, fuit liberum à tali resolutione. Tum ex eo; quia Rex Saul, regiô verbô appre-
1. Reg. cap. 17. v. 25. misit daturum se tale privilegium, quod domum viri illius faceret absque tributo in Israël, qui percusserit virum Goliath. Dum ergo Christus, certamine suæ passionis, prostravit diabolum, ac illo triduo mortem ac infernum debellavit, licet princeps Provinciarum, & Domina gentium Hierosolyma, facta est sub tributo, juxta Prophetam, meritò tamen domus illius quietis, scilicet Sepul-
chrum

chrum Victoris Christi, absque tributo libera esse debet in Jerusalem. Quàm ergo iniquè & contra omnem legem, justitiamque agunt Turcæ, dum Sepulchrum Christi sibi faciunt tributarium; neque enim aditus patet nostris hominibus, qui undique ad ipsum Sepulchrum Christi confluunt, nisi pecuniâ illum redimant, sive juxta Abbatem Uspergiensem, *Turcæ Domini Sepulchrum, quæstûs duntaxat gratiâ intemeratum relinquunt.* Tum ex eo, quia terra Sacerdotum, propterea exempta fuit à possessione Pharaonis, siquidem hi erant deputati ad cultum deorum illius populi, & ad studium scientiarum speculativarum, ac artis Astronomicæ, hoc loco Lyranus refert. Quantò magis, deberet gaudere exemptionis privilegio, terra Sepulchri Christi, quòd non sit subjecta servituti Pharaonis, id est Machometanæ dissipatæ, & in malitia obduratæ genti; cùm fuerit terra deputata, non solum cultui Divino, sed ipso Deo consecrata, cum sit terra Incarnatæ. Sapientiæ, Magistri ac doctoris, perhibentis testimonium veritatis. In hac terra, edocti sumus præcepta vitæ & disciplinæ; item edocti sumus studium scientiarum Speculativarum, nempe altissimæ contemplationis; & practicarum, nempe operum & meritorum vitæ æternæ; tandem edocti sumus, notitiam scientiarum Astronomicarum, spectantium ad sola cælestia meditanda, & possidenda.

Accoltus de bell. pro Chr. Sepulch. f. 18. Fol. 243.

Terra Sepulchri Christi, est terra, in quam jussu Dei, projecta est virga Moysis. Porro per virgam Moysis, conformiter ad Glossam, intelligo Corpus Christi, quod ex regali stirpe processit. Moyses mira portenta, illâ virga patravit; sic Persona Verbi in corpore humano, multa pro salute nostra fecit signa & prodigia, quibus crederent Christum esse verè Deum. Hæc itaque virga, scilicet Corpus Christi, dum in terram Sepulchri projectum est, versum est in serpentem. *Cùm enim se exinanisset, & poni in Crucem, ac deponi pateretur in TUMULUM, quasi serpens factus est, quia projectus in tumulum:* verba sunt S. Ambrosii in Psalm. 118. Serm. 3. Et Deus Pater in Revelationibus S. Birgittæ, Revelatione 13. libr. 5. quæst. fol. CI. locum quartum explicans, quem, qui accesserit mundus & vacuus à superbia, habet quinduplicem fructum, sic loquitur: *Quartus locus fuit hortus SEPULCHRI Filii mei, in quo quasi serpens ponebatur, & jacuit Humanitas ejus.* Corpus enim, dum in petram Sepulchri repositum est, abjecta mortalitate, depo-

Exod. 4. v. 3.

ſitis mortis exuviis, relictis externis indumentis, prodiit redivivum in carne venuſtiſſima, ad inſtar ſerpentis. Non itaque jam nimis, rem difficilem, judicet Sapientiſſimi Regis cognitio: *Viam colubri ſuper petram.* Ex illo enim Moſaicæ virgæ eventu, noſci poteſt, quomodo virga, id eſt Corpus pro nobis caſtigandum, vix terram petræ attinget, brevi ſpatio, relicta veteri pelle, novitatem induet & virtutem in egreſſu, ad inſtar colubri, monſtrabit. Horum mirabilium factorum, ſola futura erit operatrix terra Sepulchralis, ut corporis Chriſti in eam depoſitio, & renovatum efficeret ut colubrum, & ſic ſolveret problema propoſitum, & iterum idem ſerpens, id eſt Chriſtus, poteſtate Divinitatis ſuæ, in virgam revireſcet; quia principatum & dominatum è tumulo iterum retinebit. *Virgam virtutis tuæ emittet Dominus ex Sion* (id eſt ex Sepulchro; Sion enim interpretatur juxta S. Hieronymum, Specula vitæ, qualis erat Specula, Sepulchrum Chriſti) *dominare in medio inimicorum tuorum.*

Apud Gloſſ. in Pſal. 2. v. 6.

Terra Sepulchri Chriſti, eſt terra, quam Princeps Syriæ Naaman, cùm per Eliſæum à lepra mundatus eſſet, ſecum aſportavit; nullatenus enim recedere voluit, niſi prius ſecum onus, duorum burdonum de terra tolleret, habetur 4. Reg. Cap. 5. v. 17. Quid enim per leproſum illum Principem indicabatur? niſi natura humana, infecta peccato mortali. Per Eliſæum Dominus Deus, Salvator Chriſtus, curans & ſanans leproſa crimina. Terra illa, in qua Sanatus eſt Princeps, terram Sepulchralem, in qua mundata eſt caro noſtra, ſicut caro pueri; quia ad innocentis vitæ infantiam, ex Sepulchro regenerati ſumus. Tum quia Rabbanus, Angelomus, in illa parte terræ, dicunt partem terræ Sanctæ, ſecum tuliſſe Naaman; quod illa terræ pars, illius futura eſſet telluris, in qua univerſi leproſi peccatores emundati, corpora pulchra ac glorioſa ſunt habituri. Et propterea cùm multa beneficia, nobis contulerit Chriſtus in terra Sepulchri; docuit nos in figura Princeps, illam debere æſtimari, appretiari, ac affectu ſpeciali recondi. Dum enim pro ſumma ſua ſorte reputat, aliquam terræ illius partem, ſecum aſportare, eô ipſô oſtendit, quòd magnam benedictionis partem, habeant peregrini & fideles, quicunque vel exiguum pulverem terræ Sepulchralis, ſunt aliquomodo reportaturi; teſte S. Paulino, Epiſtol. 34. ad Macarium; velut peculiarem theſaurum eam amplexuri,

4. Reg. cap. 5.

juxta

juxta relationem Theodoreti. Deinde juxta citatos ſupra Authores apud Gloſſam, Naaman propterea tulit illam partem terræ, quatenus reverſus in Syriam; poſthac, non reverteretur ad cultum idolorum, præſentemque habens ſemper terram illam, quam ſecum deferebat, pedibus calcatam Eliſæi, verum prædicatorem ſe retrahentem ab idololatria, ad præſens haberet, illum ſolum adorans Dominum, cujus terra erat, & in qua ſanitatem adeptus eſt. Hôc factô repræſentans ac inſtruens eos, qui à mundanis idolis, ad cultum veri Dei acceſſerunt, ne iterum ad illa revertantur, præſentem illam habeant terram, in qua ſanati ſunt per Chriſti vitam & mortem. Quotiescunque te avocant idola ſacrilega, à perſeverantia in bono propoſito, defer de Hieroſolymitano ſolo, in cognitionem animæ tuæ, terram Sepulchri Chriſti, recogitans quomodo ibi ſanatus, mundatus, renovatus es in novum hominem; hoc perpendens, occaſiones, familiaritates, converſationes, locorum impertinentium aditus, inclinationes inordinatas, aliaque idola contemnes, abjicies. Inſuper, juxta Lyranum, Naaman ex terra illa, quam reputabat Sanctam, propter cultum Dei ibi exiſtentem, intendebat ex ea facere altare in domo ſua, ſecundum quod dicitur Exod. 20. *Altare de terra facietis mihi, & immolate Deo cæli*; Significabatur, adeo reputandam terram Sepulchri Chriſti, propter Chriſtum ibi quieſcentem, cultumque illius ut cauſa condendæ particulæ prædictæ terræ, etiam Eccleſiæ erigerentur; ut hujus facti locuples eſt teſtis S. Auguſtinus, quem Heſperius vir Tribunitius, petierat, ut allatam terram Sanctam, de loco, ubi Sepultus Chriſtus, tertio die reſurrexit, quam ab amico acceperat, tali loco infoderet, ſuper quem extrueretur Oratorium, ad quod poſſent Chriſtiani, ad celebranda, quæ Dei ſunt, congregari. Libr. de Civit. Dei Cap. 8.

Terra Sepulchri Chriſti, notatur illis verbis Pſalmi 70. v. 19. *Et de abyſſis terræ, iterum reduxiſti me.* Per hanc enim abyſſum terræ, Euthymius intelligit, terram Sepulchralem Chriſti, ſuper hæc verba dicens: *Quem etiam juxta carnis naturam, mortuum eduxit Deus de Sepultura.* Ita & D. Hieronymus, Arias apud Lorinum hîc: Quod ipſum, additô adverbio *Iterum*, denotatur iterata de terræ abyſſo, id eſt de Sepulchro eductio, cum prior fuerit Dei vivi, de abyſſo terræ benedictæ, id eſt de utero MARIÆ, ejus generatio. Ut ſenſus verborum dictorum ſit, Chriſti ad Pa-

trem: qui me vivum de Matris utero natum eduxisti, sive educes in perfecta integritate Virginitatis; ita me iterum, de Sepulchri terra intaminata reduces; id est facies resurgere. Secundò, hoc versu Psalmi 73. *Deus autem Rex noster operatus est salutem in medio terræ.* S. Germanus in Contemplat. rer. Eccles. ex his verbis deducit, Hierosolymam esse in medio terræ: *Nisi ita factum esset*, (inquit) *quod hoc intelligitur de Hierosolyma, quomodo, qui in India perficiunt hoc magnum mysterium, credunt illud Corpus Christi, & Dei esse nostri crucifixum & resurgens, hanc salutem in medio terræ, dicerent Dominum operari? quomodo item fideles, Veneticas insulas inhabitantes, idem sensu conservato reciperent, omnibus confitentibus, in Hierosolymis circumscriptum esse ipsissimum medium terræ.* S Andreas Cretensis Hierosolymitanus, in Orat. in Fest. Exaltat. S. Cruc. apud Surium ex Metaphraste, die 14. Septembris, idem probat textu præfato, quòd in medio terræ, positus fuerit locus Calvariæ, adeoque & Sepulchri Christi, eidem contiguus, in cujus medio operatus est salutem. Cur autem in medio terræ fuerit locus Calvariæ? varias ibidem hic Sanctus, dat convenientias; mihi ratione Sepulchri Christi, hæc sit prima: ut singulæ extremitates mundi, sua inclinatione, ambiant medium Sepulchrum, ac in illud propendeant. Secunda, quia mediatoris Dei & hominum, ac mediæ in Trinitate Personæ Sepulchrum erat. Tertia; Hugo Cardinalis, in libr. 1. Reg. cap. 10. existimat; ideo Rachelem prope Bethleem sepultam esse, quasi patrona urbis esset: Christus ergo, quia patrocinium totius orbis suscepit, Sepulchrum suum in medio terræ, sive ad medium terræ habuit.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 2. fol. 151.

Tertiò designatur in illis verbis Psalmi 84. *Benedixisti Domine terram tuam*, in quibus considero, exprimi Sepulchrum Christi his terminis: *Terram tuam.* Licetsi enim, Domini est terra & plenitudo ejus, tamen terra Sepulchri Christi, ex multis titulis, speciali jure proprietatis, fuit illius, præsertim ex his, quos assignant Theologi & Legistæ, ut dicatur esse res tua, seu propria alicujus, ad eumque spectans propriè & legitimè: Primò titulo excellentiæ, quæ in Christo est unio Hypostatica, quæ pariter in Sepulchro fuit Personæ Verbi cum Corpore, & ibi factu est unio animæ ad Corpus, tanquam perfectibilis, ad suum perfectivum. Secundò, jure belli justissimi; quia Christus terram Sepulchri, Sangvine suo

suo acquisivit, devictô peccatô, morte, & infernô. Tertiò titulô nativitatis; quia titulo resurrectionis ex illa: resurrectio enim, nativitatis & generationis nomen habere solet. Quartò, titulô emptionis; contractu enim solenni, adhuc in figura terræ Sepulchralis ab Abraham emptæ, appendit Christus quadraginta siclos, id est pretium Sangvinis, ut dictum sub titulo: *Ager*. Quintò, jus acquiritur legitima condemnatione; dum scilicet per sententiam justam legitimi Judicis, res aliqua, aut etiam persona, addicitur juri & dominio cujuspiam. Licet igitur Christus, injustissimè condemnatus fuit ad mortem à Judæis; Sepulchrum tamen ejus per verissimas sententias, scilicet manifestas scripturas, sacra oracula prolata, à legitimis Judicibus, nempe Patriarchis, Prophetis, Regibus &c. juri gloriæ Christi addictum, & gloriosum decisum. Sextò, titulô legitimæ donationis; quia Joseph ab Arimathea, transtulit à se dominium Sepulchri sui, in quod antea habuit, renuntians illi, ac prorsus à se abdicans, dum Sepulchrum suum, Christo humando, liberrimè ac perfectissime cessit. Septimò, prima occupatione; quia nemo unquam mortuorum, illum locum occupavit. Octavò, accessione; illi enim propriè Christi sunt, qui junguntur ei, nec unquam à Christo recedunt. Christo terra Sepulchralis proximè accessit, dum ejus Corpus tetigit, ut nec hucusque ab illius gloria recedat; & ab irruente flumine sangvineo, ex monte Calvariæ decurrente, à fœtida gleba sejuncta, uni eidemque fundo, ac loco adjecta fuit; adeoque propriissimè Christi censenda est. Nonò, titulô possessionis, idque pacificæ; quia *in pace factus est locus ejus*; continuatæ; semper enim ibi peragebatur & peragitur quotidie cultus Christi, ac illius nominis; & ejusdem terræ Sepulchralis apprehendit possessionem, adminiculo Corporis, subjiciendo illam Sanctissimo Corpori suo, manibus, pedibusque. Ex his itaque titulis, terra Sepulchralis erat propria Christi; ut illi hanc proprietatem attribuit Psalmista, hoc pronomine: *Tua*.

Videndum modo restat, quomodo Dominus JESUS, hanc terram suam benedixerit; quæ enim maledictioni per peccatum Adæ subjecta erat; oportebat, ut benedictionem reciperet à Secundo Adam, avertente iniquitatem; quam benedictionem pro-tunc suscepit, dum in illa Christus Sepulchrum sibi elegit: S. Cyrillus Hierosol: *Insitus est igitur in TERRA, ut eradicetur illa, quæ per* Catech. 14

per Adam facta est maledictio. Et S. Aug. Serm. de Tempor: ex Serm. de Symbol: *Sepeliri voluit Dominus, ut ad consolationem Sepultorum, benedictionem Corporis ejus, etiam TERRA susciperet.* Benedixit igitur terram suam Sepulchri Christus, benedictionibus ibidem expressis; scilicet *primò* inhabitatione corporali, gloriam inde magnam ei tribuens: quod innuunt illa verba: *ut inhabitet gloria in terra nostra*: *2dò*, benedicta terra Sepulchralis, quia in illa *misericordia & veritas obviaverunt sibi, justitia & pax osculatæ sunt*, nempe quia Persona Divina, quam intelligit Euthymius, in hunc Psalmum, per nomen misericordiæ; & veritas, id est natura humana, obviaverunt sibi, id est, non fuerunt disunitæ in Sepulchro; & ibi justitia & pax osculatæ sunt, quatenus Anima Christi, tanquam forma in abstracto sumpta, nomine justitiæ intellecta, quia justitiam exercuit in limbo, educens Patres, & puniens infernum. Corpus, quod per nomen, pacis indicatur, quia protunc erat pacificum, osculata est, id est juncta eidem. *3tiò.* Benedicta; quia *veritas de terra orta est*; quia Filius Dei, qui juxta Lyranum, hoc loco nomine veritatis intelligitur, de terra Sepulchri veraciter ortus est; S. Cyrillus Hierosol. supra adductus, hic alludit dicens: *Spinas & tribulos ut ferret terra, decretum erat. Orta est de terra vinea* (scilicet de loco Sepulchri; de illo enim ibi loquitur; ut patet legenti locum citatum) *ut impleretur, quod scriptum est: Veritas de terra orta est, & justitia de cælo prospexit.* *4tò.* Benedixit terram Sepulchralem, hac proprietate illi conveniente maximè, quod stabilis sit & permaneat, *fundasti terram, & perma-*
Psal. 75. v. 9. *net.* Quoties enim *terra tremuit*; id est, ut explicat Lyranus, in adventu Saracenorum, quoties multitudo Infidelium, funditus illam everterat, Terra Sepulchri Christi fuit immota, quia ab ipso fundata; propterea hucusque permanet. *5tò.* Benedixit terram Sepulchralem, in mirabilibus ejus effectibus; terram enim hanc, quæ circa venerabile Monumentum est, in longinquas regiones deportatam, multis miraculis salutarem extitisse, S. Augustinus superius adductus: - - testatur, morbos varios curari consvetum erat, dæmones profligari, in comperto testatur idem S. Doctor, ex facta
Baronius Annal Eccl. Tom 1. fol. 184. sibi manifesta relatione ab Hesperio, qui eandem terram, habens suspensam in suo cubiculo, illâ omnes infestationes, insidiasque inimici à longe repulit, nec quidquam mali ipse passus est. Imò, teste

teste Gregorio Turonensi, ex eadem terra, dilutâ aquâ, formabantur tortulæ quædam, eæque per diversas mundi partes, transmittebantur ad curandos morbos, ad vitandos accessus serpentum, aliasque divinas obtinendas gratias. *6tò.* Benedixit terram Sepulchri, benignitate ibidem expressa: *Etenim Deus, dabit benignitatem, & terra nostra dabit fructum suum*; dum enim terra nostra Sepulchri Christi, dedit fructum suum, ille locus specialis benignitatis Divinæ factus est. Uti id ipsum confirmant illa verba Psalm. 40. ex parte Christi prolata: *Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me & retribuam eis.* Super quæ verba Ignatius Coutino ait: *Non mihi satis est, si à SEPULCHRO meo animâ illis benefaciam, sed insuper Corpore volo eorum esse benefactor; & propter hanc rationem pluris faciam meam Resurrectionem. Ecce quam pius, quamque BENIGNUS prodeat de SEPULCHRO Dominus!* Exclamo & ego: Ecce quantæ sit benignitatis Sepulchralis terra, quæ benignè complexa Dominum, dansque fructum, terra retributionis, terra, quæ & ornamento, & utilitati humanæ foret, effecta est!

Mirac. libr. 1. cap. 7.

Tom. 3. tract. 23. consid. 6. fol. 638.

UTERUS.

Amatam nimis à nobis, gloriam Monumenti Salvatoris, in amabili ac placito ei titulo, exhibemus. Dicit enim Reverendissimus Josephus de la Zerda Almeriensis Ord. S. Benedicti: *SEPULCHRUM Christi, etiam vocabulum amat ventris.* Uterum, etiam Sepulchrum appellari; & quod Job dixit: *ex Utero in uterum*, dixit Gregorius: *ex Sepulchro in Sepulchrum.* Hector Pintus in Ezechiel. fol. 380; Sepulchrum per matris Uterum, intelligit. Christi Sepulchrum, esse veluti uterum, in quo concipitur Christus mortuus. Uteri nova forma, mortuum concipit, parit vivum. Prædixit Regius Psaltes de Christo: *Introibit usque in progenies Patrum suorum.* Plures apud Lorinum in hunc versum, legunt: *Morietur, reponetur in Monumento.* Ergo Sepulchrum Christi, est simul progenies? insigne mortis, & titulus vitæ originis? Dum reponetur in Sepulchro, & illud introibit Corpus Christi mortuum; intrabit velut in Uterum; & ex illo nova progenies, sive primogenitus prodibit mortuorum. Expressô terminô Uteri à S. Petro Chrysologo appellatur: *Venit Maria ad SEPULCHRUM, venit ad Resurrectionis UTERUM, venit ad vitæ partum, ut iterum Christus ex*

Academ. 29. num. marg. 76.

Barrad. Tom. 1. libr. 5. cap. 31. fol. 255.

Psal. 48. v. 20.

Serm. 75. de Resurr. Domini.

SEPUL-

SEPULCHRO nasceretur fidei, qui carnis fuerat generatus ex ventre. Et verè resurrectionis Uterus, & vitæ partus fuit Sepulchrum. Primò enim intra viscera sua concepit Corpus Christi, absque ulla admixtione alterius corporis, intra se admissi. Tum conceptum illum, triduani temporis spatiò, ad maturitatem devenientem detinuit. Adveniente Corpori Anima, instanteque partu, contremuit; dolensque ut mulier pariens, tristitiam habuit. Nec mirum; refert enim Lucas Castellinus, Procurator Generalis totius Ordinis Prædicatorum: in horto, ubi erat Monumentum Domini, quamvis in alio Sepulchro diverso, Adami & Evæ corpora tumulata fuisse; adeoque tremor terræ, commemoravit dolores in partu filiorum, ad quos vindice Deo, condemnata fuit pro peccato Eva, manere; neque resurgente è Sepulchro Christo, sublatos esse. Adeoque terra Sepulchralis, dum tremebat quasi dolorosa, indicavit Evæ decretum, illi intimatum: *In dolore paries filios*, esse irrevocabile. Sed non meminit terra pressuræ illius; imò postquam tam dignissimum partum, Sepulchralis Uterus in lucem publicam edidit, lætatur: & omnes creaturæ, tam cœlestes, quàm terrestres, genitricem alvum, scilicet Sepulchrum, ob tam felicissimum partum celebrant. *Erit SEPULCHRUM ejus gloriosum*; tripudiis illi applaudunt: *Beatus venter, qui te portavit.* Et ex hoc utero recens ille natus, dum in statura sua assimilatus est palmæ, excelsa superna petenti; nomen illius prædicatum toto orbe, manifestum ab utero inclaruit per omnes gentes, incipiendo ab Hierosolyma. *A Resurrectione Domini, Sepulchrum cælestes homines parit*; Didacus de Baeza in Evang. Tom. 1. lib. 5. cap. 1. §. 8. Quod ipsum deducit ex illo facto mulierum; quæ dum venirent ad Sepulchrum, videntes juvenem splendidum, stupent; & dat rationem: *Stupent jam fœminæ, cum videant SEPULCHRUM, præstantius esse Utero matrum, utpote, quod potuit cælitum, & incorruptibilium corporum genus instaurare. Et quod Deus pollicebatur Abrahamo: Multiplicabo semen tuum, sicut stellas cæli; tale genus stelliferum, cum Salvatore ex Sepulchro pullulavit*; & dicit: *SEPULCHRUM stellas parturit, dum homines emittit in vitam immortalem.* Et in fine ejusdem paragraphi: *Jam enim ex æthereo semine, cælestes à SEPULCHRO nascuntur.* Cum itaque universalis ratio Uteri conveniat Sepulchro Christi, ad particulares figuras illius, in hoc titulo descendo.

In Elucid. Theolog. de cert. glor. Sanct. cap. 2. punct. 34 fol. 103.

Sepul-

Sepulchrum Chrifti figurari videtur in utero Rebeccæ, cujus partus accommodatur in eo; quòd *dum jam pariendi tempus venerat, & ecce gemini in utero ejus reperti funt.* Quia dum tempus appropinquabit refurrectionis Chrifti ex Sepulchro, gemini primò reperti erunt, fcilicet Corpus per Efau fignificatum, qui pilofus & vir fangvinum dictus eft, quale fuit Corpus Chrifti contextum pilis, & totum Sangvine confperfum; & Anima, inferni fupplantatrix in Jacob, qui fupplantator dicitur, defignata. Secundò, duæ gentes & populi in utero Rebeccæ; quia Perfona Verbi in Jacob expreffa, cui ex natura & jure Filiationis æternæ competebat effe Unigenitum à Patre; ex ratione autem Filiationis temporalis, primogenitum ex mortuis; & Humanitas per Efau notata, quæ repræfentabat naturam peccatricem Adami. Hi inquam gemini, fcilicet Perfona Divina Verbi, cum unita fibi perfecta Humanitate, egreffuri funt ex Utero Sepulchri; ita, ut plantam fratris, fcilicet eandem Humanitatem (ratione cujus, caro & frater nofter erat Chriftus) retineret Perfona Verbi infeparabilem à fe, ac eandem Humanitatem ex Utero Sepulchri extraheret, dextera potentiæ fuæ Divinæ. Tertiò, duæ gentes & populi ex Utero Sepulchri, fcilicet duo Ordines nati, ac prodeuntes ex illo; fcilicet in Jacob, Ordo Canonicorum Regularium, à S. Jacobo Fratre Domini defcendens; & Ordo Militaris ac Equeftris, in Efau defignatus, fundens fangvinem pro Chrifto ejusque Sepulchro. Genef. 25.

Sepulchrum Chrifti figurabat uterus Saræ, parientis Ifaac. Chrifti figuram, Ifaac gerit. Sterilis uterus, feu ut dicit S. Paulus ad Rom. 4. v. 19. *Emortua vulva Saræ*; Sepulchrum Chrifti, quod in fe, utpote lapideum, inanimatum erat, fterileque faxum in ante. Verum in fua teneritudine, ac virtute editiva, propter dignitatem fobolis pariturae, fuit fpecialiter confervatum, ficut uterus Saræ propter ejus Sanctitatem. Itaque immolanda hoftia Deo, fcilicet Ifaac, è mortuo Saræ nafcitur utero, quia fterile Sepulchrum immolatam hoftiam, fcilicet Chriftum, verum Ifaac, pariturum erat: propterea neminem, nifi hunc edidit, qui victima grata Deo fuit. Pro qua figura Sepulchri Chrifti, adducit S. Chryfoftomum Carthagena, his verbis: *D. Chryfoftomus in imam ad Corinth. Epiftol: In hanc refurrectionis fimilitudinem, ftupendum ac prodigiofum fterilis Saræ partum adducit, quæ meo judicio, in eo valde affimilatur, tum* Genef. 21. Homil. 2. de Refurr. Dom. libr. 14. fol. 9.

 quòd

quòd nihil in rerum universitate, sterilius videatur esse SEPULCHRO, & tamen Christi SEPULCHRUM, tanta viguit fœcunditate, ut copiosissimum nobis germinaret fructum, Christum immortalem & gloriosum. Ex Utero natus Isaac, circumcisus die octavo, qui octonarius numerus, resurrectionis gloriæ convenit, ait Glossa super hoc caput; quia Christus ex Sepulchri Utero in lucem prodibit seu resurget; adeoque nota fiet Judæis, altera ejus formidabilior nativitas. Deinde uterus Saræ gaudium peperit, scilicet Isaac, & mater pariens riserat, qui risus ad gaudium celebrandum, teste S. Augustino, non ad opprobrium pertinebat; quia Sepulchrum Christi, dum parturiet, summa exultatione, gloriâ replebitur, præ edita tam elegantissima prole, tremens agitabitur, ac tripudians plaudebit; & hoc gaudium, celebritatem illius Uteri, scilicet Sepulchri monstrabit, & futuræ suæ gloriæ advenientis ex partu, ac in posterum perenniter habituræ, applaudebat.

Libr. 16. de Civit. Dei.

Sepulchrum Christi figuratum censeo in utero matris Samsonis. Ut enim Mater Samsonis admonetur ab Angelo, ne aliquo vescatur immundo, quia paritura erat Samsonem, qui puer erat Nazaræus, & ipse incepit liberare Isràël de manibus Philisthinorum: Sic Josephi ab Arimathæa Sepulchrum, Divina præcautione custodium ac circumventum, ne quodquam per introsumptionem immundum intromittat cadaver, cum pariturum erat JESUM Nazarenum, qui ipse solus liberavit Isràël de manibus dæmonum. Providum itaque Numen, dum per Angelum circumspectam adhibet cautelam munditiæ Materni uteri, propter fortissimum Samsonem; prospicere simul se declarabat Providentia Dei, non permissuram quidquam immundi, continere Sepulchrum; quia eximium aliquid, præter cæteros homines, Sepulchri partus ostendet, scilicet Christum, sanctum, fortem, potentissimum. Et si, teste cælo, conveniens fuit, mundum præparari uterum, quia puer Nazaræus & fortis nasciturus erat; multo magis arbitrandum est, placuisse Deo, ac pernecessarium fore, ut Sepulchrum ejus sit novum, purum, ac quod nullum unquam fœdaret cadaver: & hanc ejus puritatem, videtur figurare dictus uterus.

Judic. cap. 13.

De eodem Christi Sepulchro, sub hoc titulo ventris & uteri, procedunt verba Psalmi 21. v. 10. & 11. *Tu es, qui extraxisti me de ventre*; vel ut alii legunt apud Lorinum: *Eductor meus ex UTERO.*

Licet

Licet enim S. Cyrillus Hierosol. per uterum hic, intelligat Uterum B. V. MARIÆ; sed respective ad Patres mutùo comparantes nativitatem ex Utero, & egressum de Sepulchro; illi hic textus suffragatur; quia sicut Christus in hoc textu, se significat de utero eductum, obstetricis fungente officio, Spiritu Sancto, ut hic egregie Eusebius; ita de Sepulchro exiens Humanitas, obstetricem habuit Personam Verbi, sibi unitam, se educentem, illam alloquens: *Tu es Deus, qui extraxisti*, id est extrahes me, *de ventre Sepulchri*, & educes de hoc Utero. Catechef. 20. Libr. 10. Demonstr. Evangel. cap. 8.

Idem Sepulchrum Christi exprimi videtur, & in hoc Psalmi 109. versu 5. *Ex utero ante luciferum genui te.* Sicut enim his verbis, juxta Cassiodorum, generatio Personæ Filii, ab æterno, à Patre exprimitur; ut videre est apud Glossam hic: secundo nativitas Christi temporalis de Virgine; ita in iisdem verbis, intelligi potest tertia nativitas, ex Sepulchri Utero. Tum quia Sepulchrum Christi in sua editione, utriusque hujus generationis gessit imitationem. Primo in eo scilicet, quod sicut Pater generat Filium, in similitudinem naturæ, cujus explicatio relinquitur Theologis; ita ex Sepulchro Christus, retulit imaginem & similitudinem Patris, utpote factus immortalis, impassibilis, gloriosus. Alteriùs temporalis ex utero B. V. MARIÆ, gessisse Sepulchrum Christi, & illius typum fuisse ostendetur Libr. 3tiò. Tum quia de generatione Christi de Sepulchro, totus hic Psalmi versus, sic potest intelligi. Primò, in hoc pronomine: *tecum*; intelligendo unionem Animæ cum Corpore Christi. Sicut enim *tecum* est terminus simplex, constans pronomine & conjunctione divisis, in unam dictionem coälitis; ita Anima separata à Corpore & divisa, fuit juncta simul eidem in Sepulchro, & sic facta integra ac perfecta Natura humana. Secundò. *Tecum principium;* quia facta unione Animæ cum Corpore, fuit totus Christus, verus Deus, qui de se Joan. 8. dixit: *Principium, qui & loquor vobis.* Tertiò, *in die virtutis tuæ, in splendoribus Sanctorum*, his exprimitur dies resurrectionis, qui fuit dies virtutis Divinæ. Et - - inquit Hieronymus Natalis: *Occupavit enim locum SEPULCHRI, Divina virtus, & nonnullorum Angelorum præsentia. Quin etiam in äere super hortum & SEPULCHRUM, astitisse Christum cum beatis Angelis & animabus, & omnia cælesti virtute fuisse repleta*; adeoque fuit in splendoribus Sanctorum. Ultimis demum his verbis:

bis: *ex Utero ante luciferum genui te*; locus & tempus reſurrectionis Chriſti videtur denotari; locus ſcilicet Sepulchrum, nomine Uteri, id ſupra dixit S. Chryſologus, & S. Ambroſius Epiſcopus: *Renovatus eſt de Sepulchro.* Ex quo ante luciferum, ſcilicet manè diluculo, antequam lucifer, id eſt ſol oriretur; ut D. Thomas, 3. part. quæſt. 53. Art. 2. ad 3. Quia eum ſol juſtitiæ, illuſtriorem mundo daturus erat diem, de Sepulchralibus cunis, oportebat ut materialem ſolem anteiret ſuo ortu. *Genui te*, quatenus uteri nomine, Sepulchrum ſignificatur, in quo auxiliatricem virtutem, Divinitas præſtitam Humanitati exponit; ſicut illam præſtitit in Utero Virginali, circa conceptum & generationem; adeoque totus hic verſus Pſalmi, conformiter ad hunc titulum, gloriam Sepulchri Chriſti prædicere videtur.

Sepulchrum Chriſti, in eodem titulo Uteri, exprimitur in Pſalmi 43. verſu 25. *Conglutinatus eſt in terra venter noſter.* Hunc enim Pſalmum integrum, myſticè exponit Lyranus, de perſecutione Chriſtianorum, per Saladinum & Saracenos, in quorum manus devenerat Sepulchrum Chriſti. Unde hunc verſum 3. *Tota die verecundia mea contra me eſt*, ſic explicat: *quia Sepulchrum Chriſti, & Civitas Sancta ſunt in manu populi Sarraceni.* Similiter verſum 11. *Et declinaſti ſemitas noſtras à via tua*, ſic explanat: *Non enim poſſumus, pro libitu noſtro, accedere ad SEPULCHRUM tuum, & ad alia loca Sancta.* Conſequenter & hic verſus adductus, ſic myſticè de eodem Sepulchro, intelligi poteſt; ut nomine conglutinati ventris noſtri in terra, intelligatur còarctatum, cinctum Infidelibus, & adhærens illis Sepulchrum Chriſti. Venter enim noſter in terra, non alius fuit, niſi Sepulchrum Chriſti, ex quo in vitam immortalem, æternam renati ſumus. Et ne hic venter noſter in terra, ab infidelibus polluatur, ſubdit ſuam obnixam poſtulationem: *Exurge Domine*, his verbis exprimens deſiderium ac expoſtulationem liberationis Chriſti Sepulchri, ut ferat Deus auxilium, quo à conglutinatione ſive oppreſſione eximatur hic venter noſter in terra, ſcilicet Monumentum Chriſti.

☸ (*.*) ☸

LIBER

LIBER II.

Gloria Sanctissimi Sepulchri, ex oraculis Prophetarum deducitur.

Non solum ex variis figuris, sive insignibus comparationibus, quæ præcesserunt, commendata patet gloria Sepulchri Christi: verum etiam spectabilis redditur, ex diversis Sanctorum Prophetarum Divinis vaticiniis. *Voluit Deus insuper* (inquit Paciuchellus super Jonam) *Prophetarum celebriorum oraculis, longo tempore ante, MONUMENTI sui honorem prænuntiari.* Lect. 32. §. 7. n. 21. Et hæc verba Cantic. 5. *Messui myrrham cum aromatibus meis*, conformiter ad Sepulchrum Christi, interpretatur Philo Carpathiorum Episcopus in Cantic: *hoc est Sepulturam, cum vaticiniis Prophetarum, hoc ipsum de me asserentium.* D. Cyprianus in Symbol. Apost. fol. 371. *Evidentissima SEPULTURÆ ejus indica, Propheticis vocibus designata sunt.* Et Noster Poëta, metris & meritis Clarissimus, in suis Figuris de Christi Sepulchro, carmine descriptis, cecinit: *Hunc celebrem tumulum, clamant oracula Vatum.* Rever. Jacobus Radlinski Fig. 27. Proinde à titulis gloriosissimis Sacræ Scripturæ, ex quibus demonstrata fuit gloria Christi Sepulchri, ad oracula descendo Prophetarum. Quia vero vaticinia Prophetarum Sacræ Scripturæ, quædam sunt verbis expressa; quædam ipsis factis Prophetarum; quædam factis & verbis: ideo gloriam Sepulchri Christi, non solùm verbis prædicatam, sed etiam operibus delineatam, in Prophetis ostendam: Nam aliqui vaticiniis duntaxat suis, aliqui gestis etiam rebus, Sepulchrum Christi præmonstrarunt, expressumque ejus typum, post futuris proposuerunt temporibus, quatenus per omnes labentis sæculi ætates, non interruptè futurus, in præsenti semper, haberetur honor, ac excellentia Sepulchri. Adeoque quod & dictis, & factis suis, jam in ante præsago Spirtu Divino comprobarunt, dum plurima tam verba, quam dicta, singulorum fermè Prophetarum, examinabuntur hoc libro, ad majus Sepulchri Christi encomium, quolibet Capite, correspondente ordini Prophetarum.

CAPUT I.

Ex locis Isaiæ Prophetæ, deducitur gloria Sanctissimi Sepulchri.

Hunc Prophetam, non solum multa præclara & profunda Mysteria, sicut prævidisse, ita & veridico ore prædixisse palam est; Sed etiam de Sanctissimo Sepulchro, non pauca memoranda prodidisse ac retulisse, ut distinctiùs pateat, quodlibet seorsim referetur vaticinium, prædictioni tam ipsius Sepulchri Christi gloriæ consonum, quàm correlativorum ad illud, ac cohærentium.

Primum textum Isaiæ, licet non ordine capitum, sed dignitate & manifesta prædictione pono; Cap. 11. vers. 10. *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Hoc vaticinium omnium aliorum est principalissimum; in illo enim apertissimè, ac sole clariùs, gloria Sepulchri prædicatur, quæ certissimè futura erat. Quæcunque enim allata sunt, sive adferenda Sanctissimi Sepulchri elogia, pro gloria illius militantia; horum caput hocce encomium, cùm vel ab illo omnia deriventur, vel in illo fundentur. Dicit Reverendissimus Fornerius, Concione 65. fol. 790. de gloria S. Sepulchri, qui præmissis in ante, dignis tanto Præsule encomiis, subdit: *Sunt hæc fateor, Dominici Sepulchri elogia non contemnenda; quod autem ab Isaia Propheta ei attribuitur.* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum; *dignitate reliquis procul dubio antecedit.* Tum quia, tam Sancti Patres, quàm alii Commentarii, præsentem gloriam Sanctissimi Sepulchri, quam à tempore depositionis Christi, ad hæc usque tempora in effectu habet, probant, quasi à priori, ex eodem textu. Sic, prætermissis aliis, S. Bernardus, ad milites Templi cap. 11. scribit: *Nec casu, vel subitò, aut veluti lubrica popularis favoris opinione, id tam celebre nomen SEPULCHRUM nactum esse putetur; Cum hoc ipsum, tantis retrò temporibus, Isaias tam apertè prædixit:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. *Revera ergo impletum cernimus, quod legimus prophetatum, novum quidem intuenti, sed legenti antiquum, ut sic absit de novitate jucunditas, & de vetustate non desit authoritas.* Quod autem S. Bernardus, non accommodatitio sensu loquitur de Christi Sepulchro, sed genuino, & intento â Spiritu Sancto, expressè

preſſè Paulus Scherlogi fatetur; adeoque genuina illatio gloriæ Sepulchri Chriſti, ex præfato textu legitimè habetur, vel ex eo; quia de nullo loco, ſive inſtrumento ſacro, tam patheticè ſive energicè ac formaliter, dicit illud eſſe glorioſum, ſicut hoc termino utitur, de Sepulchro Chriſti.

Quòd verò hic textus Iſaiæ, etiam quoad literam, procedat de Sepulchro Chriſti, patet; tum ex ipſo titulo Bibliorum, qui talis huic Capiti præfigitur: *Vaticinium de Chriſti Nativitate &c, & gloria Sepulchri*; tum communis ſenſus SS. Patrum, & Expoſitorum. S. Hieronymus Epiſtol. 17. ad Marcellam: *Cujus SEPULCHRI gloria multò ante, quàm excideretur à Joſeph, ſcimus Iſaiæ vaticinio prophetatum, dicentis:* Et requies erit ejus honor. Et Hector Pintus Luſitanus, Commentar. in Iſaiam: *Vaticinatus eſt Propheta de Chriſti admirabili Nativitate, & multis in medium interjectis Myſteriis, nunc de ejus SEPULCHRO vaticinatur.* Cap. 11. f. 79. Tum quia non poteſt oſtendi, de quonam Sepulchro? non de Davidis, Salomonis, Abſalonis, Joſue, vel alicujus alterius Regum Juda, aut Potentatum Regnorum vaticinatus ſit, quorum gloria temporalis, unô eodemque, quô vita halitu expirat, quô corpus clauditur, tumulaturque Sepulchrô. Ad id aptè Petrus Rota, in Horto floridiſſimo differit: *Sanè hoc præclarum vaticinium, de nullo Regum, aut Imperatorum Sepulchro intelligi poteſt; quia poſt mortem, omnis eorum gloria terminatur, nec cum eis ad Sepulchrum deſcendit. Verùm Chriſto moriente, deſcendit cum illo gloria ejus in SEPULCHRUM. Unde Sanctum ejus MONUMENTUM ſolum, meretur hoc Epitaphium:* Et erit Sepulchrum ejus glorioſum. Concion. pro Dom. Reſurr. fol. 706. Nonne inde glorioſa dignitas demonſtratur Sepulchri Chriſti? quòd, poſtpoſitis tam magnificis aliorum Propheta monumentis, quorum conſtructionem conſpicuam ſatis noverat, ſoli Sepulchro Chriſti gloriam deberi judicavit, illius ſemper honorem, nomen, laudesque manere aſſeruit.

Quamvis autem, non deſint ex multis Patribus, præſertim antiquis, qui præſtantiori ſenſu intelligant verba hæc de gloria, quam ob mortem ſuam aſſecutus eſt Chriſtus; ut Septuaginta Interpretes ſua verſione inſinuant. Et Jacobus Tyrini ſuper hunc verſum hic in Commentario: non tam locum, in quo poſitum fuit Cadaver Chriſti, quàm ipſam mortem, dormitionem ſeu requiem, quæ fuit cauſa Sepulturæ, dicat ſignificari: Sed ad hoc reſpondeo verbis

Vestigat. 14. Sect. 2. pag. 451. bis Pauli Scherlogi in Cantica: *Quid vetat nihilominus, & Prophetam dictione fatidica, comprehendere voluisse, materialis Sepulchri reverentiam. An non in de Filio Dei cumulatissimus honor? sive cum Helena Constantini Genitrix, magnificam extruxit Ecclesiam, seu cum Principes Orthodoxi, toties excitati sunt ad Sacrum bellum: contra Machometanos; sive denique ob Sepulchrorum moles egregias, in Cæna Domini, per Templa Christiana?* Præsertim cum tam multæ, eæque variæ expositiones ac versiones hujus textus, plurimorum Interpretum, etiam ex diversitate lingvarum, Hebraicæ, Caldaicæ impleantur, ac verificantur de Sepulchro Christi materiali; acceptamque hanc Prophetiam, etiam de illo, licetsi diversimodè eam explicent; ut patet ex eodem Tyrini, docente S. Chrysostomo homil: *quòd Christus sit Deus.* Christi passio, Crux, Sepulchrum, omnesque ignominiæ, post requiem, seu mortem, in gloriam & triumphum vertendæ forent; adeoque à morte Christi, quæ dicitur hic gloriosa, derivatur eadem fama in Monumentum ejus, cujus non postremum fuit decus, mons mortis, id est Colgotha: & sic data interpretatione, insinuatur hoc textu, sub uno tecto gloriæ, contineri Christi mortis memoriam, & Sepulchri.

Insuper eodem loco, Isaias Propheta vaticinatus est, & de Hierosolymitana S. Sepulchri Ecclesia, quam participativè à sua gloria nimis honorabilem reddit. Testatur Paschasius Ratbertus, qui expositis his verbis Isaiæ, de materiali Sepulchro Christi, super hæc Matth. verba: *Et posuit illud in Monumento*, libr. 12. Commentar. post Sermonem de loco Dominicæ Sepulturæ, adnectit: *Nunc autem, sicut tradunt, qui inde ad nos veniunt, Ecclesia ibi est eximii Operis rotunda, triplici pariete distincta, in cujus medio Monumentum est, habens ab Oriente Ecclesiam, quæ Golgothana vocatur adhuc hodie, in quibus profectò locis, multa fabrica est Ecclesiæ, siquidem ita, ut cernere possis, in eo loco Isaiæ vaticinium esse completum:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum; *quia locus, in quo regnum mortis diruit, memorabilem servat judicii palmam; sicut & deprecatio gentium usque ad fines terræ, in signum salutis nostræ, ubique floret.* Dum itaque Propheta Sepulchrum Christi gloriosum dicit, in continenti, juxta citatum Authorem, Ecclesiam Hierosolymitanam memorat, cujus, tanquam Filiæ Regis, omnis gloria ab intus, scilicet ab intrò contento Sepulchro Christi.

Secun-

Secundus textus Isaiæ, Cap. 11. v. 5. *Et erit justitia cingulum lumborum ejus, & fides cinctorium renum ejus.* Hunc textum ad præsentem materiam, nihil obest, ut sic intelligere possimus: Erit tale tempus, in quo pro justitia, seu pro fidelitate, pro veridico testimonio gloriæ Sepulchri Christi dando, erit cingulum lumborum, & fides, seu fidelitas illius gloriæ, comprobabitur per cinctorium renum. Septuaginta enim Interpretes, pro fide, *veritatem* legunt. Et similiter D. Hieronymus, libr. 4. in Isaiam, inquit: *Pro veritate, fides legitur.* Cùm itaque Sepulchrum Christi gloriosum futurum est ex eo; quia nusquam referatô Corpus Christi resurget; hujus gloriæ fidem justissimam, documentaliter ac veraciter, præter alia probabit cingulum lumborum, & cinctorium renum. Eventum hunc deducit historica relatio Ruperti Abbatis de Divin. Offic. libr. 8. cap. 4. quam adducit Baronius Tom. 12. sub Anno 1111. Ipso Sancto Paschæ Sabbato, in Ecclesia S. Laurentii, in Monte Leodio, cum Officium Matutinum celebraretur, & ad Canticum Evangelii, hæc Antiphona ab Abbate Berengero intonaretur: *Mulieres sedentes ad Monumentum:* ecce repente ante pedes ejus, projectum cedidit ipsius, quo fortiter substrictus erat, cingulum. Ille solutum esse & cecidisse suspicatus, inclinavit se, ut tollens illud, rursum sese accingeret; sed videns illud fortiter adstrictum, & nodum non dissolutum, neque circum crura pedesque descendens; mirum in modum stupenti, quidnam hoc sibi vellet? vox ei tanquam sibilum auræ tenuis facta fuit: *Sic potuit clausô, Christus prodire Sepulchrô.* Hoc facto insigni Divinæ potentiæ miraculo, præsentem textum Isaiæ firmari ac illi inniti; quasi his, qui fidei resurrectionis veræ detrahent, negantes Christum clausô resurrexisse Sepulchro; adeoque per hoc derogantes honori Sepulchri Christi: his inquam, hoc textu, objecerit se Isaias, futuro hoc miraculo præcognito, ac circumstantiam inclytæ famæ ejus, scilicet inviolationem, ac incontaminatam integritatem, in cingulo lumborum, & renum cinctorio indissolubili, demonstrandam fore, defendit ac prædicit.

Tertius textus cap. 2. v. 2. *Et erit in novissimis diebus, præparatus mons Domus Domini in vertice montium, & elevabitur super colles, & fluent ad eum omnes gentes, & ibunt populi multi & dicent: Venite, ascendamus ad montem Domini, & ad domum Dei Jacob, & docebit*

 nos

nos vias suas, & ambulabimus in semitis ejus, quia de Sion exibit lex, & verbum Domini de Jerusalem. Explico singula: *Et erit in novissimis diebus*, id est ultimis diebus Christi vitæ, id est post mortem, quæ inter novissima numeratur, sive in illo triduo, qui dies novissimi erant creationis mundi ac perfectorum operum; ita redemptionis humanæ accessationis ab opere Passionis Christi in corpore. *Præparatus mons Domus Domini in vertice montium*; hìc Propheta non incongruè intelligit Sepulchrum Christi. Tum quia hoc fuit sub monte Calvariæ. Regum, & clarissimorum Sepulchra, in montibus collocari probat exemplum Simonis, qui Jonathæ & reliquis fratribus, Sepulchrum extruxit super montem Modin. 1. Machab. cap. 13. Typus autem gloriosi Sepulchri Christi, fuit magnificum Sepulchrum hocce Machabæorum; ut Jacobus Tyrini in indice variarum materiarum & conceptuum, sub die Sancto, in Vigilia Paschæ tenet. Tum quia ut sol illucescens, primo fastigia montium illustrat, & radios transversos extendit; Sic de Sepulchro Sol justitiæ exoriens, primò in montem hunc, scilicet Sepulchrum radios suæ majestatis transverberavit, ac luce suæ claritatis illud illustravit. Tum ut energiùs designetur esse Sepulchrum Christi, additur: *præparatus mons domus Domini*; quia Sepulchrum fuit præparatum à Deo, per Joseph ab Arimathæa, Christo: fuitque Domus Domini; ut dictum sub titulo: *Domus.* Et Lyranus super Joan. cap. 20. v. 5. dicit: *Monumentum factum erat, ad modum cujusdam domunculæ lapideæ, intra quam erat Sepulchrum Christi positum; & in domuncula erat* (ut idem in Matth. cap. 27. v. 60.) *ostium, ad habendum illuc ingressum. Et elevabitur super colles*; quia Sepulchrum Christi fuit elevatum super omnes altitudines terrestres; ut quidquid eminens & altum fuit illi humiliabitur, & quisquis humilem & infimum se agnoscebat, ad illud erigebatur, ac in sublime devotionis consurgebat. *Et fluent ad eum omnes gentes &c.* Quis enim tam celebris mons, qui dicitur Domus Domini? ad quem omnes gentes, absque ulla exceptione, ac universali distributivo termino fluant, id est tanto impetu, tanta alacritate, continua fermè successione, cursibus pietatis, per saxa scopulosque, id est per varia pericula, adversitatesque transmeando, ad instar fluctuum profluant ac decurrant? nisi mons præparatus Domus Domini, scilicet Sepulchrum Christi. Textûs intelligentiam Jacobus de Vitria-

Vitriaco, ſuo dicto corroborat: *Non ſolum autem de Saba, ſed de univerſo mundo veniebant, aurum & thus in Jeruſalem deferendes, & laudem Domino annuntiantes.* Et erat Sepulchrum ejus glorioſum, *adeo; quòd ad literam, completum videretur illud Iſaiæ:* Erit præparatus mons domus Domini in vertice montium, & fluent ad eum omnes gentes & ibunt populi multi. Ad hunc montem S. Sepulchri, ad inſtar fluctuum euntes & redeuntes, mutuò ſe alioſque animabant dicentes: *Venite aſcendamus ad montem Domini &c.* quia illi, qui in numero confluxu hunc montem devoti adibant, hortabantur alios, & alliciebant ad ſimiles devotiones: Venite aſcendamus ad hunc montem Sanctum; montem, in quo beneplacitum eſt, habitare per triduum Deo; montem ſanctificationis, quem ſanctificavit & acquiſivit dextera ejus, virtute paſſionis ac corporali apprehenſione; qui celeberrimus in univerſis regionibus eſt appellatus, eò; quòd inter cæteros prælectus ſit, ut in eo fœderis Arca, ſcilicet Corpus Chriſti habitaret. Rigans hunc montem de ſuperioribus ſuis, ſcilicet Sangvine de monte Calvariæ, inundationibus de ſupernis favoribus, ut ibi creſcat, laus, honor Deo. Ad hunc inquam montem Dei Jacob aſcendamus; ibi enim docebit nos vias ſuas, ibi eſt ſchola Chriſtiana, palæſtra pietatis, Atheneum omnigenæ eruditionis, ibi didicimus ambulare ſemitas Dei noſtri, & de illo loco exivit lex data per Chriſtum; quia exiverunt Apoſtoli, Virique Apoſtolici, prædicantes fidem Chriſti reſurgentis. Stabilitur hic textus clariſſima authoritate S. Gregentii, Archiepiſcopi Thephrenſis, in Diſputatione cum Herbano Judæo. Qui Sanctus Archiepiſcopus, & Scriptor antiquus, dictorum Iſaiæ verborum, præmittens hanc verſionem: *Quia erit in extremis diebus, perſpicuus & illuſtris mons Domini*; per hunc montem, in quo extolleretur Domus Dei, intelligit Sepulchrum Chriſti, habens Eccleſiam ſupra ſe conſtructam, quæ eſt editior, illuſtrior, & viſu gratior, non quidem Judæis, qui, ut dictum eſt fol. 86. conati ſunt eam deſtruere; ſed gentibus ac populis, qui Chriſto crediderunt. Et ſubdit: *Et Domus Dei exaltabitur ſuper ſummis montibus. Quænam Domus? An Templum Salomonis? Abſit. Perge & vide, quod funditus dirutum eſt. Sed quænam? dicit: Ubi Sepultus eſt & habitavit Nazarenus tres dies & tres noctes; illinc ſurrexit, & continuò ſupra*

Hiſtor. Hieroſol.

Pſalm. 77.

Biblioth. Vet. Patr. Tom. I. fol. 245.

SEPULCHRUM Templum extructum est, atque appellatur: Sancta Resurrectio. *Illud verò* extolleretur supra vertices montium, *gloria (inquit) & honore extolleretur. Quorum montium? mundi videlicet, in quibus infestissimè idolis sacrificabant, qui ascendebant. Exaltabitur supra colles. Quos colles? qui sunt hujus Domini, sive possessionis, in quibus idolorum templa constructa erant; & derelinquent gentes montes & colles, & omnem errorem ipsorum, in quibus dæmoniis serviebant; & venient ad montem eminentissimum & illustrissimum, & novum Templum Sanctæ Resurrectionis, nempe in Hierusalem;* Et venient multi populi & dicent: Venite & ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob, & annuntiabit nobis viam suam, & ambulabimus in ipsa. *Vides prophetiam in puro & lucido positam, in qua paræmia nulla, sed vera & libera, atque aperta locutio.*

Quartus textus Isaiæ Cap. 5. *Vinea facta est dilecto meo, in cornu filio olei, & sepivit eam, & lapides elegit ex ea, & plantavit vineam electam.* Hic nomine vineæ, significatum est Sanctum Sepulchrum, quia Christi Sepulchri locus erat *Vinetum & vinea plantata*; ut hifterminis inquit S. Cyrillus Hierosol. Catech. 14. Hæc vinea facta est dilecto meo, de quo scilicet Pater Æternus dixit: *Hic est Filius meus dilectus.* Facta est *in cornu*, id est in parte eminentiori & solidiori, quia in petra; vel ad cornu Crucis Christi; ut dicitur: *Et erexit cornu salutis nobis.* Neque alteri facta, nisi *filio olei*; id est JESU Christo, cujus Nomen oleum, & quem Deus unxit oleô lætitiæ. *Et sepivit eam* tam custodia illorum militum, quàm Angelorum præsidio, vel protectionis suæ septo. *Et lapides elegit ex ea*; seu ut interpretatur hîc Glossa, id est idola lapidea, & omnia Divinum cultum impedientia abjecit; quià scilicet ex loco Sepulchri, simulacrum Jovis sive Veneris, & omnem abominationem, quæ impediebat cultum S. Sepulchri, dejecit Constantinus & Helena. *Et plantaverunt vineam electam*, id est Ecclesiam S. Sepulchri, quæ nomine vineæ significatur: universaliter enim in Sacro eloquio, appellatione Vineæ, Ecclesia indicatur; ita & Ecclesiam S. Sepulchri intelligit Quaresmius, ubi plures uniebantur fideles, velut novellæ plantationes, & palmites viti Christo, ut fructus afferant, inhærentes. Quæ fuit vinea electa, quoniam, eodem teste, omnes alias Ecclesias, sanctitatis dignitate superabat, & sanè à nulla alia, etsi illustrissima superabatur: Et ædificavit turrim in

Elucid. Terr. Sanct. Tom. I.

in medio ejus; quia S. Helena ædificavit turriculam, tam ſupra Sepulchrum, quàm turres Eccleſiæ Reſurrectionis.

Quintus textus Iſaiæ Cap. 16. v. 1. *Emitte Agnum Domine de petra deſerti, ad montem filiæ Sion.* Hic locus quamvis ſecundum uſitatam expoſitionem, Metaphoricè naſcituri Meſſiæ ex Virgine MARIA ortum exprimat; attamen quia MARIÆ Virginitas, Sepulchrum Domini virginitatem edocuit; inquit Illuſtriſſimus de la Zerda, Epiſc. Almerienſis; & Uterus MARIÆ cum ſaxeo puerperio reſpectivè unius partus, pari certant honore; ideo reſurrectionis gloria, ſive conceptio & partus Virgineus Sepulchri, exprimi in eodem textu videtur ab Iſaia. Per Agnum intelligitur Chriſtus in Cruce occiſſus; de quo & alter Joannes, ſtans ſub Cruce, digito indicare potuit: *Ecce Agnus Dei, qui ſuſtulit peccata mundi.* Petra deſerti, Sepulchrum Chriſti, de quo Cap. 2. v. 10. Iſaias dixerat: *Ingredere in petram, & abſcondere in foſſa humo.* Petit ergo in ſpiritu Iſaias ut Deus emittat Agnum, non ſolum de petra deſerti; id eſt de Utero Virginis, ſed & de petra Monumenti: ſicque eum emittat de petra intacta, qualiter & de petra uteri Virginei. Ut hunc textum, utrique huic intelligentiæ accomodatum, confirmat Gverricus Abbas, Serm. 2. de Annunt: *Satis in hoc ipſo* (id eſt textu) *decenter Chriſti occaſus ortui, Sepultura reſpondet conceptioni; dum videlicet emittitur Agnus de petra deſerti, condendus, in petra MONUMENTI. Et cujus Corpori Monumentum erat excidendum in petra, ipſe ab initio conceptûs ſui, & corpus ſibi excidit de petra, & Corpori locum in petra. Sic integritatem petræ, cum de ea emitteretur, non minuens; ſicut nec ſignatam Sepulturæ petram, cum de ea egrederetur, aperiens.* Et in continenti fit mentio ad petram, montis filiæ Sion. Tum quia emiſſus Agnus de petra monumenti, manifeſtavit ſe Beatiſſimæ MARIÆ, cujus domus, in qua poſt mortem Filii ſui habitavit, fuit ad montem Sion; habet Adrichomius, num. 10. fol. 13. Tum quia petra Sepulchri Chriſti, ex qua Agnus Chriſtus, ſua Divinitatis fortitudine, fuit emiſſus; nempe Eccleſia S. Sepulchri; & Eccleſia Montis Sion, in qua idem Agnus oblatus fuit, per primum Chriſti & S. Jacobi Sacrificium in Cænaculo; ſimul fuerunt principales Eccleſiæ, quibus Sancti Epiſcopi Hieroſolymitani, & Canonici præerant; ut de illis dicatur: *Acceſſiſtis ad montem Sion, & Civitatem*

Academ. 22. n. 33.

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 12. fol. 195.

Ad Hebr. 12.

tem Dei viventis Jerusalem; id est, qui primum accessum & ingressum ad Ecclesiam Montis Sion habuerunt: iidem post accesserunt; Sedem Patriarchalem locantes ad Civitatem Dei viventis, scilicet ad novam Jerusalem, quæ ratione Sepulchri Christi, hæc nova Jerusalem, Civitas Christi, Dei veri viventis appellari potest. Unde & Propheta hoc textu jungit petram Monumenti; Monti filiæ Sion. Et iisdem verbis prædicit, & ortum Christi de Spelunca Bethleem, sivè allegoricè de Utero MARIÆ, & ortum de Sepulchro per mortis occasum; ut sit in integritate, utriusque hujus ortus, similitudinaria correspondentia; & Sepultura respondeat conceptioni & nativitati. Sylveira super hunc textum: *Propheta magno affectu postulat, emitti divinum agnum, & magna observatione ait*: de petra deserti. *Cur non potius petit emitti ab altissimis cælorum, a sinu Divini Parentis, vel à virginali utero Matris? His tamen omissis, solùm petram commemorat, Divinus Agnus in fine vitæ, recondendus erat in SEPULCHRO, effoso in petra, hinc & nascens, è petra, ex lapidea nempe spelunca, prodire voluit*, sic enim DEI Patris *sapientia ordinavit, ut vitæ initia ejus glorioso fini proportionarentur.* Similiter & duplex ortus, Ecclesiarum Hierosolymis primitivarum; unius in Monte Sion, alterius in petra Monumenti, sibi correspondens.

Tom. 5. libr. 8. cap. 21. de Sepul. qv. 1. num. 8.

Sextus textus Isaiæ Cap. 22. v. 16. *Excidisti tibi hîc SEPULCHRUM, excidisti in excelso memoriale diligenter, in petra tabernaculum tibi.* Quibus verbis, licet hìc perstringitur, Sobnæ Præpositi Templi Hierosolymitani, Sacri Ærarii Custodis ambitio & factus, qui propter humanam ostentationem, pomposum sibi nimis struxerat Sepulchrum; in his tamen verbis notatur, humillimi JESU, Summi Sacerdotis gloriosum Sepulchrum, cui quodque Magnificum Mausolæum cedere debuit. Præfatum enim textum, Hugo Carensis, Cardinalis, applicat Sepulchro Christi, exponens hæc verba: *Quod exciderat in petra*, & cum his priora conformat. Gilbertus, de Sepulchro Christi illa intelligit, dum inquit: *Excide tibi memoriale diligenter in petra, MONUMENTUM novum, in quo nondum quisquam positus fuerat.* Sicut enim dejecto Sobna, substituitur Eliakim humilis, qui interpretatur *Deus resurgens*; ita dum Deus rejicit magnificum Sobnæ Sepulchrum, non ipsi tale debere competere, sed Deo resurgenti, demonstrat; quia illius solius humilitati consentaneum est, excelsum in petra tabernaculum, id est Sepul-

Comment. in Matt. fol. 51.

In Cant. Serm. 14.

Sepulchrum; ut hîc Glossa, quod æternum Christi humilitatis, etiam in excelso, sit memoriale; eique nonnisi tam notabile erigi Monumentum, ut post mortem sit semper in memoria celebri. Gerardus Lorichius in Monotessaron Pas. Chr. fol. 124. ad finem: *Sunt, qui illud Isaiæ 22.* Excidisti tibi hîc Sepulchrum, excidisti tibi in excelso memoriale diligenter in petra tabernaculum tibi, *de Sepulchro Christi accipiant, quamvis de impio Sobna, ad literam dicta sunt. Per me tamen in hunc locum Sepulturæ Christi, adduci possunt: neque enim dubito Prophetas huc respexisse, qui cætera omnia, etiam minutiora prædixerunt.* Tum soli Sepulchro Christi applicari debet, quod dum illud excisum est in petra, excisum est memoriale. Sepulchrum enim Christi est perpetuum & immobile Mortis & Resurrectionis memoriale; excelsorum operum; beneficiorum recordatio; quæ nunquam mente excidere debent.

Septimus textus Isaiæ Cap. 27. v. 11. *Mulieres venientes & docentes eam: Non est enim populus sapiens.* Hoc textu Isaias prædicit Sepulchri Christi gloriam, quod ad illud visitandum, venient mulieres. Quod autem de adventu mulierum ad Christi Monumentum, hîc loquatur Isaias, patet; tum ex S. Cyrillo Hierosol. Catech. 14. dicente: *Obsignaverunt igitur principes Sacerdotum SEPULCHRUM: Mulieres autem viderunt resurgentem. Et hoc cognoscens Isaias, dicit:* Mulieres venientes à visione, venite populus est, non habens intellectum. S. Athanasius Episc. Alexandr. quæst. ad Antioch. Tom. 2. fol. 321. dicit: *De Mulieribus verò, quæ unguentum adferebant, Isaias dicit:* Mulieres venientes; non enim est populus, habens intellectum. Tertullianus lib. 4. advers. Marcionem: *Revertentes quoque à Sepulchro Mulieres, prospiciebat Isaias:* Mulieres, inquit, &c. Secundò, in hoc textu prædicit, quod non solùm illud videbunt mulieres, sed etiam venientes à spectaculo, & à visione Sepulchri, (ut hîc S. Hieronym. & Ambr. accipiunt) doctæ, & aliorum doctrices & Magistræ redeunt; *Mulieres venientes & docentes eam.* Et quidem adeo eruditâ peritiâ, reduces à Sepulchro Isaias agnoscit, & imbutas tam eximiâ sapientiâ, ut illi videantur, quod incomparatione earum, *non est populus sapiens.* Gloriam ergo Sepulchri Christi, in hoc extollit Isaias, quòd illud & visitari, & simul doctrinæ sedem, palæstram, unde sapientes prodeunt, prophetet: ut accedere ad Monumentum Christi, sit simul

Cornelius à Lapid. hîc

&

& ſapientem eſſe, & docere. *Mulieres accedentes*; id eſt ad Sepulchrum Chriſti; *& docentes.*

Octavus textus Iſaiæ Cap. 30. v. 25. *Et erunt ſuper omnem montem excelſum, & ſuper omnem collem elevatum, rivi currentium aquarum, in die interfectionis multorum, cùm ceciderint turres.* In textu videtur prædixiſſe Iſaias, liberationem & viſitationem S. Sepulchri frequentiſſimam, & numeroſiſſimam. Ut hic per montem excelſum, intelligat montem Calvariæ Chriſti, qui exaltatus & ſublimatus eſt, ac præ omnibus excellior factus, paſſione, morte Chriſti in Cruce conſummata, omnes montes eminenter ſuperavit. Per collem autem elevatum, intelligit Sepulchrum Chriſti, ex quo Chriſtus reſurgens à mortuis, perfectione ac potentia Divinitatis ſuæ, ſemetipſum elevavit, cum aſſumpto Corpore & Anima. Ad iſtum itaque montem excelſum, & collem elevatum, nimirum montem Calvariæ & Sepulchri, tunc fuerunt rivi currentium aquarum, quando currebat nimius populus, ad viſitanda & veneranda hæc loca, & numeroſiſſimus confluxus, undique fuerat innumerabilis populi, cùm Sancta Civitas Hieruſalem liberaretur, per interfectionem multorum Paganorum, in ruina & caſu turrium & munitionum ejusdem Civitatis.

Nonus textus Iſaiæ cap. 33. v. 10. *Sedebit populus meus in pulchritudine pacis, in tabernaculo fiduciæ, in requie opulenta.* Hunc textum Iſaiæ B. Albertus Magnus, accommodat Sepulchro Chriſti, explanans verba D. Matthæi, ex eo; quod Angelus ſedebat ſuper lapidem monumenti; quam ſeſſionem Angeli prævidens Propheta dicit: *Sedebit populus meus, id eſt Angelus*; per reliqua epitheta intelligitur Sepulchrum. Illud enim eſt pulchritudo pacis; quia ibi Angelus, primam abſolvens ſtationem, intonuit: *Pax æterna, ab æterno Patre ſit pax huic domui: pax perennis*; & quia ibi pax pulchra, exordium ſumpſit; ſiquidem in Corpore pulchro, Chriſtus de Sepulchro prodiens, pacem dedit Diſcipulis. Eſt *tabernaculum fiduciæ*; tum quia Chriſtus, absque omni metu, ibi fidenter habitavit; tum quia ex illo ſpes noſtra emerſit; tum quia ſecurè habitat, qui ſe in tabernaculo Sepulchri collocat. Eſt *requies opulenta*; ibi enim latitarunt opes, theſauri hominibus abſconditi; ut ſub titulo: *Gazophylacium*; dictum. Et ut in Officio recenter approbato à S. Sede, de Sepulchro Chriſti canitur, in

In Matt. cap. 28. v. 2. Capitul. 20.

Hymno

Hymno ad primas Vesperas: *O! Petra gemmis carior! Thesaure cunctis ditior! Qualem nec aula Principum. Nec gaza claudit divitum.*

Decimus textus Isaiæ Cap. 33. v. 16. *Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus.* Quis enim est talis, qui hoc pronomine *Iste* significatur? nisi Christus Dominus mortuus: iste inquam habitabit in excelsis, scilicet in gloriosissimo, sublimi, instar saxi fortissimo, & munitissimo loco; ut hic Cornelius à Lapide exponit; qui locus non alius; nisi sublime, quia gloriosum Sepulchrum, fortissimum & saxeum, munitissimum ipso lapide Christo JESU, custodiâ Angelorum, Sanctorum laudibus & encomiis, conservatione honoris illius. Sublimitas ergo Christi, non alia munimenta fuerunt saxorum, nisi saxum Sepulchri; tum quia Vatablus, pro *sublimitate ejus*, vertit *Asylum*, vel *profugium ejus*, quale fuit Sepulchrum Christo, fol. 78 & 192. Tum quia à Saxo Sepulchrali, sublimatus est Christus in cælum, sublimatum nomen illius, merita gratiæ, doctrina, Sacramenta, lex Evangelica, Martyria &c. Sublimatur & nunc etiam inter Barbaros & Infideles, ab hoc saxo munito, cultus Christi Nominis, devotio, ac illius mysteriorum prædicatio. Hæc interpretatio habetur in libr. 1. Adamnani, de locis Sanctis Cap. 11. *De quo videlicet Domini JESU Sepulchro, Propheta vaticinatur dicens:* Hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ Isaiæ 33. *& paulò post de ipsius Domini Resurrectione, ad Apostolos lætificatos subinfertur:* Regem cum gloria videbitis. Qui ergo abjectus, humilis, mortuus, in excelso habitabit Sepulchro; cujus etiam sublimitatem munimenta Saxorum attollent; hic ex tali habitatione, Rex gloriæ, Rex in decore videbitur, & oculi ejus cernent terram de longe, id est Providentiæ ejus oculus, singulariter terram suam, in qua jacuit prospiciet. Et S. Hieronymus in Matth. 27. *Quòd autem in Sepulchro ponendus esset, Prophetæ testimonium est dicentis:* Hic habitabit in excelsa spelunca petræ fortissimæ, *statimque post duos versiculos sequitur:* Regem cum gloria videbitis. Quam expositionem verborum S. Hieronymi, sic explicat Gerardus Lorichius, in Monotessaron pass. Chr. fol. 124. *Ista verba Prophetæ:* Hic habitabit in excisa petra, *secundùm translationem S. Hieronymi leguntur:* Iste in excelsis habitabit, munimenta saxorum sublimitas ejus. *Hæc autem per anagogen D. Hieronymus, de Sepulchro Christi accipit.*

Undecimus textus Isaiæ Cap. 33. v. 20. *Respice Sion Civitatem solennitatis nostræ. Oculi tui videbunt Jerusalem, habitationem opulentam, tabernaculum, quod nunquam transferri potest, quia solum: modo ibi magnificus est Dominus noster. Locus fluviorum, rivi altissimi & patentes, non transibit per eam navis remigum.* Juxta S. Hieronymum & alios, loquitur hîc Propheta, de Ecclesia militante, quæ exordium suum accepit ab Hierosolyma; & ideo appellat Civitatem solennitatis seu festivitatum; quia ibi Christus, solennitates & festivitates mysteriorum suorum, & redemptionis, solenniter celebravit, & ibi Sancta celebrantur. Ad quod subservit datum Epistolæ scriptum Pontificis Hierosolymitani, quod refert Humbertus Cardinalis: *Ex ipsa Sancta Civitate Hierusalem, quæ & Sancta Hierosolyma, exiit fides Christiana; in ipsa quoque Sancta Sion, & Sancta Resurrectio, primæ Ecclesiæ dicuntur, & veraciter dicuntur. In ipso Sancto, & venerabili loco* (nempe Sepulchro) *adimpletur Divina, & immaculata oblatio Domini nostri JESU Christi.* Deprecatur ergo Propheta, ut hanc Sion & Civitatem Hierusalem, oculi ejus respiciant, & videant solennitatem tantorum mysteriorum. Verè hæc Hierusalem est habitatio opulenta, imò opulentissima, quia illam pretium Sangvinis Christi, ac infinitorum meritorum thesaurus ditavit, ac opulentissimam reddidit. *Tabernaculum, quod nunquam transferri potest:* hoc tabernaculum in hac Civitate Jerusalem non est aliud, nisi Sepulchrum Christi, penitus intransferibile & inamovibile. Ista enim verba Psalmi 75. v. 3. *Factus est in pace locus ejus, & habitatio ejus in Sion*; Jacobus de Valentia, fol. 573. sic exponit: *Nam primò Jerusalem fuit ejus locus; quia ibi fuit SEPULCHRUM ejus, quod dicitur locus & TABERNACULUM ejus*, quod neque transferri, nec loco moveri potest, utpote in petra constitutum. Et verè in hoc tabernaculo Jerusalem magnificus est Dominus; quia Christi mors & Sepulchrum, gloria fuit & honor, initium & causa principatûs toto orbe maximi; tum quia in hoc tabernaculo Sepulchri, quàm maximè, etiam à Schismaticis & aliis Infidelibus, magnificatur Dominus; tum quia magnificentia Domini manet per tot sæcula & manebit penes Sepulchrum. Locus ille Sepulchri, locus fluviorum Sangvinis Christi, pœnitentium lachrymarum, & redundantium beneficiorum pelagus. In eodem loco, sunt rivi altissimi & patentes, nempe Vulnera Christi, de quibus vastissima

Contr. Calum. Græc. Biblioth. Vet. Patr. Tom. II. fol. 319.

flumina

flumina dimanant. Non transibit per eam navis remigum; quia nullum corpus mortuum, præter Christi, eum locum est ingressum, nec ante, nec post.

Duodecimus textus Isaiæ Cap. 49. v. 11. *Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Ecce isti de longe venient, & ecce illi ab Aquilone & mari, & isti de terra Australi.* Multa inveniri in Propheticis libris, quæ congruunt liberationi terræ Sanctæ, præsertim temporibus Godefridi; dicit Robertus Monachus. Ita insuper, teste Fulcherio Carnotensi, plurima etiam in prophetiis leguntur, de itinere peregrinorum, & militum ad Sanctum Sepulchrum eliberandum. Et ita hoc præsens vaticinium Isaiæ, de itinere ad S. Sepulchrum, procedere arbitror. Montes enim tui Domine præcipui & illustres fuerunt, montes novæ Hierusalem, Calvariæ & Sepulchri, in quibus mirabilia mysteria contigerunt, ut in altum nostram salutem extollerent, & nos elevarent ad obtinendam Civitatem supernam. Hi ergo montes, tunc ponentur in viam, quando de cunctis gentibus, ad annuntiandam gloriam tuam, adducentur Reges universi Orthodoxi, & innumerabilis copia fidelis populi, militum & exercitûs: *In equis & in quadrigis, & in lecticis, & in mulis, & in carrucis, ad montem Sanctum tuum Jerusalem*, viam arripient, ad Sanctum Sepulchrum. Illa tam celeberrima, tam clarissima in orientem expeditio, non alio nomine vocabatur, nisi *viæ S. Sepulchri*; patet ex Roberto Monacho. *Audientes autem Optimates Apuliæ, & Calabriæ & Siciliæ, quòd Boamundus Crucem viæ S. Sepulchri susceperat, omnes ad eum confluunt; & tam mediocres, quàm potentes, senes, quàm juvenes, servi, quàm Domini, viam S. Sepulchri promittunt.* Et in Gestis Francorum aliisque Authoribus, Historiam Hierosolymitanam scribentibus, hæc passim invenies: *Tractare cœperunt de via Dominici SEPULCHRI; promiserunt quòd via S. Sepulchri, ab ipsis nunquam deseretur*; & communi vocabulo nominabant: *iter S. Sepulchri.* Hæc itinera, hæ viæ, ac semitæ S. Sepulchri, tunc sunt exaltatæ, quando rumor hujus viæ totum orbem circuibat, proclamatum iter, publicata hæc via, quam potentissimi Imperatores, Reges, Principes, Barones, &c. arripiebant. Ecce isti Reges, Marchiones, Comites, Duces, de longe veniebant, alii ab Aquilone, alii de mari, alii de Australi terra, piæ devotionis affectu, de re-

Histor. Hierosol. lib. 9. num. 50.

Isai: cap. 66. v. 20.

motis partibus, absque cunctatione, viam S. Sepulchri promittebant, hi promissam apprehendebant. Et certè veritas hujus prophetiæ, deducta ad effectum tunc videtur esse, dum à parte Aquilones, excitavit Dominus duos Comites, prosapiâ, divitiis, armis pares, Normannum scilicet & Flandrensem, cum numerosissimo tremendoque exercitu, qui illum taliter alloquebantur: *O! milites mei, estote Dei, & viam SEPULCHRI mecum incipite!* quibus respondebat exercitus: *Ibimus; & absque retractione viam S. SEPULCHRI promittimus. A parte autem Aquilonari, castra sunt mota, Episcopi Podiensis, & Raymundi Comitis S. Ægidii.* Ecce ergo illi ab Aquilone, illi de terra Australi, viam & semitam tuam, ad montem S. Sepulchri sunt ingressi. De hac militia protunc in re impletum fuisse censet idem Robertus Monachus, quod olim Dominus promisit per os Isaiæ Prophetæ: *Ab oriente adducam semen tuum, & ab Occidente congregabo te. Dicam Aquiloni: Da. Et Austro: Noli prohibere.* Non solùm enim Occidens parabat viam Sepulchri in Orientem, sed & Aquilo dabat, & Auster non prohibebat natos Principes suos, ut irent viam S. Sepulchri. *Et erat protunc semita & via, & via Sancta vocabatur.*

Robert. Hist. Hierof. libr. 2.

Ibidem.

Isai: cap. 35.

Decimus tertius textus Isaiæ Cap. 51. v. 1. *Attendite ad petram, unde excisi estis, & ad cavernam laci, de qua præcisi estis.* In hoc enim textu, Isaias Propheta, jubet sedulò attendere, ad Sepulchrum Christi; quæcunque autem sunt rara, splendida, magnifica, ac gloriosa; alliciunt aspectum, oculos visumque in se provocant. Sepulchrum Christi res futura erat, magnifica, splendida, rara, opus singulare; proinde oculos omnium ad illud converti jubet, attenteque illud inspicere demandat Isaias, dictis verbis: *Attendite ad petram.* Quod autem nomine petræ hic, Sepulchrum Christi significatur, est sensus S. Hieronymi in hunc locum Isaiæ libr. 14. fol. 185. sic dicentis: *Possumus excisam petram Sepulchrum dicere Salvatoris, in quo conditus est, & resurgens à mortuis, innumerabiles filios genuit.* Et S. Cyrillus Episcopus Hierosolymitanus, Catech. 13. *Dicite nobis ô Prophetæ! & Sepulchri certitudinem, ubi ponetur, & ubi eum quæramus? illi autem dicunt:* Respicite in solidam petram, quam excidistis; respicite & sentietis: *habens autem & in Evangeliis:* In Monumento, quod erat excisum ex petra. De ista petra Sepulchri excisi sumus; quia veri Christiani, ac Christi nomine insigniti,

ti, participes gratiæ ejus & gloriæ prodivimus filii. Ex hac caverna laci, amici Dei, gens Sancta, cohæredes regni cælestis prognati. Ad hanc itaque petram Sepulchri, & ad cavernam laci, attendite omnes fideles Christiani, quomodo non ex illo ficto jacto à Deucalione lapide, sed ex hoc Monumenti saxo, in quo Deus jacuit, vera nati estis soboles, tam pulcherrimis ornata donis. Inspicite in solidam petram infideles Judæi, quomodo illa benignè, amanter, placide suscepit Christi Corpus? & vivum reddidit? quem vos tam durè tractastis, tam inhumaniter abjecistis, tam barbarè trucidastis. Cernite hanc petram, & non sitis tam surdi, tam dementes, tam mente cœci, ut huic evidentissimo testimonio, obloquenti verissimam Christi Resurrectionem, etiam dicenti lapidi, fidem negetis? scindite corda vestra hac rupe, contundite obduratas mentes, & de lapide isto suscitabimini potentiâ Dei, filii Abrahæ, id est creduli & fideles. Attendite ad hanc petram Pagani, Turcæ, Saraceni, Hæretici & videte, quanta fiat reverentia illi, quantus cultus, quantus ex toto orbe, ad illam cernendam conventus? & scitote, quia Christus, qui jacuit, sic mirificavit Sanctum hunc locum suum. Attendite, quanta sit differentia Sepulchri Christi, à Sepulchro Machometani. Attendite ad petram Sepulchri omnes peccatores, duro corde, inhabituati, scelerati; ecce vobis pandit sinum, ut vos suscipiat, ac ad pœnitentiam emolliat: fontem aquæ vivæ, undas salutares scaturit, quibus sordes vestras abluat, conscientias emundet, percutit corda vestra, ut lachrymæ excidant. Attendite & vos, qui sequimini, quod justum est, & quæritis Dominum, scilicet Sacerdotes, ad petram Sepulchri. Si petra hæc fuisset intelligens, ratione prædita, quid putatis? quanto affectu illa suscepisset Corpus Christi? nihilominus tamen, licet fuerit inanimata, myrrham tamen & aloë suscepit cum Corpore Christi. Non prius Corpus Christi sumatis, quàm myrrham mortificationis in vestro Corpore circumferatis. In petra linteamina munda; in vobis conscientia pura. Petra undique clausa; Sacerdotum sensus, firmiter ex omni parte, muniti. Petra signata; character Sacerdotalis inviolatus, sub sigillo Sacerdotis Æterni conservetur. Petra custodita; Sacerdos in omnibus perspicax, circumspectus, habens custodiam supra se populi sibi commissi. Attendite ad petram Sepulchri,

chri, Religiósi; quomodo exempló illius in propositis ac vestris votis, firmissimi, constantissimi ac stabiles permanere debetis, puritatis studiosissimi, cadavera putrida respuentes, paupertatis amatores, proprii inexpertes, claustri inviolatores. Attendite demum ad petram Sepulchri popule meus, & tribus mea, id est vos, qui inde excisi estis, & de qua præcisi estis, id est Canonici S. Sepulchri; vestra inde stirps, vestra familia, non solùm nomine, sed & honore inde crevit: proinde ad hanc petram Sepulchri attendite corde, amantes honorem ejus; ore, prædicantes Christum in gloria illius; mente, recolendes quomodo amplianda sit laus Christi Sepulti, per locum Sepulchri; obsequio; adoratione, aliisque gloriæ petræ correspondentibus intentionibus.

Decimus quartus textus Isaiæ Cap. 53. v. 2. *Et ascendet sicut virgultum coram eo, & sicut radix de terra sitienti.* In hoc textu Isaias prædicit, gloriosam circumstantiam Sepulchri Christi, scilicet puritatem, integritatem, ac novum fuisse, ita; ut sensus hujus prophetiæ sit: Ascendet, id est resurget Christus, vel germinabit & pullulabit, sicut germinat & pullulat virgultum de terra sitienti, id est de Sepulchro. Aquila enim legit hæc verba: *de terra invia,* quo termino virginitatis privilegium demonstratur; ut hic S. Hieronymus. Terra Sepulchri Christi fuit terra invia, quia privilegio virginitatis fuit donata; sic enim vocat illam S. Ambrosius: *Virgo Sepultura*, alias Sepulchrum. Fuit terra sicca, nullius cadaveris stillantis tibi sanie humefacta. Terra sitiens; sicut enim sitientium labra hiant; sic multa monumenta, tanquam terra sitiens Corporis Christi, aperta sunt, post ejus mortem; quia *ad suscipiendum illud* (inquit Rupertus) *certatim & avidè sese dilataverunt.* Sola terra Sepulchri ab Arimathæa, meruit extingvere sitim suam, fonte dulcissimo Christi Corpore; & propterea illo potata & potita, os clausum habuit, dum satis de gratia salubris potûs biberat. Sicut ergo radix de terra sitienti & humectata virentem pullulat fructicem; sic terra Sepulchri Christi sitiens Corpus, illó irrorata & imbuta, castum, purum retinens decus, germinavit speciosum virgultum Christum. Confirmatur hic sensus authoritate Quaresmii, in dicta verba Isaiæ, sic dicentis: *Sed quis nam est, qui ascendit sicut virgultum? & quænam est hæc terra, ex qua ascendit? Dici possunt de eodem Christo, & ejus Sanctissimo SEPULCHRO: Virgultum scilicet Chri-*

Libr. in I. Deuter. cap. 6.

In Elucid. Terr. S. Tom. 2. libr. 5. cap. 21.

Christus Dominus. Terra invia SEPULCHRUM Domini; quia nondum quisquam in eo positus fuit, nec postea alterius extitit Sepultura.

Decimus quintus textus ibidem vers 9. *Et dabit impios pro Sepultura, & divitem pro morte sua.* Hoc Capite, cùm tam de Nativitate Christi, tam de ignominiosa Passione, quàm morte sit prophetia; id ex titulo Bibliorum clare patet. In hoc textu est de Sepultura ac Sepulchro glorioso; nam præmissis aliis hic obscuris interpretationibus, Præsul Hvetius nativam censet expositionem, (quam & Hebraica lectio facile admittit) hanc: *Et posuit cum impiis Sepulchrum ejus, & cum divite Monumentum ipsius.* Vel quia mortem eô locô passus est Christus, in quo afficiebantur scelerati suppliciô; ibique non procul, divitis Josephi Sepulchrum erat habiturus. Vel præviderat Propheta, quòd Monumentum, quod erat divitis, futurum erat ipsius Christi, quod ponendum est inter impios Infideles. Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis, tractans de Sepultura Christi, dicit: *Impleta est Scriptura quædam, quæ est juxta Hebraicam veritatem Isaiæ 53. Nam quod nos legimus: Dabit impios pro Sepultura, & divites pro morte sua; rectiùs sic verti potest: Dedit cum impiis Sepulchrum ejus & cum divite: cum impiis enim fuit Sepulchrum ejus; quia juxta Calvariæ locum Sepultus est; fuit & cum divite Sepulchrum ejus, quia Sepultus in Sepulchro divitis hominis, cui nomen Joseph.* Cornelius à Lapide, rejectis interpretationibus, quæ elidunt gloriam Sepulturæ Christi, addit: *Sed frustra; patet enim de SEPULCHRO, & de Sepultura propriè dicta, hîc agi.* Et ita exponere Patres, & Interpretes Orthodoxos omnes, fatetur idem. Imò & in margine notat expressè: *Prophetia de Christi SEPULCHRO glorioso.* Cujus in textu gloriam in multis prædicit, ex diversa multorum intelligentia Interpretum. Primò, alii legunt: *Dabit impios Sepulchrum ejus*; id est; faciet Deus, quòd in Sepulchro Christi impius & impietas sepelietur, & sepulta improbitate, omnes resurgemus in sanctitatem vitæ. Secundò, D. Hieronymus hunc locum ita intelligit: Dabit Sepulturam suam pro impiis hominibus, & mortem suam pro Regibus & Principibus terræ: reconciliavit Deo Patri Christus Dominus de Sepulchro omnes impios, etiam Principes & Reges. Tertio, quia Deus dabit impios milites, testes pro Sepultura sua; quatenus etiam impii milites, custodientes Sepulchrum, erunt testes Sepulturæ, adeoque testes gloriæ loci illius.

In Demonstr. Evang. prop. 9. cap. 139.

In Concord. Evangel. fol. 7051. ad fin.

illius. Quartò, quia Deus dedit divitis Joſeph Sepulchrum Chriſto, quod ipſum auxit gloriam Chriſti, ac honorificam reddit Sepulturam, quòd non alicujus vilis, aut nullius momenti hominis, ſed divitis & honorati, Chriſto conceſſum Sepulchrum. Dicit Salmeron: *Hæc tam honorifica & illuſtris SEPULTURA, à viris Sanctitate & nobilitate conſpicuis exhibita, & impletum vaticinium Iſaiæ dicentis*: Erit Sepulchrum ejus glorioſum. Ad quod S. Chryſoſtomus in homil: *Chriſtus honorificentiſſimè ſepultus à duobus Nobilibus, Joſeph & Nicodemo, quod illi evenit præter morem aliorum Principum.* Vel ſi Septuaginta in plurali legunt: *divites*; Deus ex merito mortis Chriſti, dabit divites Reges, Principes, Imperatores aliosque opulentiſſimos, qui ditabunt pretioſis muneribus & ſtructuris Sepulchrum Chriſti. Quintò Fornerius vertit: *Dabit excelſum* ſive *Altare.* Porro Sepulchrum Chriſti fuit excelſum; quia in petra exciſum, Monti Calvariæ excelſo adunatum, amplum & magnificum, inſtar Sacelli ſplendidum; ut hìc Cornelius; fuit item Altare, ut ſub titulo eodem fol. 41. Prædicit ergo hìc Propheta multa, quæ gloriam Sepulchi Chriſti concernunt, & quod futurum ſit excelſum Altare; ut ex hac verſione conſtat. Sextò, S. Cyrillus Hieroſol. hæc verba interpretans, accommodat ea Sepulturæ Chriſti, dum inquit: *Et quòd quidem ſepultus ſit Salvator, aperte audiſtis in ſuperiori Sermone, Iſaia dicente*: Erit in pace *Sepultura ejus.*

Apud Cornel. hìc.

Catech. 14.

Decimus ſextus textus Iſaiæ Cap. 54. v. 2. *Dilata locum tentorii tui, & pelles tabernaculorum tuorum extende.* Hìc enim tentorii nomine, Eccleſia Sancta intelligitur, & congruè poteſt intelligi & Eccleſia S. in nova Jeruſalem, in qua eſt Sepulchrum Chriſti, quod locus tentorii Chriſti fuit; ut ex titulo: *Tabernaculum*, patet. Tum quia tentoria figi ſolent in agris, campis, extra Urbes. Chriſtus Dux & legifer noſter, extra Urbem tentorii Sepulchrum, in quo ſuum locaret Corpus, fixit. Tum quia tentoria propriè militantibus, ac caſtra figentibus ſive belligerantibus competunt; Chriſtus caſtra ſua in Calvario monte fixit, armaturam omnem, tam ſplendidam monſtravit, ut orbis lumina extingveret: proinde in eo loco, dum unam in corpore pugnam abſolvit, iterum infernum, ſecundum animam deſcendens, debellaturus, tentorium ſub monte Sepulchrale expandit, *quaſi hortum tentorium ſuum.* Vel ſi per locum tentorii, juxta Lyranum, intelligitur hìc locus Sacrificii; Sepul-

Thren. 2.

Sepulchrum Christi talis locus erat, in quo tanquam in lapideo altari, Corpus Christi, veram Divinitatem continens, fuit repositum. Petit ergo Isaias Propheta, ut hic locus tentorii dilatetur per universum orbem. *Dilata locum tentorii tui*, dilata locum Sepulchri tui, per continuam, nec interruptam cultûs tui ampliationem. Dilata locum Sepulchri, per quotidianam visitationem, & continuam ad illum peregrinationem; tandem in cordibus Christianis amplia erga hunc locum Sacrum charitatem. Dilata, ut Reges illud adorent, populus frequentet, infideles revereantur. Pelles tabernaculorum extende, id est Ecclesiam Catholicam Romanam, quæ tanquam pelles protegit illum locum singulariter. Et Principes Christianos extende, ut fidei Apostolicæ, ibi diffundatur prædicatio, amplietur Religio, Principes Christiani propagentur, dilatentur in suis dominiis, expulsis Infidelibus, ut soli ibi fideles habitent. Vel etiam, extende pellem tabernaculi tui; id est Ordinem Nostrum, cujus Antesignani tanquam pelles rubricatæ, id est Martyres; & hyacinthinæ, id est contemplativi, protegebant vita Sanctitate, doctrinâ tabernaculum Sepulchri. Cùm enim apud Jeremiam Prophetam, conqueri audiatur Christus: *Tabernaculum meum vastatum est, locus meus, sedes mea,* (quæ erat Sepulchrum) *despoliatum, & omnes funiculi mei dirupti sunt*; id est Regna sive Ordines sustentantes Sepulchrum Christi avulsa, *filii mei exierunt à me & non subsistunt*, id est sive electi fideles Christiani, qui in circuitu totam Sanctam Sedem occuparunt, sive Ordinis Nostri Patres antiqui, Apostolicè viventes exierunt, utpote interfecti, ejecti, expulsi, & nimis oppressi sunt ibidem: *Non est qui extendat ultra tentorium meum*, id est qui ampliet honorem S. Sepulchri, per recuperationem illius è manu Infidelium, & erigat pelles, id est erigat Ecclesias, fundet & reinducat Ordinem Nostrum ad suum principium, ex quo avulsus est. *Quia stultè egerunt pastores, & Dominum non quæsierunt*, hîc ponitur ratio, quarè non dilatetur cultus, promotio loci S. Sepulchri, & cur fideles exierunt à loco illo tentorii, non subsistunt? scilicet malæ, stultæ, & pessimæ actiones, tam Pastorum, quàm aliorum, qui non quæsierunt Dominum. Propterea in supra posito textu Isaias deprecatur Dominum, ut non obstantibus his peccatis, Deus dilatet locum tentorii sui, scilicet Sepulchri. Et ulteriùs pro domo nostra

agit Oratorem: *& pelles tabernaculorum tuorum extende*, id est viri illi, qui in tua ab initio persistebant custodia, redeant ad originem suam, & eò deveniant; ubi protecti sub patrocinio tuo, in laude, apud Sepulchrum perpetuò subsistant.

Decimus septimus textus Isaiæ Cap. 57. v. 2. *Veniat pax, requiescat in cubili suo, qui ambulavit in directione sua.* Hoc textu prædicit Isaias Sepulchri gloriam, quòd in eo Christus quiescet, & ex eo resurget; ut ipsa contextûs series indicat. In principio enim ejusdem capitis, loquitur de morte Christi futura, his verbis: *Justus perit*, Tertullianus apud Glossam, & Cornelius à Lapide. Subsequentibus procedit ad sepulturam, dum dicit: *& misericordiæ viri colliguntur*, ist est Joseph & Nicodemus, qui singulariter misericordiâ Divinâ permoti, in unum colliguntur, ut Christum sepeliant. Et ab his viris misericordiæ, à facie malitiæ Judæorum, collectus est & depositus justus de cruce, veniens in pace, & requiescens in cubili suo, scilicet Sepulchro; ex quo exiens ambulavit, velut odor effluere & diffundi solet, dum inclusus angusto loco, patente ostio, foras egreditur. Et ita hunc locum Isaiæ, explanat de Sepulchro Christi, Didacus Alvarez à Medina, libr. 7. in Isai: cap. 57. pag. 668. *Quia ergo in vita justi pax cum eo ambulavit, meritò illi obviam veniet in morte, ut cum illo in cubili suo requiescat, id est in SEPULCHRO illius, qui ambulavit in directione sua, id est per viam rectam mandatorum Dei.* Septuaginta apud Glossam, dicta verba sic legunt: *Erit in pace Sepultura ejus ablata est de medio.* Qualiter autem in pace sit Christi Sepultura? dictum fol. 138. S. Athanasius Quæst. ad Antioch. Tom. 2. Operum fol. 321. dicta verba Isaiæ de Sepultura Domini intelligit & legit: *A facie iniustitiæ assumptus est justus, & erit in pace SEPULCHRUM ejus.* Quod autem dicitur: *ablata est de medio*, hoc non debet referri ad Sepulturam seu ad Sepulchrum, quasi illud jam ablatum de medio mundi ac Jerusalem; ut cavillantur Hæretici; hoc enim manet, & est honori hucusque apud omnes: sed referri debet ad humanitatem, ut sensus sit: In pace Sepultura Christi, id est Sepulchrum, de cujus medio humanitas ablata est per Resurrectionem, nulla Sepulchri parte mota aut diruta; adeoque in hoc textu Sepulchri integritas, Christo suscitatô, ab Isaia notatur; ut considerat Angelus del Pas, in Symb. Apost. Tom. 1. libr. 7. de Artic. 5. cap.

cap. 34. Quanquam hunc textum Sepulchrum Christi exprimere dicit S. Chrysostomus, in Expos. Epist. 1. ad Corinth. cap. 18. homil. 38. ubi allatis in ante pluribus scripturæ testimoniis, ubinam scriptura docet, sepultum esse Christum & resurrexisse? dicit infra: *Quod si audire pro typis clara testimonia vis, Isaiam ausculta, quoniam* tollitur (*inquit*) de terra vita ejus. Et expressè Andreas de Arcones, in Cap. 2. Isaiæ vers. 22. his verbis inquit: *De SEPULCHRO verò Domini Servatoris, Isaias hanc sententiam scribit, juxta lectionem septuaginta, quam sequitur S. Ambrosius*: Sepultura ejus de terra sublata est. Conformiter tamen ad propositum hic sensum, idem textus accipitur à S. Ambrosio, dum faciens comparationem sepulturæ Moysis, nemini notæ, cum Sepultura Christi, præfato textu vaticinata, hanc dicit non ignoratam, sed quasi è terra sublatam sive sublimatam; quia Christus, qui per Sepulturam ac Resurrectionem, donavit nobis redemptionem, ac pollicitus est similem corporum nostrorum resurrectionem, non debuit habere ignoratum Sepulchrum. Secus dicendum de Moyse, ut ex verbis ejusdem S. Doctoris facilè colligitur, dum inquit: *De Moyse legitur; quia Sepulturam ejus nemo scit. De Christo autem*: Sepultura ejus de terra sublata est; *quia ille secundùm mysterium legis, expectabat redemptionem, ut surgeret: Iste secundùm Evangelii donum, redemptionem non expectabat, sed donabat. Et ideo Sepultura ejus ignorata non est.* Nec facta redemtio, correspondensque illi gratitudo, ignorari poterit, si memoriæ hæreat Sepultura Christi. Discurs. 4. fol. 408.

Decimus octavus textus Isaiæ Cap. 58. v. 13. *Et vocaveris Sabbatum delicatum, & Sanctum Domini gloriosum.* Apud Glossam & Lyranum habetur: *vocaberis.* Sed quodnam Sabbatum, vocari debet Sabbatum delicatum? id est, ut exponit hic Cornelius, delicatè & tenere observandum? cum vetus Sabbatum, cessandum dicat Deus per Prophetam: *Cessare faciam Sabbatum ejus, & omnia festa tempora ejus.* Osee 2. v. 11. Imò non in observationem, sed in derisum abire lamentatur Jeremias: *Deriserunt Sabbata ejus*, & 1. Machab. Cap. 1. v. 41. *Sabbata ejus in opprobrium.* Threa. 1. Ita reputo, quod Sabbatum Sepulturæ Christi Domini, cujus dies septimus figura fuit; dictum sub titulo: *Quies.* Hoc est Sabbatum delicatum; tum quia Christus in illo delicatè quievit; tum quia Sepultura ejus, delectationem cordibus nostris adfert; tum quia magnis fruitur delicitis

 Spiri-

Spiritûs, quisquis Sabbatô Sanctô, Christo dilectum se præbet, jacenti in Sepulchro. Memor fui Dei mei in Sepulchro jacentis Sabbato, & delectatus sum. Glossa eadem verba legit: *Et vocaveris Sabbatum, Deo acceptum, purum*; qui dies Sabbati non ille veteris ritûs; sed dies Sabbati legis, acceptus erit, & est Deo, ex ratione Sepulturæ illius. Sicut enim Deo acceptus fuit ille dies Sabbati, ob requiem ejus in Sepulchro; ita & nobis debet esse in veneratione. Alcuinus enim de Divin. Offic. libr. de Sabb. Sanct. Pasch. cap. 9. dicit: *Sabbati Paschalis veneratio, hinc celebratur eò, quòd ipso die Dominus in SEPULCHRO quievit: unde Hebraïce requies; sive, quod eo die, mundô perfectô, requievit.* Et Amphilochius Episc. Iconii, Serm. in diem Sanct. Sabbat. vocat hunc diem: *Sepulchrale Festum Servatoris nostri.* Quem diem Sabbati, ut Deo acceptabilem ac purum redderent primævi illi, mysteriorum Christi amatores, Nostrique Ecclesiæ Hierosolymitanæ Antesignani, Præsules ac Patres, illum jejunabant: quod jejunium observasse, & abstinentiam carnium, in Occidentali Ecclesia, ob Domini Nostri Sepulturam, testatur Bellarminus, Tom. 2. de bon. Oper. & Tom. 1. libr. 2. de Rom. Pont. cap. 28. fol. 810. dicit: *Jejunare licet etiam die Sabbati, nec solùm licet sed etiam pium est, ob memoriam Dominicæ SEPULTURÆ.* Et Andreas Saussay, Officialis & Vicarius Generalis Parisiensis, in sua Panoplia Clericali testatur, quòd temporibus Sanctorum Ambrosii & Augustini, mos erat jejunandi in Sabbato, ob memoriam Dominicæ Sepulturæ, in nonnullis Ecclesiis; de quo ritu ex professo differit ipse S. Augustinus, Epistol. 86. ad Casulanum Presbyterum. S. Anastasius, Episcopus Nicenus, ex Const. Apostolic. libr. 5. cap. 14. *Ipsum autem Sabbatum jejunare oportet, non quòd in eo fuerit cessatio operis, sed quòd in eo jejunare oportet, cùm Opifex in eo esset sub terra.* Et in iisdem Constit. Apostol. libr 7. cap. 24. *Unum Sabbatum nobis est observandum* (ut dictum est) *in toto anno, nempe Sabbatum Dominicæ SEPULTURÆ; quo quidem oportet jejunare, non autem Festum agere.* S. Petrus Damianus libr. Epistolar. Epistol. 33. fol. 596. hortatur Monachos ad jejunandum Sabbato hilariter & devote, in Sepulturæ Christi honorem; & ibidem dicit: *Sabbati jejuniô, Christi SEPULCHRUM adoratur.* Idem Epistol. 35. sententiam definitivam S. Silvestri Pontificis refert: cur in Sabbato est jejunandum? his verbis: *Si omnis dies Dominicus,*

causa

causa Resurrectionis Domini tenetur & colitur, justum est; ut omnis Sabbatorum dies, causâ SEPULTURÆ, jejunii suscipiatur instantia. Et inquit idem S. Damianus: *Sicut enim Parasceve Crucis, dies est doloris; sic Sabbatum Sepulturæ dies cognoscitur mœroris.* Et hoc ipsum Sabbatum jejunandum in honorem Sepulturæ Christi, adductô miraculô approbat, quod Senior quidam Eremita, qui jam triginta annis in eremo fuerat, concupivit ire Hierosolymam, cui dormienti Dominica nocte astitit, in visione splendidus quidam Clericus, & dixit: Frater Joannes (sic enim vocabatur ille Eremita) vis venire Hierosolymam? Cui cum velle id respondisset Eremita, protinus illum per somnium duxit; perlustratis aliis locis, tandem ad Sepulchrum Domini, eodem duce pervenit; & ecce post Sepulchrum stabat quidam Clericus, serena facie, & pulcher aspectu, stolâ candidâ decenter ornatus, qui dixit eidem Eremitæ: Tu nudius tertius vivificam Crucem, hesterno quoque die Sepulturam Dominicam, dum jejunasti, veraciter adorasti. Ex hoc remoto omni scrupulo dubietatis agnosce, quia & sextâ feriâ Crucem, & Sabbato Sepulchrum Christi verissimè celebras & adoras, si prædictos dies orando & psallendo jejunas. Ecce Sabbatum Sepulturæ Christi repræsentativum, Sabbatum delicatè in abstinentia, & tenere in psallendo observandum, in honorem Sepulturæ Christi, & adorationem Sepulchri. S. Innocentius I. Pontifex Maximus, scripsit Epistolam ad Decentium, Episcopum Eugubinum, qui exoptat ab eodem Pontifice edoceri de causa jejunii Sabbati: hunc ergo Episcopum suâ Epistolâ instruit Pontifex: *Sabbati jejunium institutum; quia Sabbato Dominus in SEPULCHRO positus est, & Discipuli jejunarunt;* ita refert Ciaconius in vita ejusdem Pontificis. Et Sanutus, Fidel. Cruc. libr. 3. part. 8. Imò memoratus Ciaconius ibidem dicit, decipi aliquos, existimantes Innocentium Papam jejunium Sabbati instituisse, cum tamen id fuerit antiquiùs institutum. Wilhelmus Lindanùs, in Panoplia Evangel. libr. 3. cap. 11. fol 124. in margine dicit, quòd origo jejunii Sabbatô Apostolica sit, & probat ex Eusebio Cæsariensi, in vita Silvestri Romani, quòd dies Sabbati deputatus est Sepulturæ; quia omnes Discipuli Domini fletum habuerunt, Sepultum suspirantes, & Judæis exultantibus lætitia inerat; Apostolis autem jejunantibus, tristitia imperabat. Ad quem sensum & Humbertus Cardinalis, de azymo, propendit. Insuper mul-

De Consecr. 3. cap. Sabb.

Tom. 1. fol. 279.

multos Sanctos & Sanctas jejunasse die Sabbati, ob memoriam Sepulturæ Christi; ut in vita B. Methildis Reginæ, manu scriptis Coloniensibus S. Pantaleonis sic habetur: *Nec hoc silendum censeo, quare tali reverentiâ* (nempe jejunió, mortificatione, & devotione singulari) *custodiret Sabbatum, primo quidem propter vigiliam Domini in SEPULCHRO.*

Si itaque Sabbatum Sepulturæ Christi designativum juxta Prophetam, Sabbatum delicatum, acceptabile dictum est: quid verò per *Sanctum Domini gloriosum*, annexum conjunctione copulativa intelligitur? Certè non Sanctum Sanctorum, cùm hoc jam cum Sabbato, Templo & tabernaculo recesserit, & demolitum sit. Hoc ergo Sanctum Domini, intelligit Propheta Sepulchrum Christi gloriosum. Nomine enim Sancti, Sepulchrum Christi venire dicetur sub Jeremiæ textu & passim hîc: tum quia apud quamlibet fere gentem, tanta erat existimatio Sepulchrorum, ut non solùm loca, quæ illis adhærerent, religiosa esse putarent, sed Sepulchra vocabant: *Sanctas urnas*; *Sanctas parentis conditi Sedes*; *tumulos res sacratas*; quantò magis Sepulchrum Salvatoris nostri, Sanctitatis tituló insigniri debet, & veriùs dici. Sancta urna, Sancta Christi conditi Sedes; res sacrata Deo. Si enim Sabbatum Majoris hebdomadæ, Antonomasticè appellatur Sanctum, quia Sanctus Sanctorum quievit in Sepulchro; ex Alcuino Gavantus habet; cur & ipsum Sepulchrum non dicetur Sanctum, ratione ejusdem quietis Sancti Sanctorum? Qualiter autem hoc nomine, Sanctum Domini,
Isaiæ 55. v. 5. foret gloriosum? dicit idem: *Et gentes, quæ non noverunt, ad te current propter Dominum Deum tuum, & Sanctum Israël, quia glorificavit te.* Ubi nomine Sancti Israël intelligi potest Sepulchrum Domini; nam Israël, Sanctum Domini vocabatur; quia fuit res Sancta & dicata Domino, quæ non debet pollui, quia scilicet Christus nasciturus erat ex semine Israël, absque ulla pollutione. Sic Sepulchrum Christi, Sanctum Israel dici potest, quia fuit res sacra & dicata Domino, & quòd Christus in vitam immortalem natus, ex mortuis primogenitus. Et ideo gentes ad te Jerusalem current, ut adorent Dominum JESUM, verum Deum tuum & Sanctum Sepulchrum, quod glorificat Deum Sepultum, ibique glorificatur. Hic ergo locus Sepulchri tam Sanctus erit Israëlis, id est populi accepti Deo, ut etiam Gentes ad Jerusalem novam current. Proinde

inde si æstimas, veneraris Sabbatum delicatum, id est Sepulturæ consecratum diem & præsignatum, scias & voces simul & Sanctum Domini, id est Sepulchrum ejus gloriosum, gloriæ & glorificationi Domini dedicatum, ac ob Sepulturam ejus, religioso cultu prosequendum.

Decimus nonus textus Isaiæ Cap. 60. v. 13. *Gloria Libani ad te veniet, abies, & buxus, & pinus, simul ad ornandum locum Sanctificationis meæ, & locum pedum meorum glorificabo. Et venient ad te curvi filii eorum, qui humili averunt te, & adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, & vocabunt te Civitatem Domini Sion, Sancti Isräël.* Ut distinctiùs pateat, multa gloria Sepulchri Christi, quòád varios eventus in effectu impleta, in ante hoc textu prædicta; singula examinare libet, & applicare ad Sepulchrum Christi. Primò, *Gloria Libani ad te veniet &c.* ita habet vulgata editio, ab aliis sic legitur: *Gloria Libani ad te veniet, cypressus, & pinus, & cedrus simul, glorificare locum Sanctum tuum.* Utraque hæc lectio, satis dilucidè indicat hoc. Hoc primò, quod Deus duo specialiter glorificabit loca sua, seu in quibus ostendet potentiæ suæ gloriam. Talia loca in diversitate arborum exprimi videntur. Primus locus Calvariæ, expressus per palmam, quia *in illo dedit nobis victoriam per Christum JESUM.* Per cedrum, quia per mortem suam venenosum damnavit peccatum. Per olivam, quia *pacificavit per Sangvinem Crucis, sive quæ in terris, sive quæ in cælis sunt.* Secundus locus tantæ gloriæ erit Sepulchrum Christi, expressum per arborem Cypressi; ita Carthagena: *Cypressus honorifici Sepulchri Symbolum est, propter suam incorruptibilitatem, & gratum odorem. Tale fuit Sepulchrum Christi, dicente Isaia:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Secundò, quod licet locus Sepulchri Christi erit satis gloriosus, ut supra dixit Isaias; tamen eidem non postrema accedet gloria, quando ad ornandum locum hunc Sanctum venient gloria Libani, cypressus, abies, & cedrus, scilicet Crux Christi. Hæc enim fuit gloria Libani; siquidem Libanus significat, juxta communem sensum Expositorum, Montem Calvariæ. Sicut enim juxta S. Hieronymum, Libanus Mons fuit confinis terræ promissionis, ex quo ad Templum Salomonis ministrata sunt ligna pulchra & imputribilia; ita Mons Calvariæ fuit affinis & contiguus terræ Sepulchri Christi, quæ est promissionis terra, & ex eodem Monte ad Templum Regis

1. Corint. 15.

Ad Coloss. 1.

Homil. Cath. lib. 10. fol. 176.

Apud Gloss. hîc.

gis Salomonis, id est Templum S. Sepulchri, continentis locum pacis Christi, id est Sepulchrum, comportatum est lignum pulcherrimum & imputribile, scilicet Lignum Crucis. Tum S. Chrysostomus citans hunc locum, ex eo probat Crucem Christi, ex hac diversa specie lignorum electorum & pretiosorum, compactam fuisse, juxta illos versus: *Pes cedrus est, truncus cypressus, oliva supernum. Palmaque transversum, buxus, sunt in Cruce lignum.* Hæc itaque gloria Libani Constans prædictis lignis, id est Crux, venit ad ornandum locum Sanctificationis Christi, scilicet Sepulchrum, cui quasi Antonomasticè loci Sanctificationis denominatio convenit; ut patet ex textu 16. & frequentius librô tertiô. Venit inquam tunc primò, quando immediatè illi appositum est Sepulchrum Christi. Secundò, quando eadem Crux ad Sepulchrum Christi fuit defossa, ac repertô Monumentô, simul & Crux inventa; ut pleniùs de hoc libr. 3tiô. Tertiô, quia magna portio Ligni Crucis, quæ metu Turcorum, in loco paucis noto, abdita fuerat, reperta est intra Ecclesiam S. Sepulchri; Sanutus Fidel. Cruc. part. 3. & Tyrius. Et tunc impletum est illud, quod dicitur Habacuc Cap. 2. v. 11. *Lapis de pariete clamabit, & lignum, quod inter juncturas ædificiorum est, respondebit*; quia scilicet Crucis lignum, quod inter juncturas Ecclesiæ ædificii abditum erat, externè se prodet, & manifestum fiet, sicut clamor prodit rem, & responsio internum conceptum. Quartò, similiter sub Julio III. Papa, dum restauraretur Fabrica illa celeberrima S. Resurrectionis, teste Stephano Stagni, Episcopô Racusinô, in medio Sacrosancti loci, lignum repertum collocatum, ac sudariô pretiosô involutum, hoc illud ipsum esse, quod à religiosissima Regina Helena inventum, & Hierosolymis, ab eadem positum esse, sacris historiis proditum est, & quædam inscriptiones illi ligno erant adjunctæ, sed vetustate corrosæ, & ita testatur Thomas Bozius, libr. 15. cap. 14. de signis: *Stagni Episcopus, Bonifacius Stephanus, superioribus annis, Christi SEPULCHRUM vetustate deformatum restauravit, invenitque in eo restaurando, partem quandam Crucis, cui Christus fuit affixus.* Quintò, quia Crux Christi, in Ecclesia S. Sepulchri, summo honore, devotione, reverentia, colebatur, ita; ut in Festo Exaltationis S. Crucis, hujus ligni pretiosi, per Patriarcham Hierosolymitanum, si aderat præsens, fiebat publicè è Cathedra à Constantino

In Epistol. ejusdem.

tino erecta exaltatio, ad quam numerosissimus, ab omnibus terræ partibus, fuerat confluxus, (de hoc alibi;) ut sic venientes, & Crucem Christi & Sepulchrum, locum sanctificationis adorarent. Spiritus itaque ille propheticus, divino lumine illustratus, conjunctam simul gloriam Sepulchri cum gloria Crucis prævidit; imò quod ornamentum vel inde summum accedet loco Sepulchri Christi, cum iisdem actibus simul Crux & Sepulchrum adorabuntur. In re itaque dicit Propheta, quòd gloria Libani, id est Crux Christi, veniens ad locum Sepulchri Christi, ornabit, glorificabit, & extensivè ampliabit honorem, & cultum ejus.

Et locum pedum meorum glorificabo. Quem inquam locum pedum suorum Christus hic, per os Prophetæ, dicit glorificaturum? non alium judico, nisi locum Sepulchri sui: Tum conformiter ad Georgium Wicellium: *Ecclesia nunc assiduè respondet Angelo, Christum verum Deum & Hominem confitens: Vacuum monumentum, tanquam rem Christi contactu consecratam, venerando, visitando, deosculando, juxta hoc: Vestigia pedum ejus adorabunt.* Tum quia juxta Cornelium hic fit allusio ad Arcam, quæ erat quasi scabellum Dei. Sepulchri Christi fuit figura Arca, & fuit receptaculum totius Corporis Christi, & scabellum pedum; illi enim præcipuè Divina laus, in illis partibus innititur. Propterea hanc Arcam Sepulchri, Deus promittit se glorificaturum. Qualiter autem? subjungitur. Serm. in Pasch. fol. 331.

Et venient ad te curvi filii &c. id est taliter glorificabo locum meum Sepulchri, & hunc consequetur honorem, quòd venient filii proni & inclinati ad illum. Refert enim Hietling: *Bene curvato corpore intratur Sepulchrum, per excisam in rupe portulam.* Et adorabunt vestigia pedum tuorum omnes, qui locus solii gloriæ tuæ est, & locus vestigiorum tuorum; Joannes Cottovicus U. J. Doctor ad id asserit: *Etsi enim vacuum sit Monumentum, Sacrosancti tamen corporis Sangvinisque contactu consecratum omni sanè admiratione & veneratione dignum censeri debet, juxta illud.* Vestigia pedum ejus adorabunt. Venient primò saltem affectu & corde Summi Pontifices; & prosternent se, tanquam Vicarii, ante hunc thronum & Sedem Pontificis Summi; quasi ad oscula pedum ejus, terram exosculantes, in qua jacuerunt pedes Domini. Venient Imperatores Augustissimi, Reges Invictissimi, Duces Potentissimi, Proceres magnanimi, & hi curvi, id est supplices & venerabundi; quomodo Libr. 2. Manuduct. 10.

 enim

enim non agnoſcent hic ſe humiles, quamvis ampliſſimi, dum recogitabunt, quod Deus tam ſubmiſsè in hoc profundo ſe humiliaverit? Venient & filii, qui humiliaverunt te, id eſt ipſi Infideles Tyranni, qui deſpoliaverunt te ſplendore, ornatu, ſuppliciter petentes veniam, & adorabunt veſtigia pedum tuorum, duras cervices frangentes, in profundiſſimam recognitionem majeſtatis Solii Divini. Venient & ſuperbi & elati peccatores, qui detrahebant tibi; & hi curvi, miſerationem delictorum ſuorum expoſtulantes. Venient denique omnes filii, & in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito, ipſo tartaro inferiùs inclinabunt ſe, & adorabunt inferioritatem illam terræ, excelſiorem tamen omnibus ſublimatibus; & te Chriſte ibi adorabunt; pedes tuos, id eſt humilitatem tuam, aliaque merita in Humanitate patrata, ibi recolligentes; venerabuntur & exoſculabunt terram vultu demiſſo, toto corpore proni, ob ſummam reverentiam loci, pulverem etiam lingent.

Et vocabunt te, Civitatem Domini Sion, Sancti Iſràël. Quia nova Jeruſalem, quæ ambivit Sepulchrum Chriſti, benè vocanda eſt Civitas Domini, quia ſpecialiter incluſit hæc loca, quæ Chriſtus inhabitavit, ſeu in quibus incolatum habuit. Sicut enim Sion, dicta eſt Civitas David quòd ibi palatium ſuum habuerat; ita Civitas nova Jeruſalem, in qua reclinatorium ac palatium Chriſti fuerat, Civitas Domini nominari poteſt: Mons Sion, *in quo beneplacitum eſt Deo habitare in eo.* Hæc inquam eſt Sion Sancti Iſràël, quia Sancti Sanctorum, præcipuis locis conſpicua. Et ſicut Sion, ſignificat titulum, Hebraice; hic Cornelius; ita nova Jeruſalem, quæ Civitas Domini erat, pro titulo habuit Crucem Chriſti & Sepulchrum. Tum Sion ſignificat ſiccitatem, tale autem fuit Sepulchrum Chriſti, ſaxeum ſcilicet & petroſum, humiditatis corruptivæ expers; adeoque ab his duobus locis ſacris, Civitas Domini, nova Jeruſalem, vocanda Sion Sancti Iſràël, cum Chriſtus Dominus, vocatur Sanctus Iſràël.

Protrahit ulteriùs adhuc gloriam S. Sepulchri Iſaias, his verbis: *Ponam te in ſuperbiam ſæculorum*; id eſt, quia hic locus Sepulchri Chriſti, tot multas perſecutiones fuerat paſſus, contemptus ab Infidelibus, nihilominus tanta erit ejus proſperitas, quod ponetur in magnificentiam, id eſt in gloriam & honorem, qui durabit in ſæcula, & erit gloria ſæculorum, & magnificentia perpetua,

ut omnes generationes gaudeant cultu, gratiis & beneficiis ab illo obtentis, claritasque illius perpetuò consistat. Hæc autem gloria perpetua in eo consistet Sepulchri Christi, quod suges lac gentium, id est populi divitias, omnes pingves redditus, & quidquid etiam gratissimi ad gustum suum habuerint, totum id desiderabunt, & plurimi impendent Sepulchro Christi. Imò non solùm divitias, sed etiam ipsam vitam, sangvinem tanquam lac effundent, pro honore Christi & ejus S. Sepulchri. Tum *mamilla Regum lactaberis*; id est suos etiam splendores, opulentias, Reges & Monarchæ, quibus replentur ex bonis suis, ad illud ornandum comportabunt, alent gloriam & honorem S. Sepulchri, mittent donaria ad illud, sustentabunt & providebunt inservientes, & ex naturali affectu, ad instar sugentium ubera, hunc liberaliter ampliabunt locum Monumenti, à quo in novam regenerati sunt infantiam; quod in simili prædixit idem Isaias, cap. 49. v. 23. *Et erunt Reges nutritii tui, & Reginæ nutrices tuæ, vultu in terram demisso adorabunt te, & pulverem pedum tuorum lingent.* Hanc impletam prophetiam monstrat id, quod S. Cyrillus Hierosolymitanus, in Catech. 14. dicit: *Isti, qui sunt nunc Reges, pietatis ergo, argentô inducentes & aurô Sanctam hanc Ecclesiam Resurrectionis Salvatoris (in qua nunc sumus) extruxerunt, & argenteis monumentis splendidam effecerunt*; & patebit libr. 3tiô, ex Paragrapho: *Gloriosum Sepulchrum, ex muneribus & donis ad illud oblatis.*

Et scias, quia ego Dominus salvans te, & Redemptor tuus Jacob, vers. 16 Præmissa gloria Sepulchri Christi, hic Propheta exponit motivum, finem, occasionem illius, scilicet dicens: omnis hæc gloria, quæcunque prædicta est futura, in loco Sepulchri Christi, sicut & defacto jam est impleta; motivum, rationem ac originem habet, quia Dominus Salvator & Redemptor noster, simul Deus Jacob in eo jacuit, & scias quod defacto non aliùs, sed Domini Salvatoris & Redemptoris nostri locus est. Vel quasi diceret: Cum tantam videris gloriam Sepulchri Christi, scias eam inde agnoscere, quod Dominus Salvator, & Redemptor tuus Jacob; ratione cujus tam nobilis, tam perennis locus sanctificationis, locus Sanctus Sepulchrum sit, quod cum ejus esse agnoveris, ama: nobilitas enim loci præcognita, simul volita & amata esse solet. Et ut jam de integro exponatur gloria Sepulchri Christi subdit statim

tim

tim verf. 17. *Et ponam viſitationem tuam pacem, & præpoſitos tuos juſtitiam.* Primò hic exponitur futura viſitatio loci Sepulchri; quaſi diceret Propheta: hic locus pacis & quietis tuæ viſitabitur. Secundò, Præpoſiti illius loci futuri juſtitia; tum originativè, id eſt deſcendentes à S. Jacobo Minore Juſto, & Succeſſores Sancti Epiſcopi & Paſtores, erunt Præpoſiti loci illius; tum formaliter, id eſt non alii erunt Præpoſiti loci, niſi qui juſtitiam Chriſti, id eſt fidem & ſanctitatem ejus amplectuntur, ſeu boni Chriſtiani; tum effectivè, id eſt Præpoſiti illius loci erunt S. Apoſtoli & Apoſtolici Viri, ab illis deſcendentes, illorum vitam imitantes, & quorum officium ſit docere juſtitiam, quæ eſt per fidem Chriſti. Vide hic ſat dignum gloriæ Sepulchri Chriſti apparatum, in pulchram collectum epitomen, à Propheta.

Hic textus Iſaiæ cum annexis verſibus, fuſiori ſenſu ampliatus, & applicatus ad intelligentiam dignitatis Sepulchri Chriſti, ita ſuccinetè confirmatur Authoritate, inter legendum deprehenſa & adnotata Andronici Conſtantinopolitani, in Dialogo contra Judæos, Cap. 60. his verbis: *Dicit quoque Iſaias cap. 60. vers. 11. 12. 13. oſtendens Hieroſolymam poſt excidium, rurſum illuſtrem futuram, ſacrô auctam theſaurô, Dei Hominis JESU Sepulchro. Clamat:* Aperientur portæ tuæ ſemper, die ac nocte non claudentur, ut introducant ad te fortitudinem gentium, & reges eorum, qui adducendi ſunt. *Videtis, ut de Chriſto vaticinium ſit. Quæ enim gens, aut quis Rex Hieroſolymæ ſervivit? aut ſupplex accidit? Addit:* Et gloria Libani ad te veniet, in cypro & pino & cedro ſimul: Ut glorificetur locus Sanctus, meus, & locum pedum meorum glorificabo. *Explicato, quòd Hieroſolyma maneret beneficio,* (videlicet Sepulchri Chriſti) *aperit & Authorem; quia ſi diceret: cùm in pinu & cedro ac cupreſſo, ex quibus fabricata eſt Crux, Deum Hominem JESUM videritis, tum ab eo omnia hæc fient; ac videte ſuperiorem ex iis, quæ ſequuntur ſententiam:* Et ibunt ad te timentes filii eorum, qui te humiliaverunt. *Intelligitis accuratam prophetiæ diligentiam! Romanorum, qui pridem afflixerunt, poſteri formidoloſi ac trementes modo ad te confluent.* Et adorabunt veſtigia pedum tuorum, qui detrahebant tibi: *Nunc poſteaquam vitæ fontem in pectore tenes, adorabunt veſtigia pedum tuorum.* Et vocaberis Civitas Domini Sion Sancti Iſràël. *Obſervate propheticam mentem; cùm ob interfectum Chri-*

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 14. fol. 47.

Christum, captiva & deserta fueris, tum merito magis Dei Urbs vocabere, quod vitalem mortem inte Deus Homo JESUS dormierit. Et suges lac gentium: *collaudationem ac fidem gentium Vates innuit.* Et divitias regum comedes. *Opes Regum, aut ab aliis allata munera.* Hucusque Andronicus. Hoc est: quando Hierosolyma morte & Sepultura Christi augebitur, tunc portæ Urbis Hierusalem non claudentur die ac nocte, quia introducent fortitudinem gentium, & Reges earum ad adorandum Christum in Monte Calvariæ & Sepulchro. Veniet gloria Libani; id est Crux Sancta, ut glorificet locum Sanctum Sepulchri, & locus hic pedum ejus glorificabitur; ibunt ad eum omnes timentes filii eorum, etiam hi, qui Hierosolymam humiliaverunt, nempe Reges & Cæsares Romani; & adorabunt vestigia pedum, nempe sancta loca; & suges lac gentium, collaudabunt Christum in Sepulchro, prædicabunt virtutes ac merita Christi, miracula, quæcunque ad Sepulchrum ejus fiunt, & ad illud munera ac divitias fortunarum suarum, pro ornamento illius loci deferent.

Vigesimus textus Isaiæ, Cap. 62. vers. 6. *Super muros tuos Jerusalem constitui custodes, tota die & nocte perpetuo non tacebunt.* Hic Propheta gloriam Sepulchri Christi declarat meo, quod Deus positurus est ad illud Custodes. Quis enim est hic murus Jerusalem, qui non solùm suæ innitatur firmitati, sed insuper extrinsecum habeat tu tamen Custodum ac Præsidum, & super quem tota die & nocte, aliqua vox audiatur, nec taceatur à laude? Non muri Civitatis Jerusalem, quibus Reges Juda munierunt eam & cinxerunt; cùm omnes diruti ita sint, ut, juxta vaticinium Christi, lapis super lapidem non remanserit. Custodes etiam, per quos hîc communiter intelliguntur Angeli, recesserunt ab illis dicentes: *Migremus hinc! Migremus hinc!* A resonantia vocum, libaminum, victimarum, perpetuum silentium. Quis ergo est iste murus Jerusalem? Non alium existimo, nisi murum Sepulchri Christi conformiter ad dicta fol. 150. Tum quia eventum illum Josue Cap. 6. circa muros Jericho, qui surgente de nocte Josue, sub septimi diei auroram, illico corruerunt; vel ut Hebræus legit: *Cadet murus civitatis.* Applicat Antonius de Eschobar, Sepulchro Christi, quod in eo fuit illi affine; siquidem surgente Josue Christo, sub auroram post diem septimum, murus, id est lapis Sepulchri Christi, nulla

In Panegyr. Observat. lib. 1. ad cap. 16. Marc. Sect. 3. num. 18.

nulla impellente vi hominum, fuit revolutus. Sepulchrum Christi, est murus ædificatus extra Civitatem. Est antemurale, propugnaculum; de quo prædixit Isaias Cap. 26. *Urbs fortitudinis nostræ Sion, Salvator ponetur in ea, murus & antemurale*; id est nova Jerusalem erit Urbs fortitudinis, quia in contentis locis Salvatoris, fortissima opera, per quæ roborata est salus nostra, manifestabit; & fortitudinem viresque Civinas exhibebit. In qua ponetur murus & antemurale, id est Sepulchrum Christi saxeum, quod dum texit Corpus Christi, tanquam murus fortissimus & antemurale protegitur & munitur Christi præsentiâ, ut nemo sit, qui incolumitati ac soliditati illius nocere possit. Super quem murum, id est lapideum & petrosum Monumentum, prædicit Propheta, Deum posuisse Custodes. Primò, permisit Deus poni milites custodes, qui tota die & nocte, non cessabant vigilare continuò ad Sepulchrum Christi, quæ ipsa custodia cessit in gloriam ejusdem; dicetur libr. 3tiô, Cap. 1mô. Secundò, posuit Custodes vigiles, id est Beatissimam V. MARIAM, Sanctas Mulieres, qua tota illa die & nocte vigilantes non procul à Sepulchro Christi non tacebant, quia affectûs compassivi teneritudine, meditatione intensa Passionis Christi, devotione ac laudibus internis, laudabant Christum jacentem in Sepulchro. Tertiò, Custodes Angelos, qui non solùm honorifico famula tui, sed & præsidio, ac laudi sint illi loco. Postquam enim Magni Consilii Angelus Christus, egressus est è loco Sepulchri, statim è Cælo advolat Custos pervigil Gabriel, ex supremo ordine, qui occupet locum Monumenti, & aliorum nomine, pro semper custodiendum; cui mox & alii successerunt. Inquit enim S. Hieronymus in Matth: *Nunc quoque Angelus venit, Custos SEPULCHRI Dominici.* Et propterea sedit supra Monumentum, ut possessionem firmans, semper excubias ad illud ageret, constantiam perpetuarum monstrans vigiliarum. Hanc dat rationem S. Petrus Chrysologus: *Sedet, quia ab illo tam venerabili SEPULCHRO, nunquam Angelùs recedit* Itaque tota nocte & die, non cessant ad illud vigilare hi Custodes. Quartò, Custodes posuit super Sepulchrum Summos Pastores, Prælatos, Prædicatores, qui totis diebus & noctibus, excubias ad illud agebant, vigiles in propagando cultu illo, qui dabatur S. Sepulchro, ut ponat illud toti mundo in laudem & gloriam, ut ab omnibus populis colatur, & Christus multum laudetur & glorificetur in illo.

Serm. de Resurr. 77.

Vel

Vel si pro avita nobilitate, licet esse interpretem: Per hos Custodes, quos super murum Sepulchri Christi ponendos dicit Propheta, intelligo Religiosos Canonicos, Custodes S. Sepulchri. In variis enim Sacræ Scripturæ locis, hos figurari arbitror, sub nomine Custodum. Primò, in Levitis excubantibus in custodiis tabernaculi testimonii; ut habetur Numer. 1. v. 53. Canonicos enim Regulares in Levitis figurari, censent Authores, tum Canonici, tum qui de Origine Canonicorum scripserunt: ex quorum Ordine ii, qui habebant excubias in tabernaculo fœderis, ratione talis ministerii, denotabant Canonicos, habentes Custodiam Sanctissimi Sepulchri, quod tabernaculum fœderis est; & excubantes in custodia Sanctuarii, & in ministerio Altaris, & in omnibus cæremoniis ejus; sub quorum Canonicorum custodia, erant tabulæ tabernaculi, id est tabulæ S. Crucis; columnæ, id est Columna, ad quam fuit flagellatus, & custodiebant cunctam hujusmodi supellectilem, id est instrumenta Passionis Christi, conformiter, ut de officio Levitarum dicitur Num. 3. v. 31. & 26. Secundò, in filiis Core, qui erant super opera ministerii & custodes vestibulorum tabernaculi, & familiæ eorum, per vices castrorum Domini, custodientes introitum, quorum Dux erat Phinees, filius Eleazari: Core enim interpretatur *Vocans*, *Legens*. Et significabant in Vocatione Religiosa, Legeque Canonica, Custodes vestibuli Sepulchri Christi, quæ familia per modum Castrorum Domini, per vices custodiebat introitum Sepulchri Christi, habentes Ducem S. Jacobum Minorem. Phinees enim, qui interpretatur, *facies confidentiæ*; hæc nomenclatura bene exprimebat S. Jacobum Minorem confidentissimum Christo, & in facie simillimum. Tertiò, in Custodibus arcæ publicæ, 1. Esdr. cap. 7. vers. 21. Ecclesia enim S. Sepulchri erat Arca publica, in qua præcipui thesauri erant, Crux Christi & Sepulchrum; eos custodiebant Canonici dictæ Ecclesiæ. Quartò, in Custode saltûs Regis Asaph, 2. Esdræ Cap. 2. vers. 28. Asaph enim interpretatur *congregans*, indicabat congregationem & Collegium Canonicorum, in communi viventium, Custodum saltûs Regis, nempe Crucis & Sepulchri. Quintò, in Semeia, Custode portæ Orientalis, 2. Esdr. cap. 3. vers. 30. Semei enim interpretatur, *Obediens*; tales enim in obedientia viventes, erant Custodes portæ Orientalis, nempe Sepulchri, ex quo is, cui

Numer. cap. 18. v. 4 & 5.

1. Paralip. 9. v. 19.

cui nomen Oriens, exortus eſt. Sextò, in Cuſtodibus poſitis, de habitatoribus Jeruſalem, ibid. Cap. 7. v. 3. qui per ſingulas vices, excubias egerunt ad hanc portam, quæ non aperta eſt, usque ad calorem ſolis; nempe ad Sepulchrum, quod modo primùm reſeratum eſt ab Angelo, dum Sol myſticus calore amoris, per ſuum exitum recrearet locum. Septimò, in Cuſtodibus vineæ, Cantic. 8. v. 11. Sepulchrum enim Chriſti, vinea fuit pacifico Corpori in ea, & tradita eſt cuſtodibus, qui viri pro fructu ejus attulerunt mille argenteos; id eſt omnibus ſæcularibus divitiis, hæreditatibus, per votum paupertatis, ſe exuerunt, ut fructum in cuſtodia ejus afferrent & reportarent.

Ita & in hoc textu Prophetæ, nomine Cuſtodum, ex quibusdam convenientiis poſſunt deſignari iidem Cuſtodes S. Sepulchri. Tum ſi hic per Cuſtodes intelliguntur Angeli; D. Antoninus Archiep. Florentinus, in ſummario Hiſtorico, explicans Apocalypſim, Patriarchas Hieroſolymitanos, ſub figura Angelorum Ecclesiarum, intelligit. Tum quia dicti Ordinis Canonici, hoc habuerunt primævum inſtitutum, finem & ſcopum, à quo & denominationem ſunt ſortiti, ut eſſent Cuſtodes S. Sepulchri. Tum quia dictorum Canonicorum cuſtodia, in hoc obſequio fuerat ſua, ut ad Sepulchrum Chriſti vigilantes, non tacerent in laude Paſſionis Chriſti, ac ejus Sepulturæ. Quod conſtat, tum ex Bulla Cæleſtini, quæ in incipit: *Cæleſtinus Epiſcopus, Servus Servorum Dei Dilectis filiis, Petro Priori, & Fratribus Sancti Sepulchri Hieroſolymitani*; quam adfert Joannes de Nigra Valle, Ordinis Præmonſtraten. S. R. E. Bibliothecarius digniſſimus, in Genealogia Sacri & Apoſtolici Ordinis Canonicorum Regularium, in qua ſic habetur: *Veſtris ergo poſtulationibus, debita benignitate accommodantes aſſenſum, Sacroſanctam Eccleſiam Sancti-Sepulchri, in qua Divinis Officiis inſiſtentes, Paſſionem Dominicam, & victorioſiſſimæ Crucis trophæum, aſſiduè oculata fide recolitis.* Tum ex S. Bernardo, qui in Exhort. ad Milites Templi cap. 5. de Templo Reſurrectionis Chriſti ſcribens, ſic in eorum laudem teſtatur: *Die noctuque tam honeſtis, quàm utilibus officiis occubantur, honorant certatim Dei Templum jugi devotione, in eo immolantes, non quidem veterum ritu pecudum carnes, ſed verè hoſtias pacificas, fraternam dilectionem, devotam ſubjectionem, voluntariam paupertatem.* Si hoc faciebant Milites; teſte S. Bernardo,

do, multò magis ipsi Canonici illius Ecclesiæ, Custodes S. Sepulchri, quorum præcipuum studium erat, quod præscribit citatus S. Bernardus. Illi enim non veterum more pecudum carnes; sed hostias incruentas, missæ sacrificia, utpote Sacerdotes; ac die noctuque Divinis Officiis, psalmodiâ honorantes Dei Templum, & ad S. Sepulchrum jugi devotione persistentes. De illis exactiùs habet S. Cyrillus Hierosol. Catech. 13. qui nomine Psalmistarum Ecclesiæ Hierosolymitanæ notantur, ad marginem, de quibus sic dicit: *Sciunt hoc studiosi Ecclesiæ* (id est S. Sepulchri) *Psalmistæ, qui Angelicos imitantes exercitus, semper Deum laudibus celebrant, qui digni habiti sunt psallere in hoc Sancto Golgotha.* Combina hunc textum S. Patris cum Propheta, & fateberis me ad talem interpretationem, non impulisse fragrantem Zelum propriæ originis. Cum & Custodes psallentes in monte Golgotha Angelis assimilet, ut quas curas Vigiles illi inchoarunt, hi continuationem laudabilem perficiant. Eadem prophetia adimpleta, dum migrante ab Hierosolyma & Sepulchro Domini, propter minas Turcorum, & importunitatem Saracenorum, in Cyprum Insulam, & ibidem mortuô Patriarchâ virô Sanctissimô, recuperatâ Hierosolyma per Godefridum, *placuit eidem Summo Principi Jerusalem* (testatur Albertus Aquensis) *nec non & cæteris omnibus, ut in Templo Dominici Sepulchri, viginti Fratres in Christo, Divini Cultores Officii, constituerentur, qui assiduis Domino Deo viventi, in laudibus & hymnis psallerent, hostiam Corporis & Sangvinis Domini devotè immolarent.* Quòd autem Fratres constituti, non alii fuerunt, nisi Canonici S. Sepulchri, probat id Philippus Bonanni Soc. JESU, in Catalogo Ordinum Religiosorum, num. 30 part. 1. *Hæc Congregatio Canonicorum Regularium S. Sepulchri Hierosolymitani, circa annum 1110. in Templo S. Sepulchri Hierosolymitani, quæ erat Patriarchalis, sub piissimo Principe Godefrido fuit instituta, seu potius restituta. - - Cum autem Christi fideles, Duce Godefrido, Hierosolymam de manibus Saracenorum eripuissent, ipse Canonicos Regulares, in Templo S. Sepulchri & alibi, Authoritate Apostolica collocavit.* Deducitur id & ex contextu Epistolæ Baldvini, Dei Gratiâ Regis Hierusalem, quarum literarum hujus Principis, facit mentionem Author de Brevol in sua Antiquitate Parisiensi, & est tenor talis: *Propter singularem devotionem Canonicorum Ecclesiæ Patriarchalis hujus Sanctæ Civitatis, commisimus custodiam & tutelam*

Libr. 6. Histor. Hierosf. cap. 39.

hujus Sancti SEPULCHRI Domini supra dictis Canonicis, ut abhinc in posterum, tam de die, quam de nocte illud custodiant, & continuent Divinum Officium, prout & prius peragebant. Cum ergo constet à Godefrido & Baldvino restitutos Canonicos Regulares S. Sepulchri, & constitutos ad hoc, ut Divini cultores Officii, assiduè in hymnis & laudibus Deo psallerent, rectissimè & non arbitrariè, de illis etiam procedere videtur hæc Prophetia Isaiæ: *Super muros tuos Jerusalem, constitui Custodes, tota die & tota nocte, perpetuò non tacebunt.* Vos ergo ô fidi Custodes! (alloquor Concanonicos) quibus excubias vigiles agere ad S. Sepulchrum ex professo incumbit, attendite, quid si vestri officii, ut seposita omni vecordi somnolentia, jugiter in laude Dei, ejusque locorum sacrorum persistatis pervigiles. Primò simus seduli custodes Sepulchri cordis nostri, ne quid damni ac detrimenti in anima nostra patiamur, ne corda obdurentur, nec ora obturentur. *Propterea Fratres* (alloquor verbis S. Ambrosii Serm. 15.) *non dormiamus, sed vigilemus circa ipsum Dominum nostrum Salvatorem, & appositis jugiter custodiis, nemo illum auferat de SEPULTURA cordis nostri, ne dicamus aliquando: venerunt, & dormientibus nobis, furati sunt eum.* Secundò attentè vigilemus circa Sepulchri Christi murum; id est non permittamus, ut Sepulchrum Christi apud nos sileat, sepultum omni memoriæ & oblivioni apud nos maneat: tali simus inimici quieti, ne nobis dormientibus, veniant & furentur alii majorem ejus promotionem. Agite Fratres, Sepulchri velut parturigines (verbis S. Athanasii, Archiepiscopi Alexandriæ vos incito) attendamus ad resurrectionem! Observemus Sepulchri sinum, oraculum felicitatis nostræ, quòd ab antro Sepulchri prodivimus. Proinde tota die & nocte, in hymnis & precatoriis vocibus, non taceamus perpetuò invocare nomen Domini, ut restabiliat, propalet, dilatet in Christianis cultum, amorem S. Sepulchri. Undique, more custodum, circuite muros, Civitates scilicet, Oppida, loca vestra, in illisque laudate honorem S. Sepulchri, sicque de integro fini vestro, prædicto à Propheta, correspondeatis.

Serm. in Parascev.

Vigesimus primus textus Isaiæ, Cap. 64. v. 11. *Domus Sanctificationis Nostræ, & gloriæ nostræ, ubi laudaverunt te Patres nostri, facta est in exustionem ignis, & omnia desiderabilia nostra versa sunt in ruinas.* Narrat Cornelius à Lapide in Præfat. in Minores Prophetas,

tas, num. 10. quod Prophetæ ad unum omnes, non aliud penè vaticinantur, dolent, ac deplorant, quam exitum terræ Sanctæ. Ita hoc versu primô laudatur Ecclesia S. Sepulchri: hæc enim est Domus sanctificationis nostræ. Tum quia fuit Domus locorum ac instrumentorum, in quibus, & per quæ obtenta fuit redemptio nostra. Tum quia Sepulchrum Christi, erat Domus Sanctificationis, quam Sanctum Corpus Domini consecravit, & quod ex eo natum est, Sanctum est. Tum quia locus ille religiosissimus est. Tum quia gratiæ exinde datæ nobis sunt, ut iis sanctificemur, sanctèque Deum colamus, piè viventes in gratia sanctificante. Et gloriæ nostræ Domus Sepulchrum: Si enim Sepulchrum est Domus gloriæ Christi: *Benedicta gloria Domini, de loco suo*, est simul gloriæ nostræ. Tum si Arca Israëlis erat gloria: Sepulchrum Christi insignius Arcâ, mansio in perpetuum gloriæ Christianitatis, inter Paganos, Infideles, & colluviem pessimam, habetur per Sepulchrum Christi, quod Deus in gloriam tam sui, quàm ornamentum nominis Christiani, notæque veræ fidei, in illis conservat partibus. Præterea Domus Sanctificationis, & Domus gloriæ nostræ, est Ecclesia S. Sepulchri; quia Sancti Antistites, Patriarchæ, Martyres & Confessores, & cæteri ab illo loco, ad domum æternitatis transierunt. Domus Gloriæ nostræ, quia inde extollendi, inde gloriandi materiam sumimus, quod simus Custodes, servi jurati, Sanctissimi Sepulchri obsequio, cultui. Et ibi in hac Domo Ecclesiæ S. Sepulchri, ad hoc gloriosum Sepulchrum, laudaverunt te Domine Patres Nostri, ibi residentes; laudaverunt te ore, semper in Psalmis & hymnis canentes laudes tuas; laudaverunt te mente, operibus Sanctis, vitâ Apostolicâ, strictissimâ observantia Statutorum; laudaverunt te exemplô, studiosissimi in manutenendo indesinenti honore, ad illum locum Sanctum. Insuper Propheta dolens futuram cladem, dicit: ecce sæviente persecutione Paganorum, hæc Domus Sanctificationis, Ecclesia S. Sepulchri facta est in exustionem; juxta dicta fol. 38. dum omnes splendores ejus consumpti, ornatus despoliatus, & omnia desiderabilia nostra, loca Sancta, Ecclesiæ Nostri Ordinis, Collegia Canoniæ, Episcopatus, Suffraganeæ, Fundationes aliæque dotationes, in partibus Orientis versæ sunt in ruinas, quantus dolor! ploratus!

Ezechiel. 3. v. 12.

Poſtremò, Propheticis Iſaiæ dictis, accedit & factum ejusdem, ſcilicet ſepultura illius ſub quercu Rogel. Quô factô ſignificavit JESUM Chriſtum (cujus typus fuit Iſaias; interpretatur enim, Salvator mundi, JESUS Deus) ſepeliendum, habiturumque Sepulchrum, ſub quercu, id eſt ſub Crucifixionis loco, Crucisque ligno; quam eſſe ex quercu, docet Alphonſus Ciaconius, libr. de Signis Cruc. Cap. 30.

Apud Cornel. in Præf. Iſaiæ.

CAPUT II.

Ex locis Jeremiæ Prophetæ demonſtratur gloria Sepulchri Chriſti.

Primus textus Jeremiæ, Cap. 2. vers. 27. *Dicentes ligno: pater meus es tu; & lapidi: tu me genuiſti.* In prima parte textus hujus, non aliud intelligo lignum, cui domûs Iſrael Reges, & Principes, & Sacerdotes dicant: pater meus es tu; quòd in eo hanc virtutem ſuam generativam omnes ſtatus agnoſcant; niſi lignum Crucis Chriſti. Sicut enim pater eſt origo ſeminis & virtutis generativæ; Sic lignum Crúcis, ſuſcepit ſemen Chriſtum, qui fuit materia generationis omnium fidelium. Sicut pater eſt auctor ſangvinis; ſic Corpus in Cruce Chriſti ſtillavit Sangvinem, cujus participes puræ animæ, fœtus nobiles fierent. Chriſti lignum Pater fuit Regum, Principum, Sacerdotum & Prophetarum. Lapis autem, qui ad inſtar Matris, virtute editiva prolis pollens, non alius futurus, niſi Lapis Sepulchri Chriſti: *ut fieret mihi MATER mea SEPULCHRUM*; qui tanto de parente Cruce, ſemine dignus, in ſe recepto inanimato, natum vivum Chriſtum genuit & peperit. *Manè ſemen tuum florebit.* Crux enim tanquam Pater, in ſuis brachiis morientem Dominum ſuſtentavit; Sepulchrum, tanquam Mater, Dominum redivivum expoſuit. *Ipſum enim* (inquit Antonius Gvevara) *SEPULCHRI clauſtrum, iterum genuit Salvatorem.* Et S. Athanaſius, Archiep. Alexandr. Serm. in Paraſcev. exclamat: *O SEPULCHRUM, in quo vita gignitur finem non habens!* Idem ibidem: *Attendamus ad reſurrectionem adhuc velut in utero geſtatam, obſervemus SEPULCHRI ſinum, reſurrectionis MATREM.* Et ſicut in Matris utero anima creatur, quà fœtus animatus, & rationalis exit;

Jerm. cap. 20. v. 17.

Jſaiæ cap. 17. v. 11.

In homil. Paſſ. fol. 112.

exit; ita in Sepulchro Christi, Anima accessit Corpori, ut vivus & integer Homo Deus prodiret. Et sicut Mater est studiosa suæ prolis; ita Sepulchrum Christi, sic educavit prolem suam, ut absque ullo detrimento Corporis ejus, deformitate, in formosissimis artubus, validissimum Corpus exponeret. Eadem ergo Mater, quæ Christo, & nobis Sepulchrum; ab illo non solùm in beati luminis auras educti sumus; cæleste nobis inspicere lumen concessum est: Sed Sepulchrum, velut Mater, nos fovit meritis Christi, aluit Corpore & sangvine, educavit doctrinâ & moribus. Omnes, tam Reges, quàm Principes & Prophetæ, itaque dicunt ligno Crucis. Pater meus es tu, Crux Sancta; & lapidi Sepulchrali Christi: tu me genuisti. Si ergo juxta præceptum Domini, honorandus est Pater, & Mater; colenda ac summè veneranda, amanda est Crux Christi & ejus Sepulchrum. Ipsa natura dictat, inclinat, ac judicat, Crucem Christi & Sepulchrum diligendum & honorandum. Laudemus itaque Parentes nostros, in generatione sua, scilicet Crucem & Sepulchrum, quibus multam gloriam & honorem deberi prædixit Jeremias, dum illis, Patris Matrisque, attribuit titulum ac virtutem.

Secundus textus Jeremiæ, Cap. 3. vers. 7. *Ascendit leo de cubili suo.* Sicut enim cubilia Christi varia fuerunt, scilicet quà Filii Patris Æterni, cubile fuit sinus, in quo ab æterno cubavit, juxta illud: *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris,* Joan. 1. v. 18. Secundum cubile Uterus Beatissimæ, de quo Proverb. 22. v. 27. *Tollat operimentum de cubili tuo.* Cum enim non haberet homo, unde restitueret, Filius Dei de Utero Beatissimæ, ut de cubili, sustulit operimentum, id est carnem humanam assumpsit, & condignam eamque superabundantem satisfactionem exhibuit. Tertium, præsepe: *Cubile mammarum.* Quartum, Crux: *Visio capitis mei in* Ezechiel. 23.
cubili; Dan. 4. v. 7. Quintum, Sepulchrum: *Requiescat in cubili* v. 17.
suo. Isaiæ 57. v. 2. Ita egressus & ascensus de his cubilibus, sub specie variorum animalium, fuerat expressus. Sic primò sub specie Agni; juxta illud: *Emitte Agnum Domine.* Secundò sub specie lepusculi, Proverb. 30. v. 26. Tertiò sub specie cervorum hinnuli; Cantic. 8. v. 14. Quartò sub specie Ovis, hædi, & cæterorum. Pariter & in hoc textu Prophetæ, ascensus Christi de Sepulchro, sub specie & similitudine leonis exprimitur: *Ovis in ligno, LEO for-*

tis in Urna; Hildebertus, Episcopus Turonensis, de Offic. Miss. Carmine penultimò. Sicut enim juxta Amos, Cap. 3. v. 4. *Non dabit Catulus LEONIS, vocem de CUBILI suo, nisi aliquid apprehenderit*: Sic nec Christus de Sepulchro auditus vivere, dedisseque vocem de sua vita, nisi postquam apprehendit mortem & infernum. Tum sicut tribus diebus dormiens leo in cubili, ex eodem fremitu & rugitu patris excitatus, consurgit: Sic Christus post triduum dormitionis in Sepulchro, virtute Dei Patris, & sibi identicâ, fuit excitatus à somno mortis; ut Lyranus in Pròëmio in Evangel. Marc. & hæc verba Genes. 49. *Requiescens accubuisti ut leo*, ibidem exponens addit; *scilicet in SEPULCHRO.* Et subdit in eodem pròëmio, his verbis: *Unde potest exponi de eo, quod dicitur Jeremiæ, 4.* Ascendit Leo de Cubili suo; *quia Christus, qui est leo de tribu Juda, de Sepulchro ascendit virtute propria.*

Tertius textus Jeremiæ, Cap. 13. v. 4. *Tolle lumbare quod possedisti, quod est circa lumbos tuos: & surgens vade ad Euphraten, & absconde illud ibi in foramine petræ. Et abii, & abscondi in Euphrate, sicut præceperat mihi Dominus. Et factum est post dies plurimos, dixit Dominus ad me: Surge, & vade.* Ex hoc textu Jeremiæ erui videtur futura Sepultura & Sepulchrum Christi. Hic enim sermo similitudinarius, directus ad Jeremiam, videtur regulari ad Christum JESUM, qui per Jeremiam significatur: Ut scilicet ad istum excelsum & elevatum ad dexteram Patris, Filium, dicat Pater: *Vade & posside tibi lumbare*; id est assume carnem humanam, per unionem hypostaticam inseparabilem & indisjunctam, quam per lumbare Allegoricè intelligit Cornelius à Lapide hic: Iterum idem lumbare, quod possedisti, scilicet carnem humanam, quæ ad instar lumbaris fuit, excussa, attrita, contusa, fustibus ferreis plexa, fuitque circa lumbos ejus, S. Fulgentius Episcopus habet: *Ille sempiterna Deitatis majestate servata, servile Cinctorium carnis assumens, in hujus sæculi campum, pugnaturus intravit*; hoc inquam lumbare & cinctorium, jubetur tollere Christus ad Euphraten, id est usque ad montem Calvariæ. Sicut enim Euphrates est fluvius, qui oritur in monte; sic grandis fluvius Sangvinis Christi ex Carne, ortus est in monte Calvariæ: & sicut fluvius hic influit in mare rubrum; sic Humanitatis Christi opera redemptionis, finita sunt, & consummata in rubro fluvio Sangvinis effusi in monte Calvario. Et

hoc

hoc facto, jubetur abscondere illud ibi in foramine petræ, quod indicat Sepulturam Christi, per quam lumbare, seu Corpus Christi absconditum fuit ibi, id est ad fluvium Euphratis, montem scilicet Calvariæ, in foramine petræ. Et quod verè sepeliendus sit in Sepulchro exciso in petra, subsequentia innuunt verba; *Abii & abscondi illud, sicut præceperat Dominus.* Dum ergo sic absconsum est in petra Sepulchri Corpus Christi, ecce post plurimos, scilicet tres dies, dixit Dominus, Pater ad Christum: *Surge & tolle inde lumbare*, scilicet Corpus tuum, quod præcepi tibi, ut absconderes in petra Sepulchri. Et ita evenit defacto, surrexit Christus, & tulit lumbare, id est Corpus suum, de loco, ubi absconderat illud, id est de foramine petræ Sepulchralis. Tulit inquam ex eadem petra, multò meliùs, condigniùs, & excellentiùs, quàm ex illa, de qua hìc; non enim quòàd omnia, figura cum suo figurato debet convenire: Cùm ex illo foramine sublatum lumbare, dicatur computruisse, & nulli usui aptum esse; ex petra verò Sepulchri (cui hoc servabatur privilegium) lumbare, id est Corpus Christi, sublatum non computruit, sed decorem indutum, purissimum, velut aqua limpidissima, emanavit.

Quartus textus Jeremiæ, Cap. 14. v 8. *Quasi colonus futurus es in terra, & quasi viator, declinans ad manendum.* In hoc pariter textu, indicari videtur Sepultura Christi. Per colonum enim intelligit Lyranus hìc, Dominum JESUM Christum, qui tunc verè quasi colonus fuit in terra, dum in Sepulchro positus jacuit, & quasi viator declinans ad manendum. Tum quia Hebræi, locô colonus, legunt: *peregrinus:* Christus autem in Sepulchro, velut peregrinus quievit. Tum quia, sicut colonus agrum alienum pretiô conducit, ut eum colendo fructus colligat: sic Christus alienam terram Sepulchri, scilicet ab Arimathæa, pretiô Sangvinis sui conduxit, ut eum incolendo, fructus à nobis colligendos adferret, & ex Sepulchro succum fructûs meritorum nobis protulit. Tum sicut viator non diu moratur in hospitio, per unam alteramve noctem quiescens, tendit ad propria; sic Christus quasi viator futurus est in terra Sepulchri; cum hac tamen differentia, quòd postquam pernoctaverit & transierit, non sit oblitus illius hospitii sui, sed illud curet, illi terræ, sit beneficiis propitius, devastandam non permittens, quæ hospitem & advenam declinantem, breviter ad quiescendum suscepit Christum. Quin-

Quintus textus Jeremiæ, Cap. 15. v. 20. *Et dabo te populo huic in murum æreum, fortem, & bellabunt adversum te, & non prævalebunt; quia ego tecum sum, ut salvem te, & eruam te, dicit Dominus.* Hoc versu firmitas Sepulchri Christi prædicatur: Quisnam, quæso, tam fortissimus datus est murus? quæ tam munita mœnia, ut bellantibus resistant, dirui non valeant? Licetsi Hierosolyma aliæque civitates, tam ingenti compage murorum munitæ fuerint, ut nullæ machinæ, adversus illas valere viderentur, inconcussæ judicarentur; successu tamen temporum, subversi muri tam Jerusalem, juxta Isaiam Prophetam: *Munimenta sublimium murorum tuorum concident & humiliabuntur, & detrahentur ad terram, usque ad pulverem.* Et Jerem: *Murus pariter dissipatus est*; quàm aliarum Civitatum diruti, ut nec ruinæ eorum supersint. Et si quæ ambiunt mænia Urbes, hæc à bellantibus potentiis frangi, concuti ac dejici possunt. Unum propugnaculum, securus murus, scilicet Sepulchrum Christi sexeum dabitur populo, quod erit murus æreus. Sicut enim æs est solidum, durabile & sonorum; ita Sepulchrum Christi saxeum, erit solidum in petra, durabile in sæcula, sonorum, quia gloria illius erit celeberrima in mundo. Contra quem murum Sepulchri, bellârunt Judæi, Persæ, Turcæ, Saraceni, Chorasmini, aliique hostes & inimici fidei; sed non prævaluerunt, nec illud subverterunt; quia Christus verus Deus, qui inte jacuit, eruit te à bellantibus adversum te, & liberat te de manu pessimorum Turcarum, & redimet te de manu fortium. Dominus protectio, munimen, defensor Sepulchri sui.

Cap. 25.

Sextus textus Jeremiæ, Cap. 17. v. 12. *Solium gloriæ altitudinis, à principio, locus sanctificationis nostræ, expectatio Israel.* Hi tituli Symbolicè & Allegoricè videntur proferri de Sepulchro Christi. Futurum enim est Solium gloriæ altitudinis, id est Christi Corporis, uniti Personæ Verbi, quæ in altis habitat. Et de quo Ezech. 43. v. 7. dicitur: *Locus Solii mei, & locus vestigiorum pedum meorum, ubi habito in medio filiorum Israël.* In Sepulchro enim in medio Ecclesiæ, sive mundi posito habitavit, & habitat Christus in laude sua. *A principio*, scilicet ab inchoatione Regni Christi; & ibi majestatem gloriæ suæ ostendit, dum vivus, impassibilis, gloriosus, à mortuis resurrexit, lapidem intactum reliquit. Angelos Nuntios suæ vitæ, in ipso loco præcones posuit. *Locus sanctificationis*;

tionis; tum quia Sepulchrum, nisi purus Sanctus, & in gratia constitutus ingreditur; tum quia & ex illo sanctificati sumus, & ibidem sanctificatur Nomen Christi. *Expectatio Israel*; quia Patres antiqui spes suæ resurrectionis habebant, in Sepulchro Christi repositas; & Sanctorum populus, qui tenebatur in morte Captivus, expectationis potitus desideriis, à Christi Monumento.

Septimus textus Jeremiæ, Cap. 31. v. 40. *Sanctum Domini non evelletur, & non destruetur ultra in perpetuum.* Hoc textu Jeremias prædicit Sanctitatem Sepulchri Christi, ejusque permanentiam, ac durationem usque in perpetuum, conformiter ad 4tum textum. Lyranus enim per Sanctum Domini, intelligit Sepulchrum Christi, taliter exponens: *Sanctum Domini non evelletur, id est SEPULCHRI ædificium, quod Saraceni capientes Civitatem, non destruxerunt, sed magis honorificè reservaverunt usque hodie, sicut dicunt illi, qui viderunt, & in scriptis reliquerunt.* Ad idem Sepulchrum Christi, dictis verbis alludere dicit Prophetam, & Cornelius à Lapid: hìc: addens peregrinari ad illud ex toto orbe fideles. Et Angelus del Pas in Exposit. Symb. Apostol: *SEPULCHRUM Christi perpetuò duraturum adstruit Jeremias his verbis*: Sanctum Domini, *hoc est MONUMENTUM*, non evelletur & non destruetur ultra in perpetuum. Libr. 7. de Artic. 5. cap. 34. Ratio est ex D. Thoma, Doctore Angelico, 1. part. qv. 73. Art. 3. in corpor: Quia res Deo dedicatæ Sanctæ dicuntur. Sepulchrum Christi, Corpore ejus, & Persona Verbi, ac Deo ipsi hucusque est dedicatum. Ergo Sanctum dicendum.

Octavus textus Jeremiæ, Cap. 38. v. 6. *Tulerunt ergo Jeremiam, & projecerunt eum in lacum, & submiserunt Jeremiam in funibus in lacum, in quo non erat aqua, sed lutum.* Quod Jeremias fuit typus Christi, supra dictum ex Lyrano, & Cornelius hìc; hoc factum, quod exprimitur in hoc textu, denotabat demissionem Christi de Cruce in Sepulchrum. Primò, nomine laci, significari solet in scripturis, Sepulchrum Christi; constat ex his Psalmi verbis: *Et eduxit me de lacu miseriæ, & deluto fæcis, & statuit super petram pedes meos.* Psal. 39. v. 2. In quibus verbis, Corpus Christi, dicit se à Divinitate eductum de Sepulchro, quæ laci miseriæ sunt, & fæces luti, id est corpora corrupta in illis hominum, sunt una fæx luti, quamvis hoc tantùm communibus Sepulchris mortalium conveniebat, non verò Sepulchro Dei Hominis. Super quam petram statuit pedes suos;

ſuos; hæc enim fuit lacus felicitatis, & lutum immortalitatis, ac formati hominis in ſplendidiſſimo ornatu. Et hoc ipſum fatetur Paulus de Palacio, in Matth. cap. 27. *Eduxit me de lacu miſeriæ. Lacum miſeriæ, ſcripturæ SEPULCHRUM nominant. Cantat ergo Chriſtus, cùm ſe ſuprà lapidem MONUMENTI vivum collocavit. Eduxit me Deus de lacu miſeriæ mortis, & de luto illo inferni, quò animæ deſcendebant, ſtatuitque ſupra hoc Monumentum, quod eſt exciſum de petra, pedes meos, & direxit greſſus meos, ut in cælum aſcendant.* Imò & in particulari luti nomine, Sepulchrum Chriſti prædictum fuit in illis verbis Pſalmi 68. v. 3. *Infixus ſum in limo profundi, & non eſt ſubſtantia*, qui limus idem eſt, quod lutum. Lyranus enim exponit in verſ. 8. ſic: *Chriſtus dixit ſe infixum in luto, eo quòd mortuus fuit, & poſitus in SEPULCHRO*; idque poſitus & infixus huic luto, id eſt Sepulchro, ita, ut non ſit ſubſtantia, non intelligendo hic Divinitatem, & Perſonam Divinam Verbi; quia hæc ſubſtantia fuit unita Corpori Chriſti, ſed intelligendo Animam rationalem, quæ nomine ſubſtantiæ intelligi ſolet. Sicut ergo qui cadit in lutum, & infigitur limo, citò ex illo reſurgit, & conatur exilire; ita Chriſtus, quia in Sepulchro non diu jacere debuit, propterea comparat ſe homini cadenti in lutum. Unde in ſubſequenti verſu 15. ejusdem Pſalmi petit: *Eripe me de luto, ut non infigar*; in quæ verba commentatur Michaël Aygvani: *Sciendum, quòd hîc per lutum intelligitur Chriſti SEPULCHRUM, quamvis exciſum eſſet in petra; quia omnis lapis eſt de luto vel terrâ productus. Vel ſecundùm aliquos, quamvis SEPULCHRUM Chriſti fuit cavatum in ſaxo vel in petra, tamen ibi, ad ornamentum ſpeluncæ, erant aliqua opera de lateribus facta, qui lateres propriè de luto efficiuntur. De iſto ergo luto Sepulchri, Chriſtus orat, ne ſuum Corpus in eo infigatur. Infigitur enim res in luto, quando ſic in ipſo profundatur, quòd inde faciliter extrahi non poteſt. Et hoc eſt, quod dicit*: Eripe me de luto, ut non infigar; *id eſt, eripe Corpus meum de SEPULCHRO, ne ibidem per corruptionem infigatur.* Cum itaque ex locis his Sacræ Scripturæ, & laci & luti nomine, ſignificatur Sepulchrum Chriſti, & Jeremias Perſonam Chriſti gerebat; dum hic projicitur & ſubmittitur in lacum in quo erat lutum, expreſſa figura fuit, Chriſti mittendi in Sepulchrum. Sicut enim Jeremias ab adulatoribus iniquis, de Regis & Principum conſenſu, ob verbum Dei & veritatis,

Comment. in Pſalm. f. 542.

inno-

innocens missus est in lacum & lutum; sic Christus ab impiis Judæis, consentientibus Principibus, & Summo Sacerdoto, quod manifestaverit Nomen Dei Patris, veritatem, infallibiliaque testimonia futura promulgaverit; innocentissimus mittitur in Sepulchrum. Ejus rei veritatem sequitur & firmat Salianus Avenionensis in Annal. Eccl. Tom. 4. mihi fol. 386. num. 32. *Jeremias missus in profundum laci, unde eductus est vivus, SEPULCHRUM Christi Domini, & Resurrectionem præfigurat; & ille Abdemelech curam illius habens, Josephum ab Arimathæa.*

Nonus textus Threnorum ejusdem Jeremiæ, cap. 1. v. 4. *Viæ Sion lugent, eo quòd non sint, qui veniant ad solemnitatem.* In quo textu, lamentatur Propheta super futuro defectu, quod propter persecutionem Saracenorum & Turcarum, interrumpetur tantisper visitatio S. Sepulchri; veluti diceret: Lugebit Christianitas super viis suis, eo quòd propter hostiles occupationes Civitatis Sanctæ, non erunt, qui possint venire ad solemnitatem, nempe ad visitandum Sepulchrum Sanctæ Resurrctionis. Tali hujus lamentationis expositione, utitur in sua Oratione, de recuperandis Hierosolymis, habita in Concilio Lateranensi Innocentius III. *De corporali transitu, clamat ad nos miserabiliter Hierusalem in Threnis per Jeremiam:* Viæ Sion lugent, eo quod non sint, qui veniant ad solemnitatem; facti sunt hostes ejus in capite, *loca Sancta prophanata sunt universa, & SEPULCHRUM Domini est inglorium, quod solebat esse gloriosum, ubi colebatur Unigenitus Dei Filius JESUS Christus, modo colitur filius perditionis Machometus &c.* In suis metris luctuose iisdem verbis, canit Magister Berterus Aurelianensis:

Juxta Threnos Jeremiæ, Verè Sion lugent viæ;
Quod solemni non sit die. Qui Sepulchrum visitet,
Et casum resuscitet. Hujus Prophetiæ.

Decimus textus Threnorum ejusdem Jeremiæ, cap. 3. v. 6. *In tenebrosis collocavit me, quasi mortuos sempiternos. Circumædificavit adversum me, ut non egrediar, aggregavit compedem meum conclusit vias meas lapidibus quadris.* Integro hoc capite, cum Christi pressuræ, anxietates, morsque prænuntietur; hæc verba Sepulchrum Christi, ac ejus Sepulturam demonstrant, & excellentiam Sepulchri Christi in eo extollunt, quòd Christus ibidem non fuerat mor-

tuus ſempiternus, & quòd virtutis meritô, ſit appoſita cuſtodia, ac Eccleſia ſuperædificata. Hic textus, utpote Sepulchri Chriſti figurativus, ponebatur pro Antiphona quarta in primis Veſperis Feſtis S. Sepulchri, in Patronis Ordinis Noſtri, Regni Galliæ. Primô enim dicitur: *Collocavit me in tenebroſis, quaſi mortuos ſempiternos*; id eſt, dum collocabunt me Chriſtum in tenebroſo Sepulchro, Judæi ſic exiſtimabunt me ibi eſſe, ſicut alii mortui in ſempiternum, ad diem judicii, ſuorum corporum expectantes reſurrectionem, non intelligentes gloriam hujus Sepulchri, & meam in moriendo libertatem. Et ad hunc ſenſum S. Athanaſius Alexandrinus, cum verbis Pſalmi 92. de Sepulchro accipit, quaſi Chriſto loquente: *Poſuerunt me in fovea profundiſſima, in tenebris, & in umbra mortis.* Paſchaſius, Ratbertus Abbas, exponit dicta verba: *Collocatus in tenebris SEPULCHRI, ſed non mortuus ſempiternus, quia inter mortuos liber, quia ſine peccato: unde citò reſurrexit.* Et. D. Bonaventuram allegat Ghislerius infra citandus, cujus & ipſe eſt ſenſûs, dicentem: *In tenebris collocavit me, id eſt in SEPULCHRO.* Dicitur: *Circumædificavit adverſum me, ut non egrediar*; id eſt cohortem Judæorum, per modum obſidionis, apponent Sepulchro, ut de illo non egrediar, illudque aggravabunt ferrô, concludentes clauſuram, ut compedibus vinctum; teſtatur enim Beda de locis Sanct. cap. 2. apud Baronium, etiam ſuis temporibus, ſuperimpoſitum lapidem Sepulchro Chriſti pro operculo, monſtraſſe veſtigia ferreorum vinculorum. Et Michaël Ghislerius, Clericus Regularis, ſimiliter ad Sepulchri cuſtodiam refert hæc verba. *Concluſit vias meas lapidibus quadris.* Olympiodorus in Catena Græca, de Domini Sepulchro, propter ſigna ejus Monumento adjecta, intelligit. Iſidorus Hiſpalenſis, ad Florentinam Sororem, libr. de Regn. Chr. cap. 50. affert hanc ſententiam, ad probandum prænuntiatum lapidem, ad oſtium Monumenti Chriſti ponendum. Tyrini explicat: *Concluſit lapidibus quadris vias meas; id eſt firmiſſimo & magno illo ſuperimpoſito lapide, ne qua parte poſſim erumpere & evadere, omnem ſpem & modum evadendi è SEPULCHRO præripiens.* Vel via petræ incognita, & ſemita ignota, protunc concluſa, dum Helena Imperatrix lapidibus quadris, & talibus in figuram quadratam, prænobile extruet templum, & eandem ſemitam Sepulchralem, occultabit ſtructurâ ſuper illud erectâ, univerſo admirandâ.

Tom.2.Oper. f. 321. quæſt. ad Antioch.

Tom. 3. pag. 128.

Unde-

Undecimus textus Thren. Cap. eodem v. 28. *Sedebit ſolidarius & tacebit, quia levavit ſe ſuper ſe. Ponet in pulvere os ſuum, ſi fortè ſit ſpes.* His verbis Sepulchrum Chriſti glorioſum deducitur, quia eſt manifeſtativum ſingularis potentiæ Chriſti, & ejus humilitatis, ac aliarum virtutum. Prima enim verba ſic Jacobus Tyrini, recentiſſimus Expoſitor explanat: *id eſt in SEPULCHRO manebit patiens, & tranquillus, ſolitarius, nullo humano auxilio vel ſolatio inhians, ſolius Dei Patris nutu contentus:* & tacebit, *ac generosè feret, quia non reluctans, ſed lubens ac lætus, levabit ſe ſuper lapidem SEPULCHRI.* Quæ expoſitio dictorum verborum, multas exponit virtutes, quarum demonſtrativum eſt Sepulchrum; Eſt enim primò locus ſolitudinis, expreſſus his terminis: *Sedebit Solitarius*, quaſi vitæ ſolitariæ & anachoreticæ, inſtitutum ſit cœptum à Chriſto in Sepulchro, vel approbatum fuit per amorem ſolitariæ ibi ſeſſionis, quam profitetur Propheta, in Sepulchro à Chriſto exercendam. Sic ergo juxta S. Hieronymum, ſolitudo eſt paradiſus, mihi ſolitudo Sepulchri Chriſti, Seceſſus in illam, concluſio in eadem, paradiſô melior. In hac ſolitudine magnus natus eſt lapis, fructus arboris eximius, ibi familiaritas cum Deo præſtantiſſima, hujus me ſolitudinis lapis, plura docebit, quàm à Magiſtris audire poſſum; ut olim dixerat D. Bernardus, de ſolitudine. Secundò, locus confidentiæ Dei, certæ ſpei auxilii Divini, à quo diſcimus non humanis promotionibus, ſed Divinis tutò ac firmiter inhærere ſuppetiis, ac illis ſat eſſe contentum. Tertiò, eſt locus patientiæ; quia forti pectore, mente tranquilla, absque murmuratione in illo jacebat, & generosè ferebat, quidquid acciderat. Quartò, eſt locus tranquillitatis, ſilentii inviolati. Quintò, eſt locus exactiſſimæ obedientiæ, eaque promptiſſima, dum ex illo absque cunctatione, reluctatione, non invitus, levavit ſe ſupra ſe, id eſt ſuam voluntatem humanam, Divinæ ſubjiciens. Hæc verò ſubſequentia: *Ponet in pulvere os ſuum, ſi forte ſit ſpes*, coincidunt cum illis Pſalm. 21. vers. 16. *In pulverem mortis deduxiſti me*; quæ S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 14. de Sepultura Chriſti intelligit. Baſilius & Theodoretus apud Gloſſam: *Traditus eſt SEPULTURÆ, quod pulverem mortis nominat eo, quod pulvere obducuntur, qui ſepeliuntur.* Sebaſtianus Barradius eadem verba Pſalmi 21. ſic exponit: *In pulverulentum SEPULCHRUM, quò mors homines condit, deduxiſti* Tom. I. Libr. 3. cap. 22. fol. 114.

sti me, etenim Corpus Christi Sanctissimum, SEPULCHRO quidem conditum est, in pulverem autem non est redactum. Chaldæus interpretatur: *In domum SEPULCHRI, conclusisti me.* Remigius Episcopus Antisiodorensis: *id est permisisti me in SEPULCHRO includi, quasi solvendum in pulvere.* Ita & hæc Prophetæ de eadem Sepultura procedunt. S. enim Ambrosius legit: *Dabit in SEPULTURÆ fossuram os suum.* Quæ utraque sunt expressiva humilitatis Christi in Sepulchro. Tyrini enim citatus supra, hæc verba: *Ponet in pulvere &c.* explanat: *id est humiliabit se in SEPULCHRO.* Item in pulverem; *id est ad fundum se dejiciens, si forte hac sui dejectione ac humili prece, spei suæ voti compos fiet, præservatione à corruptione sui Corporis, & resurrectione.* Christus ut compos fieret sua resurrectionis, tam profundè se in Sepulchrum humiliavit, ut usque ad fundum illius se dejecerit: quantò magis tibi studendum humilitati, abjectioni, contemptui, ut resurgas ad majorem ascensum virtutum, & gradum obtineas beati honoris, humilia te usque ad ima Sepulchri Christi, cùm juxta S. Augustinum: *Mors & SEPULTURA, humiliatio ejus est, gloria resurrectio.* His visis & attentis, quis negabit dici hìc gloriosum Sepulchrum? cùm gloriosarum tantarum virtutum Christi, ac exemplorum imitandorum à nobis, hac prophetia deducatur in illo congeries.

Enarrat. in Psalm.

In Psal. 118. Serm. 18.

Duodecimus textus Thren. cap. eodem vers. 53. *Lapsa est in lacum vita mea, & posuerunt lapidem super me.* Quænam hæc est quæso vita mea? nisi Christus Dominus, qui mihi vitam morte sua dabit, & mortuus jacens, vivere me faciet. Hæc inquam vita mea, lapsa est in lacum Sepulchri. Hìc enim nomine lacûs, Sepulchrum Christi intelligitur, & præfiguratum esse sub hoc vocabulo, in mansione filiorum Isràël, Numer. 33. de qua dicitur: quòd *venerunt ad paludem & lacum*; per quem lacum intelligit Angelus del Pas, Exposit. in Symb. Apost. Speluncam Sepulchri Christi, ad quam secundùm Corpus descendit. In hunc locum Sepulchri dum lapsa est vita, posuerunt lapidem, scilicet, explicat Tyrini; *Sepulchralem, seu superos putei, in quo Sepultus jacebam.* Et D. Cyrillus Hierosol. Catech. 13. ajens de vaticiniis Sepulturæ Christi, hunc ipsum textum de integro adducit, subjungens: *Lapis angularis electus & gloriosus, in interiori lapide positus est, ad modicum tempus.* Et D. Cyprianus in Symb. Apost. fol. 371. *Sepultus quoque perbi-*

Libr. 7. de Artic. 5. cap. 29. fol. 369.

perhibetur, & lapis magnus positus ad ostium Monumenti. Accipe etiam de hoc, quid propheticus per Jeremiam sensus prædixerat. Mortificaverunt (inquit) in lacu vitam meam & posuerunt lapidem super me: *evidentissima hæc SEPULTURÆ signa, propheticis vocibus designata sunt.* Hujus sensus est & Paschasius, apud Glossam hic fol. 98r. Vincentius Gilibertus Clericus Regularis, super Psalm. 2. v. 1. fol. 27. Rupertus Abbas lib. 5. de Divin. Offic. quæ verba coincidunt cum verbis Psalm. 87. v. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis*, quæ de Sepultura Christi prædixit David, juxta Anastasium Abbatem contra Judæos. Et Nicetas Choniates, in Thesaur. Orthodox. fid. de Incarn. Verb. Divin. cap. 1. libr. 3. dicit, hæc verba Davidem de Sepultura Domini cecinisse.

CAPUT III.

Ex locis Ezechielis Prophetæ, deducitur gloria Sancti Sepulchri.

Primus textus Ezechielis, Cap. 9. v. 6. *Omnem autem, super quem videritis TAU, ne occidatis.* Hunc textum multi Expositores Sacræ scripturæ, intelligunt de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis, cujus literæ tres in una voce, exprimunt Trinitatem Personarum; scilicet Tonantem, id est Patrem; Amorem, id est Spiritum Sanctum; Verbum Divinum, cujus signaculô, qui insigniti non fuerint, judicati sunt ad internecionem. S. Hieronymus, Tertullianus hic apud Glossam, multique apud Cornelium citati, per literam. *Tau* Signum S. Crucis ex Hebræo accipiunt; adeoque legunt & pro eodem accipiunt *signa Tau*, & *signa Crucem*, quæ signum sit liberandorum à nece. Sed quia Crux Christi & Sepulchrum, erant sibi contigua, uni inclusa loco, in una Ecclesia venerabantur, & sunt sibi correlativa; id eo dum Christi Crux, dicitur in illa exprimi litera, simul exprimitur & Sepulchrum Christi. Ita scilicet, ut illius vocis, tribus literis *Tau*, significetur: Tumulum Ama, sive Adora, Verbi; quod tam per Crucem Christi, quàm amorem tumuli illius, salutem consequimur. Ita ut si hæc signa professionis Christianæ, eaque characteristica, passus, mortuus, sepultus, & resurrexit, manifesté pateant in frontibus nostris;

ſtris; id eſt ſi Crucem Chriſti frequenter recolamus mente, & Sepulchrum Chriſti ſaltem eadem adoremus, amemus, verſemurque in Crucis ac Sepulturæ conſideratione, conformantes vitam noſtram Cruci Chriſti, ac ejus Sepulchro; jam eo ipſo exempti & liberati ſumus perditione æterna: ut omnis, ſuper quem, id eſt in cujus vita, viſum fuerit ſignum S. Crucis, & amor tumuli Chriſti, non occidatur, ſed vitam æternam habeat.

Secundus textus Ezechielis, Cap. 24. vers. 7. *Sangvis enim ejus in medio ejus eſt, ſuper limpidiſſimam petram effudit illum.* Hoc caput prophetiæ Ezechielis, ad tempus Dominicæ paſſionis, pertinere dicit S. Hieronymus, libr. 7. Commentar. adeoque & hæc verba referri poſſunt ad Sangvinem Chriſti, effuſum tempore illius; ita, ut ſenſus ſit: quod Sangvis Chriſti ſit in medio ejus, id eſt Jeruſalem, quæ in medio ſita eſt, juxta Lyranum multis in locis, & Civitas ſangvinum dicta. Ita per medium, Sepulchrum Chriſti intelligi poteſt: Hoc enim participavit ab utroque extremo, à Cruce Corpus, ab inferno Animam, à cælo perſonam Verbi. In hoc utroque medio Sangvis ejus fuit, ſcilicet tam in Jeruſalem, quàm Sepulchro; quem ſuper hanc petram limpidiſſimam effudit, id eſt continebatur in Sepulchro, & qui fuerat ſparſim effuſus, ibi collectus. Sepulchrum enim petra limpidiſſima eſt; quia clariſſima per totum orbem; puriſſima, illimis, absque fætore, cryſtallina, quam Sol transverberavit, absque ulla fractione; velut Vatablus legit apud Cornelium: *in eminenti petra*, qualis eſt petra Sepulchri Chriſti: quia tam multis laudibus, in altum ſublimata. Hanc fuiſſe & limpidiſſimam, & Sangvine Chriſti cruentam, Reverendisſimus Bonifacius Stagni, Epiſcopus Racuſinus teſtatur, his verbis, in ſua Epiſtola, de illa ſcribens: *Erat locus Sacroſancto Domini JESU cruore, ungventô illô, quô ad SEPULTURAM unctus fuerat, permixtô, tanquam fulgentibus ſolis radiis, undequaque lucens; quem piis conſpeximus gemitibus, & deoſculati ſumus.* Dicitur autem propterea: *Super petram limpidiſſimam*, id eſt ſuper Sepulchrum effuſus fuiſſe, non in terram aut in pulverem; quô denotatur, Sepulchrum Chriſti fuiſſe ſedem, receptaculum Sangvinis Chriſti: qui quod non ſit diſperditus, neque à terra, pulvere abſorbtus, aut abſconditus; teſtis eſt Sepulchrum Chriſti, in quo continenter aſſorvatus; ſuper hanc limpidiſſimam petram, qui effuſus eſt; ut

ut hæc esset testis publicus & apertus contra eos, qui eum effuderunt; adeoque in petra Sepulchri, in medio mundi sita, vestigia non obliterata, sed publica Sangvinis Christi, ac ejus memoria, remanere dicuntur firmiter ac perenniter. Quia quòd Sepulchrum est testis mortis Christi, & ejus homicidii, omnibus extremitatibus mundi; hæc verba asserunt: *Sangvis ejus in medio ejus est. Dedi Sangvinem ejus super petram limpidissimam, ne operiretur.*

Tertius textus Ezechielis eodem cap. v. 41. *Sedisti in lecto pulcherrimo, & mensa ornata est ante te, thymiama meum, & ungventum meum posuisti super eam.* Hoc oraculum appositè accommodari potest Sepulchro Christi; ut dicatur sessionis nomine, quæ accipi solet pro quocunque situ, significari cubationem Corporis Christi futuram, in loco pulcherrimo, id est in Sepulchro. Hoc enim S. Willibaldus, Episcopus, qui ante octingentos octoginta annos, Hierosolymam peregrinatus fuit, in suo Hodæporico describit: *Et in Orientali plaga, in illa petra Sepulchri, est janua, per quam intrant homines in Sepulchrum orare; & ibi est lectus, in quo Corpus Domini jacebat; & ibi stant in lecto quindecim crateres aurei cum oleo, ardentes die noctuque. Ille lectus, in quo Corpus Domini jacebat, stat in latere Aquilonis, intus in petra Sepulchri, & homini est in dextera manu, quando intrat in Sepulchrum orare.* Est lectus pulcherrimus, quia Christus mihi pulcherrimus in Sepulchro; tum quia novum & purum; tum quia pulchros in anima & fide suscipit; tum quia nullo putrido, fœdatus corpore. Hic lectus mensâ ornatus est; quia ipsum Sepulchrum pro altari deservit, penes quod tanquam in mensa, mysteria sacra peraguntur. *Et thymiama & ungventum positum est super eam*; quia in Sepulchro Christi, fuerunt aromata & ungventa, & in eo exhibetur cultus Deo proprius, per incensationem. In suo Itinerario Joannes Cottovicus tradit: *Supra Sacrum MONUMENTUM quotidie mysteria celebrantur; singuli tamen altare ipsum, seu Sacrum Christi MONUMENTUM, thure quotidie adolent*: Adoletio autem exhibiti honoris ac cultus fit obsequiô.

Quartus textus Ezechielis, Cap. 4. vers. 46. *Gazophylacium quod respicit ad viam Aquilonis, Sacerdotum erit, qui excubant ad ministerium Altaris. Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum, ut ministrent ei.* Totus ibi Sermo est, de templo materiali Salomonis; quod quia fuit figura Templi Resurrectionis Christi;

dictum sub tali titulo. Decora Templi Salomonis intra contenta, fuerunt figura Sepulchri intrò contenti in Resurrectionis Templo; ut jam patuit in *ARCA, ALTARI, SANCTO SANCTORUM &c.* Inter alia tamen Templi Salomonis ornamenta, fuerunt gazophylacia quindecim (ut videre est apud Lyranum.) Pariter in Sepulchro Christi, quod Templum, quod gazophylacium fuit, (constat ex supra dictis) quinque pretiosissima gazophylacia, id est quinque Vulnera in Corpore Christi fuerunt, quæ in eodem asservata, pretiosissimum Sepulchri gazophylacium reddiderunt. Cujus autem gazophilacii figuram, in particulari, gessit Sepulchrum Christi? mihi videtur hujus, quod exprimitur citatis verbis Ezechielis: Sepulchrum enim esse gazophylacium, patet ex titulo superiùs expresso, & ex fol. 187. Et si juxta Ovidium: *Troja pro divitiis, tumulos ostendit avorum.* Nobis post desolatam Hierosolymam, Christus pro maximis divitiis, tumulum suum reliquit, quod est universorum desiderabilium repositorium; ibi illud tantò ditatum peculiò, quod pro salute orbis æstimatum est. Quòd autem hoc gazophylacium, sit inter portam Aquilonis & Orientis, ratio est: Tum quia Sepulchrum Christi, respiciebat & Corpus Christi, quod in frigore mortis possidebat, & ortum ejusdem. Tum quia Sepulchrum Christi respicit & frigidos peccatores, qui ad illud sunt conversi, & orientem, id est fideles, charitate Dei illuminatos. Tum quia omnes ferè Authores describentes Sepulchrum Christi, censent, quòd introitum habeat ab Oriente: jam autem in Aquilonari parte Monumenti, est ipse locus Sepulchri Domini, in quo jacuit; ut Beda S. Willibaldus, adductus in tertio textu, & tam plurimi. Itaque Sepulchrum Christi, gazophylacium est, respiciens viam Aquilonis, id est frigidis peccatoribus est patens, ut illud adeant, si velint accendi ad charitatem Dei. Hoc autem gazophilacium, ad quos debere pertinere, & quorum esse Sacerdotum, jure possessionis? non aliorum, nisi illorum, qui excubant in ministeriis Altaris, scilicet Canonicorum Regularium, Custodum S. Sepulchri. Et quod illorum determinatè sit futurum gazophylacium, illi possessuri sunt hoc ærarium; ratio est: Tum quia hic dicuntur Sacerdotes, qui custodiunt altare, hoc est ignem altaris perpetuum; ut explicat hîc Cornelius. Hi autem Canonici erant, qui custodiebant Altare Sepulchri Christi, ac ejus Ecclesiam, ex quo ignis quotan-

Libr. 10. in Metam.

quotannis in Sabbato Sancto ardebat, & reaccendebatur. Tum quia statim his verbis: *Isti sunt filii Sadoc, qui accedunt de filiis Levi ad Dominum*, exprimi videntur. Quasi quærendo Propheta: Quinam erunt hi Sacerdotes, quorum erit gazophylacium? & qui custodient ignem perpetuum? Respondet his verbis: *Isti sunt filii Sadoc &c.* Sadoc autem interpretatur *Justus*; ut patet ad finem Bibliorum in nominum interpretatione. Et S. Gregorius dicit: *Sadoc, latinè dicitur justus.* Quem quæso tam aptè, nisi S. Jacobum Minorem figurabat, cujus communis fuerat appellatio & nomenclatura: *Justus*; ut constat cuilibet legenti vitam ejus. Tum quia sicut Sadoc in Templo Salomonis, primus sacrificavit, & munia Sancta obivit, tanquam Pontifex illustris, hic Cornelius; sic S. Jacobus Minor, primus Ecclesiæ Hierosolymitanæ Episcopus in Ecclesia montis Sion, ex cænaculo Christi facta, primus inter Apostolos missam celebravit; cui propter excellentiam famæ sanctitatis, ipsi Apostoli hunc honorem fecerunt. Sive primus intelligatur celebrasse cum solemnitate, seu Pontificaliter, ut sic testatur S. Antoninus, hujus vitam describens. Hujus proinde Sadoc, id est S. Jacobi Minoris, Justi vocati. Filii, non alii nisi Canonici Regulares S. Sepulchri Custodes, qui & de filiis Levi accedunt, id est qui sunt Levitæ, seu in Levitis figurati: hi inquam erunt excubantes ad gazophylacium Sepulchri; istorum Sacerdotum est gazophylacium, quod respicit ad viam Aquilonis, id est Custodes, excubatores, possessores erunt S. Sepulchri ad Aquilonem positi, Levitæ Canonici Regulares à Sadoc, id est Jacobo Justo, Pontifice Hierosolymitano immediatè, ut filii procedentes & geniti. Ad quorum satis fortunam est, juxta illud: *Hoc ego regnum. Possedi, de quo nunc satis est tumulus.*

Homil. 22. in Ezechiel.

Part. Hist. tit. 6. capitul: 8.

Samuel Nakielski in Antiquit. Ord. nostr. Histor.

Petr. Lull. in Mausol. S. Jacobi.

Quintus textus Ezechielis, Cap. 17. à. vers 22. ad 24. *Et plantabo super montem excelsum & eminentem. In monte sublimi Israël plantabo illud, & erumpet in germen, & faciet fructum, & erit in cedrum magnam, & habitabunt sub ea volucres cæli.* Hoc lignum humile, & lignum aridum, de quo ibidem vers. 24. non aliud intelligo, nisi Corpus Christi, humile & aridum in Passione, quod non alibi plantatum, nisi in horto Sepulchri, ad montem excelsum & eminentem; nimirum juxta expositionem Septuaginta Interpretum, Montem Calvariæ, consito, & situato, ex quo erupit ger-

men, juxta S. Ambrosium, homil. 3. *Ita germinat de SEPULCHRO, ut germinantia & nitentia cuncta reperiat.* Et fecit fructum, & ex Sepulchro excrevit in cedrum magnam, ut sub hac arbore volucres cæli habitent; ut patet ex titulo: *Hortus*, & patebit infra in figuris novi testamenti. In horto enim Corpus Christi, quod fuit lignum aridum, in florentissimam, odoriferam, & immortalem, ac sublimem totò cælô, excrevit cedrum.

Sextus textus Ezechielis, Cap. 44 v. 2. *Et dixit Dominus ad me: Porta hæc clausa erit, & non aperietur, & vir non transibit per eam; quoniam Deus Israël ingressus est per eam; eritque clausa Principi, Princeps ipse sedebit in ea.* Textus hic ordinarie, sive quoad allegoriam, sive quoad literam, à S. Hieronymo, Chrysostomo, Ambrosio, Augustino, exponitur pro honore integralis Virginitatis, Beatæ MARIÆ; sed quia integritas, puritasque Sepulchri Christi, juxta S. Ambrosium, Petrum Chrysologum, & Epiphanium, aliosque assimilatur puritati & integritati Virgineæ Christi; & Christophorus Vega, in Theologia Mariana dicit: *SEPULCHRUM illud Virgineum, Marianam alvum repræsentabat*; ideo & in gloriam Sepulchri Christi, hic textus intelligi potest taliter; ut nomine portæ clausæ, significetur Sepulchrum Christi. Etenim Arabicus hìc vertit, *portam clausam annulo*: quo clausum erat Sepulchrum Christi atque signatum: hortus item fuit conclusus & septus; ex titulo *Hortus* patet; clausum erat, quia nulli patens cadaveri communi; propterea nullus vir mortuus transivit per portam Sepulchri; quoniam Dominus Deus Israël Christus, ingressus est per eam. Et Sepulchrum fuit porta Principis; tum quia Principis & Senatoris Josephi ab Arimathæa; tum maximè, quia Christi Redemptoris nostri, qui primus in eam ingressus est. *Et erit clausa*, quia Dux sedebit in ea; id est dum ponetur Dux noster Christus & jacebit, occludetur desuper, signabitur, ac sic futura est clausa; ut dum Princeps transibit in corpore, nullo modo per apertionem claustri ac sigillorum reserabitur. Geminum itaque & Sepulchri, & partus Christi, videtur esse Symbolum, porta hìc expressa; tum quia fuit ad orientem, scilicet continebat in se Christum, cujus est nomen Oriens; tum quia clausa erat & non aperta: licetsi enim Sepulchrum esset ante apertum, antequam inferretur Christus, fuit tamen clausum ingressui populari mortuorum; quia nullus unquam

Palæstr. 19. marg. 20. fol. 133.

quam mortuus illud intravit; & de petra Monumenti verificatum: Vir, id eſt puri hominis corpus, non intravit per eam. Tum quia clauſa fuit Principi: non enim dum fuit clauſum, violatum eſt partu corporis, ſed reddito etiam Corpore, purum patuit & inapertum. Tum quia juxta Hugonem Carenſem Cardinalem, porta erat clauſa ad honorem Principis: Judæi dum clauſerunt Monumenti petram, honoris ergò fecerunt; ut ſic & Chriſtum, Divina reſurrectione, & tumuli integritatem honorarent. Tandem quia Sepulchrum fuit ad uſum ſolius Chriſti, Princeps ipſe Chriſtus jacebat in eo; adeoque per hoc debet eſſe magnæ reverentiæ. Et dicitur hîc ter: *portâ clauſâ;* vel quia per triduum occluſum fuerat Sepulchrum; vel quia Sepulchrum Virgo erat ante partum, quia mundiſſimum, novum, nullâ macula fœdatum. Virgo in partu; quia per Sepulchri portam clauſam, Chriſtus tranſivit glorioſus, Monumentum dimittens intactum, infractum, inapertum; ut dum illud glorificavit Divinitate, implevit Corpore, nec caſtitatem imminuit, nec clauſtra effregit. Virgo poſt partum; quia nemo ibi poſt jacuit: & quamvis apertum foret poſt Chriſti reſurrectionem; tamen primæ dignitatis Angelus, qui innocentiſſimus erat, qui virgineum annuntiavit partum, & illius deſtinatur reſerationi, ut Sepulchri virginitatem poſt partum demonſtraret. Et editô Chriſtô tam caſtum & purum eſſe, ut ſolis puris Spiritibus, vel Spiritualibus Viris innocentiam, purorum Spirituum imitantibus, ſit permiſſum illud ingredi ac commorari.

In Ezech. cap. 1.

CAPUT IV.

Ex locis Danielis Prophetæ, deducitur gloria Sanctiſſimi Sepulchri.

Primus textus Danielis, Cap. 2. v. 35. *Lapis autem, qui percuſſerat ſtatuam, factus eſt mons magnus, & implens univerſam terram.* Ut in aliis, ita in Scripturæ locutionibus, effectus cauſarum principalium, ſolent attribui inſtrumentalibus. Percuſſio Statuæ attributa lapidi, licetſi procedebat à Chriſto Domino, qui diabolum illam ſtatuam ſuperbam & altam, meritô paſſionis ſuæ dejecerat

 ac

ac percusserat. Quia tamen fuit per varia instrumenta operata, & insuper per lapidem Sepulchralem; ideo hic lapis dicitur percussisse statuam, idque in pedibus ferreis, dum anima portas ac vectes ferreos inferni confregit ac contrivit, & omnia idola ac statuas ferreas peccatorum, comminuit lapis Sepulchralis. Vel figens Judæorum in sua obstinata infidelitate, est statua, una hæc toties percutitur ac comminuitur, quoties durè negans adventum ac Resurrectionem Christi, hoc lapide Sepulchri, tanquam verô testimoniô tunditur, dum contra conterendos errores, in eam projicitur; ut ex S. Cyrillo Hierosol. patet, dicente: *Testis Resurrectionis Salvatoris, petra Monumenti & lapis, qui tunc erat revolutus, ipse testatur Resurrectionem, usque in hodiernam diem relictus.* Percusserat insuper statuam lapis Sepulchri, dum in investigando illo obruto, inventoque, statua Jovis, aliaque idola, penitùs fuère eversa Et tot alia idola, comminuit lapis Sepulchri, id est contriti sunt ad illud. Nonne Maria Magdalena, Maria Ægyptiaca, Pelagia, Wilhelmus & cæteri, idola & statuæ Veneris, Jovis fuère? has in pedibus ferreis, id est duris habitibus peccatorum, & fictilibus sive fragilibus deliciis, lapis Sepulchri percussit & comminuit, dum ad illud discussis conscientiis, ad perfectissimam pervenerunt contritionem. Has ergo Statuas, dum percusserat, & alia potentissima opera, per opus percussionis statuæ indicata, dum evidenter patuerunt, ad lapidem Sepulchri Christi probata, factus est mons magnus, id est gloria illius, honor in altum erectus est, & miraculis, virtutibus, prodigiis, beneficiis, implevit tam latè universam terram, ut ad illud visendum, pergant omnes populi mundi, plagis omnibûs, ex omni sexu & gente, *omnes devotè properant; ex Orientis partibus, ex Aquilonis montibus, Meridiei plagis, ab Occasu pariter*; ut canitur in hymno, quando Sanctissimum Sepulchrum circumdatur.

Catech. 14.

Joann. Cotovicus & Illustr. Radziwil in Peregr. Hierosol.

Secundus textus Danielis, Cap. 3. à vers. 23. ad vers. 92. De tribus pueris missis in medium fornacis ignis ardentis, *qui colligati conciderunt in medio camino ignis ardentis, & nihil corruptionis in eis erat; & species quarti similis Filio Dei.* Illi enim tres pueri, figurabant Christum Dominum; quia illi tres, uno tamen quasi ore laudabant Dominum, habetur vers. 51. Sic in Christo Persona Verbi, est unus Deus, in Trinitate Personarum. Hymnus

trium

trium puerorum, juxta Amalarium Fortunatum, Episcopum Trevirensem, de Eccles. Offic. libr. 4. de Sabbat. cap. 17. Passionem Christi nobis reducit. Nabuchodonosor repletus furore, & præcipiens, ut magis succendatur fornax, significat diabolum, & ministros ejus Judæos, furore nimio repletos, qui plus solito fuerant accensi, dum omnino urgebant Pilatum, in duplo clamantes: *Crucifige! Crucifige eum!* Tres pueri ceciderunt in camino ignis ardentis, quia juxta eundem Amalarium, tria pura Sacramenta exierunt in morte & passione Christi, Spiritus, Aqua, & Sangvis, quæ tria unum monstrabant Christum. Jam quod attinet materiam Sepulturæ Christi videamus: Nabuchodonosor rex obstupescit, *quod tres miserit in caminum ignis, & ecce vidit quatuor viros solutos, & ambulantes, & nihil corruptionis in eis est, & species quarti similis Filio DEI*; dicit Sacra litera vers. 92. Super quem locum S. Augustinus sentit, quod Nabuchodonosor in camino Christum vidit; quia videlicet illo species, gerens similitudinem Filii Dei, apparens regi in fornace, mysterium Sepulturæ quodammodo præsignabat, juxta Amalarium. Nimirum misso ternioni puerorum in caminum ignis, nec quidquam corrupto, aut corporibus eorum minimè adustis, adjuncta erat ad aspectum regis, quædam quarta species, gerens similitudinem Filii Dei; quia in illa specie, id est in Corpore Christi hoc eveniet, quòd sicut puerorum, ita & Corpus Christi, veri Filii Dei positum in Sepulchro, nihil corruptionis habebit, & nullam potestatem in Corpus Christi habebit putredo in ejus Sepulchro; sicut ab igne in camino, ita à putredine & corruptione in Sepulchro absumuntur corpora; ut igitur nec ignis in camino puerorum corpora & vestimenta; ita nec in Sepulchro Christi Corpus & linteamina aduret putredo. Hunc sensum declarat idem Amalarius, loco citato his verbis: *Puerorum corrupta non sunt corpora in fornace, futurum erat, ut Corpus Christi non corrumperetur putredine mortis in SEPULCHRO.* Biblioth. Vet. Patr. Tom. 9. fol. 375.

Tertius textus Danielis, cap. 6. v. 16. *Adduxerunt Danielem, & miserunt in lacum leonum. Allatusque est lapis unus, & positus est super os laci, quem obsignavit Rex annulô suo, & annulô Optimatum suorum, nequid fieret contra Danielem.* Danielis factum expressum hoc textu, fuit realis figura, mittendi Christum in Sepulchrum. Daniel enim fuit typus Christi; quia Daniel scripturas & somnia,

ac

ac profunda arcana interpretatus est Regibus: Christus abdita Scripturarum, Principibus & Senioribus populi. Daniel interpretatur: *judicium*; Christus Judex omnium. Proinde & in præsenti facto, typum evidentissimum Christi gessit. Christus enim comparavit se cum descendentibus in lacum, dicens per Psalmistam: *Assimilabor descendentibus in lacum*; scilicet assimilatus est descendens in Sepulchrum: Primò lacui, in quem missus est Joseph, juxta S. Petrum Chrysologum: *Joseph missus est in lacum mortis, vivus emergit à lacu: Christus mortis SEPULCHRO datus, vivus remeat à SEPULCHRO.* Ambrosius Ansbertus libr. 5. in Apoc. *Mittitur Joseph in lacum; ponitur JESUS in SEPULCHRO; extractus lacu Joseph, venditus Ismaëlitis; Christus resurgens de SEPULCHRO, gentibus prædicatur.* Secundò lacui, in quem lapsa est vita mea, & positus fuit lapis. Tertiò lacui illi, in quem missus est Jeremias Propheta. Quartò tandem assimilat se lacui Danielis. In hoc enim Psalmo 87. v. 5. *Æstimatus sum cum descendentibus in lacum*; ut Lorinus super hunc locum deducit, eleganti & Poëtica hypothiposi, describitur positus Christus in Sepulchro. Unde Euthymius & Nicephorus, *cum descendentibus in lacum Sepulchri*, addunt & vertunt. Et subsequentia verba: *Factus sum sicut homo inter mortuos liber, sicut vulnerati dormientes in Sepulchris* probant, quod per lacum supra expressum intelligatur Sepulchrum Christi, in quo licetsi ut homo jacuit, ad instar mortuorum in monumenti lacu; factus tamen est liber à corruptione, & in eodem lacu Sepulchri vulneratus dormivit; exponit S. Augustinus dicta verba sic: *In quo Christus à cæteris mortuis discernitur, qui & vulneratus & mortuus in Sepulchro positus est.* Id ipsum iterum repetit & vers. 7. *Posuerunt me in lacu inferiori, in tenebrosis, & in umbra mortis.* Nicetas de Christi Sepulchro, quem ipse etiam cor terræ appellavit, accipit. Et cùm tenebræ communiter conveniant Sepulchro; *in tenebrosis & in umbra mortis*, de Sepulchro explicat Euthymius aliique apud Lorinum. Bruno, Episc. Herbipolen: in dictum versum Psalmi, *Lacum dixit, locum Sepulchri*; & in sequentibus verbis: *Posuerunt me in lacu inferiori*, dicit: *Lacus ponitur pro SEPULTURA.* Et Jacobus de Valentia: *Posuerunt me &c. id est in SEPULCHRO, quod erat excisum ex petra subtus terram, & in locis tenebrosis & umbra mortis; nam Sepulchra sunt obscura subtus terram, & important quandam*

Psal. 27. v. 1.

Serm. 146.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 9. fol. 467.

quandum umbram & feritatem mortis. Sicut ergo Daniel pro præda & cibo immiſſus leonibus, de lacu exivit liber absque vulnere; ita Chriſtus in dictis Pſalmorum verbis, comparat, æſtimat, ac aſſimilat ſe tali lacui, in quo inter mortuos, erit liber, diſcretus ab omnibus aliis, qui facile comminuuntur à vermibus, ut à leonibus conſumpti ſunt accuſatores. Solius Danielis, id eſt in perſona ejus; Chriſti lacus, id eſt Sepulchrum hac gaudebit exemptione, quòd in illo Chriſti Corpus, ut Danielis à leonibus, à corruptione erit liberum. Sicut Daniel in lacu, ſic tu Chriſte ſecurus eris in Sepulchro; quia leones, id eſt vermes non audebunt Corpus tuum attingere, neque illi vel in minimo etiam ſæviſſimi hoſtes nocere. Et propterea hanc ſuam libertatem & ſecuritatem, in confeſſo ac manifeſtè prædicat Pſalm. 56. v. 5. *Et eripuit animam meam de medio catulorum leonum, dormivi conturbatus,* quaſi his verbis Chriſti Corpus inſtitueret locutionem ſuam ad Animam, in hunc modum: Anima, ego jacebo in medio leonum ardentium (Symmachus enim legit: *dormivicum accendentibus*, id eſt, qui furore erant accenſi) tu quidem digreſſa à me, petes inferos, ut ibi peragas, quæ tibi ſunt injuncta, ego interea in Sepulchro jacebo in medio leonum, ferociâ in me fragrantium, ſcilicet militum Sepulchrum cuſtodientium: Hanc expoſitionem addit Brendembachius, apud Lorinum hic. Adeoque Chriſtus, dum ſe dicit dormiviſſe, ad inſtar Danielis, in medio catulorum leonum; leones non ſolum intelliguntur vermes, juxta translationem Theodotionis apud Gloſſam: *Dormivi cum conſumentibus*; ſed etiam milites Sepulchro appoſiti, juxta Brendembachium, ſic exponentem dicta verba: *jacuiſſe Chriſtum, diris vulneribus confoſſum, mortuumque in SEPULCHRO, quod cuſtodiebant milites.* Sic enim & S. Ignatius Martyr, milites, à quibus fuerat in carcerem conjectus & cuſtoditus, leopardos vocat. Unde non immeritò lacus Danielis, Sepulchrum Chriſti eſt, dum optimè quadrat id indemnitati illius, quod lacui Danielis, quod inſuper ob gloriam, & avertendum omne nocumentum, obſignatum fuit ad inſtar laci, ſigillô ſive Regali Pilati, ſive Urbis Hieroſolymæ, ſive annulô ſummi Concilii ipſorum: Sicut in eundem ſenſum decidit S. Epiphanius, in Reſurrect. fol. 28. *Daniel in lacum leonum immiſſus, Salvatoris SEPULCHRUM indicavit, ex quo vivus JESUS aſcendens ab inferis & morte, tanquam è mediis leonibus emerſit.*

CAPUT V.

Ex locis Oseæ Prophetæ demonstratur gloria Sepulchri Christi.

Primus textus Oseæ, Cap. 1. verſ. 5. *Et in illa die, conteram Arcum Iſràël in valle Jezrahel.* Multas, easque celebres in Sacris Scripturis legimus valles, in quibus memoranda facta perpetrata. Ex illis plurimæ fuerunt figura vallis Golgothanæ, Paſſionis ac Mortis Chriſti ibi peractæ. Sic Deuteron. 21. v. 4. & 6. Vallis aſpera & ſaxoſa, in qua percuſſa eſt & interfecta vitula, nempe Humanitas Chriſti. Jerem. 7. v. 32. Vallis interfectionis; & ibidem Cap. 31. v. 40. ac in aliis locis. Nonnullæ pariter fuerunt figura Sepulchri Chriſti; ut illa vallis, in cujus medio JESUS nocte ſtetit, Joſue 8. v. 13. id eſt ſub veſperam pugnans cum morte & inferno. Vallis Viſionis Iſaiæ 22. v. 5. Domini Dei exercituum, qui in die interfectionis & fletus, nempe Paraſceves, ſcrutatus eſt murum, nempe Sepulchri, & magnificus Ezechiel. 39. v. 11. ſuper montem. Vallis viatorum, locus nominatus, Sepulchrum in Iſràël, quæ obſtupeſcere faciet prætereuntes. Sepulchrum enim Chriſti prætereuntes, & conſiderantes illud, in ſtuporem & admirationem rapit. In præſenti quoque textu Oſeæ doctiſſimè advertit Andreas de Arcones, nomine vallis Jezrahel, exprimi locum Diſcurſ. 4. fol. 408. Sepulchri Chriſti; dum in Cap. 2. Iſaiæ verſ. 22. dicit: *Jezrahel idem, quod Semen Dei* (ſic enim interpretatur in indice interpretationis nominum, ad finem Bibliorum, & ſignificat Chriſtum Dominum) *Vallis Jezrahel, hortus & monumentum, in quo Dominus tumulatus fuit.* In hac itaque valle, id eſt Sepulchro Chriſti, arcus fuit contritus, id eſt iniquæ cogitationes, vanaque Judæorum conſilia; idem ſubdit: *Quando enim Semen Dei, mandatum TUMULO, ad vitam germinavit, Judæorum arcum, hoc eſt improba machinamenta diſſipavit.* Et hunc ſenſum roborat Authoritate S. Cyrilli Alexandrini: *Intelligi per vallem Jezrahel* (hoc eſt Seminis Dei, ſive Chriſti) *MONUMENTUM in horto, in quo & reſurrectio paſſionem conſecuta, de omni genere malorum facinorum, à Judæis ſuſceptorum, triumphavit.* Et ſtatim ſubdit idem S. Cyrillus: *In SEPULCHRO collocatus revixit, & meditatus ipſorum inſidias, inefficaces reddidit, & quaſi arcum contrivit, per id, quod pati amplius nihil poteſt.* Secun-

Secundus textus Oseæ, Cap. 2. v. 18. *Et arcum, & gladium, & bellum conteram de terra, & dormire eos faciam fiducialiter. Et sponsabo te mibi in sempiternum.* Non in alia terra, arcum, gladium, & bellum conterendum prædicit Oseas, nisi in terra Sepulchri. In hac enim Christus contrivit arcum, id est infernum ac diabolum, qui nimis voluit ostendere potentiam suam. Et sicut arcus magni, pedibus calcantur in terra, ut sagittæ velociùs emittantur; sic Christus pedibus, jacens in terra Sepulchri, calcavit infernum per animam, ut sagittæ in obscuro latentes, id est SS Patres, citiùs è limbo emittantur. Isidorus Pelusiota, libr. 4. Epistol. 29. *Christique Domini Sepulchrum, diabolum sepelivit, omnibus autem fontem vitæ produxit.* Contrivit secundò in Sepulchro gladium, id est mortem, quæ gladius appellatur, dum in eodem mortem ipsam tumulavit; ut canitur in hymno Dominic. in Albis ad Laudes: *Victor triumphat, & suô Mortem Sepulchrô funerat.* Contrivit tertiò & bellum, id est mundum, cùm vita hominis in mundo sit militia. His itaque hostibus, quorum primus maxime arcu pugnat, qui Symbolum amasii lascivi est, alteri gladius convenit, tertio continuò bella geri placuit, his inquam contritis ac devictis in terra Sepulchri, dormire nos fecit fiducialiter. Hæc enim verba Oseæ Cap. 14. v. 14. *Ero mors tua ô mors, morsus tuus ero inferne.* Clarius Author dictus, vertit, apud Cornelium à Lapide: *Ero excidium tuum ad SEPULCHRUM*; quia scilicet ut B. Petrus Damiani ait: *Salvator noster, postquam infernum moriendo momordit, cum triumphali de SEPULCHRO gloria resurrexit.* Et quomodo ad internecionem consumptus exercitus, vel enervatæ ejus vires, dicuntur consopiri; ita devicti supra dicti hostes, dicuntur dormire fiducialiter, seu certò interfecti. Et ibidem in terra Sepulchri facta est desponsatio sempiterna Humanitatis cum Persona Verbi, dum nec per corruptionem (quæ ibi nulla fuit) ab illa separabatur, & adveniente Anima Corpori, Humanitas Sponsa facta est à Sepulchro sempiterna. Vel etiam hanc ipsam terram Sepulchri, Christus desponsavit sibi; tum quia in illa fuit Ecclesia erecta, quæ Sponsa Christi vocatur; tum quia, quæ in æternum Virgo permanet, Sponsæ sempiternæ vocabulo non caret. Cum ergo Sepulchrum Christi, æternum virgo erit, quia nullum admittet cadaver, ob Corporis Christi continentiam, Sponsa Sepulchrum sempiterna Christi, illius amori, ac cultui locus desponsatus.

Libr. 2. Epist. 18. ad Cardinal.

Tertius textus Oseæ, Cap. 6. verſ. 1. *In tribulatione ſua, manè conſurgent & venient ad me.* Hoc textu prophetatas Sanctas Mulieres, exiſtimat Tertullianus, eodem loco cap. 43. quæ in tribulatione illa, in qua fuerunt Sepulto Domino, conſolationem recepturæ, manè conſurrexerunt, & venerunt ad monumentum, tanquam ad ſolatium afflictorum. *Nec mulierum illarum officium* (verba ſunt Tertulliani) *præteriit prophetia, quæ ante lucem convenerunt ad SEPULCHRUM, cum odorum paratura.* De hoc enim per Oſeæ: *Ut quærant* (inquit) *faciem meam ante lucem, vigilabunt ad manè.*

Quartus textus Oſeæ, Cap. 6. v. 3. *Vivificabit nos per duos dies, in die tertia ſuſcitabit nos, & vivemus in conſpectu ejus. Sciemus, ſequemurque, ut cognoſcamus Dominum.* Poſt declarata in ante, eodem ipſo capite, à Propheta multa attributa & gratias, quæ nobis ſunt à Deo exhibitæ, ſcilicet juſtitiæ, miſericordiæ, creationis, & ſalvationis, in his verbis: *Ipſe cœpit, & ſalvabit nos*; percuſſionis, id eſt paſſionis, & curationis noſtræ. Hoc verſu enarrat beneficium Dei, ſcilicet vivificationis noſtræ. Porro Dominus nos vivificavit primò, in ſua ab æterno voluntate Divina & Increata, in actu primo; quatenus efficaciter tota Trinitas Divina, decrevit nos vivificare à peccato mortis, in Filio Deo vivo, accedente conſenſu ejus, ac acceptante pactum initum cum Deo Patre, in ordine ad dandam nobis infallibiliter vitam, per ſuam Redemptionem, eam nobis communicando in Natura aſſumpta, ad inſtar vitæ illius, quam accipit per generationem ſui à Patre. Secundò vivificavit nos in tempore & loco uteri. Virginalis, per ſuam Incarnationem & Nativitatem; quatenus jam in actuali vita Corporis humani apparens, inchoarat operationes vitales Theandricas, ordinatas & directas ad cauſandam vitam perfectam: *Ego veni ad hoc, & natus ſum, ut vitam habeant, & abundantius habeant.* Tertiò vivificavit nos, ſpatio & decurſu variorum temporum in illis locis, in quibus toto vitæ ſuæ lapſu, doctrinam operibus junctam, prædicationem, inſtructionem, tanquam vitam & adjumenta vitæ, porrexit & adminiſtravit. Quartò vivificavit nos in die Cœnæ ſuæ, & in loco Cœnaculi, dum in ſuſtentationem, & conſervationem vitæ, alimentum cibi & potus, ſcilicet Corpus & Sangvinem ſuum, dedit nobis ſumendum & potandum. *Qui manducat me, ipſe vivet propter me.* Quintò vivificavit nos in Monte Calvariæ, feriâ ſexta, dum conſummata

&

& completa paſſione ſua, emiſſo Spiritu, ſpiritum vitæ nobis infudit, & morte ſua nos vivificavit. Sextò demum juxta prophetiam hanc vivificabit, & ut vivificavit nos poſt duos dies, in die tertia. Hîc & locus & tempus vivificationis exprimitur, cujus locus indicatur per tempus. Gloſſa enim hæc verba exponit: *Poſt duos dies, quibus jacuit in SEPULCHRO, vivificabit nos, & reſurgens à mortuis ſuſcitabit.* Adeoque Chriſtus per myſterium Sepulturæ & reſurrectionis, vivificavit nos ex loco Sepulchri ſui; tum quatenus Sepulchrum Chriſti fuit receptivum, ac ſuſtentativum Chriſti, qui fuit vita noſtra; tum quatenus per illos duos dies, ſimul conſepulti fuimus, & tertia die in illo reſurreximus, & vitam accepimus immortalitatis; tum quia ex Sepulchro Chriſto reſurgente, & utilitatem Sangvinis ſui exhibente, dum in eodem non deſcendit Corpus in corruptionem, facti ſumus filii Dei, & ſimul hæredes regni cæleſtis, juxta illud: *Ut vitam habeant, & abundantius habeant:* nempe juſti adepturi gratiam & gloriam Corporis. Chriſtus enim petiit Sepulchrum reſurrectione glorioſum, ut utilitas ejus Sangvinis cederet non ſolum in animam, ſed etiam in commodum terreſtris corporis, nempe Chriſti reſurrectione, illud reſurgeret copioſâ gloriâ: conſequenter ex loco Sepulchri promanavit vita & gloriæ & gratiæ. Talis acceptio dictorum verborum Prophetæ firmatur authoritate S. Bernardi Serm. 1. in die S. Paſch. num. 8. dicentis: *Ut Propheta fidelis inveniatur, qui dixit:* Vivificabit nos, poſt duos dies in die tertia ſuſcitabit nos. *In patibulo ſextâ feriâ redemit hominem, ipſa die, qua fecerat hominem in initio, ſequenti die Sabbatizavit in Monumento, conſummato opere, quod ſuſceperat. Tertiâ vero, quæ prima dierum eſt, primitiæ dormientium, apparuit mortis Victor, novus homo.* Et Petri Galatini libr. 8. cap. 22. fol. 351. de Arcan. Cath. verit: *Verba igitur Oſeæ Prophetæ, ſic juxta eorum* (nempe Rabbinorum) *expoſitiones intelligenta ſunt:* Vivificabit nos, *ſcilicet Meſſias, à morte culpe poſt duos dies, quibus ſcilicet jacebit in SEPULCHRO.* In die tertio ſuſcitabit nos, *per ſpem ſcilicet reſurrectionis.* Firmatur item & alio textu Oſeæ Cap. 1. v. 10. *Et erit in loco, ubi dicetur eis: Non populus meus vos; dicetur eis: Filii Dei viventis.* Locus enim hic, quem exprimit Propheta, non alius erit, niſi locus Sepulchri Chriſti; quia illi, qui antea erant non populus Dei, id eſt non fuerunt filii adoptivi per gratiam, nec hæ-

 redes

redes per gloriam; in loco mortis & Sepulturæ Ghrifti dicetur de illis, id eft juftis, quod fint filii Dei viventis. Sepulchrum Chrifti locus vitæ, vivificationis noftræ, locus, à quo, & in quo dicitur piis fidelibus: *Filii Dei viventis.* Illi quod vidua Hectoris, occultans filium dixerat, infcribo lemma: *Fata fi vitam negant, habes Sepulchrum.* Si fata mortis vitam negant, habes Sepulchrum Chrifti, ex quo vivas in fpe gratiæ & gloriæ.

Quintus textus Ofeæ, Cap. 14. v. 7. *Ero quafi ros Ifraeli. Et Ifràël germinabit ficut lilium. Et erit quafi gloria ejus, & odor ejus, ut Libani.* Memoriale ejus, quafi vinum Libani. Senfus textus hujus, ex ufitata eaque communi interpretum expofitione hic eft: Sicut ros, qui dum ceciderit in terram de cælo, & receptus fuerit in terra, eam fœcundat, ac germinare facit; fic Ifrael, dum me Chriftum de cælo fufcipiet, ita germinabit ficut lilium, & gloria ejus erit ficut oliva &c. Ita eadem gloria, ejusque dilatatio, conformis adftruenda eft Sepulchro Chrifti per proportionem Analogicam, quod pariter eundem rorem falvificum, fcilicet Corpus Chrifti recepturum fit. Corpus enim Chrifti, quafi ros concretum & conglaciatum, tenens Manna Divinitatis, dum terram Sepulchri continget, gratiâ præfentiæ fuæ, eam madidabit, & fœcundam reddet. Quæ non folùm germinabit lilium, innocentiffimam Carnem Chrifti, fed & ficut lilium. Nam etiam inter turbines & grandines, id eft inter cuftodiam militum, inter fpinas, Judæorum aculeos, & inter grandem lapidem, explicabit florem fuum, in novitate vitæ. Vel fi juxta Eucherium libr. 3. in. Reg. *Chriftus lilium, propter gloriam Refurrectionis*; hoc lilium non aliunde cum tali gloria excrevit, nifi ex terra Sepulchri. Confequenter igitur gloria ejusdem Sepulchri, eft ad inftar gloriæ Ifraelis hìc comparatæ, fcilicet quòd fit gloria ejus quafi oliva. Sicut enim gloria olivæ, maximè fita eft in ubertate, fœcunditate, quod fit pacis, victoriæque Symbolum; fic gloria Sepulchri Chrifti ex eo futura, quia idem erit luciferum, uberrimum, proferens fructum falutis noftræ Chriftum; eft pulcherrimum, quia Speciofo formâ præ filiis hominum decoratum. Sicut item oliva, etiamfi in imo fit & in profundo, fuperiorem afcendit locum, & occubat fpatium; fic Sepulchrum Chrifti, quamvis in profundo & in imo terræ fit, femper tamen etiam depreffum, altum gloriæ eminenter tenet.

net. Et odor fragrantiæ bonæ famæ illius, in totum orbem sparsus, erumpet, ac universum àërem jucundâ replebit aurâ. Sit item gloria Sepulchri, ut odor Libani: Mons enim Libani, thus vocatur; unde thure & non corrosivis, sed odoriferis abundat arboribus. Sepulchrum Christi Libanus est, quia non solùm odoratum est ungventa ex Aromatibus confecta; sed fragrantiam svavis odoris habuit, repletum incenso amoris Divini, & arboribus odoriferis, & immortalibus abundabat, scilicet Christi Corpore immortali, & Cruce Christi. Amplitudo ergo gloriæ Christi Sepulchri, quæ est ei attributa ab Isaia, bene coæquatur gloriæ Israëlis futuræ, ad instar olivæ & Libani. Et idem Sepulchrum est memoriale Divinorum beneficiorum; monumenta enim, quòd memoriæ appellantur, constat ex D. Isidoro Hispalensi, S. Augustino Cypriano aliisque. Et Cajetanus, Commentar. in Matth. Cap. 27. fol. 127. dat rationem, quare posuit illud in Monumento saxeo? inquit: *Hoc enim propensioris fuisse consilii intelligitur, non humani, sed Divini, ut immobile esset SEPULCHRUM JESU Christi, ad perennem, etiam ex illo loco MEMORIAM, quæ perseverat gloriosa.* Hoc inquam memoriale erit instar vini Libani. Sicut enim illud est præstans, odore plenum, virtutis suæ diuturnè conservativum; sic Sepulchrum Christi erit memoriale odoriferum, de quo Eccl. 24. *Quasi Libanus, vaboravi habitationem meam*, & memoria illius svavitatem animabus adferet, & per tot sæcula virtutem suam, præstantiamque conservabit.

CAPUT VI.

Ex locis Jòël & Abdiæ Prophetæ, deducitur gloria Sepulchri Christi.

Primus textus Jòël, Cap. 2. v. 3. *Quasi hortus voluptatis, terra coram eo, & post eum solitudo deserta.* Non aliam censeo terram, quæ sit hortus voluptatis, nisi terram Sepulchri Christi, in qua fuit hortus, & in horto Monumentum. Hæc enim terra est hortus voluptatis; quia ibi deliciæ deliciarum, animæ lætissima recreatio, spiritûs gaudium, optata requies, desiderata jucunditas.

Et

Histor. Hie-rosol. libr. 6. Cap. 27. Et ut Albertus, Ecclesiæ Aquensis Canonicus & Custos, illud nominat: *Sepulchrum Domini mensa ej:, & desiderium totius dulcedinis Sanctorum.* Et quicunque ab illo regrediuntur, lætitiâ cordis, & inenarrabili exultatione perfruuntur. Post quem hortum voluptatis, subsequitur solitudo deserta, id est Hierusalem antiqua, quæ est in solitudinem redacta & desolata.

Secundus textus Jöel, Cap. 2. vers. 16. *Egrediatur Sponsus de cubili suo, & Sponsa de thalamo suo.* Verba hæc sive imperantis modo, sive futuram indicantia egressionem, id est egredietur; rectè ad Sponsum Christum referri possunt, cujus futurus egressus exoptatur. Sed de quonam cubili Sponsus egredietur, ita, ut simul de eodem, uti de thalamo comitetur ejus Sponsa egressum? Certe de Sepulchro, quod cubile fuit; quia cùm in eo dilectus quievit Sponsus, cubavit amore saucius, conjugio ligatus: Sponsa pariter id est Ecclesia, processit tanquam de thalamo suo, dum perfundens eum ungventô veræ fidei, in filiis suis fidelibus, Sponsum prædicare non cessat. Et propterea eadem Sponsa de accubitu in cubili

Cantic. 1. v. 11. Sponsi sui dixit in Canticis: *Dum esset Rex*; vel ut alii legunt: *Sponsus, in accubitu suo; nardus mea dedit odorem suavitatis:* quæ verba sic explicat D. Justus, Orgelitanus Episcopus in Cantic: *Quia Rege nostro in SEPULCHRO, ubi Corpore conditus requievit, in suo accubitu constituto, Ecclesia piæ confessionis odoriferô ungventô perunxit, ut eum voluntariè passum fuisse, & à mortuis resurrexisse die tertia, virtute propria, in salutem credentium prædicare non cesset.*

Bibl. Vet. Patr Tom. 9. f. 37. Ibid. fol 809. D. Aponius Comment. libr. 3. liter. G. eadem verba, intelligit de Maria Magdalena, quæ fusô vasculô nardi, gloriosum ejus Sepulchrum ostendit. Angelomus, Stromat. in Cant. Cap. 1. *Unde accubitus, SEPULTURA Christi intelligitur; nardus verò, ipsæ Mulieres, quæ ad MONUMENTUM cum aromatibus venerunt.* Deinde Sepulchrum Christi fuit Sponsi cubile, & Sponsæ, id est Naturæ humanæ thalamus, castitatis tamen plenus; ut de tali thalamo dixit

Cantic. 1. v. 12. Sponsa ibidem in Canticis: *Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur.* Quæ verba specialiter & propriè, ad Sponsi ipsius Sepulturam refert Theodoretus, tacitamque dicit prophetiam ad Sepulturam Christi, illis contineri, quod Christus, re ipsa conditus cum aromatibus, linteisque ligatus, seu sindone munda involutus visus est, ut censet Delrio, tanquam myrrhæ fasciculus,

sciculus, seu involucrum & alligamentum inter ubera, id est inter præcordia terræ collocandus. Tam gratissimum fuit visceribus terræ, Christi Corpus, aromatibus conditum & ligatum, sicut dilectus inter ubera Sponsæ. Nonne igitur Sepulchrum thalamus est, dum in eo Sponsus, tanquam inter ubera, commorabitur? id est, ut Hebraica habet versio, *pernoctabit*? Meritò igitur permisistis Principes Judæi, Sepulchrum signari primæ dignitatis annulis, ut indicium sponsaliorum, ibi peragendorum daretis, & prolis pariendæ thorum inviolatum, in casto absolvendum connubio monstraretis. Insuper imperat Propheta, canere tuba in Sion, sanctificare jejunium, vocare cælum, congregare populum, sanctificare Ecclesiam, còàdunare senes, & congregare parvulos; quia egredietur Sponsus de cubili suo, & Sponsa de thalamo suo. Quô nempe significatur id, quòd dum Christus egredietur de cubili, id est de Sepulchro; & Sponsa, id est Humanitas de eodem, velut de thalamo, Unione hypostatica indissoluta, dies hæc erit summæ lætitiæ, cantûs, sanctificationis jejunii Sabbativi ratione Sepulturæ, vocabitur cœtus Apostolorum & Discipulorum ad intuendum Sepulchrum, congregatio populi sanctificatio Ecclesiæ, & còàdunatio diversæ ætatis hominum, eo die, ad locum illum adorandum.

Tertius textus Abdiæ cap. 1. vers. 17. *Et in monte Sion erit salvatio, & erit Sanctus.* Nemo tam stolidæ mentis sit, qui loco Sepulchri Christi neget sanctitatem, quæ per legitimam & innegabilem infertur consequentiam ex præmissis Prophetæ, hac methodo ratiocinandi: Ille mons Sion erit Sanctus; quia in eo erit Salvatio, vel quia cultus Dei ibi celebrabitur; vel quia templum reædificabitur, in quo residebit Sanctus Sanctorum; vel quia ibi erit memoria salutarium operum; ita explicant Expositores eundem textum. Sed Sepulchrum Christi est mons Sion; tum quia hæc verba: *Montem, quem acquisivit dextera tua.* Henricus Castanæus, Episcopus-Pictavorum, sic intelligit: *Montem scilicet Calvariæ, quem Christus sua passione comparavit*; (hunc autem Calvariæ Montem, vicinumque illi Sepulchrum una Ecclesia ambit) *media ut Turcarum in ditione illum Christiani possideant*; *ibique juge Sacrificium in singulos dies offerunt.* Tum quia ibi Templum novum, Christo Salvatori reædificatum; ibi cultus Divinus quotidie peragitur, ibi prænuntiata salvatio, pro omnibus peracta; inde per orbem terra-

In Exercit. in Psalm. fol.

rum diffunditur Sanctificatio orta per Crucem; opera salutaria passionis, Mortis, Sepulturæ, Resurrectionis, non solum dicuntur, sed spectantur. Ergo Sepulchrum Christi Sanctum futurum, & esse locum hic textus probat.

CAPUT VII.

Ex Prophetia Jonæ, deducitur gloria Sepulchri Christi.

Cùm juxta S. Hieronymum in Ezechielem, Prophetæ non solùm verbis, sed & factis prophetizent; Sepulchrum Christi prophetarunt non solum verba, sed & facta Prophetarum; sicut patuit in Jeremia, Daniele & maximè patet hìc in Jona, cujus multa facta sermonibus expressa, fuerunt antitypi Sepulchri Christi. Ad id D. Basilius Seleucus, in Orat. 13. *Jonas nec verbis Domini SEPULCHRUM prædixit, sed in ceto Sepultus, & post triduum sine noxa traditus, omnes docuit mortales, de SEPULCHRO vitam erumpere.*

Primus textus Jonæ cap. 1. vers. 5. *Et Jonas descendit ad interiora navis, & dormiebat sopore gravi.* Jonas fuit expressus typus Christi patientis & resurgentis; Cornelius à Lapide, in Præfat: Navis Sepulchrum Christi, quæ Christi Domini dormientis Sepulturam præferebat. Præter alios Sanctos Patres, Zenonem, Thomam à Villanova, Reverendissimus Fornerius Suffraganeus dicit: *Navis, quam ingressus est Jonas Propheta, qui Christi Prophetarum Regis ac Domini Corpus ferebat, SEPULCHRUM Christi ad vivum exprimebat. Judæi autem vigilantes & custodientes per triduum, navigandi arte penitus amissa, viam illius in medio Mari minime percipere potuerunt. Sed neque in hodiernam usque diem illam capere possunt; quamvis alioquin viderunt navem, Christi Corpore vacuam, triumphantis Resurrectionis, quam ipse eis prædixerat, non obscurum argumentum.* Gubernator hujus navis, quam ipse felici cursu per tot vortices turbulenti Sæculi dirigit, est ipse Christus Dominus. Remiges sunt Sancti Angeli, adstantes eidem. Malus, est arbor Sanctæ Crucis, cujus præcipua ibidem veneratio, & Festa illius celebrabantur primò. Velum, est Sindon & linteamina, Favonii, placidissimique venti, sunt gratiæ arridentes illi loco specialiter. Funes, sunt faciæ Sepulchrales. Anchora, est fides passionis, mortis, Sepulturæ,

pulturæ, & Resurrectionis. Mappa Cosmographica, sunt figuræ, prophetiæ, exhibentes gloriam hujus navis. Oneraria, Corpore Christi Deificato, Sangvine, vulneribus, insigniis passionis, hanc fortunam nostram vehens. Nauclerus hujus Navis Summus in terris Pontifex. Remiges, Cardinales, Patriarchæ Episcopi, Canonici Ordinis Nostri, qui remis, id est vitâ religiosâ Apostolicâ, devotione, doctrinâ, in hac navi laborabant. Sepulchrum Christi est *Navis institoris, quæ de longè portat panem suum.* Sicut enim navis institoris onerata mercimoniis, quæ in Patria sua abundant, venditis quæ attulerat, cariora ad domum reportat; sic Corpus Christi abundabat his communibus viatorum mercimoniis, passibilitate, mortalitate, quantitate &c. quæ attulerat secum ex Utero: sed his se in Sepulchro exoneravit, ut ad supremam domum cælestis patriæ, quid carius reportaret. Rex Lusitaniæ Emmanuel, primam habuit navem, dictam: *Sancti Gabrielis.* Sepulchrum Christi (qui Rex Emmanuel dicitur) navis Sancti Gabrielis: istam enim navim hic Angelus primò conscenderat, ut exoneratam magnô pretiô patefaceret, & plusquam Sabæis odoribus aromatum plenissimam, favoribus impletam, detegeret. Est itaque Navis Christi Sepulchrum, sub insigni Christi, non solum Imperatorum, Regum, adornata diadematibus, sed Crucis coronâ; ad cujus Jonas Christus descendit interiora, id est, quasi ad locum tutiorem & secretiorem, & ibi dormiebat sopore gravi, cujus somnum somnus Jonæ repræsentabat. Sed sicut illam navim, quæ erat locus quietis Jonæ, comprehendit tempestas ita, ut rabidis ventis agitaretur, fluctibus procellosis infestaretur; Sic Sepulchrum Christi securitatis, quietæ dormitionis locum, non solum Judæi ipsi, tanquam tempestas valida undique, dormiente ad huc Christo, muniunt: Sed & infidelium furiæ, Paganorum, tanquam immanes fluctus, non semel insurgebant ita, ut cogitare posset quispiam, hanc navim esse conterendam. Hoc prædixerat Isaias cap. 57. *Impii quasi mare fervens, quod quiescere non potest, & redundant fluctus ejus in conculcationem.* Quem textum Barradius explicat de custodia Sepulchri, Tom. 4. fol. 327. *Non potuerunt quiescere iniqui Principes Sacerdotum & Pharisæi, qui velut mare fervens, Christo vitam eripuerunt, redundant ad huc fluctus ejus, in SEPULCHRUM, demergere Christi resurrectionem volunt, qui vitam demerserant.* Verum

Maff. libr. 1. Histor. Indiar.

rum ſicut protunc integerrimè ſalva remanſit Navis Sepulchri, repulſis procul aſperis furentium Judæorum procellis, ſibi inſidiantibus: ſic & hucusque manet illæſa nec diſſoluta, quamvis tot clades, tot fluctus adverſus eam intumeſcebant: Quia Jonas Chriſtus, qui in hac navi dormivit, tempeſtatem Infidelium, nimis ſævire contra eam non permiſit. Nam ſicut dormiente Jona, tempeſtas invaluit, ut futura ſtupenda magis inclareſcerent; ſic dormiente JESU in Sepulchro, concitati ſunt Judæi ad illud muniendum, ſigillandum, ut ex Sepulchro dormientis virtus magis agnosceretur; hæc ratio colligitur ex S. Cyrillo Hieroſol. Catech. 14.

Secundus textus, referens factum Jonæ, Cap. eodem, vers. 15. *Et tulerunt Jonam, & miſerunt in mare, & ſtetit mare à fervore ſuo.* Poſtquam Jonas ſomno grandi dormivit, mittitur in mare; quia poſtquam Chriſtus mortuus erit, mittitur in Sepulchrum. Audiatur ad hunc ſenſum S. Anaſtaſius Sinaita, Patriarcha Antiochenus, in Hexameron, libr. 1. *Te enim* (Chriſtum alloquitur) *præfigurans Jonas Propheta, quando fuit projectus in mare, - - tuam enim mortem effigens & reſurrectionem, dormivit in navi, ſicut tu in ligno Crucis; & poſt ſomnum projectus fuit in mare, tanquam in locum SEPULCHRI.* Et quod miſſio & demerſio Jonæ in mare, figura fuit miſſionis Chriſti in Sepulchrum, probant verba Pſalmi 68. *Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me;* in quibus pariter à Davide prophetatur in allegoria, eadem Sepultura Chriſti. Michael enim Aygvani, Commentar. ſuper Pſalmos, hoc textu dicit, Chriſtum mortuum ſepiliri, dum ait: *Notat ergo Chriſtus SEPULTURAM ſui Corporis,* ait: Veni in altitudinem maris, & tempeſtas demerſit me, *id eſt mors temporalis: demergere enim, eſt deorſum mergere vel includere; & ſic ſignificat Chriſti SEPULTURAM, in qua Chriſti Corpus defunctum fuit demerſum & incluſum. Quam demerſionem & SEPULTURAM, fecerunt duo amici & pacifici Chriſti, ſcilicet Joſeph ab Arimathæa & Nicodemus; de qua SEPULTURA dicitur:* Viri pacifici demerſerunt me. *Hujus demerſionis & SEPULTURÆ, figuram prætulit Jonas, qui demerſus eſt, ſed tertia die evomitus.* Jacobus de Valentia, Epiſcopus Chriſtopolit. in eundem Pſalmum exponit, in Perſona Chriſti: *Incidi in tempeſtatem maris furioſi Pilati, ferentis & promulgantis in me ſententiam mortis; & iſte demerſit me in SEPULCHRO.* Et vers. 18. ejusdem Pſalmi. *Eripe me*

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 6. fol. 639.

Jerem. 38.

Expoſit. in Pſalm. fol. 518.

me de luto, ut non infigar, ita exponit: *Quoniam superiùs conquestus est Christus, se infixum in limo profundi malitiæ Judæorum, & demersum in SEPULCHRO per mortem; ideo petit liberari per resurrectionem: dicit ergo: ô Pater! eripe me de luto potestatis Judæorum, & de luto SEPULCHRI, ut non diu permaneam in SEPULCHRO, sed tertia die resurgam.* Demerso itaque Christo, & misso in Sepulchrum, inferni fluctus, qui totum turbabant genus humanum, conticuêre, & tranquillitas universo, pax orbi reddita, completa redemptione.

Tertius textus Jonæ, Cap. 2. v. 1. *Et præparavit Dominus piscem grandem, ut deglutiret Jonam.* Hic piscis præparatus à Deo, qui deglutiret Jonam, figura est Sepulchri Christi præparati à Deo, quod deglutiret, seu intromitteret Christi Corpus. Basilius enim Seleucius, Orat. 13. sic in figura Jonæ alloquitur Christum: *Triduum igitur subi Sepulchrum. - - Sit cetus Sepulchrum; - - expedi te ceto, tanquam Monumento.* Et S. Hieronymus, super hoc caput commentans, dicit: quòd Deus ab initio cùm conderet, præparavit piscem, ut præcipitem susciperet, & mortuo habitaculum præberet. Præparatio enim Sepulchri Christi, opus Divinæ dispositionis fuit; ait Cornelius Jansenius, Episcopus Gandavensis: *Observandum tertiò, quam provida & circumspecta fuerit Dei dispositio, in SEPULCHRO Christi deligendo.* Dicitur hìc primò de Jona, quod *præparavit Dominus*; per hoc figurabatur, quod à Deo prædestinata sorte, & ejus gratia singulari, decretum est: ac voluntas primaria, ac principalis fuit, ut tale, tamque egregiis vestitum circumstantiis, præpararetur Sepulchrum, ita, ut lapidei Sepulchri Dei, non Joseph, sed Divina providentia pararet nobilitatem. Ad id præclarè Victor Antiochenus: *Quod Christus non in veteri, sed in novo conditur Monumento, illud non citra peculiarem providentiam, & Sapientiam accidit.* Dicitur secundò: *Piscem grandem*, non piscem præcisè: Vel ut Septuaginta *Cetum magnum*; per quod denotabatur, quod Deus ordinabit & disponet, propter recipiendum Christum, non vile humile, & abjectum aliquod Sepulchrum, sed grande gloriosum, magnum, quod sinu suo eum recipiet: id est hominis divitis, primarii ex Ordine Senatorio, apud Judæos illustrissimi & celeberrimi. Nonnè grandis præparatio Sepulchri? quod in eo loco designatum sit, ubi prospecta securitas à tempestate

In Concord. Evang. fol. 1051.

ſtate diruendæ Jeruſalem, quod fuerat proximum Monti Calvariæ, quod in petra erectum &c. Tanta itaque celebritas futura Sepulchri, tanta proceritas gloriæ, non creatæ diligentiæ, ſed Divinæ adſcribenda eſt Providentiæ. Præparavit Dominus, Sepulchrum grande, ut deglutiret Corpus Chriſti.

Quartus textus, eodem capit. & verſu: *Et erat Jonas in ventre piſcis, tribus diebus & tribus noctibus.* Ut navis, piſcis grandis præparatus, ita & venter, interioraque ejusdem piſcis, fuêre figura Sepulchri Chriſti, quod deglutivit Corpus ejus. Sanctus enim Auguſtinus, Epiſtol. 49. in fine inquit: *Jonas ergo ſtatim ex navi in piſcem ejusque ventrem, æquè ac Chriſtus è Cruce, illico in SEPULCHRUM deſcendit.* Et Thomas de Aquino Neapolitanus, Clericus Regularis de Jona: *Felix, quia in ceti ventre reſipuit, & quia venter hic, Chriſti Sepulchri extitit figura.* Primò enim os illud hiatu patens, fuerat velut janua futuræ Speluncæ Chriſti, cujus oſtium apertum erat, per quod intra viſcera terræ reciperetur. Judocus Cliehtovæus, Canonicus Carnotenſis, in Serm. de ſexto Artic. Fidei, fol. 19. *Per Jonam autem figuratur Chriſtus, & per ventrem ceti, SEPULCHRUM Chriſti, in quo poſtquam jacuerat, trium dierum & noctium aliquæ parte redivivus reſurrexit.* Secundò Jonas fuit in ventre piſcis tribus diebus & tribus noctibus: ita in Sepulchro Chriſtus, eodem tempore futurus erat. Sicut ipſemet hanc figuram explanavit de Sepulchro, dicens: *Sicut enim Jonas fuit in ventre ceti, tribus diebus & tribus noctibus, ſic erit Filius hominis in corde terræ, tribus diebus & tribus noctibus.* Ubi hic Chriſtus, per ventrem ceti Jonam abſorbentis, intelligit cor terræ, ſcilicet Sepulchrum. Ita B. Ildephonſus, Archiepiſc. Toletanus dicit: *Tribus diebus in corde terræ, id eſt in SEPULCHRO, poſt quod triduum ſic ille belluam, ita Sepulchrum iſte reliquit.* Et S. Thomas, Doctor Angelicus, in Cap. 12. Matth. pariter per cor terræ, intelligit Sepulchrum, ex hac ratione: quòd ſicut cor hominis, eſt in profundo, ita Chriſtus in profundo terræ Sepulchri. Idem & S. Anſelmus, ſuper Matth. Cap. 12. & pro eodem accipit cor terræ, quod eſt Sepulchrum Chriſti; tempusque illud Jonæ, cum tempore triduano Sepulturæ Chriſti. Non ſolùm enim juxta Pierium Valerianum, libr. 34. fol. 244. in Sepulchri ſignificatum, corretiam accipitur, ſed juxta Hieronymum Laureti, Abbarem Benedictinum, in

In Annot. Moral. 3. num. 84.

Libr. de V. Maria Cap. 7.

in Sylva Allegor.: *Cor terræ est Sepulchrum Christi.* Et ita præfata verba Christi, D. Chrysostom. homil. 44. in Matth. legit: *In corde terræ dicit Dominus, ut SEPULCHRUM denotet.* Tertio, sicut ille venter calidissimus, Jonam non consumpsit; sic Sepulchrum Christi, nequivit Corpus illud corrumpere. Quartò, in ventre ceti Jonas vivebat, respirabat, mentis compos fuit; vel ut dixit S. Hieronymus: philosophabatur de natura rerum; sic in Sepulchro Christi. Corpus, quantumvis mortuum fuerat, tamen Personalitas Verbi, unita Corpori, viva erat, præsentissima eidem, exercens motum suæ operationis, per conservationem Corporis à putredine, manifestabat suam Sapientiam, ostendens, quod fuit ignoratum, etiam sapientissimus. Fol. 286.

Quintus textus in eodem cap. vers. 2. *Et oravit Jonas, ad Dominum Deum suum de utero piscis.* Hæc oratio Jonæ in ventre, cùm juxta Rupertum, orationis Christi typus sit, figura fuit orationis Christi de Sepulchro, quam ille jam in ante præmisit per os præsertim Davidis. Ille enim contextus orationis Jonæ, in eodem capite expressus, coincidens cum nonnullis sententiis Psalmista, totus regulabatur ad Christi Humanitatem, tam ex parte animæ descensuræ in limbum, quam ex parte Corporis ponendi in Sepulchro. Prætermissis itaque textibus orationis, qui statim à principio ponuntur, quibus Anima descensura in infernum, rogatura est Deum, illos considero & examino, qui attinent ad Corpus Christi ponendum in Sepulchro. In illa ergo precatoria in ventre ceti oratione, versu 7. dicit Jonas: *Ad extrema montium descendi, terræ vectes concluserunt me in æternum.* Quæ verba ad figuram custodiæ Sepulchri Christi refert Salmeron, dicens: *De hac custodia Sepulchri dixit Jonas:* Ad extrema montium descendi &c. *hæc ille vocans custodes, & sigilla, terræ vectes, quibus erat conclusus; sed Christus in Sepulchro, Deum precabatur: Educ de custodia animam meam, ad confitendum nomini tuo.* Sed quid dicis Jona? considera! modoprimùm fassus es, quòd projectus sis in profundum, in cor maris, omnes fluctus & gurgites marini, super te transierunt, circumdederunt te aquæ, undique, immensitas pelagite vallavit; quomodo itaque dicis: *ad extrema montium descendi*, qui in imo vasti illius Oceani hærebas? quomodo ad extremitates montium descentisti, cùm in alvo extitisti piscis habitantis in profundo maris, quod mul- Tom. 10. fol. 408.

multùm diſtat à montibus, exiſtentibus in ejus littore? ut hic Lyranus. Et adhuc magis admirationem parit, dum Septuaginta hæc verba vertunt. *Intravit caput meum in ſciſſuras montium, deſcendi in terram*, Jonas fluctus ſecandes mare, non ſciſſuras montium; ſpumantes undas non rupes; procelloſos gurgites ingreſſus, non in terram deſcendit; piſcis chylô, chepate, ſtomachô, non terræ vectibus concluditur? Sed ſi certum ex dictis, Jonam Chriſtum, ventrem piſcis, Sepulchrum ejus ſignificaſſe, etiam hæc verba Vatis, oraculum Sepulchri proclamant. In ventre Jonas orans, elogia futura Sepulchri deprædicat, prolixus in concluſo piſcis ore, pro gloria ejus Propheta. Vixit fama Monumenti ſuperſtes, etiam in alterius ferè ævi Oratore. Senſum illius verborum explico: Id eſt, ut ego in ventre piſcis habito jacens, habens in ore meo verba, mentem integram; ſic ille cujus factum gero & figuro, ad extrema montis Calvariæ, qui Mons Montium eſt, in Sepulchrum depoſitus de ligno Crucis, ut ego navis, deſcendet; & intrabit caput ejus, id eſt totum Corpus, in ſciſſuram rupis & cavernam Sepulchri, habens mentem integram, & verba in ore ſuo, id eſt Perſonalitatem Divinam Verbi, & Naturam Divinam, quæ mens dici ſolet. Cum ergo deſcendet ad hanc extremitatem Montis, ſcilicet Sepulchrum, promontorium bonæ ſpei, terræ vectes concludent eum, id eſt undique fortiſſimis repagulis circumcludetur. Teſtatur enim Nicephorus, quod lapidem Sepulchri, petramque infernè, ſe illi conjungentem, ferramentis quibusdam, ferroque ingenti circumegiſſe ita Judæos, ut vix aliqua ratione moveri poſſit. Horum ergo vectium, concludentium Chriſtum, firmitatem prædicit Propheta his verbis: *Concluſerunt me in æternum*; quòd tam firmiſſima Sepulchri Chriſti foret clauſura, ut per multa ſæcula nullus effugii poſſit deprehendi modus, & quòd in æternum non potuiſſet exire de illo loco, tam potenter obfirmato, niſi virtute Divina. Et ne hæc, quæ dixi, meo marte videar loqui, affero verba S. Cyrilli, Epiſcopi Hieroſol. dictum textum Jonæ, ſecundùm interpretationem Septuaginta, ad rem noſtram ſic explicantis, Catech. 14. *Et poſt pauca dicit ex Perſona Chriſti, jucundiſſimè prophetans Jonas, Cap. 2. v. 3.* Subiit caput meum in ſciſſuras montium. *Atqui in ventre ceti fuiſti, quales ergo te montes continebant? Sed ſcio* (dicit) *quod figuram gero ejus, qui in SEPULCHRO exciſo*

Hiſtor. Eccl. lib. I. Cap. 32.

excifo in petra ponendus eft. Et in mari exiftens Jonas & dicens: Defcendi in terram; certè figuram Chrifti, defcendentis in cor terræ, gerebat.

Secundò, in illa oratione precatoria, eodem verfu, fubfequentibus verbis dicit Jonas: *Et fublevabis de corruptione vitam meam, Domine Deus meus.* Quæ Theophylactus dicit effe actum fidei, & credibilitatis Jonæ, quibus credidit vitam fe denuò recepturum; quia Humanitas Chrifti, licetfi in Sepulchrum defcenderit, certiffima tamen erit, fuæ liberationis & eductionis ex illo. Patet & in his effe figuram gloriæ Sepulchri Chrifti, provenientis ex incorruptione illati Corporis, quæ eventura ibidem à Propheta prædicitur in hac Oratione. Gloffa enim hæc verba, dicit effe affinia illis verbis Pfalm. 15. *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*, & per hæc exponit illa priora. Porro verfus hujus Pfalmi, Treverus expofitionem fubdit de Corpore, quod in Sepulchro putrefactum non eft. Similiter & Hugo Carenfis, Cardinalis eundem locum intelligit: Tu Pater, Corpus meum Sanctificatum, non dabis in incinerationem & putrefactionem in Sepulchro. Gilbertus Genebrardus, in Pfalm. 15. v. 11. pag. 56. fic interpretari dicit Rabbi Abraham, & Hebræos doctiores: *Non patieris, ut Corpus meum in SEPULCHRO computrefcat:* Ita & Cajetanus. Quam expofitionem Lorinus hìc, dicit effe juxta Sanctos Patres, & mentem Apoftolorum. Adeoque fi verba orationis Jonæ idem funt cum verbis Davidis, pariter Prophetæ, utrusque gloria Sepulchri Chrifti extollitur, cum hæc proprietas nulli protunc, nifi Chrifti Sepulchro conveniebat. Super quæ verba Jonæ, Remigius Antifiodorenfis Epifcopus, Enarrat in hunc Prophetam Cap. 2do, fic differit: *Myfticè Anima Chrifti de corruptione fublevatur; quia Caro ejus non vidit corruptionem, id eft non eft refoluta tabe in SEPULCHRO, juxta quod Pfalmifta prædixerat:* Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem.

Tertiò ibidem vers. 9. dicitur: *Qui cuftodiunt vanitates fruftra; mifericordiam fuam derelinquunt.* Ut toto tractu procedat allegoria Sepulchri Chrifti gloriæ, Theophylactus exiftimat, referente Acofta fuper Jonam, hæc verba effe referenda ad eam cuftodiam, qua Judæi cuftodierunt Sepulchrum Chrifti; nolebant enim cum exire de Sepulchro, à cujus exitu remedium tam mundi, quam

ipſorum pendebat; adeoque ſic & ſuam relinquebant miſericordiam, dum ſuas fruſtraneas vanitates quærebant in cuſtodiendo Monumento. Quæ fruſtranea vanitas in dando conſilio cuſtodiendi Sepulchri Chriſti, expreſſa fuit in verbis Prophetæ David Pſalmo 20. v. 11. *Quoniam declinaverunt in te mala, cogitaverunt conſilia, quæ non potuerunt ſtabilire.* In quæ verba Bruno Epiſcopus Herbipolenſis: *Viſi ſunt Judæi declinare mala in Chriſtum, quando dixerunt:* dignus eſt morte. *Cogitaverunt conſilium, dicendo:* Jube ergo cuſtodire Sepulchrum, *nolentes nec etiam credentes Chriſtum reſurgere, quod non potuerunt ſtabilire, quia quando voluit, Chriſtus reſurrexit.*

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 11. fol. 92.

Ultimò demum factum Jonæ narratur, quod dixit Dominus piſci, & evomuit Jonam in arida; & ſurrexit Jonas, & exorſus eſt prædicationem in Civitate dicens: poſt quadraginta dies Niniven ſubvertendam; ut colligitur ex ultimo verſu ejusdem capitis 2di, & primis Capitis 3tii. Hæc omnia opera, honorem Sepulchri Chriſti ſpectabant ac ſignabant. Sicut enim antecedentia miracula, facta circa Jonam, fuerunt figura miraculorum patrandorum in Sepulchro Chriſti, propter eundem; ita & ſubſequentia fuerunt manifeſtativa gloriæ ejus, per inſignem exitum Chriſti de eodem. Scilicet ſicut piſcis, ex ſpeciali Dei operatione, evomuit Jonam vivum, eundem, quem ſuſceperat; ita Divinâ Omnipotentiâ fiet, quod ex imis Sepulchri viſceribus, victrix vita remeabit. Hoc enim verbum: *evomuit*, licet ſi aliquam nauſeam pariat, ſecluſa tamen omni imperfectione, illâ uſi ſunt Sancti Patres; uti D. Anaſtaſius, Epiſtol. de Decret. Concil. Nicen. Cyrillus, libr. 1. Theſaur. cap. 13. explicantes productionem Verbi Divini à Patre: quâ & hic ſimiliter dum utitur Scriptura, videtur exprimere, ut venter Jonam, ſic Sepulchrum Chriſtum in novam vitam regenerabit ac producet. Tum ſicut egreſſus Jonas de ventre, orditur prædicationem, Ninivitarum crimina arguit, ſalutem civitati credulæ proponit: Ut venter piſcis roſtrum evaſerit, pulpitum prædicationis; ſic ex quo Chriſtus reſurget tertia die, *Sepulchri Chriſti venter* (inquit Thomas de Aquino, Cler. Regul.) *Schola evaſit, quæ maximè docet virtutes. Nam à Chriſti SEPULCHRO Mulieres, quibus docere interdicit Paulus, ſurgunt Apoſtolæ, munia Apoſtolorum exercentes, Chriſti reſurrectionem evangelizantes, atque ea, quæ Chriſtus in SEPULCHRO docuerat, Apoſtolis ipſis referentes.*

Tum

Tum quia prædictio Jonæ subversionis Niniven, in quadraginta diebus, significabat inchoandam à Sepulchro Christi prædicationem, ex quo tertia die surrexit, & continuandam per quadraginta dies, usque ad Ascensionem. Septuaginta enim juxta Hieronymum & Strabonem, loco *quadraginta*, legunt *triduum*, vel ad huc *tres dies*, ut refert S. Augustinus. *Qui* (inquit Strabo) *prophetico Spiritu posuerunt triduum*, per quod, juxta eundem S. Hieronymum, significatur triduum Sepulturæ, & resurrectionis de Sepulchro, à quo tertia die resurgente Christo, initium prædicationis cœptum est. Nonne igitur gloriosum hîc censetur Sepulchrum, dum in figura præsignatur esse principium & origo auspicatæ prædicationis? a quo prædicatores exibunt, incipiendo à Christo, & scelera deserent peccatores, & criminosi convertentur.

Libr. 18. de Civit. Dei cap. 44. apud Glossam in Genes. cap. 50.

Hac figura de Jona, usi sunt Regni Nostri antiqui Poloni, qui ut testatum & inappretiabilem, erga Sepulchrum Christi redderent affectum, in numismatibus, seu moneta, protunc in Regno currente, parte ab una sculpserunt factum Jonæ, nempe navim in mari fluctuantem, ex qua dejicitur Jonas, ore patulo piscis absorbendus, & in proximo idem Jonas à cete evomitur in aridam, cum hac in circulo inscriptione: *Sicut Jonas in ventre ceti, triduum latuit, & inde rediit incolumis.* Ex altera parte ejusdem numismatis, effigies Sepulchri Christi, ex quo cum triumphali resurgit vexillo, cum his exaratis characteribus: *Ita Christus, triduum sepultus, post devictos hostes resurrexit.* Quod numisma Antiquo-Polonum, à quodam Nobili Equite dignæ Familiæ, egomet vidi, legi, & illud retineo: ex hoc valorem in venerando monumento Christi, ab antiquo Polonis charum, æstima, vi cujus etiam effigies & figura in pretio fuit, in facto Jonæ excusa, & in corde simul exarata.

CAPUT VIII.

Ex locis Prophetiæ Michææ, demonstratur gloria Sepulchri Christi.

Primus textus Michææ Cap. 1. *Ecce Dominus egredietur de loco sancto suo, & descendet, & calcabit super excelsa terræ.* Egressus Domini, sicut fuit varius de cælo in uterum, ita tamen, ut non desierit

desierit esse in Patre, de utero in stabulum &c. ita eosdem egressus multi comitati sunt effectus, quibus se Christus Deum & Hominem confessus est; & ex quibus deveniri poterat, Christum esse Hominem simul & Deum; ut Theologi ex Joann. Cap. 6. verbis: *Exivi à Patre, & veni in mundum &c.* deducunt dari veram communicationem idiomatum in Christo Domino, quod aliqua prædicata posita, competunt Christo, secundum Personalitatem Verbi, aliqua secundum Humanitatem. Ita in hac prophetica locutione, potest exprimi egressus Christi Domini de loco Sancto suo, id est de Sepulchro; talem enim ejus egressum & de hoc loco sub sequens deducit effectus: Christus enim egressus de loco Sancto Sepulchri sui, & descendit, manifestando suæ Humanitatis resurrectionem & in corruptionem; & calcavit excelsa terræ, id est potentes & excelsos inimicos deposuit de sede, & Optimates Israelis despexit; qui enim calcantur, habentur despectui. Ex quibus effectibus palam fiet, quòd ex loco Sepulchri, quod Sanctum est, veraciter egredietur Deus & Homo. Prædicatum enim egredi de loco Sancto, Sepulchro scilicet, competebat Humanitati Christi; calcare autem super excelsa terræ, Personæ Divinæ Verbi, quæ postquam, secundum Humanitatem, egressa est de loco Sancto Sepulchri, secundum Divinitatem elevans se super excelsa terræ, illa calcavit.

Secundus textus ejusdem cap. 4to v. 1. *Et erit in novissimo dierum, Mons Domûs Domini præparatus in vertice montium, & sublimis super colles. Et fluent ad eum populi & properabunt gentes multæ, & dicent: venite ascendamus ad montem Domini, & ad Domum Dei Jacob.* Hic textus est idem, qui & Isaiæ Cap. 2. vers. 2. adductus fol. 225. proinde sicut ille prior, fuit augur Sepulchri Christi, ita & hic. Per novissimum enim diem, ex sententia Patrum, tempus intelligitur Messiæ, id est Christi, quod respectivè ad intentum, intelligo Feriam sextam, qui dies fuit novissimus Christo, quòad patiendum; novissimus, despectûs, contumeliarum, & initium gloriæ, honoris, qui succedebat à Sepultura; novissimus idem dies Hebræis, quia terminabat illorum dies feriales. Hoc ergo die erit mons Domûs Domini, id est Sepulchrum sub monte, in quo Corpus Christi, tanquam in Domo Domini, brevi commorandum, componetur. Hocque Sepulchrum erit felicissimum, fortunatis-

tunatissimum, integerrimum, ordinatum ad illud Corpus suscipiendum, illi destinatum decentissimè, ut decet Christum. *In vertice montium* ; quia quidquid sublimè in terris videbitur, quidquid excelsum reputabitur, modicum erit ad gloriam montis illius Sepulchri Christi; omnes enim vertices huic monti se deflectent, omnes colles, id est sapientissima Doctorum capita, in sublime eum efferent. Ad quem montem primò veniet populus primus, id est B. Virgo MARIA, S. Petrus Apostolus, S. Joannes, S. Jacobus Minor, Sanctæ Mulieres; denique cunctæ Potestates. *Et fluent ad eum populi*, id est turmatim instar fluvii, hi passibus corporis, alii Spiritûs mentisque desideriis, ad hunc montem populi ut aquæ fluent; id est de abyssis terræ, de mari fluent populi, ut in hunc montem ascendant. Et ut fluctus, alterum fluctum pellit & subsequitur, sic ad Sepulchrum Christi, una gens alteram, unus populus continuatim alium comitabitur, sonitusque ad instar aquarum fluxus, laudis Divinæ audietur, penes istum confluxum. Et simul viso Sepulchro Christi, audita sanctitate illius loci, consolatione, gaudiis, exuberantibus; auditis miraculis, & cæteris; unus alterum vehementer impellet: Eja venite ascendamus ad montem Domini, ad S. Sepulchrum ejus, ibi adoremus Christum Dominum, ibi gratias ei referamus pro tantis acceptis beneficiis, ibi effundamus in conspectu ejus corda & animas nostras, ibi Sanctum locum ejus, totis præcordiorum affectibus stringamus, amplectamur, veneremur. Appositè ad hunc locum Michææ commentatur Paulus de Palacio. *In novissimo die, seu in exordio diei Evangelici, mons præparatus est, scilicet propè quem, est Sanctissimum SEPULCHRUM, & de hoc monte tantopere illustrato per Christum, hoc loco mentio est.* Fluent ad eum; *quia post Christi Ascensionem, fluunt ex omnibus terræ partibus Christiani, loca sancta visitaturi, ut experientia docet.* Venite ascendamus ad montem, ad Templum Domini. *Rursum pii Christiani provocant se, ut adeant loca Hierosolymæ sacra, dicentes: Venite visitemus locum, illâ pietate plenissimâ, in quibus ad huc Christus intimè docet peregrinos de viis suis, seu de contemptu sæcularium, de inquisitione æternorum* (ut docet præcipuè ad Montem Sepulchri sui, juxta fol. 279.) *& revera multi ex his, qui loca sancta conspexerunt, ex devotione inde concepta, ambulant postea in semitis Domini.* Quia multi visitantes Sepulchrum, excitati & illu-

minati sunt & crediderunt, & recesserunt à viis pessimis; ut patebit Libro 3tio.

CAPUT IX.

Ex locis Prophetiæ Nahum, Habacuc, demonstratur gloria Sepulchri Christi.

Primus textus Nahum, Cap. 3. v. 12. *Omnes munitiones tuæ, sicut ficus cum grossis suis, si concussæ fuerint, cadent in os comedentis. Ecce populus tuus, mulieres in medio tui; inimicis tuis, adapertione pandentur portæ terræ tuæ, devorabit ignis vectes tuos.* Primò in his verbis custodia Sepulchri Christi exprimitur, quæ licet si fortissima danda sit, tanquam munita propugnacula; verum sicut ficùs grossi, flante vento, decidunt, sic perterriti Custodes à Sepulchro recedent, omnisque illa munitio Sepulchri, dum per Angelum aperienda erit, decident in animo custodes, notitiaque ex ore, quo cibus comeditur, & ab ipsis de Sepulchri gloria, per Resurrectionem factam prodibit. Joannes David, in Paradiso Sponsi &
Fol. 201. Sponsæ conformiter intelligit: *Vide num, ô Judæe, vide inquam, quomodo Prophetæ tui vaticinium, in tuam rectissimè quadret insipientiam; ad majorem tamen Sepulti gloriam, quam supprimere nitebaris.* Omnes (*inquit*) munitiones tuæ &c. *Siquidem Christus, omnes munitiones, egregie conquassavit, ut custodes à mortuis non differrent, & interim testes resurrectionis existerent.* Secundò. Territis Custodibus & recedentibus, populus tuus Christe, id est Sanctæ mulieres, venient ad medium Sepulchri tui, & ut ipsi inimici sciant Christum resurrexisse; adapertione Sepulchri per Angelum facta, portæ terræ Sepulchri, id est ostia Speluncæ Sepulchralis reserabuntur, per apertionem lapidis, & vectes illos ferreos & fortissimos, Angelus in fulgure illico dissolvet, ut videantur, quasi ab igne consumi, vel cadere in os comedentis.

Secundus textus eodem Capide, versu 17. *Custodes tui quasi locustæ, quæ considunt in sepibus, in die frigoris: Sol ortus est, & avolaverunt*; Hic conformiter ad primum, custodia Sancti Sepulchri significatur Custodes enim, quos Synagoga apposuit Sepulchro, quasi locustæ fuerunt. Sicut locustæ tempore noctis & frigoris, quietè jacent, neque à terra se elevant, ut S. Gregorius libr. 31.

Moral. docet; ſic dum in Sepulchro Chriſtus eſſet, tempore illo triduano frigoris & noctis, quia jacebat mortuus in tenebris terræ, illo inquam tempore milites, tanquam in ſepi conſederunt, circumquaque ſepientes ſeu munientes Sepulchrum, & quietè uni loco adjacentes: Sed oriente Chriſto, ſole juſtitiæ, luce, quæ à Sepulchro promicabat, perculſi, diffugerunt & avolaverunt.

Tertius textus Habacuc Cap. 2. v. 1. *Super cuſtodiam meam ſtabo, & figam gradum ſuper munitionem: & contemplabor, ut videam, quid dicatur mihi.* Ex variis verſionibus, quæ adducuntur à Cornelio, textus hic referri poteſt ad Sepulchrum Chriſti. Septuaginta enim legunt: *Super petram*; Chaldæus: *Super vigiliam meam ſto paratus.* In Habacuc itaque luctatore forti, & amabili Domini, ſtante ſuper cuſtodiam, & figente gradum ſuper munitionem, contemplor Chriſtum Dominum, luctatorem, ſecundum animam in inferno, & amabilem Domino, jacentem ſuper petram Sepulchri, & ſimul ſtantem, tanquam ſuper ſpeculam. Petra enim Sepulchri munita, fuit ſpecula Chriſti, in qua ſpectabantur perſpicuè myſteria, Sepulturæ & reſurrectionis. Ibi contemplatur mens, quis & quantus ſit Deus, quanta ejus potentia, ſapientia, juſtitia, miſericordia &c. ibi Deus videt, quid ei dicitur, ſeu exaudit preces & orationes devotorum: ibi in hac ſpecula diſcernibiliter & evidenter videntur omnia beneficia, omnia ſalutis noſtræ opera, quantitas, excellentia, multitudo, intenſio patratarum pro redemptione noſtra actionum. Petram itaque & munitionem non aliam, ſibi eligere videtur Propheta, niſi petram Sepulchri Chriſti, ex qua perſpicaciùs comtempletur Divina, viſiones propheticas manifeſtas conſequatur, reſpondeat arguentibus. Hoc facto deſignans omnes, divinorum ſpeculatores, concionatores, prædicatores, cæleſtium contemplatores, ut facilè res, quæ futura concernunt, videant; æterna contemplentur; Spiritualia ſpeculentur; verba Dei percipiant; in doctrina delinquentes arguant, vel arguentes convincant; debere conſiſtere non alibi, niſi ſuper cuſtodiam Sepulchri Chriſti; ut dicetur infra. Super hoc ſaxum, ut vertit hìc Arabicus, fige gradum ſuper mutationem fortiſſimæ petræ; ſtatue te, ſi non corpore, ſaltim mente & corde; ibi lumen recipies in intellectu, ut viſionem illam perfectiſſimam conquiras, affectionem in voluntate, ut exequaris, quæ tibi ad cor loquetur Deus.

Deus. Statue ſupra hanc petram Sepulchri pedes tuos, id eſt, priùs ibi fige mentem, cor tuum, & ſic diriget Deus greſſus tuos in via, profectus, in via muneris, ſtatûs, officiique tui. Super hanc enim vigiliam, id eſt Sepulchrum, in quo dormiens vigilavit, ut fol. 170 ſtat præſto Deus paratus, ut tam loquentes ad ſe exaudiat, quàm operantibus dicat, quid videndum ſit illis, id eſt, quomodo facienda ſint bona, & quid reſpondendum arguentibus, ſeu quomodo declinandum à malo?

Quartus textus Habacuc, Cap. 3. v. 2. *Domine, opus tuum in medio annorum, vivifica illud.* In hac oratione, videtur Propheta petere Dominum, ut opus ſuum, ſcilicet Corpus, ad quod efformandum concurrebat activè tota Trinitas Divina, vivificet illud; idque non ſolùm vivificet in medio annorum, ſed etiam in Sepulchro, tanquam in medio. Cùm enim prima verba ejusdem orationis, S. Auguſtinus, allegoricè referat ad opus Incarnationis Chriſti, quod fuit ex eo mirabile, quia Deus in carne vivens apparuit; ita hæc ſubſequentia, poſſunt referri ad vivificationem Corporis in Sepulchro. Vivificari enim illud dicitur, quod fuit mortuum, & redit ad vitam; ut patet ex illis verbis Oſeæ: *Vivificabit nos poſt duos dies.* Et Cornelius à Lapide hìc: *Vivifica* pro eodem accipit, quod *ſuſcita.* Petit itaque Propheta, ut Corpus Chriſti, quod opus ejus eſt, vivificet illud, ſeu mortuum faciat vivere, & ſuſcitet, idque tam in medio annorum, quam in medio, id eſt in Sepulchro Tum quia ſicut in medio, id eſt in utero B. V. MARIÆ Chriſtus incarnatus eſt, ita in medio Sepulchri, corpus idem mortuum, vivificatum eſt. Tum quia medium, eſt extremorum unio & complementum; in Sepulchro hæc extrema, Divina Perſona & Corpus, & eidem anima adveniens, fuerunt unita. Item extrema in medio terminantur & finiuntur; in Sepulchro Chriſti, finem accepit peccatum, & initium beatitudo. In Sepulchro participavit de utroque extremo Humanitas Chriſti; de terra corpus, de cælo claritatem, impaſſibilitatem, agilitatem, ſubtilitatem. Tum quia, ſi Chriſtus eſt medium; deducit hìc fusè Cornelius; Sepulchrum Chriſti eſt medium medii. Tum quia fuit medium, inter duas præcipuas & principales ſortes felicitatis noſtræ, id eſt inter Mortem & Reſurrectionem Chriſti. In tali ergo medio expoſtulat Propheta, vivificationem Corporis Chriſti, in medio enim dicitur

Libr. 18. de Civit. cap 32.

tur etiam ille constitui, dum circumfusus, seu pressus circa se malis, nullum effugium sibi patere videt. Ita tale medium fuit Sepulchrum; siquidem undique & ex omni parte fuit pressum & constrictum, munitione, custodiâ ita, ut nullum pateret diffugium & exitus. Adeoque de tali etiam medio, id est Sepulchro, vivificari Corpus Christi rogat Propheta, conformiter ad appromissionem, quam sibi pollicitus est Christus apud Psalmistam: *In medio tribulationis*, id est angusti Sepulchri, *vivificabis me.* Gloriam ergo Sepulchri Christi, vel inde satis depromendam arbitramur, dum in illo vivificari Corpus Christi, dictis verbis deducimus.

Quintus textus Habacuc, eodem Capite, vers. 4. *Ibi abscondita est, fortitudo ejus.* Parces Sancte Propheta, quod mentis tuæ, sedulus (reverenter tamen) indagator ero. Edissere, quisnam sit hic locus, in quo abscondita sit fortitudo Christi? quis, isto pronomine *ejus* intelligitur? quemnam importet locum ly *ibi*? Si cælum? ibi quæ erant à sensibus abscondita attributa, ac perfectiones Divinæ, & nunc sub ænigmate ac in speculo, perfectissimè, clarè, per visionem beatificam cernentur in Deo, adeoque & fortitudo ejus ibi non erit abscondita. Si terra? in hac quis tam sit cæcus mente, & insipiens corde, ut non videat palam, in effectibus & causis secundis, Divinam fortitudinem, omnipotentiam &c. Ut meritò dicat S. Paulus: *Invisibilia Dei per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Si uterus Virginis, caroque ex illo assumpta, in qua carne latente, Deus fortis absconditus fuit? Sed de hoc mysterio magnô pietatis sacramentô, scribit S. Apostolus, manifestatum esse in carne, apparuisse Angelis, in qua quod mirabilia facta, patrata, tot fortitudinis ejus ostensa evidentissima argumenta. Si species Eucharisticæ Deum absconditum contegunt, fateor equidem! Sed præter has insuper, ubi est abscondita fortitudo? Mihi locus Sepulchri Christi videtur esse, de quo dicit Propheta: *Ibi abscondita est fortitudo ejus.* Tum quia ibi fuit absconsio fortitudinis ejus; ut dicta verba legit Pagninus. Tum quia in Sepulchro Christi, fuit latibulum fortitudinis ejus; ut Tygurina versio. Tum quia, ut Vatablus legit, ibi fuit revelata, & detecta fortitudo ejus, quæ prius erat abscondita; dum ille, qui fuerat occisus, mortuus, in Sepulchrum depositus, putabatur à Judæis interire, consumi, illaque fortitudo Divina Christi, quæ fuit ab-

1. ad Timoth. 3.

ſcondita, tunc ſe maxime manifeſtavit, cum non diſrupto Sepulchro, Deus abſconditus in carne immortali, ſe ipſum, absque omni adminiculo, extulit. Tum ut Septuaginta legunt: *ibi poſuit dilectionem robuſtam*, id eſt efficaciſſimam, & conſummatam, usque ad Sepulchrum, & adeo dilexit naturam humanam, ut robore hujus dilectionis, etiam illam ex Sepulchro ad gloriam perennem efferret. Tum quia, tam ex contextu anteriori, quàm ex ſubſequenti, videtur Propheta perly *ibi*, in hoc textu, loqui de loco Sepulchri. Ex anteriori textu quia dicit Propheta: *Sanctum veniſſe de monte Pharon*, id eſt, ut Septuaginta: *Veniet Sanctus de monte umbroſo & condenſo*; ex qua verſione, non cælum, ſed mons S. Sepulchri qui fuit umbroſus & condenſus, ſeu coarctatus custodibus, intelligitur. De iſto ergo monte, Sanctus, id eſt Chriſtus veniet, ſeu exibit in claritate tali, ut ſplender Corporis ejus, ad inſtar lucis ſit futurus, & cornua, id eſt vulnera, in manibus ejus videri poſſint. Ex ſubſequentibus verbis, id ipſum deducitur; quia dum dixit ibi fortitudinem eſſe abſconditam, ſubdit: *Ante faciem ejus ibit mors, & egredietur diabolus ante pedes ejus*; ecce abſconditæ in Sepulchro fortitudinis indicia triumphi; dum Chriſtus exercens fortitudinem ſuam, quam in Sepulchro abſconditam habuit, victor ante ſe ducit in triumphum, debellatos hoſtes, qui ordinariè præcedere ſolent victores. Veſtri itaque conatus, dum tam operosè abſconditam fortitudinem Chriſti muniunt, inſigniter triumphum & Chriſti & Sepulchri augent, quod abſconditæ fortitudinis ſignum fuit demonſtrativum; ibi abſcondita eſt fortitudo ejus.

CAPUT X.

Ex locis Propheticis Sophoniæ, Aggæi, demonſtratur gloria Sepulchri Chriſti.

Primus textus Sophoniæ, Cap. 2. vers. 11. *Et adorabunt eum viri de loco ſuo, omnes inſulæ Gentium.* Dum Deus per reſurrectionem ſuam de Sepulchro, diſperdet omnes deos terræ, peccatum, Infernum, tunc adorabunt eum viri de loco ſuo. Cornelius enim hic, *de* pro *in* accipit. In loco inquam Sepulchri, qui locus Chriſti eſt - - Deumque in loco illo adorabunt omnes Inſulæ Gentium,

tium, id eſt Italia, Gallia, Hiſpania, cæteræque Europæ Provinciæ, quæ hic juxta eundem nomine Inſularum nuncupantur; quod teſtatur Dubliulius in ſuo Hodæporico: *Itaque non ſolùm vicini Aſiatici, Syri, Ægyptii; verum etiam Græci, Itali, Galli, Hiſpani, Æthiopes, Indi, cæterique variarum gentium Chriſtiani, utriusque ſexus, quod etiam nunc inter Barbaros geritur, diverſis quidem lingvis atque cæremoniis, una tamen fide ac pietate, Chriſtum in hoc Paſſionis & Reſurrectionis loco religiosè adorant.* Libr. 1. fol. 16.

Secundus textus Sophoniæ, Cap. 3. vers. 7. *Et non peribit habitaculum ejus, propter omnia, in quibus viſitavi eam. Verum tamen diluculo ſurgentes, corruperunt omnes cogitationes ſuas.* Quod nam ſit tam firmum habitaculum, quod inter tot clades, ruinas, deſolationes Jeruſalem, non periturum dicit Propheta? & cui conveniat ratio allegata ab eodem, ob quam non ſit periturum? Non aliud habitaculum dici poteſt, niſi habitaculum, Sepulchrum Chriſti. Quod etiam patet ex teſtimonio B. Alberti Magni: *In cunctis bellis, deſolationibus, ſubverſionibus, & Regni Hieroſolymitani translationibus, manſit Templum SEPULCHRI illibatum, cui olim mons quoque Calvariæ incluſus fuit, unà cum interiori Sacello, quod incluſum tenet SEPULCHRUM ipſum.* In Cap. Matt. 27. fol. 1013. Hoc itaque habitaculum ſuum Chriſtus, per os Prophetæ, dicit non periturum unquam, ob aſſignatam rationem, propter omnia opera, in quibus viſitavi eam; id eſt, ex eo non peribit habitaculum Sepulchri mei, quià talem conſervationem illius merui, per mea opera infinitè digna, & acceptiſſima Patri Æterno, in quibus, viſitavi Jeruſalem, id eſt viſitando & permanendo tantiſper in Jeruſalem, exercui & operatus ſum in illa. Vel etiam non peribit habitatio Sepulchri propter hoc, ut omnes viſitent eam. Et de hoc habitaculo loqui videtur Propheta, ex connexione verborum appoſitorum: *verum tamen diluculo ſurgentes &c.* id eſt milites cuſtodientes habitaculum meum, id eſt Sepulchrum, ſurgentes diluculò, & à ſua cuſtodia, videntes Monumentum apertum, & Chriſtum reſurrexiſſe, corruperunt omnia ſtudia ſua; ut Tigurina verſio habet; id eſt omnes illorum cogitationes diſſipatæ ſunt, conatus, intentiones ſtudioſæ cuſtodiæ diſparuerunt, & inanes effectæ, & omnia opera eorum fruſtranea fuère. Sive etiam hoc accommodari poteſt de mulieribus, quæ ſurgentes diluculò, venerunt ad habita-

culum ejus, ſcilicet Sepulchrum, & non videntes in eo Corpus Chriſti, corruperunt omnes cogitationes ſuas; id eſt non deduxerunt ad effectum ſuas intentiones, cùm venerunt ad Sepulchrum propterea, ut ungerent Corpus, quod non repererunt, quia ſurrexerat. Pariter de hoc loqui habitaculo Prophetam facilè colligitur ex ſubſequenti ſtatim verſu, qui ſit.

Tertius textus Sophoniæ ibidem: verſ. 8. *Quapropter expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ, in futurum.* Hoc textu Propheta prædicit tria: Sanctum Sepulchrum, Templum Reſurrectionis, & ejusdem Templi vocabulum. Quòd primum, ſcilicet S. Sepulchrum, hic à Vate prædicitur, ratio eſt; quia Septuaginta Interpretes legunt: *Propterea expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ, in teſtimonium.* Per teſtimonium autem hic, Chriſti reſurrectionis teſtem monumentum intelligit S. Cyrillus

Tom. 3. fol. 351. Hieroſol. ut refert Baronius. Imo Tertullianus de corona militis, cap. 9. dicit: *Nec ipſum Dei Templum, nec Arcam teſtamenti, nec tabernaculum, ita aptè dici poſſe teſtimonium, ſicut SEPULCHRUM Chriſti, teſtimonium myſteriorum ejus.* Pariter quod prædicit hoc textu Propheta Templum Reſurrectionis, ejusque vocabulum, patet; quia iidem Septuaginta Interpretes, pro teſtimonio, retinent Græcam vocem, idem ſignificantem, ſcilicet *Martyrion.* Porro Eccleſia Reſurrectionis Chriſti, quæ variis nominibus appellata erat, hoc eſt, Nova Jeruſalem, Dominicum, Baſilica Conſtantiniana, ut apud Baronium ibidem; propter hoc propheticum oraculum, vocata eſt Martyrion. Ita expreſſe concludit S. Cyrillus Hieroſol. Catech. 14. *Et deinde juxta eandem ſcripturæ connexionem dicit:* Propterea expecta me, dicit Dominus, in die reſurrectionis meæ in Martyrion. *Vides & locum, in quo rediit ad vitam, Prophetam prænoviſſe, qui Martyrii nomen erat habiturus. Qua enim ratione locus ille Golgotha & Reſurrectionis, non appellatur Eccleſia, pro more reliquarum Eccleſiarum, ſed Martyrium? At forſan propter Prophetam, qui dixit: in diem reſurrectionis meæ in Martyrium.* Atque his verbis eximiam eſſe prædictionem, tam Sepulchri Chriſti, quam auguſti illius & magnifici templi, quod à Conſtantino Imperatore, ad Sepulchrum Chriſti JESU, in monte Golgotha excitatum eſt,

Prop. 9. Cap. 140. & Martyrium dictum, dicit Petrus Hvetius, adducens ad idem Euſebium, variis in locis ſcilicet libr. 4. cap. 40. 45. & ſubſequentibus.

bus. Licetsi tamen Martyria olim dicebantur Templa, quod in Martyrum ædificarentur memoriam; ut Isidorus Hispalensis, Origenes, Walfridus, aliique asserunt: tamen templum Resurrectionis Dominicæ testificandæ, Martyrion, seu Martyrium appellabatur, non quasi aliquibus Martyribus fuerit consecratum, neque vocari Martyrum Ædem, seu Templum Martyrum; sed Templum hoc Martyrium appellatum à Propheta, quod esset salutare Christi Domini Passionis, & Resurrectionis testimonium; sic Gretserus: qua de causa Templum hoc Anastasis, & Resurrectio dicebatur. Quod ipsum & ex Menologio Græcorum deducit, in quo notantur Encænia, seu consecratio, Anastaseos, hoc est Templi Resurrectionis, quod alio nomine Magnum Martyrium appellabatur, ædificatum ad locum Resurrectionis Domini, seu ad Sepulchrum, ex quo resurrexit.

Tom. 1. lib. 1. cap. 65.

Quartus textus Aggæi, Cap. 2. vers. 10. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquam primæ, dicit Dominus exercituum. Et in loco isto, dabo pacem, dicit Dominus exercituum.* Gloriam Templi Resurrectionis Christi, Propheta prævidet majorem fuisse, quàm illius prioris Templi Salomonis; ut hic annotat Paulus de Palacio, & Quaresmius Tom. 2. Cap. 4. dicit: *Aggæi Prophetæ adducta verba, commodè intelligi posse de Sanctissimo & gloriosissimo Templo Resurrectionis Dominicæ.* Quod tantò majus fuit illo antiquo, quantò hucusque diutius durans, quantò gloriosius reddebatur ornamentis, ac contentis præstantioribus, & quantò gloriosior est lux, quàm umbra; veritas, quàm figura; cognitio intuitiva clara, quàm ænigmatica. In illo enim templo hæc gloriosa fuere: Arca testamenti; Manna in urna; Rationale judicii; Lenticula olei unctionis: Ignis de cælo descendens holocausta comburens; Gloria Dei, quæ apparere solebat; S. Spiritus, qui in templo loqui consveverat. Templum novæ Hierusalem S. Resurrectionis, nonne digniora in se conclusit ornamenta? Arcam, S. Sepulchrum, quod & urna fuit, panem, Corpus Christi continens: Rationale judicii, Lignum S. Crucis: Oleum, svavissimum Nomen JESU; Sacramenta, meritaque Christi, quibus inungimur. Item ad Sepulchrum Christi Reges ungebantur, coronabantur: Ignis etiam quotannis in Sabbato Sancto descendebat; ut Libr. 3. patebit: Gloria Dei major in illo peragebatur & peragitur, dum Sacrificia

incruenta, quotidie ad Sepulchrum celebrantur; ita, ut qui viderit domum istam in gloria sua prima, firmiter asseveret, impletam hanc de illa prophetiam, propter excessum majoris gloriæ hujus domûs, licetsi non propter structuram materialem; quanquam in hoc non longè superabatur ab illa; sed multò magis propter merita, gratias Salvatoris Nostri JESU Christi, ibi concessas, & tam multa ibi operata, resque nobilissimas, & multò sanctiores consignavit, quàm illud primum, quibus caruit. Demptis tamen aliis, unicè præponi illam in hoc affirmat Propheta, quia in loco isto, hoc est in Templo novissimo, scilicet S. Resurrectionis, dabit Dominus pacem, id est Sepulchrum suum ponet Dominus exercituum, qui locus pacis illius fuit; conformiter ad illam figuram Psalmi: *In pace factus est locus ejus*; fol. 138.

CAPUT XI.

Ex locis Propheticis Zachariæ, demonstratur gloria Sepulchri Christi.

Primus textus Zachariæ, Cap. 2. vers. 12. *Et possidebit Dominus Judam, partem suam, in terra sanctificata, & eliget ad huc Jerusalem. Sileat omnis caro à facie Domini, quia consurrexit de habitaculo suo.* Sensum priorum verborum ex Hebræo, Paulus de Palacio adducit, quod Dominus JESUS Christus ex gente Judæorum, eliget sibi primam Apostolorum & Discipulorum Ecclesiam, quam habuit in terra Sancta. Quia in Liturgia S. Jacobi Minoris, Jerusalem appellatur, Matrix Ecclesiarum. Posteriorum verò verborum sensum, idem de Palacio, dicit esse omnibus evidentissimum; quia Hierosolyma, delecta est Christi Sepulturæ, ut etiam nunc inter medios hostes, Deus eam servet, & ad eam ex omnibus mundi partibus adducat. Adeoque in his verbis, prophetat Vates, quod Jerusalem eligetur pro Sepultura Christi, & silebit omnis caro, cum Christus de habitaculo Sepulchri sui consurget; quia consideratio habitaculi Sepulchri Christi, silentium imponit omni carni, id est omnibus carnalibus desideriis, voluptatibus, sensualitatibus, solus loquatur mihi Spiritus, sola internè, Deo conjuncta, ratiocinetur anima, dum consurrexisse de habitaculo Sepulchri, recogito Dominum.

Secun-

Secundus textus Zachariæ cap. 3. vers. 9. *Ecce lapis, quem dedi coram JESU, super lapidem unum, septem oculi sunt, & ego celabo sculpturam ejus.* His verbis alludere Prophetam, ad fabricam templi quæ à Jesu Pontifice facta est ex lapidibus; asserit Cornelius hîc. Benè allegorica allusio, sive mystica, potest fieri ad lapidem Sepulchri JESU Pontificis, qui datus est coram eo; id est, qui futurus est ei pro Sepulchro. Dum enim Propheta, immediatè vocaverit Christum Messiam futurum, Orientem, *ecce ego adducam Servum Orientem*, ortum ejus non solùm in carne prævidens, sed etiam de Sepulchro futurum prænoscens. Ut super hæc immediatè allata verba Zachariæ, Georgius Bartholdus, in Biblioth. Conc. *Oriens non est participium ab orior, sed est orientis solis nomen; ut & tunc indicaret Christum Dominum solem esse diluculò orientem, non adeo quidem tunc, cùm ex Virginis utero nascitur; sed tunc, dum ex occidente Sepulchro resurgit.* Subdit: *Ecce lapis, quem dedi coram Jesu*; utpote si diceret: Sic ille vir habebit nomen Oriens vel ex eo; quia ecce lapis, ex quo ille *subter eum orietur, & ædificavit Templum Domino*; ut dicit idem Propheta Cap. 6. v. 12. id est, super lapideum Sepulchrum ædificabitur Templum Domino, ut veritatem probavit eventus. Præterea Sepulchrum Christi, fuit unus lapis; quia Ludolphus de Saxonia, Monumentum Christi, dicit sumptuosè factum, & *in petra excisum, id est in uno lapide, secundùm quantitatem hominis concavatum.* Super hunc itaque lapidem unum, septem oculi; tum septiformis gratiæ; tum Sancti Angeli, qui dictis oculis significantur, qui nunquam claudunt palpebram, sui vigilantissimi ministerii. Item per septem oculos, significatur perspicacissima Providentia Divina, & vigilans cura ac obtutus, in conservando, protegendoque loco illo. Ultima verba Hebraica lectio habet: *Ecce ego aperiam aperturam ejus*; quia dum super hunc lapidem Sepulchri, septem oculi erunt, id est, cùm toto illo tempore non dormientes; sed tanquam centoculi Argi, undique circumspectè inspicientes custodient Sepulchrum, attendentes, ne quis ad illud propius accedat discipulorum; protunc aperiet Angelus aperturam ejus, & visionem ejus revelabit; ut Chaldæus explicat; quia per visionem Sepulchri, revelata est resurrectio Corporis Christi. Huic textui subservit Authoritas S. Bernardini, qui Tom. 4. Serm. 3. de Euchar. Cap. 3. inquit:

Tom. 2. fol. 546.

In Vit. JESU 2. Part. cap. 66. num. 4.

Apocal. 5. v. 6.

Cornelius à Lapide hîc.

Ad

Ad hoc quòd homo disponat se dignè ad sumptionem hujus Sacramenti, necesse habet præparare corsuum, quasi alterum Sepulchrum Christi, per vigilem circumspectionem, ut verificetur, quod de hoc Zacharias ait: Oculi septem super lapidem unum. *Nam & cor lapideum necesse est esse, non ex obstinata perversitate, sed ex Sancti propositi firmitate. Et super hunc lapidem septem oculi esse debent; quia septemplici præparatione muniendus est.* Comparat ergo S. Bernardinus, Sepulchrum Christi lapidi illi, de quo Zacharias, & Sepulchro Christi conformandum esse dicit cor, ad suscipiendam Eucharistiam; ut sit ita firmum, sicut Sepulchrum Christi lapideum, & circumspectum dono gratiæ, sicut idem Sepulchrum multiplicibus Divinis gratiis, tanquam oculis cernentibus, protegitur. Vel si juxta Sanchez septem oculi, pro attentissima consideratione sumuntur. Septem enim pro multis, & oculi pro attentione usurpari solent. Propheta prædixisse videtur, quod erit tale tempus, quô super unum lapidem Sepulchri Christi, innumeri erunt oculi, visitantium illud, intenti ad contemplandum & respiciendum eundem. Sive etiam singulari consideratione, applicandi sunt sensus nostri interni, ad Sepulturam Christi.

Tertius textus Zachariæ, Cap. 8. vers. 3. *Habitabo in medio Jerusalem, & vocabitur Jerusalem Civitas veritatis, & mons Domini exercituum, mons sanctificatus.* Huic appono ejusdem Zachariæ textum suprà Cap. 2. vers. 5. *Et in gloria ero in medio ejus.* Hic Propheta glorificandam nimis prædicit Jerusalem novam, ratione Sepulchri Christi gloriosi, in ea collocandi. Sanctus enim Hieronymus, in Jonam asserit, Jerusalem veterem, ferè semper, in Sacra Scriptura portare novam; ubique enim hoc ei, quasi honori
Tom. 3. fol. 350. datum, ut eam præferat ac repræsentet. Et Eusebius, referente Baronio, asserit recentem illam & novam Jerusalem, Prophetarum oraculis prædicatam, de qua vaticinationes pluribus verbis explicatæ, plurima Spiritus Sancti instinctu canere videntur. Adeoque ex eodem instinctu de nova Jerusalem, loqui Prophetam colligitur. Angelus enim ille missus, qui metiatur Jerusalem; habetur apud eundem Prophetam, Cap. 2. à principio, juxta Palacium; metiebatur eandem novam Jerusalem eadem mensurâ, quam vetus habebat, ut non sit minùs gloriosa ista nova, quàm illa vetus. Imo hic illam gloriosiorem recenset, dum illam vocandam

dicit: *Civitatem veritatis.* Sed undenam hæc gloria ipſi accedet? unde tantum augmentum protenſi honoris conſequetur? non aliud cenſeo incrementum gloriæ ejus fore, quam hoc, quod enarrat hic Propheta; quia habitaculum Sepulchri Chriſti erit in medio Jeruſalem: ratione hujus itaque loci ſacri, ac illi adjunctorum, meretur Jeruſalem nova, in ſua majori poni gloria, quàm vetus; Sicut defacto eam & ponunt Prophetæ, dum illi honorifica nomina adſtruunt, & appellationes inſigniores; præ illa antiqua. Patet id apud Prophetam Baruch, Cap. 5. ubi facta allocutione ad Jeruſalem, nempe novam, jubet illam, ut exuat ſe ſtolâ luctûs, & vexationis ſuæ, quam per deſolationem Romanorum, & aliorum Regum patiebatur; & induat ſe decore & honore, quia Deus dedit ei ſempiternam gloriam, nempe Chriſtus, per mortem & Sepulturam ſuam, & oſtendit in ea ſplendorem ſuum, qui ſub cælo eſt: tunc ſcilicet, dum è Sepulchro cum magno ſplendore reſurrexit. Et peractis in illa ſalutis & redemptionis noſtræ operibus, jam illuſtrioribus inſignita erit titulis; ut dicit textus. *Nominabitur enim tibi nomen tuum à Deo in ſempiternum: Pax juſtitiæ, & honor pietatis*; talis autem denominatio, & impoſitio novæ Jeruſalem fuit, quæ ratione Sepulchri Chriſti, ad finem mundi conſervandi, id eſt, in ſempiternum, dicitur: *Pax juſtitiæ*; quia in pace in Sepulchro, Juſtitia Dei, Chriſtus quievit: *Et honor pietatis*, qui habetur maximus, ratione piæ frequentationis & devotionis ad Sepulchrum Chriſti. Adeoque nova & moderna Jeruſalem, ratione glorioſiſſimi Sepulchri Salvatoris JESU, titulos glorioſos eſt ſortita. Hoc ipſum ex altero textu Zachariæ adducto colligitur; in illo enim dicit Deus: *glorificabor Jeruſalem, & gloriam ei afferam*; ut hic Interpretes & Chaldæus: *In medio ejus glorioſè majeſtatem meam ponam* Hæc autem majeſtas Domini, non alibi repoſita in nova Jeruſalem, & habitatio ejus ac gloria in medio, niſi in Sepulchro; quod & medium glorioſum eſt.

In variis enim Sacræ Scripturæ locis, nomine medii, poteſt intelligi Sepulchrum Chriſti, quod in medio mundi eſſe patet ex fol. 215. & patebit Libr. 3. Et ſic Sepulchrum, eſt illud medium paradiſi, in quo plantavit Dominus Deus lignum ſvave, vitæ immortalis, ſcientiæ boni. Eſt medium rubi ardentis, in quo Corpus Chriſti extitit, nec tamen fuit in cineres reſolutum: item ipſum

Gen. 2. v. 9.

Exod. 3. v. 2.

Sepulchrum inter flammas & ignes hostium existens, non exuri-
Exod. 22. v. 11. tur, nec fuit exinanitum. Est medium juramenti, juxta illud:
Jusjurandum erit in medio; vel quia Christus, qui fidelis est & ve-
rax: *Juravit Dominus*; medium Sepulchri occupavit; vel quia
omnes fidelissimæ promissiones, ad amussim adimpletæ in Christo,
posito in Sepulchro. Est medium, in quo Deus posuit tabernacu-
lum Corporis sui; nec abjecit illud Corpus, quia illud noluit com-
putrescere, sed rediens ad illud anima, ambulavit inter discipulos,
& erat Deus noster vivus, & nos erimus populus ejus; ut habetur
Levit. cap. 26. v. 11. *Ponam tabernaculum meum in medio vestri, &
non abjiciet vos anima mea. Ambulabo inter vos, & ero Deus vester,*
Josue 2. v. 10. *vosque eritis populus meus.* Est medium, in quo Dominus Deus vi-
Ibid. 4. v. 9. vens erat. Est medium, in quo steterunt sacerdotes, qui porta-
bant. Arcam Domini, nempe Corpus, in quo loco positus est
lapis, quem duodecim alii lapides, nempe Apostoli, præsentiâ
Ibid. 10. v. 13. exornarunt; & hic lapis est ibi, usque in præsentem diem. Est
medium, in quo stetit sol mysticus, donec Anima JESU, ulcisce-
1. Reg. 4. v. 3. retur de inimicis suis. Est medium, in quod venit Arca Corporis
Ibid. cap. 10. v. 23. Christi, ut salvaret nos de manu inimicorum nostrorum. Est me-
dium, in quo dum stetit Christus, altior fuit universô populô, Re-
gnum suum apprehendens, & ibi proclamatus ab omni populo:
2. Reg. cap 6. v. 17. *Vivat Rex.* Est medium, in quo Regina Beatissima, & omnes ele-
cti ex Isràël, introduxerunt Arcam Domini, scilicet Corpus Chri-
sti, & imposuerunt eam in loco suo, nempe Sepulchro, in medio
3 Reg. c. 8. v. 64 tabernaculi. Est medium atrii, nempe Ecclesiæ S. Sepulchri, quod
Psal. 22. v. 4. ipse Rex Christus sanctificavit. Est medium umbræ mortis, in quo
Corpus Christi non timuit ulla mala, quoniam tu Deus in Persona
Isai. 12. v. 6. Verbi, eras cum eo. Est medium, de quo dicendum: *magnus in*
Ibid. 19. v. 19. *medio tui sanctus Isràël.* Est medium terræ, in quo est Altare Do-
mini, & titulus Dei, juxta terminum ejus; titulus enim Crucis,
titulus Nominis JESU, repertus est in Sepulchro, quod terminus
est; & est in signum & testimonium Domino exercituum, in terra
Ezech. 37. v. 28. sancta. Est medium, in quo data est sanctificatio hominum, per
Passionem & Resurrectionem Christi: *Et scient gentes, quia ego Do-
minus Sanctificator Isràël, cùm fuerit sanctificatio mea, in medio eorum
in perpetuum.* Quia tunc gentes sciverunt, quia Dominus Sancti-
ficator, Salvator Isràël; cùm hæc sanctificatio Christi, scilicet Se-
pulchrum

pulchrum ſanctificatum Corpore Chriſti, in medio eorum, ſcilicet Paganorum & Infidelium, eſt hucusque & erit in perpetuum. Eſt medium terræ, in quo erat arbor magna nimis & fortis, & proceritas ejus cælos tetigit, aſpectus ejus erat usque ad terminos univerſæ terræ, fructus ejus nimius, quo veſcebatur omnis caro; id eſt merita infinita, quæ fuerunt ſufficientiſſima, pro omni carne humana redimenda. Daniel.4.v.7.

Nihil igitur vetat, ut in utroque textu Zachariæ, adducto ſupra, nomine medii, in quo habitet & reponatur majeſtas Domini, & in quo medio ſit Deus in gloria in nova Jeruſalem, intelligatur Sepulchrum Chriſti ibidem ſitum. Hanc ergo Urbem in medio univerſi ſitam, probat Authoritas Scripturæ, Ezechiel. Cap. 6. *Iſta eſt Jeruſalem in medio gentium poſui eam.* Innocentius III. Papa, in ſua Epiſtola ſcribit: *Locus paſſionis & reſurrectionis Domini, in quo Deus Rex noſter, ante ſæcula, ſalutem noſtram in medio terræ dignatus eſt operari.* Bzovius ann. 1213 f. 212. Tum quia Sepulchrum Chriſti fuit medium illius gloriæ; Henricus Spondanus: *De SEPULCHRO initium cœpiſſe ejus gloriam, & fuiſſe Sepulturam MEDIUM tranſitum ab ignominia Crucis, ad gloriam reſurrectionis, quod prædixerat Iſaias, futurum SEPULCHRUM ejus glorioſum.* Cæmet. Sacr. libr. 1. part. 2. fol. 174. Et in hoc medio, nempe Sepulchro, Chriſtus eſt in gloria, id eſt ibi laudatur, glorificatur. Ex ratione cujus medii, videlicet Sacratiſſimi hujus loci, Civitas Jeruſalem nova, variis extolletur elogiis; nempe primò vocabitur: *Civitas veritatis.* Tum quia ipſam veritatem Paſſionis, Sepulturæ Chriſti, Reſurrectionis in eo loco, non figuram, monſtrabit; utpote vocata Civitas Divina, Civitas S. Reſurrectionis; ita obſervat Prateus, in Lexicon Juris. Tum quia manifeſtam veritatem ad oculum, comprobant loca hæc Sacra Chriſti myſteriorum; videlicet Mortis, Reſurrectionis, & quòd Chriſtus vivat; ipſaque viſitatio frequentiſſima dictorum locorum ſacrorum, in nova Civitate Jeruſalem, quodvis judicium inclinare debet ad fidem Chriſti veriſſimam ampletendam, & firmiter tenendam. Evincit id ſua digniſſima ratiocinatione S. Athanaſius, Epiſcopus Alexandr. taliter: *Sed ſi ne ita quidem, ſatis plena eſt reſurrectionis comprobatio ex iis, quæ ante oculos in conſpectu ſunt, fides petatur. Nam ſi nihil ab eo agitur, qui vita defunctus eſt, ejusque gratiâ & meritô, usque ad SEPULCHRUM tantummodo porrigitur, poſtea deſinat, & conquie-* De Incarn. Verb. Dei fol. 60.

 ſcat,

scat, & viventium duntaxat sint actiones, viresque aliquid efficiendi: videat quæso, quicunque velit, seque judicem faciat, & ex rebus visu perceptis VERITATEM agnoscat, cum res tantas in hominibus agat Salvator, & quotidie undecunque ex incolis Græciæ, externarumque regionum, tantæ hominum multitudini invisibiliter persvadeat, ut sese in illius fidem dedant, ejusque disciplinæ obtemperent; an is mentem in ambiguo amplius habere possit? num vel resurrectio non sit, vel Christus non vivat, qui ipsa vita est. Secundò nova Jerusalem, *mons Domini exercituum, mons sanctificatus*, ex ratione nimirum loci Calvariæ & Sepulchri, eidem adjacentis; in his montibus fortissima prælia gessit Christus, eos sanctificavit, ibi sanctè & devotè colitur, juxta illud Psalmi 47. *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, in Civitate Dei nostri, in monte sancto ejus.*

Quartus textus Zachariæ Prophetæ, Cap. 8. incipiendo à versu 21. usque ad 23. in quibus omnibus prædixisse videtur Propheta peregrinationem, & visitationem S. Sepulchri; & sic hoc versu 21. *Usquequo veniant populi, & habitent in Civitatibus multis, & vadant habitatores unus ad alterum, dicens: Eamus, & deprecemur faciem Domini, & quæramus Dominum exercituum, vadam etiam ego.* Hoc inquam versu modus hic optativus, vel quasi interrogativus, quandonam venient populi? &c. impletus esse agnoscitur, in visitatione & peregrinatione ad S. Sepulchrum. Eo enim tempore veniebant populi, qui habitabant in civitatibus multis, & unus habitator ibat ad alterum, & dicebant ad invicem: Eamus ad Sepulchrum Domini, & ibi quæramus Dominum, & deprecemur faciem Domini exercituum; quo audito tam pio protractivo opere, præ desiderio, & monstranda alacritate, in veloci ad illud adventu, homines peregrè proficiscentes, respondebant: Vadam etiam ego ad Sepulchrum Domini; similiter idem alius, altervè dicebat. Et tali condictamine pio, inter se inito, declarataque sibimet ab utrinque devota intentione, subsecutum id, quod vers. 22. dicitur: *Et venient populi multi, & gentes robustæ, ad quærendum Dominum exercituum in Jerusalem, & deprecandam faciem Dei.* Hic jam indicatur locus, in quonam hi populi & habitatores, qui polliciti sunt simul ituri, ad deprecandam faciem Dei, ubinam eam sunt deprecaturi? nempe facta tali secum stipulata conventione: Vadam & ego. Sed quorsum? ecce *venient populi multi, & gentes robustæ;*

bustæ; quia Reges inviđiffimi, cohortes potentiffimæ, Populi vera fide fortiffimi, ad quærendum Dominum, venerunt in Jerusalem ad S. Sepulchrum; & ibi fubmiffis fafcibus, propenfis membris & corde, deprecabuntur faciem Domini. Uti ad eandem vifitationem S. Sepulchri, Thomas Waldenfis adducit ejusdem Prophetæ verba, Cap. 14. *Reliqui de univerfis gentibus, afcendent ab anno in annum, ut adorent Regem Dominum exercituum in Jerufalem*, penes Sepulchrum Chrifti. Et protunc impletum eft id, quod ultimus ejusdem Capitis dicit verfus: Nempe in illis diebus vifitationis, & peregrinationis ad S. Sepulchrum, apprehenderunt eundem locum in Jerufalem, decem homines, ex omnibus lingvis gentium; nempe Chriftiani, Græci, Syri, Armeni, Perfæ, Æthiopes, Maronitæ, Jacobitæ, Georgiani, Abaffyni. Ex his enim decem gentibus homines, continuò ferme refident ad S. Sepulchrum, fua habentes Sacella. *Et apprehendent fimbriam viri Judæi, dicentes: Ibimus vobifcum; audivimus enim, quoniam Deus vobifcum eft.* Per virum hic Judæum, intelligi poteft Gens Latina feu Chriftiana; juxta illud Chrifti, Joann. Cap. 4. vers. 21. quia *falus ex Judæis eft.* Quia Latini principaliter ipfum locum Monumenti obtinent; ex hac Gente, quoties quis noftrorum ingreditur ipfum intimum Sepulchrum Chrifti, toties ad extra exiftentes gentes fupra nominatæ apprehendunt fimbriam veftimenti & ofculantur; eô ofculô exprimentes, felix veftimentum, quod Sepulchrum Domini tetigerit, & in hos prorumpunt affectus dicentes: *Ibimus vobiscum*; id eft vellemus eò etiam ire, & ipfum intimum illum venerari locum: Sed quia audivimus, quod fpecialiter Deus cum Chriftianis fidelibus eft, qui locum Sepulchri ejus vifitant, propterea & ipfam exofculamur fimbriam. Ut eventus hîc patet ex ipfa experientia, perfonaliter vifitantis Sepulchrum Principis & Ducis, Nicolai Radziwilii; dum enim illi referaretur porta Ecclefiæ S. Sepulchri, alii diverfarum gentium homines, intus ingredi, & Sacrum Sepulchrum exofculari obiter volebant. Et fubdit his verbis: *Quibus autem ea fors non obtigit, ii, ingredientibus nobis, veftes noftras attrectabant & exofculabantur, quæ Sacra loca illa tetigiffent:*

Tom. 2. titul. 15.

Quintus textus Zachariæ, Cap. 13. vers. 7. *Framea fufcitare fuper paftorem meum, & fuper virum cohærentem mihi, dicit Dominus exerci-*

exercituum. In antecedaneis textibus, immediate ejusdem capitis, figurata & expreſſa fuit Paſſio & Mors Chriſti; nimirum per hæc verba: *His plagatus ſum, in domo eorum, qui diligebant me:* In hoc verò figurari videtur ſuſcitatio Paſtoris Chriſti de Sepulchro; ita, ut ſint verba Patris Æterni, ſuſcitationem ſummi Paſtoris Chriſti imperantia. Verba enim hæc Chaldæus legit: *Denudare ô gladie*; id eſt: exue te Caro Chriſti, omnibus his indumentis. Sepulchralibus linteaminum, ſive paſſibilitate Corporis, & mortalitate. Septuaginta: *Conſurge ô gladie*; id eſt de Sepulchro tu Chriſte, Paſtor meus, quia ego dedi te Paſtorem. *Et vir cohærens mihi*; ſcilicet, ut ipſe de ſe dixit: *Pater in me eſt, & ego in Patre*; quia Corpus Chriſti in Sepulchro & Anima, fuerunt intime unita in ſuppoſito Verbi ejusdem Naturæ cum Patre. Ut Vatablus legit: *Super virum coæqualem mihi*: Chriſtus autem æqualis Patri, ſecundùm Divinitatem. Sicut enim Chriſtus dicit Matt. 10. vers. 34. quod *venit mittere gladium in terram*, id eſt Corpus ſuum, quod percuſſum fuit tot plagis; & quò, velut gladiô, debellavit peccatum, venit mortuum mittere in terram Sepulchri; ita in his Prophetæ verbis, ejusdem frameæ ſeu gladii, videtur prædici de terra Sepulchri ſuſcitatio. Unde ſenſus verborum hic eſt: Tu Paſtor & Chriſte, coæqualis mihi Deus, accinctus frameâ ſeu gladiô Humanitatis in Carne, in qua patiendo diabolum ipſum debellaſti, juxta illud Pſalmi 44. *Accingere gladio tuo ſuper femur tuum;* & plagatus, ſeu conciſſa carne, velut frameâ in vulnera diſſectus, in domo eorum qui te diligebant; ſuſcitare & conſurge de Sepulchro. Hæc enim Prophetæ verba, videntur concordare cum illis verbis, alterius Prophetæ David, Pſalm. 21. *Erue à framea Deus animam meam, & de manu canis unicam meam*; quibus verbis petit Chriſtus, liberari Corpus ſuum & Animam de morte, & de inferno; id eſt, ut Corpus in Sepulchro à morte eruatur, & Anima de inferno. Sive etiam conformiter ad ſenſum Quaresmii, qui nomine gladii, intelligit Sepulchrum Chriſti, dum ita dicit: *An non meritò Sanctiſſimum Sepulchrum gladius eſt, in quo mors interfecta fuit? & enſis, quô diabolus vulnus plagamque accepit? Et ecce gladius & theſaurus ſingularis, in Chriſti inimicorum manibus manet. Quid igitur faciendum? eripiatur unà cum Civitate de illorum manibus, quemadmodum ſupplex expoſtulabat David, dicens:* Eripe frameam tuam ab inimicis tuis. De

Elucid. Terr. Sanct. libr. 2. cap. 69.

Pſal. 16. v. 13.

De hac itaque framea ſuſcitari dicit Dominus exercituum, Paſtorem meum Chriſtum, qui ſimul Deus eſt. Vel etiam nomine frameæ, intelligi poteſt potentia, fortitudo, & virtus Dei Patris, quæ fuit identica in Verbo, cohærenti Corpori & Animæ, quâ ſuſcitatus eſt de Sepulchro Paſtor Chriſtus, conformiter ad illa verba, S. Pauli ad Hebræos Cap. 13. v. 20. *Deus autem pacis, qui eduxit de mortuis Paſtorem magnum ovium, in Sangvine teſtamenti æterni &c.* Primaſius, Epiſcopus Africanus, Diſcipulus S. Auguſtini, in Commentar. in ejusd. Epiſtol. verba, ſic dicit: *Deus pacis iſto loco intelligitur, Deus Pater, à quo vera pax procedit, & qui nos pacificavit per Sangvinem Filii ſui; ipſe eduxit Paſtorem ovium magnum de mortuis, id eſt de Sepulchro, qui propriè mortuorum eſt, ſuſcitavit illum tertia die. Deus ergo Pater eduxit Filium ſuum de SEPULCHRO.* Bibl.ioth. Vet. Patr. Tom. 6. p. 2. fol. 149. Combinando ergo horum verborum, S. Apoſtoli hanc interpretationem Primaſii, cum dictis verbis Zachariæ, ſenſus hic apparet evidenter: Deus Pater, dum pacificavit mundum, plagis & vulneribus Filii, quibus plagatus fuit, in domo eorum, qui diligebant eum: tandem framea, id eſt potentia & virtus Divina, ſuſcitavit Paſtorem Chriſtum de Sepulchro, qui fuit vir coæqualis virtutis & fortitudinis, utpote verus Deus. Hîc vide quomodo Sepulchrum Chriſti, Chriſtum expoſuit verum Paſtorem & Deum, ut bene de illo hæc verba dici poſſunt: *In loco paſcuæ*; id eſt Sepulchri, ex quo eductus eſt Paſtor Chriſtus, *ibi me collocavit.* Et bene Feſtum Sepulchri Chriſti incidit in Dominicam ſecundam poſt Paſcha, in qua legitur Evangelium: *Ego ſum Paſtor bonus.* Chriſtus à Sepulchro bonus Paſtor, frameâ potentiæ & virtutis Divinæ ſuſcitatus. Dicit Michaël Ghislerius, Commentar. in Cantic. fol. 108. *Sic quando cubavit in SEPULCHRO, tanquam fortiſſimus Paſtor, prædam à diaboli abſtulit faucibus.* Jam ergo dilecta Sponſa non ſis anxia de loco, in quo poſſis invenire dilectum tuum, paſcentem ſimul & cubantem: *Indica mihi, ubi paſcas, ubi cubes in meridie?* ecce ex dictis locus hic, in quo dilectus ſimul paſcit & cubat, eſt Sepulchrum Chriſti, in quo & cubavit in meridie æſtûs amoris ſui, & Paſtor magnus ſuarum ovium prodiit.

Ex Libris Machabæorum. Primam colligo Sepulchri Christi figuram.

Ex Libro 2. Machabæorum, Cap. 1. ubi habetur, quod Sacerdotes, Cultores Dei, acceptum ignem de Altari, absconderunt in valle, ubi erat puteus altus & siccus, & in illo contutati sunt illum, & reliqua opera in contextu expressa, ibidem relege. Hi enim Cultores, bene dici, significative possunt, Josephus ab Arimathæa & Nicodemus, qui ex toto concilio Judæorum, maximè erant Cultores Christi. Hi acceptum ignem, id est Corpus Christi, qui Deus ignis consumens est, de Altari, id est de Cruce, absconderunt in valle Golgothani montis, ubi erat puteus altus & siccus, nempe in Sepulchro, & puteus altus, vocatum sub titulo *PUTEUS.* Cum autem dies una alteravè præteriisset, veniens Magdalena ad requirendum ignem, scilicet Deum in carne, qui absconditus erat, narravit discipulis, quòd non invenerit ignem, scilicet Corpus, dum veniens à Sepulchro dixit: *Tulerunt Dominum meum, & nescio ubi posuerunt eum*; solam nonnisi reperit aquam crassam, id est lachrymas, ut testatur Evangelium: *Maria stabat ad Monumentum foris, plorans*; quæ aqua ex puteo hausta, dum superposita Sacrificia super ligna aspersisset, id est dum lachrymosa Magdalena, veniens à viso puteo, id est Sepulchro, & non invento igne, id est Corpore Christi, sed solis ex oculis deductis aquis, ligna arida, id est discipulos, qui ex dolore vehementi mortis Christi, tanquam ligna fuerunt sicca; his inquam conspectis, profudisset lachrymas, & tempus affuisset, quo sol refulsit, qui prius erat in nubilo, id est dum tempus illud venit, quo Christus Sol justitiæ, qui erat prius in nubilo Sepulchri, refulsit, id est resurrexit, & in Carne glorificata sive fulgente, post resurrectionem manifestus apparuit; accensus est ignis magnus ita, ut omnes mirarentur, id est fervor magnus ac charitas ardentissima discipulorum erga locum illum putei, sive splendor ac fulgor illius loci tantus exarsit, ut omnibus admirationis esset nota. Quo amoris igne usta sunt ibidem Sacrificia laudis, oblationes votorum, & ut ita dicam, Apostolica & charitativa justorum corda concremata. Ut autem sensim manifestata fuit hæc res, renuntiatumque esset Regi-

Regibus, Imperatoribus, quod in loco, in quo ignem, id est Corpus Christi absconderant Joseph & Nicodemus, qui ex parte impiorum Judæorum, transtulerunt se ad partem, & societatem justorum, apparuit aqua, id est fletus pœnitentium, aqua munda, purificans oblationes & sacrificia. Considerantes inquam Reges, & in singulari dicendo; ut ibi habetur; Rex Constantinus, & diligenter examinans, fecit Templum, scilicet Resurrectionis sive S. Sepulchri: quod probat id, quod factum erat; id est, quia ibi ignis erat absconditus Deus, & ibi aspersâ aquâ, pœnitentium corda, refulgente gratia Divina, magnum incendium amoris concitarunt. Et Sacerdotibus, qui psallebant hymnos, id est Canonicis illius Templi, idem Imperator donavit multa bona, & alia aliaque munera. Appellari autem hic locus bene poterit, ad instar illius, *purificatio*; quia in Ecclesia S. Sepulchri, multarum animarum celebrata est purificatio; id patebit in Libro 3tio. Tum aqua reperta in puteo, in quo absconditus erat ignis, facta aspersione lignorum, ignem excussit consumptivum Sacrificiorum; signum fuit ex puteo Sepulchri, in quo erat ignis absconditus Deus, prodire aquam gratiarum, quæ diffusa in ligna sicca, id est peccatores, multum efficax erit ad inflammanda eorum corda, & ad accendendum ignem, sufficientem ad compurendo peccata, quo nomine vocari solet hostia, quæ offertur pro peccato.

Alteram figuram conjicio, ex ejusdem libri. Cap. 2. v. 5. in quo lego, quòd Jeremias Arcam testamenti, in loco Speluncæ montis Nebo, abdidit in Sepulchro Moysis, ex D. Anselmo & Abulensi, tenet Mendoza in libr. 1. Reg. cap. 5. num. 1. fol. 278. & ostium obstruxit; habetur in contextu Scripturæ. Vel juxta S. Epiphanium, referente Cornelio à Lapide, in hunc locum, servari fecit eam in petram; petram verò digito designans, Nomen Dei impressit, & factum est sigillum in similitudinem Scripturæ, quæ ferro cavatur. Arca enim testamenti, juxta D. Aponium, In Cant. lib. 1. typum Corporis Christi gerebat, & juxta Cornelium à Lapide, in Apocal. cap. 21. vers. 18. & in cap. 8. v. 4. Arca testamenti, significat Corpus Christi gloriosum: Spelunca verò illa seu Sepulchrum Moysis, sive petra obsignata sigillô, & obstructa, indicium fuit Sepulchri Christi futuri in petra, sigillô muniendi, & obstruendi lapide magno. Quia scilicet Arcam testamenti, seu Corpus Chri-

ſti mortale, futurum immortale & glorioſum per reſurrctionem; Jeremias, qui interpretatur: *Celſitudo Domini*, nempe Joſephus ab Arimathæa, qui interpretatur: *auctus*, juxta S. Auguſtinum Serm. 76. de Temp. qui vel maximè hac Chriſti tumulatione excelſus & auctus fuit; & abſcondet in ſpelunca, ſervarique illud faciet in ſpelunca ſive petra, quæ petra digito deſignabitur, quòd ſit ibi Corpus Domini; non ſolùm ſigillo Pilati, Conciliique ad inſtar Scripturæ obſigillata, ſed Nomine JESU Chriſti erit inſignita, ac expreſſa.

LIBER III.

In quo demonſtratur gloria Sanctiſſimi Sepulchri, tempore depoſitionis Corporis Chriſti in illud, & poſt factam Reſurrectionem Chriſti.

Tribus diebus, juxta communem Sanctorum Patrum explicationem, Chriſtum Dominum jacuiſſe, ſecundùm Corpus in Sepulchro, vel ex hac ratione exiſtimo; ut illi tres dies tantæ gloriæ conceſſæ Sepulchro, ex Deo ſepulto, eſſent indicium, tribus temporibus modisque fuiſſe Sepulchrum Chriſti glorioſum. Prima dies, quæ ſub veſperam, fuit initium prophetatæ gloriæ Sepulchri; ſignificabat Sepulchrum Chriſti fuiſſe glorioſum in obſcuris, latentibus, ac ænigmaticis figuris veteris ſcripturæ. Secunda dies plena & integra, deſignabat jam manifeſtè, integrè ac plenè, multis oraculis Prophetarum, proclamatam gloriam Sepulchri Chriſti; vel his ipſis verbis: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, completasque in toto figuras antiquas, & dicta Prophetarum. Tertia dies inchoata à manè & diluculò, demonſtrabat, quod

quòd inchoata gloria S. Sepulchri, à tempore illo, continuanda est, reliquo temporum fæculorumque decursu. Unde orto sole curritur & venitur ad Monumentum; quia gloria Christi à Sepulchro, & Sepulchri ejus, semper ortum spectabit, non occasum; in luce palam, non in oblivionis tenebris, Christi Discipulis & famulabus spectanda erit. Proinde & hisce tribus diebus, temporibusque correspondent gloriæ Sepulti Christi, dicati tres libri. Quorum primô, dum jam primam diem, tempusque honoris Sepulchri Christi, scilicet in figuris antiqui testamenti expendimus. Libro 2do, diem secundam, id est oracula Prophetarum, in honorem Sepulchri Christi traximus integrè. Hoc Libro 3tio, tertiam diem, tempusque gloriæ Sepulchri Christi, ab initio depositionis corporis illius, postque factam resurrectionem examinare conabor; probando scilicet per inductionem, hanc propositionem Isaiæ: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*, ampliativè ad tempus futurum, scilicet: *Erit gloriosum post Isaiam*, dum primo illatum est Corpus Christi in illud; & post factam ex illo Christi resurrectionem, ostendam qualiter sit gloriosum. Ut hoc universale dictum Isaiæ, particulari declaretur inductione, per ostensam enumerationem, quomodo fuerat gloriosum, tam dum in eo Corpus Christi jacuit, quàm cum postquam vacuum à Corpore Christi fuit. Quæ demonstratio & inductio per multa hic fiet capita, ut quantum fieri potuit, sit pro gloria Sepulchri, sufficiens enumeratio. Esto enim juxta Josephum Mansi, in Discurs. Exeget. de glor. Sepulchri Christi, hocce Isaiæ Prophetæ oraculum, perfectè adimpletum esse, adeo sit evidens, ut probatione nequaquam indigeat; tamen juxta Hieronymum de Lanuza, Episcopum Balbastrensem. *Divinæ planè sunt rationes, quas hic Patres adferunt, ob quas dixerit Propheta, SEPULCHRUM ejus fore gloriosum.* Has itaque indagare ac referre, nostrum intentum est, ut quemadmodum, juxta eundem, Christi Mausolæum toto ore, cunctisque manibus, prædicatur gloriosum; ita idem toto tempore, multisque de causis ac deductionibus monstretur semper fuisse tale.

Prompt Serm. Tom. 1. Discurs. 6.

Homil. 49. de Resurr. §. 4. num. 5

CAPUT I.

In quo ostenditur Sepulchrum Christi gloriosum, pro eo tempore, pro quo in illo jacuit.

§. I.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex depositione Corporis Christi in illo.

Hæc est origo, fons, fundamentum gloriæ Sepulchri Christi, unde illa oritur, ex quo promanat, cui innititur, quòd sit Sepulchrum Christi, veri Dei ac Hominis, Filii Patris Æterni, secundæ Personæ Sanctissimæ Trinitatis. Quamvis enim in ante, fuerat gloriosum in figuris & oraculis Prophetarum, antequam in illud inferretur Corpus Christi, & antequam in rerum natura ejus forma extitisset; hanc tamen laudem suam meruit, quia futurum erat Corporis Christi mortui receptaculum; ut ad hunc sensum inquit Angelus del Pas, Exposit. in Symbol. Apostol. *Propterea dixit Propheta:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum; *non utique ob materiam, aut artem, seu factorem Josephum, qui erat Princeps, dignumque Principe illud sibi condiderat, sed propter Deum, quem Pater honorificat, & clarificat in Sepulchro.* Nam sicut B. Virgo, quia futura erat Mater Dei & Virgo, tot in ante præsignata figuris, prædicata vaticiniis; sic quia Sepulchrum Christi, idem Corpus Christi intra se admissurum erat & conclusurum, tot figuris, ac Vatum dictis præsignatum fuit. Et sicut omnium titulorum primus honor, primaque MARIÆ gloria, quod Deum conceperit, genuerit; ita ingens Sepulchri elogium, *non minor gloria est, quod tumulus Joseph suscitaverit Dominum, quàm quòd eum uterus MARIÆ procreavit*; inquit S. Ambrosius. Grandis sanè hæc erat prærogativa uteri MARIÆ, qui tot summis laudibus inde extollitur, quod Deus in eo Incarnatus sit; grandis inde & æstimatio Sepulchri, quod idem Deus in Carne in eo collocatus sit, ibi aliquot diebus manserit.

rit. Ut ad hoc dicit Hieronymus Povodovius, Archipresbyter & Canonicus Cracoviensis: *Decebat, ut quibus prærogativis Uterus Virginalis, per quem Filius Dei in mundum ingressus esset, honoratus est; similibus etiam SEPULCHRUM, per quod ex hoc mundo exibat, insigniretur.* Proinde jure exclamat Reverendissimus Fornerius, Conc. LXV. de gloria Sepulchri Christi: *O ineffabilem gloriam, hoc sacratissimum SEPULCHRUM, à Regis Regum in eo sepulti Corpore hæreditavit!* Et Petrus Rota: *Majestas autem & gloria hujus Dominici SEPULCHRI, minimè mensuranda est à dignitate, aut pretio materiæ, aut ab artis excellentia; non enim ex auro, argento, aut ebore, aut alia pretiosa materia, artificiosè elaboratum, aut affrabrè factum fuit; hoc namque genus gloriæ transitorium est & corruptibile, tam in se, quam in hominum opinione; sed omnem suam gloriam hoc SEPULCHRUM mutuavit à Corpore Regis Regum Christi JESU, in eodem Sepulti.* Tum sicut juxta S. Andream Cretensem Hierosolymitanum, de Cruce Christi dicentem, *quam enim majorem consequi posset gloriam, quàm quòd Christus in ea fixus?* Sic, quam quæso majorem potest consequi gloriam Sepulchrum Christi, quàm quòd idem in eo sepeliatur. Continens enim eò dignius & æstimabilius est, quò contentum illius honorificum, dignum, & celebrius est; & passum, seu locus receptivus, quoàd suum valorem, & æstimabilitatem, crescit ex dignitate subjecti recipientis; juxta illud: *Quidquid recipitur, permodum recipientis recipitur.* Sic cælum Empyreum eo supremum, altius, ac cæteris cælis præstantius est, quia est sedes Dei Unius & Trini, residentia Angelorum, domus æterna Beatorum: Sic Sepulchra Pontificum, Cæsarum, Regum, Principum, & hujus sæculi Magnatum, eò sunt celebriora, nobiliora & magis inclyta, quia continent corpora coronata, augusta. Quid majus Deo? quid nobilius Christo? quid excellentius Unione Hypostatica? quid Corpore Christi pulchrius? hæc Sepulchrum recipit. Qui creavit terram, ejus in sinu recumbit, requiescit in hoc tabernaculo; portantem omnia portavit; circumdedit immensum, hunc conclusit gremiò suò, quem totus capere non sufficit orbis. Nonne gloriosum, prænobile Sepulchrum est? dum illum locum Vir, Homo Deus ornavit. *Christi Corpus, SEPULCHRUM istud gloriosiùs efficiebat, famosiùsque superbô Arthemisiæ Mausolæô, juxta Isaiæ dictum:* Erit Sepulchrum ejus gloriosum. Hic locus

Part. 2. in Pass. Dom. Serm. 4. fol. 291.

In Horto floridis. Conc. pro Resurr. fol. 706.

Orat. 2. de Exalt. S. Cruc.

Jacob. Suarez in Ser. Octav. Corp. Serm. 4. fol. 96.

locus nobilissimus, & præclarissimus est, qui est juxta Regem & Imperatorem, & juxta quem est Rex. Nonne ultra alia quæcunque creata extollendum Sepulchra tumulus, de quo in præsenti? dum Supremi Numinis, nobilitatur dignitate. Sepulchrum Christi est concha, quæ unicam gemmam, infiniti tamen pretii, sinu suo recondit, hanc habens inscriptam epigraphen: *Sat una decori*: Singulare decus Sepulchri, ex uno Corpore Christi Deificato, quod dum hanc candidam, inæstimabilem divitiarum cælestium gemmam habet, supremum inde recepit splendorem: *A prole nobilitas.* Pio quodam intumescit fastu, Sacra illa rupes, dum in sinu suo complexa margaritam, dignè gestat Filium Dei, & tantæ Matris: *Hac prole superbit.* Satis laudis & æstimationis vel inde habet, dum thesauro tam divite gravida, suum pretium, ut concha clausa, *desumit ab intus.*

Lapis Sepulchri Christi, est lapis adamas, quem esse prolificum censet Athanasius Kircherus, & ex purissimis ac subtilissimis protiunculis, per intimas montium fibras, ad rupem porosam congestis, intra cavitates hujus rupis generari; sic adamas Christus, ex subtilissimis cælis, in incontaminato MARIÆ utero progenitus, ad intima montium, locum destinatum, ac proportionatum delatus, intra cavitates Sepulchralis rupis receptus, lucidior, splendidior, ac nimis sumptuosus genitus; unde illi inscribendum lemma: *Prole sua felix.* Sepulchrum Christi est scrinium, intrinsecùs deauratum, locuples universô sanctitatis thesaurô, in quo *omne pretiosum latuit.* Est horologium, *cujus pretium omne ab intus.* Tumulator Numinis lapis, Lydius est, saxum licet, auri index; dum illi pallidum, ad instar argenti, omni tamen metallo valentius, approximatum est & applicatum Corpus, & Divini pretium probavit meriti, & valorem in aperto Divinæ virtutis exposuit, ac palam prodidit, quantus Ille fuit, ac quanti Ipsum valeat. Dubliulius in Prologo ad Lectorem: *Hoc itaque MONUMENTUM, in quo Deus jacuit, plenum laudis & gloriæ, tot sæculis, omnium gentium linguis, justo honore celebratur; propterea, quòd ab illo Divino Corpore, hîc quondam incluso; ita fuit Anima separata, ut tamen illi maneret conjuncta Divinitas.* Si enim à consortio sermonis Domini, facies Moysis fuit splendida, quidni à contactu Corporis Christi, non resplenderet? non inclaresceret Sepulchrum? non

Hodæpor. Peregr. Hierosol.

non Divinas imbueret dotes? quod toto viventis Dei Corpore fuit colluſtratum?

Hinc quia Sepulchrum Chriſti, Corpus ejusdem ſuſcepturum erat, nemo in ante in illo poſitus fuit; adeoque ante ſuſceptionem, tale illi erat inſcribendum lemma: *Hoc ſolum ſoli, eſt conditum Soli.* Mundus Symbol.
Vel ſicut throno Salomonis præfigitur inſcriptio: *Majeſtati ferendæ.* Sepulchrum Chriſti juxta dicta Librô imô, ſub eodem titulo, eſt Thronus Salomonis, qui fuit tam digno apparatu ornatus, ad ineffabilem Chriſti recipiendam Majeſtatem, & de quo, ex parte Magdalenæ, hæc poſſet cani proſa: *SEPULCHRUM Chriſti viventis, & thronum vidi reſurgentis.* Meretur hoc inſigniri Symbolo: *Soli Majeſtati ferendæ.* Pariter poſtquam Chriſti Corpore fuit conſecratum, inconveniens atque indecens fuit, ut aliud intra ſe cadaver admittat. Nam ſicut in utero MARIÆ, nemo nec poſt, nec ante natus; in præſepi jacuit; in aſina ſedit; in ligno Crucis ſuſpenſus fuit; ſic conveniebat ob eam dignitatem, nec in Sepulchro alium ſepeliri. Indecorum enim eſt, etiam apud Infideles, ut quis illum locum concendat, in quo ſolus Rex conſvevit ſedere, imò Majeſtatici throni crimen incurreret, qui id publicè in Senatu præſumeret, & repulſam ac dejectionem pateretur: Sic nemo hujus audaciæ extitit, qui ſordidum cadaver, Chriſti tentaret inferre tumulo, Divinam vindictam pertimeſcens, & ſciens certò ſe forinſecùs prorſus ejici, neque id unquam conſentaneum fore, in eo reponi poſt Chriſtum loco. Nam ſicut in Altari Eccleſiæ Lateranenſis, in quo S. Petrus celebravit, nemini, præter Summum Pontificem, Divina peragere licet. Similiter & Epiſcoporum id eſſe privilegium: Imò in Cap. *Sacerdotum*, de Conſecrat. diſtinct. 2. Nulli laico in illo loco, dicitur licitum conſiſtere, ubi Sacerdotes Miſſas peragunt; & Altare ſoli Corpori Chriſti recipiendo conſtructum: *Non imponent ſuper Altare tuum vitulos*, nulla admittit profana ſacrificia; unde hoc habet præfixum lemma: *Soli Deo.* Sepulchrum Chriſti fuit Altare, ut ſub titulo eodem patuit, Libr. imô, & patebit hîc, Sepulchrum JESU, eſt principalis & ſpecialis locus offerendorum Sacrificiorum, ut illud nominat, toties hîc nominatus Superior Emeritus, & Doctor Ordinis Noſtri: proinde dum in illo Chriſtus, Summus Pontifex, Myſteria Sepulturæ & Reſurrectionis peregit, Corpus ſuum verum collocavit, ſolenniter

Brev. Rom. die 9. Nov.

Conſid. 30. in Pſalm. 28.

ter sacrificium laudis obtulit, poteritne ibi aliud corpus consistere? licitumne erit alicui profano, & tam disparis dignitatis meritique locato, vel illud contingere temerarie? Ausus hic nimis stolidus, nefandus est. Quanta ergo est inter Deum, & hominis inferioritatem, præ rebus purè creatis, differentia, tantò Domini Sepulchrum, ex circumstantia Corporis Christi, uniti Personæ Verbi, honorabiliùs & præstantiùs esse, ut observantiæ illius, hæc principalis præcipuaque videatur esse ratio, quia Deus in carne in illo jacuit. Adeoque pretiosissimi Corporis JESU Christi impositione, gloriosum esse.

§. II.

Sepulchrum Christi fuit gloriosum, quia alienum.

Ostia Sepulchralis speluncæ, ora fuerunt aliena, Divinæ laudis propria. Quis enim sibi, etiam inimicorum Judæorum, optimam Christi laudis ac appretiationis non inferret dignitatem, ex illatione mortui, in Principis, Optimatis, Senatorisque primi tumulum? Non enim unquam in Cæsarum, Regum, Optimatumque bustis ignobilia & vilia deponuntur corpora, inferuntur cadavera. Æstimatio itaque Christi, dignitasque Corporis ejus, quantum valuit, etiam ex alieno demonstratur Sepulchro. Nec modicam etiam, quantumvis alienum Sepulchrum, & sibi attulit famam. Quantùm accessit gloriæ naturæ humanæ, quæ alienæ, quia Divinæ juncta erat Personæ, tam honoris recepit Sepulchrum alienum, dum Eum, qui in propria venit, & sui eum non receperunt, hic Sarcophagus tam arctè, benignè, ac intimè, tanquam suum proprium agnovit, ac recepit Dominum. *Christi Domini SEPULCHRUM gloriosum* (inquit Antonius de serpa, in Chronolog.
Enarrat. 5. Euchar.) *nihil perdidit in eo, quòd priùs Joseph fuerit; imò & à viro*
num. 31. *tam prænobili, nobilitatem sibi hausit, & famam comparavit.* Nulla
fol. 211. fit inde diminutio honoris B. V. MARIÆ, quòd Sponsa fuerit Josephi; imò plurimum & inde excellentiæ, & virtutis sibi conciliavit; ut inquit Ussuna, super Missus, 1. part. cap. 26. *Nec in consortio Joseph, detraxit sibi MARIÆ puritas, sed addidit*; ita non desunt Sancti Patres, qui Sepulchrum Christi, MARIÆ comparant;

rant; adeoque nec inde passum est, in gloria sua, de trimentum Divinum bustum, quód Josephi ab Arimathæa fuerit. Imò inde excellentia, Divinaque virtus Christi colligitur, ex Angelo del Pas, Exposit. in Symbol. Apost. *Alienis itaque tum aromatibus, tum sindone, tum SEPULCHRO Christum donari, magnificandi potiùs est occasio, & paupertatem temporalium, & bonitatem, quâ Corpus suum dignatus est hominibus communicare; & Sapientiam denique prædicandi.* Libr. 6. de Articul. 4. cap. 40. fol. 292. Ut ergo Christus magnificaret Sepulchrum, & suum esse voluit, & alienum, qui ex proprio & alieno conjunctus erat. Decebat enim gloriam ejus, ut quod Sepulchrum fuerat, tanta dignitate apud sæculum conspicuum, ratione sui Principalis, Authoritate insigni præditi; fieret gloriosius in cælo & mundo, dum Personæ Divinæ Verbi cessit. Dignum itaque erat Sepulchrum, non solùm antequam Corpus Christi reciperet, ex eo, quod illi recipiendo destinatum erat; sed quia fuerat alienum, Nobilis, Officialis Curiæ, Divitis, Consiliarii, gravis & modesti Senatoris. Sed hæc gloria quamvis cyfra erat respectivè futurorum; dum tamen illi accessit sors beatior, unitas Corporis Christi, jam inappretiabilem & innumerabilem summam gloriæ consecutum: *In alieno dives.* Per hoc enim, quia alienum erat, remunerativum quodammodo beneficii Divini fuit, alienæ salutis Redemptori, per se alienum, vicem rependens. S. Augustinus in Matth. cap. 22. *Ideo in aliena Sepultura* (id est in Sepulchro) *ponitur, quia pro aliorum moriebatur salute.* Referente Chrysantho Salario, statuitur in Cap. Ubicunque 13. q. 2. *Si quis moriatur, & non habeat proprium Sepulchrum ibi sepelitur mortuus, ubi vivus decimas solvit.* In Pentateuch. Mor. cap. 6. libr. 2. Christus, quia non habuit proprium Sepulchrum, in Calvario monte solvit decimam, dum in Crucem fuit actus, (decimus enim numerus Ecclesiasticus, ad instar Crucis est) proinde ibidem in alieno Sepulchro sepeliri debuit, ut sic beneficia alienis collata à Christo, memoriam suam celebrarent, non procul à Monte Calvario, in alieno Sepulchro.

§. III.

Sepulchrum Christi gloriosum, quia novum.

Ita expressè Quaresmius, de fructu Sacrorum vulnerum: *Et hoc ipso novitatis capite, prodigiosum comprobatur Domini SEPULCHRUM,* Cap. 12. Sect. 5. fol. 121.

CHRUM, si novum, non tantum pro renova, quàm excellenti, ut aliquando fit, usurpemus; ut apud Joannem: Mandatum novum do vobis; *non quòd antiquitùs haud extiterit; semper enim dilectio Dei & proximi in præcepto fuit; sed novum appellavit, quia excellentissimum: Ita, quia Domini SEPULCHRUM dignissimum, & excellentissimum extitit, novum dictum est.* Nova enim simul & gloriosissima dicuntur: Sic Psalmista jubet cantare canticum novum, non solum pro novitate, sed etiam pro gloria Mysterii. Et Isaiæ 43. v. 19. *Ecce ego facio nova*, exponit Glossa: *Magis miranda.* Et Eusebius, Cap. 62. vers. 2. *Et vocabitur tibi nomen novum*, exponit; id est: *toto terrarum orbe benedictum.* Et similiter apud Glossam hæc verba Apocal. Cap. 3. vers. 12. *Et Nomen meum novum*, sic leguntur: *In futuro sæculo præcelebre:* Adeoque & Sepulchrum Christi, dum novum dicitur, non solùm inde, in quo nondum quisque positus erat; (ut Evangelistæ explicant) sed etiam quia gloriosum, nimis mirandum, toto terrarum orbe benedictum ac futuris omnibus sæculis percelebre. Hinc Joannes Capalla textum hunc: *Erat monumentum novum*, sic interpretatur: *Monumentum inauditum, quod toti orbi factum est conspicuum, insigne monumentum, quod ab omnibus conspicitur & veneratur.* Deprædicat nimis gloriosam cœlestem Jerusalem David: *Gloriosa dicta sunt de te Civitas Dei*, quia Joannes hanc Civitatem Sanctam Jerusalem, de qua hîc procedit Psalmi versus, vidit novam; & in ea qui sedebat dixit: *Ecce nova facio omnia.* Quidquid dicitur de Sepulchro Christi, gloriosum dicendum, quia illud erat nova Jerusalem sancta, & Dei; & in Sepulchro facta sunt omnia nova; Sindon de novo comparata; novum, Deum jacere sepultum; nova aromata, novum ipsum Sepulchrum; nova incepit vita; nova justitia; ut sic vel à sua novitate Sepulchrum glorificaretur. Sicut enim gloriosam nimis, & laudabilem reddit Matrem Dei ejus novitas, quia nec veteris Adami culpæ quidquam in ea repertum est, totaque purissima ac castissima præparata, ut mysterium Incarnationis in ea perageretur; ita nimis gloriosum à sua novitate redditum est Sepulchrum, dum venerandum Christi excepturum corpus, nullum admixtum habuit putre cadaver, castissimaque satis præparavit viscera, in quibus gestaret Deum, ut sic in sua novitate, respectu dignitatis & præstantiæ obtinendæ conformaretur Matri Dei, & simul à sua novitate desumeret dignitatem;

Marginal notes: Cap. 13. vers. 34. — Libr. 2 de Demonstr. cap. 49. — Serm. de Pasch. — Psalm. 86.

tatem; ut Cornelius Janſenius, Epiſcopus Gandavenſis: *SEPULCHRUM Chriſti eas habuiſſe conditiones, quæ ejus dignitati maximè congruebant: Quod enim monumentum novum erat ſic, ut in illo nondum quisquam poſitus fuerat, ejus congruebat dignitati.* Præterea puritas illibata, munditia, adeo exiſtimatur ab omnibus & glorificatur, ut non ſolùm res animatæ rationalesque illâ pollentes, ſed etiam inanimatæ & irrationales illam ſervantes, ſive à natura inditam habentes, ſpeciali celebrarentur laude, etiam à gentilitate. Sepulchrum Chriſti ſine labe, tumulus, quô non eſt caſtior alter, corruptelæ maculâ carens. Sic enim à Simeone Metaphraſte, de dormit: B. V. MARIÆ, apud Surium deſcribitur: *Invenitur enim quoddam monumentum recentisſimum, & pulcherrimum, & elegans locus, in quo erat ſitus. Atque erat quidem SEPULCHRUM, plane, ut dixi, omnino novum, & omnino intactum, & locus in optimo aëre poſitus, & in horti ſpeciem ornatus;* meretur itaque omnem cultum, laudem, honorem, dum ſua puritate, ipſum etiam attraxit ad ſe Deum, qui nonniſi in caſto collocari & recipi ſolet. Sepulchrum itaque Virginem elegit, allectus intaminatâ ejus excellentiâ, ut novus tumulus Virginitatis Maternæ eſſet annuntiator, cujus pariter fuerat & imitator. Et quia Sepulchrum Matris titulô gaudere debebat, priùs illud Virginitatis honore pollere pertinebat. Et ſi perennis vita debetur Virginitati; Sepulchro Chriſti debita fuit Æterna Vita, & perennis immortalitas, quod hucusque conſervetur; vivere debet perenniter, quod illibatum permanet. Cujusnam, quæſo, erat meriti etiam inanimata terra, ut illam gloriam ſit adepta, quòd Deus illi primæ, ſuam inſpiraret vitam, unde vivens prodivit homo; idque non ſolum vitam corporis, ſed & gratiæ: Reſpondet Tertullianus de Carne Chriſti, Cap. 17. *Virgo erat adhuc terra, nondum erat opere Compreſſa, nondum ſementi ſubacta, ex ea hominem factum, accipimus à Deo in animam viventem.* Cæterum rem hanc gloriæ Monumenti Chriſti bene fuiſſe figurativam; quod quia fuit pura, caſta, & illibata terra, & nondum onere alicujus corporis gravata; ideo tantum habitura privilegium, ut in ejus faciem, Deus inſpiraverit ſpiraculum vitæ, & prodierit Homo, Chriſtus videlicet in animam viventem. Per quod dum grandis Sepulchri Chriſti agnoſcitur felicitas, ejus novitati hæc attribuitur gloria.

Cap. 144. Concord. Evang.

15. Aug. cap. 34.

Memor enim Josephus Arimathensis verborum Christi, Luc. 5. vers. 38. *Vinum novum, in utres novos mittendum est.* Christus de stipite ligni, collectus; vinum novum, salutem reparans, dulcissimum, rubricatum; propterea in novum illum utrem, id est Sepulchrum, reposuit; ut sic ambo, id est Corpus & uter Sepulchrum conservarentur; fiantque tali conservatione, ex ratione novitatis, ambo gloriosa. Præterea novum in Scripturis variè accipitur, pro excellentissimo, jucundissimo, inusitato, pretioso, nitido, splendenti & rutilo valde, & quidquid singulare, illustre ac magnificum, tam in re, quàm in modo, eminens; novum dicitur. Sepulchrum Christi dum novum à Scriptura dicitur, talis novitas accipi potest, quoad omnes has acceptiones; nimirum Sepulchrum Christi fuit excellens, inusitatum, pretiosum, nitidum, splendens, singulare, illustre ac magnificum, tam in re, quàm in modo, jucundissimus locus, adeoque sic gloriosum, quia novum.

§. IV.

Sepulchrum Christi gloriosum, quia in Petra.

E dura silice Sepulchralis rupis, educere splendores lucidissimos gloriæ licet, cui intro inclusus erat ignis consumens Deus. Exerat vim cunctam, suo scelere potens Infidelitas, proferat minas orcó solóque deductas, ut hujus petræ robur, viresque debilitet; rupis hujus gloria immota manet, quia in Suburbano antro, lapis, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli, dum in angulo petræ caput suum reclinavit. Si enim juxta S. Paulum: *Petra erat Christus:* Sepulchrum Christi in petra, adeoque petra petræ; quomodo igitur non in sua gloria solidum? cujus firmitas Christus? *Dominus petra mea, & robur meum, & Salvator meus.* Quis est enim ille sapientissimus vir, de quo Matt. 7mo, vers. 24. nisi Christus Dominus, qui ædificavit domum suam, Sepulchrum videlicet; ut in titulo: *Domus*; super petram tam materialem, quàm figuralem supra seipsum; & descendit pluvia, id est áéreæ potestates dæmonum; venerunt flumina persecutio Paganorum; flaverunt venti motus bellorum; hæc omnia sive simul, sive divi-

Psalm. 117.

1. ad Corinth. cap. 10. v. 3.

2. Reg. 22.

divisim irruerunt in domum Sepulchri, & non cecidit, sed hucusque stat gloria ejus, quia fundata est supra petram tam nativam, quàm mysticam Christum, cujus virtute solidatur, & fundamentum retinet suæ dignitatis. Si enim S. Petrus dictus à petra, quia Christi vicem in terris habiturus erat: Christus autem dictus est petra, ut Clemens Romanus, in Epist. ad Jacobum Hierosol. hanc assignat rationem: Sepulchrum Christi quia gloriosum erat in terra, titulo Christi insignitum, *Monumentum in petra*, quod vices gerit ejus quiescentis præsentiæ, quod dignitatem mysteriorum præsefert, quodque tam Christi nominis gloriam, quàm sui perennitatem constanter stabilitam indicat. Apposité subservit dictum Petri Rotæ: *Tertiò, elegit requiem in excisa petra, ad gloriam SEPULCHRI, ut esset firmum, stabile, & immobile, quod aboleri, aut destrui non posset, sed integrum inter tot vastationes Hierosolymæ, & inimicos Christianæ fidei & nominis, illæsumque persisteret, tanquam perpetuum mortis & resurrectionis suæ testimonium.*

In Hort. Floridiss. Dom. Resurr. fol. 711.

§. V.

Sepulchrum Christi gloriosum, quia munitum.

Non arctant, quamvis muniunt; gloriam Sepulchri, imò dilatant pressi undique Judæi. *Unde gloriam Sepulchri Christi colligo*, (inquit Carthagena, homil. de Sepulchr.) *est ejus sigillatio & militum custodia.* Et S. Bernardus: *Signacula, vel operimenta voluntaria, non necessaria, nec conditionis fuisse, sed dignationis.* Immensas tenebat opes tumulus Joseph, dum hic, juxta Theophylactum, aurum tribuit Pilato, ut Corpus Christi illi inferret, quô exhibitó, nihil ditiùs unquam mercatus, nobilissimam, tanquam conchylium conclusit gemmam, pretiosissimum clenodium, suscepit, nimis factum prædives Monumentum. Addidistis pretium vestrum & Judæi, dum annulos pretiosos apposuistis huic ærario, & locupletem gloriam ejus satis evidenter demonstratis, dum insuper totius orbis thesauro armigeros apposuistis, qui & honorem monumenti defenderent, & tutarentur depositum, ne qua diripientium præsumtione temeraretur. Hic est magnificus Principum aulæ, Augustorum rectorum apparatus; sive in Palatii atriis, sive in intimis conclavibus, præsidiariam lustrare cohortem; dum armatæ Sepul-

Capit. 4.

Serm. 1. in die S. Pasch. num. 12.

Sepulchro apponuntur excubiæ, illud esse intimum Regis conclave, Dei cubiculum, in quo quiescit, sublimem Regiam, palatium eximium, etiam inviti fatentur. Solenne enim est, ut Corporibus Regum, etiam Barbarorum, ad custodiam propriam, lectissimi & fortissimi adaptentur milites; intimum atrium Supremi Regis Christi, Sepulchrum erat, ut S. Chrysostomus in homil. cui titulus: *Christus est Deus*, Tom. 5. *Locus quidem, quo Corpus hoc positum, brevis erat & valde angustus, augustior tamen & venerabilior mille Regum palatiis, imò etiam Regibus ipsis.* De more itaque regio, ad majorem & corporis immunitatem, & externum loci decus, adsciti Heroës custodes. Censet ita Josephus Acosta, his verbis:
Soc. JESU Conc. 3. fol. 623. *Qui enim morte ignominiosissima, Cruci affixus, vitam finierat, eum Divina Sapientia, illustri SEPULCHRO inferri voluit, quod & novum, & opulenti hominis, & Romani militis Custodiâ, signoque Præsidis obsignatum, amplissimam gloriam, famamque singularem obtineret, necesse fuit.* Lectulum Salomonis, lectissimis ac fortissimis satellitibus stipatum, non tam ex ratione metûs, quia pacificus ex suo nomine erat, sed potius decoris & ornamenti causâ; ut Soto Major existimat: Sepulchrum Christi lectulus splendidus Salomonis Christi, ut ex Libro 1mo constat. Rex pacificus Christus, magnificavit vehementer illum, dum propter decus & ornamentum hujus lectuli, stipant eum undique fortissimorum virorum selecti ex Israël satellites, quia ex militibus ipsius Pilati, Sepulchro quo conditus erat Christus, Judæi adhibuerunt custodes; sicut habetur in Epistola Pontii Pilati, ad Claudium Tiberium Imperatorem. Ut non solùm fortis, sed & clementissimi Regis Sepulchrum esse denotent. Imò ut testes sint gloriæ Christi & ejus Monumenti, scilicet miraculorum in eo factorum præcones, etiam adversarii, in proximo adstant Sepulchro, ut rationi huic quadrat Authoritas S. Athanasii, Serm. in Parascev. in illa verba: *Munierunt Sepulchrum*, dicentis: *Muni SEPULCHRUM, signa lapidem, statue milites, obside Monumentum custodibus, istô modô egregium opus majus efficis; statuis enim spectatores, testes resurrectionis, meorumque miraculorum præcones, ministros tu præparas.* Proinde dum per hanc diligentem costodiam Sepulchri, voluerunt impedire celebritatem Nominis Christi, per hoc ipsum celebrarunt famam Nominis ejus, & per consequens dignitatem Monumenti, dum tali custodiâ

ſtodiâ ad promotionem famæ ejus, acceſſit evidens documentum, non ſubrepti Corporis. Imò quia Verbum Divinum, ſecretum in abſcondito carnis, ſcriptumque intus & foris codicem latere, nemo negare debuit; annulô obſignarunt; ut ſecretum & ratum haberetur id, quod in Sepulchro continebatur. Itaque dum Pilatus non permittit ſolos milites ſigillare, ſed Principes Judæorum deſtinat ad muniendum Sepulchrum, unà cum armata manu; per id honoraverunt ejus tumulum ita, ut & nunc ad ejus honorem, non ſolùm ipſi Turcæ, ſed & Miniſtri Præſidis Civitatis Jeruſalem ipſi muniant, ſigillent Templum S. Sepulchri. Adrianus Lyræus expreſſe teſtatur, his verbis: *Monumentum fuiſſe glorioſum adeò, ut quemadmodum, eo tempore, quo Chriſtus in SEPULCHRO jacuit, ad ejus honorem & gloriam, deſignati fuerunt Pilati Præſidis Milites, nec Sanctorum virorum, Angelorumque cuſtodia defuit, poſtquam inde glorioſus exivit, ad perennem illius gloriam, à Miniſtris Præſidis Civitatis* (ſcilicet Jeruſalem) *cuſtoditur, ipſi Templum SEPULCHRI Domini, ſigillô munitum ſervant.* Quod ipſum & his terminis dicit perſonalis teſtis Quareſmius, in Elucid. Terræ Sanct. Subdit præterea dictus Lyræus. *Et quid dico Turcas ipſæ Schiſmaticæ Orientis Nationes, in Sacratiſſimo SEPULCHRO, ad hunc ſinem commorantur, ne ipſi damnum aliquod inferatur. Hinc, præter Catholicos, Græci, Armeni, Gophiti, Jacobitæ, & Abaſſyni, illud die ac nocte circumdant, quale honoris obſequium, nec in ſuperbiſſimis Regum, aut Imperatorum invenias Mauſolæis.* Munitio itaque tumuli Chriſti, ad honorificum obſequium; & aſſiſtentia, pro gloria illius, decreta & adhibita.

De Imit. JESU patien. lib. 3. fol. 553.

Tom. 2. libr. 5. cap. 22.

§. VI.

Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex Reſurrectione Chriſti ex illo.

Hæc verba Iſaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, Arias Montanus, ſecundum expoſitionem latinam, explicat: glorioſum ob teſtimonium mortis & Reſurrectionis Chriſti, dum ſic inquit in Comment. ſuper Iſaiæ dicta verba: *Si ita, ut latinè eſt, exponatur, facilè explicationem habet, Chriſti SEPULCHRUM glorioſum & celebre propterea futurum, quòd & Mortis pro hominum ſalute ſuſceptæ,* Fol. 275.

&

& admirandæ Resurrectionis, propter eorundem satisfactionem, ab eodem Victore & triumphatore, argumentum & testimonium præberet. Atque hoc modo mortem & resurrectionem Christi hæc interpretatio indicat. Et Richardus Pampolitanus, in Symbol. Apost. *Isaias dicit:* Erit Sepulchrum ejus gloriosum; *quia in eo resurrexit, & clausô exivit.* Et si resurrectio, gloria Domini dicitur, bene Sepulchrum Christi ab illa dicitur gloriosum. Ex hoc enim ipso, quòd Corpus gloriosum per illud saxum, Divinâ potentiâ transiverit; hanc quoque gloriam, per illum transitum, quodammodo participavit. Josephus Mansi id approbat, dum ait: *Corpus hoc Redemptoris, in resurrectione sua, quatuor gloriosorum corporum dotibus vestitum fuisse; dici quodammodo potest, quod gloria hæc per lapidem transiens, eumque penetrans, dum à Corpore in SEPULCHRO posito emittebatur, ipsi quoque lapidi hanc gloriam, quantùm quidem illius capere poterat, certo quodammodo participavit, atque ideo erit gloriosum:* Et sic primò, participavit immortalitatem. Sanctus enim Athanasius, Archiep. Alexandrinus dicit: *Cæterùm Cruci successit SEPULCHRUM, immortalitatis sedes, quia in illo mors victa & debellata.* Et Quaresmius: *Denique SEPULCHRUM Christi gloriosum prædicamus; quia immitatur immortalitatem, non ejus perit memoria, nec honor, & si, quod mirabile est, in terra hostium sit positum, in medio Nationis pravæ.* Alphonsus Salmeron. *Solum ergo Christi SEPULCHRUM spectabile est & illustre, esti illum mortalem ostenderit, simul tamen immortalem esse docuit, dum incorruptum sempiternæ vitæ restituit.* Secundò participavit claritatem. Non solùm enim gloriam & virtutem Christi declaravit, sed & ipsummet, in hodier. numusque diem illustre coruscat. Quærendo doctissimus Sylveira, cur è Sepulchro resurrexit? Respondet: ut à Sepulchro splendente, triumphans resurgat. Et quod stellis inscriptum lemma: *Micant absente sole*, idem Sepulchro apponendum, quod absente etiam à se Sole justitiæ, micavit splendidè, vel ipsis stellis, Angelis clarum: *Corporis pretiosi* (inquit Cælius Sedulius Cap. 19.) *depositum, sacer ille locus excepit, qui Domino jacente, nobilis claruit, resurgente, nobilior triumphavit.*

Serm. in Parascev.

Tom. 2. cap. 22. fol. 555.

Tom. 10. Tract. 49. fol. 405.

Tom. 5. libr. 9. cap. 1. num. 23.

Gloria, totus honor, venerandò cede Sepulchro,
Vox te Prophetæ, cedere prisca jubet.
Clara manes mundo, diffusa luce Polorum,
Clarior es cælis, exoriente Deo.

Emma-

Emmanuel Villaroël, Tom. 4. Tautolog. 3. Didascal. 2. num. 2. fol. 149. Corpora gloriosa, cælos novos affirmat. Corpus igitur Christi ex Sepulchro, per resurrectionem, dum gloriosum prodiit cælum fuit; adeoque mirifica claritate Sepulchrum fulgebat. Et juxta eundem ibidem: *Quæ in passibili Corpore Christi vulnera, in impassibili fuerunt sidera.* In Corpore igitur impassibili, in instanti resurrectionis ex Sepulchro, micantia vulnera, velut sidera, claritate gloriosâ, idem Monumentum, satis lucidum reddiderunt. Plura ad hæc vide sub titulo; *Cælum.* Tertiò participavit impassibilitatem. Sepulchrum enim hucusque passioni, seu persecutioni subjectum non est, etiam post vulnera clarum; & sic divino investitum patrocinio, ut quidquam mali pati nequeat. Quartò, subtilitatem; quia gloria Christi Sepulchri, cælos, terram, imo & inferos penetrat. Agilitatem, per quam, instar fulguris cujusdam, ab uno loco ad alterum, discurrens devenit. Unde & Angelus in fulgure in Monumento apparuit, ut non solum claritatem, sed & subtilitatem ac agilitatem gloriæ ubique terrarum, quam est habiturum Monumentum Christi, remonstraret. Nonne enim gloriosus est locus, à quo, & in quo, quis regnare incipit, Rex proclamatur? Sepulchrum Christi talis locus erat, in quo per factam resurrectionem, Christus auspicium æterni regni sui inchoarat. Hæc verba Psalmi: *Dominus regnavit, decorem indutus est,* Rupertus Abbas Tuitiensis, libr. de Trin. Oper. de Resurrectione Christi, de Sepulchro, in quo Carnem depositam rursus induit, & regnavit, intelligit. Proinde censeri debet gloriosum, cùm per Resurrectionem evadat trophæum, & signum tantæ gloriæ. Quem attribuit titulum Reverendissimus Hieronymus Povodovius, Canonicus & Archipresbyter Cracoviensis, in illa verba Isaiæ: *Et erit Sepulchrum gloriosum,* sic: *Cujus quidem trophæi, singularem memoriam consecutum est Sepulchrum suum gloriosum; Judæis quidem reprobis, & ex loco suo dispersis, in perpetuam suam confusionem; gentili verò fideli in præcipuam gloriam.* Hinc & ipse Angelus, sua subtilitate, laudavit hoc Enthymemate Sepulchrum, præmisso antecedente: *Surrexit Dominus,* & intulit in laudem Sepulchri admirabilem consequentiam: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Quibus verbis multa insinuavit elogia Sepulchri & comprehendit, ut & resurrectionem Christi ex loco probaret, & locum laudabilem

censeret, ex Christi resurrectione. Quomodo enim non gloriosus hic locus, in quo res admirandæ, prodigia stupenda fiunt? Resurrectio Christi miraculum admirandum, res prodigiosa, cælo terræque stupenda; ergo locus, ubi illa facta est, consideratione dignus, honore glorificandus. Et si tanta est Majestas Crucis, quæ Dominum passione necatum portavit, quanta Sepulchri gloria, quod eundem de nece suscitatum reddidit?

CAPUT II.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex visitatione Beatæ V. MARIÆ; ex Custodia Sanctorum Angelorum; ex Visitatione S. Mariæ Magdalenæ; & aliarum SS. Mulierum; item Discipulorum.

§. I.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex visitatione B. V. MARIÆ ac illius amore.

Locum illum, eò fuisse gloriosiorem, ac cæteris æstimabiliorem, quò Personæ magis dignæ ac nobiliores, eum adire solent, eumque venerari; ut patet facili inductione, tum ex Scriptura, tum locorum allegatione. Post Deum, Matre Virgine, MARIA Sanctissima, quid dignius? quid nobilius? Angelorum quanta naturæ & donorum excellentia? Sanctarum Matronarum, tum Discipulorum quantæ prærogativæ? Hæ ergo tam dignissimæ Personæ, dum Sepulchrum Christi adire solebant, illud visitare & venerari simul, quantùm vel exinde cæteris locis, præferibile sit Monumentum Christi? quam sit gloriosissimum Sepulchrum, quis non advertit? Quanta felicitas, honor cordis nostri, quod illud Christus præsentiâ sui Corporis, non dedignatur sub speciebus Eucharisticis ingredi? quanda sors domui tuæ contingeret, cum eam Rex, unà cum suis primis Principibus introiret? Infer proinde vel

exindè

exinde summam gloriam, honorem Monumenti Christi, quòd illud. Illa, quæ cunctas creatas supergressa Potestates, cum primis Principibus, Thronis, ac Dominationibus, visitatum ivit. Dignitatem loci Sepulturæ Christi, quis negabit inde nimis evectam esse, cui se eminentissima Deipara, submittere non est dedignata? Imò quanti debuit esse apud Virginem pretii, cui & suum honorem censeri existimavit?

Quòd autem Beatissima Virgo, visitabat & adibat Sepulchrum Christi, prima hujus sit ratio: Maternus affectus, sicut erga Filium, ita erga loca sacra, contactu corporis ejus sanctificata. Tum quia constat B. V. MARIAM, in omni virtutum perfectissimo genere, ac in summo meritorum gradu, se exercuisse; visitare autem loca sacra, est actus virtutis, & Christianæ perfectionis: proinde talis virtus decens, & non repugnans, B. Virgini est tribuenda. Etsi enim tota fuit intenta, tam sedulò actionibus Spiritualibus, ac conversationi mentis cum Deo, ut illi, præ omnibus aliis puris creaturis, videretur esse intimè conjuncta; tamen etiam ad cumulum subtilissimi exercitii, jungebat & actiones sensitivas, corporali usui convenientes, impendens se etiam in externa opera, ex quibus magnam sumebat occasionem, Deum extollere & celebrare, pro ejus favoribus, ac concitare per hoc seipsam, ad intensissimum ejus amorem, & nunquam esse vacuam à spiritu devotionis. Proinde cùm locorum Sacrorum visitatio, favores Dei in aperto exponat, devotionem augeat, Spiritum ad charitatem Dei concitet, mentem meditatione Sancta imbuat; censendum est B. Virginem, etiam in hoc pietatis opere, se occupasse, ut nihil ei quidquam desit, quod ad assequendam perfectionem conducere videtur; qualiter conducit visitatiò locorum Sacrorum. In quorum visitatione, sine dubio, B. V. MARIAM, credendum est, intensissimos elicuisse Actus, Fidei, Spei, Charitatis, religionis, devotionis, gratiarum actionis, humilitatis, & alios uberrimos, quos elicere solent ordinariè & devoti visitatores. Quantò magis in illis visendis, accendebatur & inflammabatur Spiritus B. Virginis, quæ sicut omnibus gratiis, ita & virtutibus abundabat; adeoque contrarium hac in parte tenere, videtur derogare perfectioni, & Sanctitati excellentissimæ Matris Dei. Si enim B. Virgo, tempore vitæ suæ, domum Zachariæ visitavit, ob sanctificandum & sanctifica-

ctificatum Joannem, futurum Præcurſorem Chriſti, etiam cum tanta ſui defatigatione, incommodis & aſperitate viarum; quantò majori zelo, promptitudine & alacritate, non viſitaret, inſtinctu ſapientiæ, loca ſacra, Filii ejus inſignibus plena myſteriis, ſacrata membris, celebrata gratiis; ut inde & ſuam augeret ſanctitatem, & illius acquirendæ primum exemplum daret, ac exemplar foret. Exiſtimo enim illam viſitationem, repræſentativam fuiſſe viſitationis Sepulchri Chriſti; & aſcenſus in montana cum introitu in domum Zachariæ, ſalutationeque Eliſabeth; aſcenſum ad domum Sepulchri, in montanis Calvariæ ſitam, venerationemque ejus innuere videbatur. Eliſabeth enim, juxta Lyranum in cap. 1. Lucæ interpretatur. *Dei abſconſio*; & hoc competit domui Sepulchri, in qua fuit abſconditus Deus, Salvator Iſrael. MARIA itaque Chriſtum in utero ſuo geſtans, venit ad Eliſabeth, id eſt Dei abſconſionem; innuens, quod hic, qui in utero ejus Deus Homo abſconditus, iterum in domo Sepulchri abſcondetur. Et propterea, cum Eliſabeth manſit tribus menſibus; quia totidem diebus Filii Dei occultabitur Corpus, adeoque MARIA dum ſalutat Eliſabeth, in nominis ejus interpretatione, futuræ abſconſionis Dei, in domo Sepulchri veneratur myſterium.

Hoc ſuppoſito & deducto univerſali, quòd B. V. MARIA viſitabat loca Sacra, probo id ipſum per inſtantias temporum, in quibus B. V. MARIA hanc locorum Sacrorum abſolvebat viſitationem, ut ſic pateat & particularis veritas, dignitatis Sepulchri Chriſti, viſitati ab eadem Sanctiſſima Chriſti Parente. Cum enim Corpus Chriſti in illud inferretur, illa primo nimioque affectu ac amore proſecuta eſt, & adoravit Sepulchrum. Eum enim affectum erga dilectiſſimum Filium ſuum in longè prædixit, & conteſtata eſt in verbis Sponſæ, Cantic. 3. vers. 4. *Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ.* Tanto enim ſtrictiſſimo amore tenuit Filium ſuum B. Virgo, ut eum totô vitæ ſuæ ſpatiô, intimè proſequeretur, & usque ad ipſum deduceret Sepulchrum, ineoque propriis deponeret ulnis. Hæc verba explanat Michàël Ghislerius, Comment. in Cantic. de B. Virgine, fol. 415. *Tum quoque ſtetiſſe illam juxta Crucem, aſſerit Joannes, ipſumque iterum tenuiſſe dicenda, nec dimiſiſſe illum, donec in Sepulchro conderetur: ſicque & id verificatum apparet,*

paret, quod ipſamet in præſenti ſententia addit: Non dimittam, donec introducam in domum matris meæ &c. Sepulchrum autem Chriſti, eſt domus matris, quia ibi tota mens B. Virginis habitabat, juxta revelationem B. Birgittæ libr. 2. Revel. cap. 21. *In Sepulchro Filii mei, ſemper cogitatio & cor meum verſabatur.* Eſt cubiculum Genitricis, juxta Gvillelmum: *Lectulus ille tuus, in quo caro tua* (nempe Chriſte) *requieſcet, nonne & meus, nempe per Maternum ero tibi commortua affectum.* Ea dilectione præventa Filium ſuum Beatiſſima, ut eum usque ad Sepulchrum deponeret, & ſui ipſius cogitationem & cor illuc includeret; eo honore proſecuta & Sepulchrum, ut illud Deifico repletum Corpore, profundè honoraret. Sic primò teſtatur S. Anſelmus: *Et cùm in SEPULCHRUM poſitus eſſet* (id eſt Chriſtus in Carne) *ſuper Sepulchrum proſtravit ſe B. Virgo.* Et S. Bonaventura in Medit. Vitæ Chriſti: *Illi verè* (id eſt Joſeph & Nicodemus) *inclinantes ſe Dominæ, & adorantes SEPULCHRUM, abierunt: Tunc Domina ſurgens & genuflectens, Sepulchrum amplexabatur, benedicensque Sepulchrum, dicit: Fili mi! non poſſum amplius ſtare tecum &c.* Maximus Planudis, Orat. in Sepult. Dom. & lament. B. V. M. ſic lamentantem, penes Sepulchrum Chriſti, inducit: *Interim eamus ad SEPULCHRUM, lamentabiles Virginis Matris, quos Filio effudit, audituri fletus: - - O Crux! ô Clavi! ô haſta! ô tu SEPULCHRUM! hanc mibi adornaſtis tragœdiam. Quid autem inſcribat, quis minateanice dilecto tuo SEPULCHRO? JESUM hunc invidentia Judæorum, pro plurimis, quæ in ipſos etiam invidos & renuentes contulit, beneficiis, ſupplicio Crucis remuneravit. Quamvis ipſis inviſa fuerit hæc inſcriptio, mibi autem multarum lachrymarum Monumentum. Multa Filii ſunt, quæ fletus meos graviores, & magis acerbos efficiunt, quibus & hoc accedit, quod in Sepulchrum conjectus, ſis alienum.* Ludolphus de Saxonia: *Sepultô autem Dominô, Mater ejus omni corde amplexabatur SEPULCHRUM, ad SEPULCHRUM, ſedens, innixa illi manus extendebat, & deſuper illud exoſculans.* Paulus Wan, Theologus, in Promptuar. Serm. Expoſit. liter. in Paſſ. Dom. *Notandum, quòd Sepulto Domino, Mater amplectitur SEPULCHRUM toto corde, & qua poterat voce benedicebat: O quam libenter fuiſſet cum eo ſepulta! aut viva cum eo in SEPULCHRO ſediſſet! aut vel minus extra Sepulchrum, non longe ab eo præ nimia dilectione!* Gvilelmus Pepinus, in Septima Statione Chriſti patientis: *Peractô igitur*

Libr. de Paſſ. Chriſti.

Cap. 83. pag. 411.

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 16. fol. 1004.

Part. 2. cap. 66. de 2do Complet. n. 8

Fol. 444.

tur Mysteriô Dominicæ Sepulturæ, Joseph & Nicodemus se inclinantes versùs SEPULCHRUM, & ipsum humiliter adorantes, inde recesserunt. Mater autem pietatis et alii, qui ferventiùs amabant, remanserunt ibi aliquanto tempore, sedentes contra Sepulchrum, & lamentantes Dominum. Bernardinus de Busto, in Mariali, part. 10. Serm. 1. liter. C. *Tunc Domina ad MONUMENTUM genuflectit, & ipsum amplectitur & benedicit.* Gerardus Lorichius, in Exposit. Pass. Christ. fol 128. *Mater verò & corde & Anima ad SEPULCHRUM fixa permansit, licet à SEPULCHRO chari sui Nati, & Domini adorandi, corpore avulsa, domum reverteretur.* Hæc autem dicta, non solùm ex pia contemplatione, meditationeque provenire, sed etiam ex historica veraque proferri narratione, nihil omnino vetat; cùm id declaret intimum affectum, quo B. Virgo ferebatur erga loca sacra, adeoque & Sepulchrum ejus, ut hic affectus statim patuit, quòd virtutum Magistra, transiens à Sepulchro adorato, venit ad locum Calvariæ, vidensque Crucem Sanctam, adhuc in loco suo consistentem, illam cum pia societate, eximiâ reverentiâ & cultu adoravit; idem Paulus Wan sentit & dicit, quod ipsa inter omnes mortales prima, quæ adorabat Crucem sanctam in terris. Philippus Kiselius Fuldensis, in Nili mystici alveo 2do. Conc. 21. §. 1. *Referunt è Sanctis Patribus nonnulli B. V. MARIAM vespere Parasceves, post Sepulturam Filii, cum piis fæminis rediisse à Monumento, ad S. Crucem.* Novissimè in revelationibus Mariæ de JESU idem habetur, in Mystica Civit. 2. Part. libr. 6. cap. 24. num. marginal. 1449.

Fol. 628.

Neque desunt qui scribant Virginem MARIAM, perpetim mansisse apud Sepulchrum Christi, usque ad ipsius resurrectionem; & sic inter alios Metaphrastes, apud Surium die 15. Augusti, Cap. 34. de Dormit. B. V. *Ipsi quidem Nicodemus & Joseph, statim recedunt à SEPULCHRO; Mater autem sola remansit, SEPULCHRO adhærens, minime dormientibus oculis perseverans. - - Illa quidem, quæ indivulsè assistebat SEPULCHRO.* Quod dictum Sebastianus Barradius expendens, taliter illud limitat, ac vult intelligi: ut licet si propter militum custodiam, non deceret id Virginem, adeoque illam recessisse à Monumento corpore; ut habetur & in revelationibus Mariæ de JESU, loco immediate citato; sed in horto illo Josephi non procul à Monumento, domum aliquam fuisse, in qua

Tom. 4. Concord. Evang. lib. 7. cap 23.

qua cum Joanne & aliis fæminis honeſtè manere potuit. Huic enim explicationi ſuffragatur traditio illa, quam ſe legiſſe in antiquiſſimo libello, de locis Sanctis, affirmavit quidam Theologus, Quaresmio idem referende, quod cum B. Virgo poſt humationem Filii ſui, tum dolore partim afflicta eſſet, tum inclinata dies, non permitteret illam, ad diſtantem ſuam à Sepulchro abire domum, rogata fuit à Joſepho ab Arimathæa, ut in ſuam proximam Sepulchro, domum diverteret & quieſceret; cui honeſtæ petitioni, Beatam Virginem annuere, ut ſic non longe à Sepulchro abſens, ſuum teſtaretur in Filium locumque amorem. Et rationem hujus piæ creditionis dat idem Quaresmius; quia ſicut Divinâ Providentiâ factum eſt, ut Sacrum ejus Corpus tam honeſtâ Sepulturâ nobilique conderetur loco; ita eâdem diſpoſitum, ut in proximo eſſet domus, in quam à Sepulchro honeſtè ſe reciperet, & à Joanne Virginis Cuſtode, & à Joſepho ab Arimathæa introducta fuit. Quidquid tamen ſanè ſit de veritate hìc adducta, utrumne immediate poſt Sepulturam Chriſti, maneret ad Sepulchrum; præſertim cùm ex modernis revelationibus Mariæ de Jeſu conſtat, ſtatim magnam Virginem ſe in Cænaculum recepiſſe, comitantibus iis, qui Dominicæ Sepulturæ adfuère. An verò tempore interpolato, idem S. Sophronius, in dicto Serm. de Aſſumpt aſſerens *B. Virginem MARIAM, poſt Aſcenſionem Filii Hieroſolymis, procul non à SEPULCHRO Domini interdum habitaſſe*; nihil hìc mea intereſt: ſatis eſt, quòd hìc adducti, aliique Authores talibus dictis demonſtrant, viſitationem B. Virginis Sepulchri Chriſti, ſtatim poſt Sepulturam ejusdem.

Tom. 2. Elucid. Ter. Sanct lib. 5. cap. 16. fol. 570.

Pariter poſt factam Reſurrectionem Chriſti, veniſſe eam unà cum mulieribus, diluculò ad Chriſti Monumentum, teſtis eſt Cælius Sedulius, Oper. Paſſ. libr. 5. his verbis: *Hujus lucis ortu conſpicuo, Mater Virgo cum cæteris mulieribus fideliter congregatis, quia munus pariter ferentes aromatum, dum venerunt ad SEPULCHRUM, lachrymis ora ſtillabant, pectus gemitibus commovebant. Moxque locum conſpiciunt Sepulturæ, vacuum Corpore jam patere, ſed mira plenum redundare virtute.* Quanto protunc ſubmiſſionis actu, venerata eſt locum illum, qui Sanctiſſimum Filii ſui Corpus recepit, & ex quo, cum ſumma gloria reſurrexit! quanto amore complexa, deoſculata; nec lingva valet dicere! nec litera exprimere. Si non lingvâ;

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 5 fol. 437.

lingvâ, mente tamen penes amplexum Sepulchri, in hæc, vel horum inſtar prorupit verba, conformiter ad inductionem Joannis Thaulerii in Exercit. de Vita JESU: O Sacrum Monumentum! ô felix tumba! ô vas electum! ô felix creatura! quæ digna es tuum excipere conditorem, hoſpitioque excipere Regem gloriæ, & teneros dilecti Filii mei complecti artus, tot plagis & vulneribus conſciſſos & Sangvine ablutos! nunc verò ex te gloriosè, ac in omni ſplendore exportatos! O Mater! ô Genitrix altera Sepulchrum! ex quo prodiit iterum in lucem, longe ſplendidiorem Corpus Filii mei! Ego illud genui in utero meo ad labores, ærumnas, ignominiam, tormenta, mortem; ex te verò Sanctiſſima Petra, hic meus dilectiſſimus egreſſus eſt, velut de thalamo ſponſus, totus condidus, venuſtus, glorioſus in ſtola ſua, nulli ultra jam ſubjectus paſſioni, in quo tota ſpecies, & decor, & immortalis gloria apparuit; & quali commutatione donatus es ô tumule! ut ejus ſibi honoris commercitum, membra Filii mei in te reciperent, ex quo non jam dolore, ſed manifeſto, atque perſpicuo vitæ ejus ſplendore, viſcera & præcordia mea implerentur, ex quo amplioris gloriæ Filii mei, dignum te honore habeo & veneror. Jacebat tanquam in quodam arctiſſimo mæroris tumulo cor meum, dum in te jaceret Natus meus charus; ſed poſtquam ex te reſurrexit, nunc eo in loco conſurgit & cor meum; adeoque ex te cor Filii mei, & cor meum maternum, unà ſimul conſurgere arbitror. O locus admirande! ex quo Chriſtus JESUS, Rex gloriæ, Slendor Patris, & figura ſubſtantiæ ejus, portans omnia verbo virtutis ſuæ, faciens purgationem peccatorum, in ſplendore ortus ſui, hodie ex te reſurgere dignatus eſt. O dilectum tabernaculum! in quo dies hodierna in te, melior eſt una in atriis tuis, ſuper millia! &c.

Nec abſimili affectu, totô poſt Reſurrectionem & Aſcenſionem, vitæ ſuæ ſpatiô, ſolita fuerat corporali obſequiô ac præſentiâ, venerari loca Sacra, & inter hæc Sepulchrum. Sic inter cæteros S. Hieronymus Tom. 4. pia ratione confidit Matrem Domini, Sepulchrum Filii ſui frequenter, poſt Aſcenſionem ejus, viſitaſſe, imò inhabitaſſe cum grata mora, & cætera paſſionis loca, quibus propinquum erat Sepulchrum, perampulaſſe quotidie. Sic in Serm. Aſſumpt. ejusdem ad Paulam habetur: *Fortaſſis ergo præ nimio*

amore

amore, in loco, quo sepultus dicitur, interdum habitasse eam credimus, quatenus piis pasceretur amor obtutibus. Sic locus namque medius est, hinc inde constitutus est, ut adire possit Ascensionis ejus vestigia, & locum Sepulturæ & Resurrectionis, seu omnia, in quibus est passus, loca invisere. S. Sophronius Hierosol. Patriarcha, de Assumpt. B. V. M. *Beata Virgo MARIA, quamvis jam in spiritu esset, tamen dum in carne vixit, carnis movebatur sensibus; & ideo quàm sæpè locorum Sacrorum, recreabatur visitationibus.* S. Odilo Abbas Cluniacensis, Serm. de Assumpt. B. Virginis inquit: *Si scire volumus, quid Dei Genitrix, post resurrectionem Domini, antequam ipsa cælos ascenderet, agebat; sine dubio loca Dominicæ Nativitatis, Passionis, Sepulturæ, & Resurrectionis, frequenter circumiens, invisere cupiebat; in eisdem etiam locis, lacbrymas fundebat, & sanctissimi oris sui oscula dulcissima imprimebat.* Petrus Canisius de B. V. M. libr. 5. Cap. 1. fol. 589. firmat: *Cæterùm inter alia nostræ Virginis opera, quæ multi cum laude narrarunt, mihi reticendum non est, pium ejus institutum in sacris locis, post Filii Resurrectionem, atque Ascensionem, crebro adeundis, atque religiosè visitandis.* Lucius Dexter, in Chronico ad Annum 37. his verbis expressit: *Beata Virgo individuo comite Joanne, Filio suo, frequentissimè loca Sacra Passionis & Resurrectionis Filii invisit.* Et ipsa S. Birgittæ libr. 6. Revelat. Cap. 65. in hæc verba enarravit: *Omni tempore, quo post Ascensionem Filii mei vixi, visitavi loca, in quibus ipse passus est, & mirabilia sua ostendit.* In recentissimis Revelationibus Mariæ de Jesu, Abbatissæ Agredanæ, in Mystica Civitt. refertur, quod ex Sacro Cænaculo, ubi manebat, obibat corporaliter loca sacra, in comitatu Sanctorum Angelorum; imò & ipsum Luciperum pedissequum habuit, & ejus asseclas dæmones persequentes, quos quamvis superba temeritas vehementer impellebat, ut intimiùs ea aggrederentur loca sacra, quæ B. Virgo liberrimè accedebat, cum Sanctis Angelis; tamen nullo modo accedere poterant, arcente illos reverentia locis sacris debita, in quibus erant victi ac confusi: unde à longè subsistentes, nullum sua aggressione, ac jurato assultu in virtutes Virginis Sanctissimæ, adferebant impedimentum ac obstaculum, in venerandis ac reverenter nimis, cum summa devotione prosequendis locis Sacris, ac ibidem intensissimis elicitis actibus, per quod summopere cruciabantur dæmones, non valentes pati ac sustinere tantum Maternum affectum

Adrianus Lyræus in Trisag. Marian. Lib. 3. f. 212.

3. Part. libr. 8. cap. 6. num. 481. f. 155.

erga illa loca, quem sibi Divinâ licentiâ patefactum habebant, ad cognoscendam Virginis sanctitatem. Unde à conspectu devotionis tantæ, à locis sacris longiùs se proripere cogebantur, rugitus edebant horrendos, soli cælesti Matri auditos; & qui volebant & intendebant memoriam locorum sacrorum delere, ne in illis fiat tanta Dei reverentia, Christi passionis recollectio, gratitudo erga illam; hoc exuti dominio, potestate privati, horrendè tanta sui confusione, anxiabantur.

Ad quod factum, Alanus Magnus Ordinis Cisterc. in Elucid. in Cantic. adducit hæc verba: *Surgam, & circuibo civitatem, per vicos & plateas*, & sic fol. 18. interpretatur: *Gloriosa Virgo per vicos & plateas Civitatis quæsivit Filium, dum etiam loca sancta, in quibus passus fuerat, devota veneratione percurrebat: ajunt enim ipsam Virginem gloriosam post Filii passionem, sedula devotione loca passionis suæ perlustrasse, ut donec assumeretur ad requiem, in his qualemcunque perciperet consolationem.* Ex qua authoritate magnæ sanctitatis Viri patet dicta verba Canticorum, prædicta fuisse de Sponsæ, id est B. V. MARIÆ visitatione locorum sacrorum, quae multoties consurgens, circuibat civitatem Jerusalem, & per vicos & plateas, in quibus passus fuerat Sponsus, locaque mortis & Sepulturæ obire solita, quærebat, quem diligebat, Maternæ nimirum dilectionis, in illis effundens affectus. Ut S. Odilo Abbas Cluniacensis, in Serm. 6. de Resurr. Dom. sic de B. V. Maria dicit: *Non enim mens concipere, non spiritus ullus agnoscere potest, quo amore, quo desiderio, huc illucque se vertens, Dominica Passionis & Resurrectionis loca circumiens, quem toto mentis ardore quærebat, videre desideraret. - - Quærebat Filium cum cæteris in Sepulchro, sed multum dispari voto, & ut ita dicam, quantum ejus professio à cæterarum proposito, & quantò fœcunda Virginitas, à continentiæ bono.* Nonne enim vere ad literam impleta sunt hæc, & pro illo tempore, quando B. Virgo Parens Dei, Hierosolymis abitura Ephesum, sacra redemptionis nostra loca, comitante S. Joanne Apostolo, obibat, devotionis, lachrymarum & reverentiæ tantâ affluentiâ, ut à nobis neque credi possit; ut refert Maria à Jesu de Agreda in Civitate Mystica. In qua visitatione Sanctorum illorum locorum, Sanctos Angelos vidit excubare, qui tutelæ eorum erant destinati. Pariter dum Ephesô rediit Hierosolymam, omnia loca sacra visitatum ivit, comitantibus

Biblioth. Veter. PP. Tom. 10. f. 606.

Part. 3. libr. 8. cap. 1. num. 367.

ctibus Angelis, ut habetur ibidem, libr. 8. cap. 5. & 6. Profectò piissimi tunc motus, hæc, dilectissimæ Sponsæ in præcordiis, ingerebant verba: *Surgam & circuibo Civitatem, per vicos & plateas*, dum ex tam oblongo itinere, non aliter Hierosolymam invisura gressum parat, nisi prius visitet stationes, patientis Dei, mysteriis insignes.

Accedit, quod juxta Canisium libr. 5. cap. 1. ex Sophronio; JESU ascendente, cum B. Virgo conversaretur, cum testibus Sanctæ Resurrectionis, id est Apostolis, & ipsa testis; hoc testimonium in eo probavit, quia nec longè voluit à Sanctis recedere locis; Jacobus de Voragine, Serm. de Assumpt. *B. Virgo in domo juxta montem Sion postea dicitur remansisse, omniaque loca Filii sui, seu locum baptismi, jejunii, passionis, Sepulturæ, resurrectionis, ascensionis, quòad vixit, devotione sedula visitavit.* Et nominatim de Sepulchro Christi visitato, fatetur Adrianus Lyræus: *Sepulchrum Christi, primò quidem post Christi in cælos Ascensum, tum à Virgine Deipara, tum Maria Magdalena, aliisque Christianis frequentatum, atque in peculiari quodam honore habitum Doctores affirmant.* *Tum ad Speluncam Salvatoris ingressa, Sepulchrum ejus venerabatur, simulque resurgentis Filii gloriam adorabat*; inquit Petrus Canisius. Inter cætera igitur sanctissima exercitia, hoc non postremum habuit, ut non minimùm temporis, in visitatione locorum sacrorum, adeoque & horti, in quo exceptus, abditus fuit Sepulchro, tribueret; Gaspar Loártes expresè sentit his verbis: *Illam à dilectissimi Filii sui in cælum ascensu, alia inter Sanctissima, quibus occupabatur exercitia, non minimam temporis, sacrorum illorum locorum visitationi tribuisse partem, quæ Redemptor particulari aliquo sacraverat mysterio; sicuti Nativitatis, Circumcisionis &c. cænaculum sui Corporis Sacramenti institutione illustre: Mons Calvariæ, in quo Cruci affixus, sanctissimum emisit spiritum; Hortus, in quo exceptus, abditusque fuit Sepulchro; cæteraque pia & sacra loca, in quibus mente contemplabatur rem aliquam, à suo amantissimo Filio patratam, notatu dignam.*

De Imit. Chr. pat. libr. 7. cap. 3. f. 551.

De Sacr. Pereg. fol. 10.

Imò ut totò vitæ suæ spatiò, solita fuerat corporali obsequio, ac præsentia venerari loca sacra, ita teste eadem Maria à Jesu, ante suum abitum in cælos, statuerat valedicere locis sacris, petitâ licentiâ à S. Joanne, domô cum eodem, & mille Angelorum sibi assistentium comitatu, digressa est: qui Angeli in illa peregrinatione

3. Part. libr. 8. cap. 18. f. 218. num. 719.

tione Sanctorum locorum, multò majori nitore, & pulchritudine eam sunt comitati. Sic ergo omnia redemptionis nostræ loca, ante obitum suum invisit, in illis devotionis, lachrymarum, reverentiæ, humilitatis, charitatis admirandos actus, & affectus præconceptos elicuit: addens singulares preces & devotionem, pro omnibus peregrinis, qui ex devotione & reverentia, ad Sacras illas Dei Hominis stationes, per omnia deinceps sæcula, essent venturi. Atque Angelis sanctis custodiam locorum sacrorum commendans, ut adeuntes ad illa fideles, juvent bonis inspirationibus, ac in periculis defendant, & ipsa loca sancta tueantur; & accepta benedictione à S. Joanne, & à Sanctis Angelis, qui adoratô, etiam in locis illis tam dilectis, Deo & Matre, imo cum & illius etiam causâ, tam glorificati extiterint, supremum illis vale dixit. Quod ipsum patet ex eadem Maria de Agreda, testante, quòd B. Virgo visitabat montem Calvariæ, ante obitum suum, in hæc ibi prorumpens verba: *Terra sancta, & locus sacratus es*, & cætera, quæ referuntur ibidem, locô supra adductô. Ita piè credendum, quòd visitans locum Sepulchri, in hæc prorupit verba, adorans: Terra Sancta es, & locus sacratus Corpore Filii mei, tu Sepulchrum eras ad instar mei uteri, quod ego mortale, passibile genui, tu iterum redivivum, immortale, impassibile edidisti; hinc ipsum Divinum Verbum exivit, quod te carne sua tam mortali, quam immortali ditavit, ut omnibus locis, te pretiosiorem existimem. Quantam ego habui lætitiam, dum ex te Filium meum vivum vidi, tantùm te adoro ac veneror, locus Sancte, qui Filium meum in hac ipsa carne, in qua ex te resurrexit, in cælo visura, jam prope accedo. Idem clariùs patet ex Revelationibus S. Birgittæ, libr. 6. cap. 63. in quibus ipsa B. Virgo de se inquit: *Paravi me ad exitum, circumiens omnia loca more meo, in quibus Filius meus passus fuerat.* Gverricus Abbas Igniacensis, Discipulus S. Bernardi Serm. 2. de Assumpt. B. V. Mariæ, ex themate sumpto Cantic. 5. *Filiæ Jerusalem, nuntiate dilecto, quia amore langveo*, sic dicit: *MARIA igitur migratura à Corpore, decumbebat, ut est humana infirmitas. Porro filiæ Jerusalem, quæ sursum est; id est Angelicæ Virtutes, visitabant satis officiosè ac devote Dominam suam Matrem Domini sui, - - locuti ei sunt sermonem, humano nimirum conformantes affectui, vel usui. Quid est obsecro mi Domina, quòd sic ægra videris & langvida?* Quid

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 13. cap. 44. fol. 217.

Quid est, quòd præter solitum tristis ab heri & nudiustertius, sicut solebas, non sancta revisis loca? quorum contemplatione, amorem tuum pascebas? Jam per aliquot dies, non vidimus te, aut rupem Calvariæ ascendentem, ut ibi locum Crucis impleres lachrymis; aut ad Sepulchrum Filii, adorantem gloriam Resurrectionis; aut in Monte Oliveti, deosculantem extrema vestigia ascendentis. Ob hoc ipsum siquidem, creditur in valle Josaphat commorata (ubi & sepulchrum ejus monstratur, ut ait B. Hieronymus, in Ecclesia miro lapideo tabulatu fabricata) ne scilicet à sanctis locis, longiùs recederet, sed sæpiùs ea invisens, licet omnia memoriâ teneret, formam tamen gestorum, velut corporaliter in ipsis effigiatam locis, dulciùs amplecteretur; ut vel sic suum aliquatenus amorem solaretur. Causam itaque percunctantibus illis, cur ab his modo vacaret & ex toto decumberet? inquit: langueo. In supra citatis revelationibus Mariæ Agredanæ habetur, quod cùm magna cælorum Regina, ante obitum suum quadam die, propter visitationem Sanctorum redemptionis nostræ locorum, secundum morem suum exivisset, & jam ad montem Calvariæ, proximumque illi Sepulchrum accederet, magna copia silvestrium animalium, circumdedit eam, quæ ex variis vicinis montibus, sunt congregata, & ibi adventum ejusdem expectabant, & ex illis quædam in terram se prostraverunt, quædam demissis collis incedendo, tristem gemitum ediderunt; tum ut per hoc dolorem exprimerent, quem pariunt loca sacra, tum ut tristitiam præferrent ex abscessu & Matris Dei, & Dominæ universarum creaturarum, quæ jam valedictura venerat ad illa loca, in quibus gemebundo constitit animo, ad Calvariam & Sepulchrum, mortem suam & resurrectionem cum corpore, conformando morti & resurrectioni Filii sui, in iisdem locis peractæ.

Mystic. Civit. 3. part. libr. 2. c. 17. num. 706.

Ecce jam satis habes, declaratum Virginis MARIÆ affectum, obsequium erga loca sacra, & reverentiam monstratam, erga Sepulchrum Christi, dum illa, deductô spatiô temporum, in tam amplo cælesti comitatu visitabat. Unde citatus supra Petrus Canisius, fol. 590. concludit, morem invisendi terram Sanctam, à Matre Domini profectum ac confirmatum: adeoque illam fuisse Prodromam, Antesignanam, & primam peregrinantium Peregrinam, ac Visitatricem locorum sacrorum Hierosolymis. Cui assertioni adstruunt veritatem, non modo Scholastici Doctores,

Vincentius, Antonius, Dionysius; sed etiam his vetustiores, Gverricus, Ildephonsus, & Sophronius Hierosolymitanus. Idem censet & R P. Gaspar Loártes, de sanctis peregrinationibus fol. 11. quòd locorum sacrorum, quæ Redemptor noster, suis calcavit pedibus, visitandorum consvetudinem, à Beatissima Christi Genitrice ortam, derivatamque exemplo. Testatur & Quaresmius in Elucid. Terr. Sanct. *Sanctissima Deipara totius Ecclesiæ Archi-Magistra, exempló suô hanc nobis suppeditavit doctrinam, dum prima omnium ipsa, Filii sui venerata est Sepulchrum.*

Tom. 1. libr. 3. cap. 42.

Concludo hanc deductionem gloriæ Sepulchri Christi, ampliori Beatissimæ Virginis affectione, quæ eousque suam erga illud honorandum dilatavit charitatem, ut cùm non posset corporaliter quotidie visitare S. Sepulchrum, spiritualiter tamen illud, semper solita fuit visitare S. Vincentius Ferrerius serm. de Assumpt. dicit: *Duodecim annis vixit post Ascensionem* (secundum alios 24.) *& quolibet die visitabat ista loca passionis & Sepulchri; sed ista visitatio erat spiritualis & contemplativa; O benedicta peregrinatio sine periculo! de qua dicit Apostolus ad Galat. 6.* Si Spiritu vivimus, Spiritu & ambulemus; & post pauca subdit: *ideo spiritualiter fiat ista peregrinatio, hodie & quolibet die, poteris ire Jerusalem.* In tam sancto, pio opere, imitare Virginem Beatissimam. Unde si quô ad exequendam corporalem visitationem S. Sepulchri impeditus es, ad spiritualem nihil te impedit, dum B. Virgo hanc utramque visitationem exercuit, per hoc docere nos docuit, duobus modis posse visitari Sepulchrum, nempe corpore & spiritu: proinde si non possumus adesse corpore, tamen quotidie spiritualiter illud visitemus, exosculemur locum, in quo positus fuit Dominus, & sistamus nos Domino in Jerusalem.

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex custodia Sanctorum Angelorum.

Vide Libr. 1. Tituló : Lectus. fol.

Multam D. Bernardus aliique Sancti Patres, hominis ex eo reputant dignitatem, ac illam extollunt, quod Deus unicuique eorum custodem assignaverit Angelum. Nec parvam exinde collige dignitatem Sepulchri Christi, extolle vel exinde honorem ejus, dum ei, ut nulli alteri Sepulchro, hi cælestes ad stant ministri,

niſtri, etiam de ſublimi Ordine; ita, ut locus ille, nequaquam à primo ſuo honore ac felicitate, tali orbaretur fungi præſidio. Statim enim, dum eſt inſtitutum illud ſolenniſſimum funus Corporis Chriſti, ac proceſſio toto cælo & mundo ſpectanda, ad tumulum deferendum, multi Angelorum chori evocati, præter illos ordinarios, qui B. Virgini aſſiſtebant, ab eadem, viſibilibus corporibus induti, ſpectati; & cum usque ad locum ſacri tumuli, ſeries illa Angelica hominumque procederet, manifeſtum eſt, totum feliciſſimum Sepulchrum hinc inde Angelicis ſtipatum Choris, fuiſſe. Similiter poſtquam jam clauſum eſſet Domini Monumentum, jubente Dei Matre multi Angeli ad Sepulchrum Chriſti cuſtodiendum, remanſerunt. Ut ibidem in dicta civitate Myſtica habetur: *Poſt hæc, Sepulchri cuſtodiæ plures Angeli deputati ſunt; magnæ Dominæ ſuæ juſſu; quippe quæ cor ſuum, haberet ibi depoſitum.* Et Jacobus Tyrini, ſuper Iſaiæ locum, de quo hîc agitur: *Corpus honorifico conditum Sepulchro, quod etiam Angeli ſuâ præſentiâ & cuſtodiâ honeſtabant.* Adeoque ſic, dum mundus Principesque terreni, ſuos appoſuere cuſtodes, etiam cælum, per ſublimem inter ſidera Dominam, Angelicam deputavit; ut ſic & terræ & cælo, locus eſſet reverendus.

Maria à Jeſu, in Myſtic. Civit. 2. part. libr. 6. Capit. 24.

Inſtante inſuper Reſurrectione Chriſti, ac acceſſu Animæ ad Sepulchrum, iterum Sanctorum Angelorum & Patrum, magna copia, quos ſecum Anima Chriſti deduxerat, eundem ambivit & circumdedit Monumenti locum; patet ex eadem Maria de Jeſu. Et S. Thomas de Villanova: *Jam ergo tertia dies aderat, & ſerenior cæteris oriens rutilabat aurora, cum Anima illa potenti unita Verbo, graviſſimo comitata Senatu SS. Patrum; tumulum, quô Corpus jacebat, ingreditur, circumſtantibus foris Angelorum agminibus.* Ad idem conformiter & Hieronymus Natalis, in Adnot: in die Reſurrect: *Stat cæleſtis pompa triumphi, ſuper Monumentum, nihil impedit aciem mentium humanarum, vel Angelicarum, objectum ſaxum vel clauſtra Sepulchri, contemplantur omnes mortuum Corpus.* Quis inde non glorioſum, prædicabit Chriſti tumulum, dum intus Corpus Chriſti Perſonæ Divinæ Verbi conjunctum, Animamque reducem eidem unitam ſpectabit? ab extra Patriarchas, Prophetas, aliosque Sanctos è limbo procedentes, tumulo adſtantes, & intus cernentes Corpus vulneribus deformatum: adeoque dum iisdem

Conc. 1. in die S. Reſurrect.

monſtra-

Myftic. Civit. 2. par. lib. 6. c. 26. monſtratur Corpus Chriſti, eâ formâ, quâ excarnificatum ſepultum erat, patet eos ſive intus, ſive extra extitiſſe, totam illam circumferentiam Sepulchri, tam decoro apparatu circumdediſſe. Ut ob hanc rationem verba Iſaiæ hæc: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*; Reverendiſſimus Fornerius hic exponat: *Ob plurima, quæ convenerunt ad illud honorandum, quorum unum fuit, hic Sanctorum comitatus.* Tum cernat ſideream illam Angelorum coronam, quæ non in parvo numero, integrum illum ambitum, ſuo implevit ſplendore. Ut refertur in iisdem revelationibus Mariæ de Jeſu Agredanæ, locô adductô: *Juxta tumulum, alii erant permulti Angeli, cuſtodiæ munere functi, qui & ipſi Sacrum Corpus Divinitati unitum, identidem reverebantur.* O locus honoratiſſime! ô locus tanta dignitate cumulatus! ô habitaculum, tantis incolis, hospitibus aſſiſtentibus plenum! quales niſi ſublime cælum habet.

Conc. 63.

Num. 1466.

Poſteaquam igitur Chriſtus, à mortuis reſurrexit de Sepulchro clauſo, nec reſerato, nec ruptis ſigillis, ſed infractè permanentibus, ecce ſubito de ordine primorum Principum, cæleſtis advolat Cherubin, ut dum jam vacuum fuerat Corpore Chriſti Monumentum, Angelicâ tamen non vacaret præſentiâ, & ſuper lapidem, quo Monumentum claudebatur, ſedet; *Non laſſitudinem recreans,* (inquit S. Petrus Chryſologus) *ſed Sacri & vitalis Sepulchri, ſe eſſe Præſidem ſic demonſtrans.* Et S. Hieronymus, Epiſt. 150. Hædibiæ: *Cujus Sepulchro Angeli præſidebant.* Non permiſit majeſtas Divina, ut aliqua profana manus, tam prænobile contrectaret ſaxum, nullæ vires humanæ, erant huic muneri pares, Angelica illud dextera tangere debuerat, quod Chriſti Corpus tetigerat: nimirum lapis ille puriſſimus, pietatis nitidiſſima gemma fuit, candidus ſuperûm, innocentiſſimæ creaturæ debebatur ei cultus. Reverentur & Angeli hoc ſaxum, dum ad illud non niſi in fulgidiſſimo aſpectu, niveoque candore & veſtitu accedunt. Color albus, juxta Ciceronem, præcipuè Deo decorus eſt. Sepulchrum Chriſti, quia Dei decorum Corpore, quia decus uniuerſi eſt, vel ipſe expreſſit color. Videntes jam vacuum locum, vacare tamen non ſinunt, dum primò illibatus illi conſedit hoſpes, ut illud primò viſitet, primusque adoret. *Et ſedebat ſuper eum;* videlicet, inquit ſuper hæc verba Dionyſius, Enarrat: in Evang: Matth. cap. 28. Art. 45. *Tanquam imperterritus Dominici Sepulchri Cuſtos.*

De Reſurrect. Ser. 77. num. 13.

Barra-

Barradius: *Magdalena vidit duos Angelos, in albis vestibus sedentes, Sepulchrum venerantes Domini sui.* Angelus unus ad caput, unus ad pedes, *tanquam totum Sepulchrum custodientes, ut ex tanta custodia majestas loci perfulgeret.* Sylveira Tom. 5. Contendite majori affectu mortales ad Sepulchrum intuendum, dum cernitis etiam de cælo, ad illud provocari Genios, ut illud lustrent & illustrent. Et satis arbitror suffecisset, ad venerandum & custodiendum Sepulchrum, unus Angelus; aliter tamen ordinavit cælum, dum primam apud illud, nactum æstimationem, censuit, Monumenti dignitati plures addendos, dum duos alios Angelos, unum ad caput Sepulchri, alterum ad extremitatem (propter reverentiam loci consecrati, ex tactu Dominici Corporis, ut Lyranus in Cap. 20. Joan.) hinc & hinc excubantes destinavit, qui sui Regis domicilium esse nuntiarent; ait Fornerius: *Non igitur immeritò Angeli, tanquam domicilium regale sui Creatoris, illud recognoscentes, in Sepulchrum descenderunt, & in illo, Sepulchrum invisentibus apparuerunt.* Angelus ergo ille unus fuit, qui hujus profundissimæ, rutilantis tamen abyssi, habens clavim, manu sua eam aperuit, dum dejecto lapide, quô ostium opertum clausumque tenebatur, immanes illos custodes repulit, ut sic sublatis omnibus præpedimentis, non solùm piæ plebi, sed & ipsis Angelis introgressum securum ac manifestum, per apertam januam hic residens, patulum faceret. Circa quod dum refertur, nunc unus, nunc stare, nunc sedere, nunc super lapidem, nunc in Sepulchro, nunc duo, & diversimodè, per hoc ipsum ostenditur multitudo Angelorum circa Sepulchrum; observat Gerardus Zutphaniensis, cap. 39. Alphonsus Paleòótus, Archiepiscopus II. Bonon. in Hist. admir. JESU Chr. fol. 429. refert ex S. Birgitt. revelat. libr. 2. cap. 21. ex revelatione B. Virginis, quod Maria Magdalene, & aliæ Sanctæ mulieres, venerunt ad tumulum, nec non multi Angeli Sancti, quasi atomi solis affuerunt, obsequium exhibentes Creatori suo. Qui sicut protunc præsentes aderant, ita hucusque semel arreptam non deserunt stationem, sed continuò apud Sepulchrum manere non desistunt; patet id ex S. Chrysost. Orat. in Cæmet. appel. in Crucem Domini: *An nescitis, quomodo Angeli astiterunt Sepulchro Corporis experti? Sepulchro vacuo? attamen cum semel totum Corpus Domini recepisset, multum honoris ipsi etiam loco exhibent Angeli, qui naturam*

Tom. 4. libr 8. fol. 343.

Libr. 9. cap. 2. num. 27

Conc. 63. de glorios. Sepulchr. Dom.

Apocal. cap. 9.

turam nostram excellentiâ suâ longè exsuperant, tantâ reverentiâ & observantiâ, Sepulchro assistunt. Et super hæc verba: *Et adorent eum omnes Angeli Dei*, Remigius inquit: *Tunc adoraverunt eum, quando Sepulchrum ejus custodierunt.* Idem in terminis dicit Primasius, Episcopus Africanus, Discipulus S. Augustini. Beda in homil. Evang. in Pasch. in hæc verba Psal. 131. *In conspectu Angelorum psallam tibi*, inquit: *Nec dubitare licet supernorum Civium adesse conventus, qui Monumentum, quo Corpus ipsum venerabile positum fuerat, & unde resurgendo abscesserat, tam sedulis servant excubiis.* Si enim, juxta Baronium, unicuique Altari consecrato assistere Angelum Dei; Sepulchrum Christi est Altare, consecratum à Summo Pontifice, ipso ejus Corpore & Sangvine, aromatibus unctum, incenso plenum; extra omne itaque dubium, illi assistere hucusque Angelos. Et in multis certè hodiedum illud defendere dicit Maria à Jesu Agredana. Dubliulius, in Prologo ad Lectorem: *Domini Sepulchrum, excubiis Angelorum esse frequens, & bonis Angelis honori, fatetur.* Hinc Authore Bonifacio Stephano Ragusino, de perenni cultu terræ sanctæ, libr. 1. fol. 18. In Dominico Sepulchro, singulis Dominicis Quadragesimæ, horâ tertiâ diei, fiunt supplicationes, & circumitur ter Dominicum Sepulchrum, cantando laudes diei competentes. Completo hymno ante ostium Sepulchri, Cantores dicunt versiculum: *Angelis suis Deus mandavit de te. Ut custodiant te in omnibus viis tuis.* Qui versus non solum tempori, pro quo ponitur, sed & loco subservire videntur; quod scilicet Angelis suis Deus mandavit specialiter, ut custodiant Sepulchrum Christi in omnibus tentaminibus, ne quid ipsi adversarii noceant. Adeo enim illi famulantur loco, hi Dei Ministri, ut si hominum temeritas & peccata impedirent, sine dubio ipsi Angeli Sancti, illud ab infidelibus & Paganis defenderent, ne unquam contaminaretur; & ita in suis habet revelationibus Maria de Agreda.

In Comment. in Epist. ad Hebr.

In Martyrol. Notation. 9. Novembr.

Mystic. Civit. 3. part. libr. 8. cap. 18.

§. III.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex Visitatione S. Mariæ Magdalenæ, & aliarum SS. Mulierum.

Præfertur visitatio Magdalenæ Discipulorum; quia etiam illa Joanni prælata fuit, quoàd apparitionem; quia Christus diligentiorem

tiorem Joanne, circa Sepulchrum prospexerat: & ideo ratione diligentis Monumento Christi assistentiæ, majorem gratiam, magis circa Sepulchrum sollicitæ, contulit; hanc ex Dionysio Carthusiano, in Joan. Cap. 20. rationem colligit Chrysanthus Salarius. Similiter & præ cæteris illa ponitur; quia etiam D. Lucas Evangelista, cæteris Mulieribus ad Monumentum Christi profectis, illam primò ponit: quia scilicet ob rationem, quam dat S. Bonaventura, in hunc locum Scripturæ Cap. 24. v. 10. *Prior, ut traditur, ad Monumentum venit, & præ cæteris diutius perseveravit.* Hic enim erat nimis ignitus, erga Sepulchrum Christi amor, ut non solum in vita Christi, magni faceret, magnoque studio honoraret Sepulchrum exhibendo ungventa, quæ fecit ad sepeliendum Corpus Christi, & exinde summoperè laudata à Magistro; sed etiam tanta ipsius Sepulchri cultrix extitit, ut juxta D. Joannem Chrysostomum, cum multa velocitate, ad illud cucurrerit: & cùm cæteri somno indulgent, illa, quam fervor charitatis excitavit, non expectato ortu solis, valdè manè vigilans, venit ad Monumentum, vigilantissima visitatrix. Imò nec unquam recederet à Monumento, si penes illud manere, lege non prohiberetur; D. Cyrillus Alexandr. libr. 12. in Joann. Cap. 24. *Non remansisset domi, nec à Monumento abfuisset, diligentissima illa Mulier, nisi lege Sabbati detenta fuisset.* Imò dum cæteri omnes Apostoli, ac Discipuli, Monumentum deserunt, illa perseverat, ac Christum piis suis suspiriis amat, deplorat, ibique eam fortis fixerat affectus. S. Augustinus in Catena, ad id dicit: *Viris autem redeuntibus* (scilicet à Monumento) *infirmiorem sexum in eodem loco, fortior figebat affectus.* Lyranus, in Moral. exposit. super Joan. Cap. 20. de illa dicit: *Præ omnibus fuit sollicita, videre Christi Sepulchrum, quod patet ex hoc, quòd venit manè, cum ad huc tenebræ essent, & quia recedentibus Apostolis, non recedebat.* Præ nimio dolore, cultuque loci illius, ne quidem gressu pedis, voluit abscedere. *Stabat ad Monumentum, tum foris & ab extra, scilicet in horto, & ante domunculam, in quo erat Sepulchrum,* (inquit Ludolphus de Saxonia) *tantô cordis ferebatur incendiô, tanta pietatis afficiebatur dulcedine, ut fœminæ infirmitatis oblita, nec tenebrarum caligine, nec persecutorum immanitate, retraheretur à Sepulchri visitatione.* Qua in re, pensa benevole lector, affectum hujus Mulie-

In Pentatech. lib. 1. fol. 72.

2. part. de Vita Chr. Cap. 72. num. 1.

ris, erga Dominicum Sepulchrum, quam nullus obex, nulla privata ratio, à visu illius retrahere, adituque poterat. Uti illam sic loquentem inducit Origenes, homil. in Oper. part. 2. super Evang. fol. 531. *Discedere à Monumento, mors mihi est, stare ad Monumentum, irremediabilis dolor est. Meliùs autem mihi, Sepulchrum Domini mei custodire, quàm ab eo longiùs ire. Si enim longius abiero, fortè, cùm rediero, ipsum sublatum inveniam, & Sepulchrum destructum. Stabo igitur & hìc moriar, ut saltem juxta Sepulchrum Domini mei sepeliar. O quam beatum corpus meum, si fuerit Sepultum prope Magistrum meum! O quam felix anima mea, quæ egrediens de vase fragili corporis mei, mox poterit ingredi, in gloriosum Sepulchrum Domini mei! Corpus meum, semper fuit animæ meæ labor & dolor, Sepulchrum Domini mei erit mihi requies & honor. Hoc ergo Sepulchrum non deseram, quia ita mori, erit consolatio mea, & in morte mea, erit requies mea. Vivens juxta illud manebo, moriens illi adhærebo, nec viva, nec mortua ab illo separabor.* In his amorosis Magdalenæ inductis affectibus, vide quantô dilectionis vinculô adhæsit Monumento Christi, ut inde piæ affectionis erga illud, sacræ posteritati imitandum proponeret, & relinqueret exemplum; quanta sit consolatio, gaudium, & felicitas, corpore vel mente illud ingredi. In similes propendite contestationes Christiani, ut sic probetis signa amoris in Christum, vel ex adjuncto locali. Insuper tantam erga Sepulchrum Christi, habuit devotionem, ut juxta Theophylactum, apud Glossam in Joann. cap. 20. multi illius fuissent adventus ad Sepulchrum: venit enim interdum cum aliis mulieribus; interdum sola, unde Evangelistæ, varias visitationes posuerunt: Cujus bini, sive sæpissimi adventûs ratio fuit, recollectio ac memoria beneficiorum, quæ Deus Magdalenæ contulerat: quasi illorum recolendorum sit locus Sepulchrum Christi, & ob hunc finem visitari & coli debet, ut ibi beneficia nobis collata, sedulò recolligantur. Hanc tradit causam D. Hieronymus Epist. 150. Hædibiæ qv. 4. de Maria Magdalena scribens: *Quomodo eadem Maria, quæ priùs Dominum viderat resurgentem, postea ad Sepulchrum ejus flere referatur? hoc dicendum est, quòd & sola, & cum altera, sive cum aliis mulieribus, memor beneficiorum, quæ in se Dominus contulerat, ad Sepulchrum ejus frequenter accurrerit, & nunc adoraverit, nunc fleverit.* Impulsus visitandi sæpius Sepulchri Christi, non modicus & iste est,

memo-

memoria beneficiorum à Deo acceptorum. Franciscus de Franchis, Commentar. in Oseam Prophetam, hanc adducit causam; quia Sepulchrum Christi, gloriâ signandum erat, & in Magdalena, cui Deus peccata dimiserat, gloria refulgebat; idcirco ad Sepulchrum suum, stare eam voluit. Stabat Maria ad Monumentum, tum ut aspectu lapidis Sepulchralis, suam in Salvatorem fidem, spem, & charitatem renovaret; quia juxta Sylveiram: *Aspectu Sepulchri mundantur oculi, & fides renovatur in salutem.* Tum, quæ erat in Christo mortua, ut morte & Sepultura ejus, resurrectionem suam ad statum gratiæ & gloriæ testaretur. Tum, quæ olim cecidit prona ad pedes cum ungventis Sepulturæ præsagis, nunc jam pro præmio facti hujus, ex ipso lapide Sepulchri, sublimaretur ad gradum felicitatis. Tum ut casum suum, meritô Sepulturæ Christi attolleret, & ad sublimitatem perfectionis, visa tanta Magistri in Sepulchro demissione, erigeretur. Non invitata irruit convivio, ubi suus recumbebat Medicus, juxta S. Augustinum; postmodum non vocata irruit ad tumulum, ubi suum mortuum sciverat Medicum; ut ejus Sepulchro inferret pharmaca præparata Corpori, à quo in domo Pharisæi, animæ adhibita acceperat medicamenta. Et sicut olim domum Pharisæi, per suam pœnitentiam, fecit domum gratiæ, & remissionis; ita postmodum eundem tumulum, memoria suorum obsequiorum, demonstravit esse sedem gratitudinis. Nec quisquam hanc veritatem de ejus statione, etiam pertinax negare potest, dum ipsamet Magdalena, veluti de speciali sibi concessa gratia, præstitoque beneficio, nempe de visitatione Sepulchri Christi, lætabunda coram Discipulis gloriatur: *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis.*

Cap. 4. v. 7. fol. 332.

Atque ita dum se nimis dilectam, devotam, ac sedulam in visitatione Sepulchri exhiberet, multa bona consecuta est. Primum, quòd priùs præ aliis mulieribus, geminatis vicibus, meruerit videre Christum Dominum resurgentem, juxta testimonium D. Dionysii Carthusiani in Cap. 28. ubi inquit: *Mansit illa* (scilicet Magdalena) *juxta Sepulchrum, tuncque apparuit ei Salvator, quô visô, secuta est socias, & cum illis rursus vidit eum, id est, veniens sola ad Sepulchrum, vidit Christum, & iterum ad illud cum sociabus veniens.* Secundum, quòd præ ipsis Apostolis, ipsa prima vidit Christum resurgentem; & hoc apertè docet Hugo Cardinalis in Cap. 20.

20. Joann: *Propter hoc tantum ſtudium, aſſidendi Monumento, mercedem non parvam accepit, quod enim non viderunt diſcipuli, hoc vidit mulier prima.* Tertium, quòd in ſua graviſſima afflictione, quam habuit ex non invento Corpore JESU, receperit internam, eamque ſvaviſſimam conſolationem; juxta ſententiam Dionyſii Carthuſiani: *Quia perſeveravit* (id eſt ad Sepulchrum) *meruit conſolatorem, & deſideratum cordis ſui invenire.* Hæc autem tria beneficia recepit, non propter ſolum & purum acceſſum ad Sepulchrum JESU, ſed propter ſtudium aſſidendi Monumento, & propter conſtantiſſimam perſeverantiam penes illud; quemadmodum id evidenter conſtat ex utroque textu Carthuſiani, & ex Joan. cap. 20. ubi dicitur: *Maria autem ſtabat ad Monumentum*; ubi verbum *ſtabat*, inculcat & denotat ſufficientem Magdalenæ moram, & perſeverantiam ad Sepulchrum. Dum ergo ſtaret, & aſpectu Sepulchri vacui anxia occuparetur, tunc ſubitò ipſe illi apparuit JESUS. *Converſa retrorſum vidit JESUM ſtantem*, Joan. 20. v. 13. Ecce vides, quanta conſolatio Magdalenæ, ex perſeverantia & ſtatione conſtanti ad Sepulchrum! illa ſolum Corpus mortuum quærebat in Sepulchro, en illi totus ſe præſentat JESUS vivens & jam reſurgens! plus invenit, quàm quæſierit. Hæc eſt utilitas ex viſitatione Sepulchri JESU, & ſtudio aſſidendi penes illud: Nempe plus in illo reperire ſolemus, quam quæramus; quia Chriſtus Dominus propter honorem ſuæ Sepulturæ, & Sepulchro exhibitum, plus nobis præſtat, quam nos petamus. O ſi examinare liceret, omnes viſitatores Sepulchri JESU & peregrinos ad illud, defactò confiterentur, plus ſe ibi accepiſſe, quam petierint!

In Cap. Joan. 20.

Secundò, quia cum fervore devotionis, magnâ prædita fiduciâ, ad Monumentum acceſſit, Angelorum meruit viſionem: Lyranus in Cap. 20. Joan. eamque aliquoties ultra Apoſtolos obtinuit, ratione perſeverantiæ in conſideratione Sepulchri. Ut narrat Venerabilis Hiſtoriographa Maria de Jeſu, in Civitate Myſtica: *Flens ergo, Monumentum ſubiit, Sepulchrum ſaltem viſura, oculisque revera multò acutioribus Angelos, quos Apoſtoli non viderunt, ipſa denuò vidit, imò & collocuta eſt.* Et ſicut ab ipſo Chriſto, ne ab aliis increparetur ungens pedes, verba conſolatoria recepit, quia pro-tunc in mente & opere, Sepulchri Chriſti memoriam retinebat; ut inquit S. Chryſoſtomus in Catena: *Quia ergo Sepulchrum & mortem*

1. Part. Libr. 6. Cap. 26. num. 1481.

tem commemoraverat, rursus eam consolatur; ita personaliter Monumentum prospiciens, illius ponderationi immorans, in hoc ipso loco, ubi Corpus Christi jacebat, videt duos Angelos, qui querulam, gementemque Magdalenam solantur, fletumque detinent: *Mulier quid ploras?* Joan. 20. v. 13. quasi dicerent: Non expedit te Magdalenam, fletibus opprimi, quæ ad Sepulchrum, locum consolationis, venisti; nos ipsimet, dum hunc conscendimus locum, ecce gaudia, lætitiamque publicam nuntiamus, neque te decet hîc flere, ubi communis emanat gaudendi ratio: desiste à lachrymis ad Monumentum, omnium solatiorum plenum! Sepulchrum hoc alveare est, cui inclusa Apis Christus mellificavit intrò; proinde ab acerbo procul dolore! *Nihil intus amarum.* Noli implere amaris guttis conchylium hoc, quod sereno cælo, tacitè imbutum Divino rore, nitidam exporrexit gemmam, *squallentem clausit, adapertum dedit solatia mundo.* Prohibe à fletu palpebras, quia ab hac Sacrâ Urnâ, vultus hilares, etiam spiritus animæ induunt, læti recedunt, qui cum amaritudine cordis veniunt; vix capiunt gaudia, quibus abundare solent, ab hoc tumulo abscedentes. Talibus blandis alloquiis, ab ipsis Angelis, levamen accepit mœsta Magdalena, ex occasione visitati Sepulchri. Considera hîc, si in spiritu vitaque tua, doloribusque temporalium curarum, exoptas solari, frui etiam ipsorum cælitum, jucundis colloquiis, plora ad Monumentum Christi amaro corde, compunctoque, illud internè visita, ad illud persiste, & consolaberis. In hoc tamen fletu, nimium affectum, erga Monumentum, observat Arias Montanus, dum in Joan. fol. 355. hac de causa eam plorasse dicit; existimans enim forsitan ab illo sublatum Corpus, noluit ut Sepulchrum ab aliquo occuparetur; ac propterea talis timor & amor Sepulchri, lachrymas provocavit. Quibus & tibi non deploranda fletibus, occupatio ab alienigenis Sepulchri Christi? sicut olim S. Bernardus, in exhortatione ad Germaniæ Populum, in casum, si forte (quod, ut Deus avertat, unicè exoptabat) generatio pessima obtinere valuerit Sepulchrum Christi, omnibus fæculis inconsolabilem dolorem, & irrecuperabile damnum dixit; quid nunc dicendum, dum hoc evenire noscimus? In eodem fletu Magdalenæ, observationem alteram conjicio, ex qua splendidior Sepulchri gloria, velut in crystallo, in lachrymis ejus

elucescat.

elucefcat. Plorat Maria Magdalena ad videndum egreſſa Domini JESU Chriſti Sepulchrum: nemo enim illuc piorum accedit, qui non lugeat, non ſit amaro corde. Locus abſentiæ Magiſtri ſui, quærentem Mariam ad gemitus provocavit. Ut nunquam Deus deſerat ſuum Monumentum, Magdalenæ ſuffragium dederunt petitoriæ lachrymæ. Conſolantur mœrentem Angeli beati, dicentes: *Mulier, quid ploras?* vel quia certiorem faciunt Magdalenam de Chriſti vita, ejusque patrocinio loci illius; vel quia duplex hìc affectus & doloris & gaudii, viſitatores occupare ſolet; vel quia ipſi Angeli, viſitantibus Sepulchrum contrito corde, annuntiant vitam gratiæ, quæ habetur per Chriſtum. Sed cur tantùm ad Monumentum eam ſolantur Angeli, quam pariter & in monte ploraſſe Calvariæ certum ſit, nullum tamen ibi legimus adfuiſſe con-
Tract. 121. in Joann. ſolatorem; decidit hanc quæſtionem S. Auguſtinus, quia Maria Magdalena, majorem dolorem ſenſit, dum ſublatum de Sepulchro Corpus Domini credidit, quam expirantem in Cruce Dominum ſpectavit, idque ex hac ratione Sancti Doctoris: *Quoniam Magiſtri tanti, cujus vita ſubtracta fuerat, nec memoria remanebat;* per mortem Chriſti in Cruce, non penitus tollebatur ejus memoria, prout exiſtimante Magdalena tolleretur, ſi Corpus Sepulchro exemptum fuiſſet. Adeoque magis plorabat, everſam & abolitam illius memoriam poſt mortem, quam ipſam mortem. Quia igitur Sepulchrum Chriſti ab ea aditum & illachrymatum, majorem perennitatem nominis ejus ex morte, & Magiſtri tanti memoriam ſupervivventem demonſtrabat, Angelico res iſta ſolatio probata fuit ad illud. Viſum Monumentum Chriſti in celebriorem evaſit gloriam, dum illud vacuum ſublatæ per mortem vitæ, iterum redivivæ, nominis clariſſimi memoriâ, gaudebat remanente. Conſolatio magna Chriſtianitatis, vel ab ipſis deprompta Angelis, dum in loco Sepulchri, non aboleſcit memoria mortis Chriſti.

Tertiò, cùm ad Sepulchrum Chriſti venit, vitam mutavit. Advertit enim ſubtiliſſimè S. Petrus Chryſologus, expendens illa verba Matt. 28. vers 1. *Venit Maria Magdalene, & altera Maria videre Sepulchrum,* quænam hìc altera Maria fuerit, quæ venit videre Sepulchrum? & non alteram exiſtimat, niſi hanc ipſam Magdalenam, ut dum veniret ad Monumentum, eadem erat nomine, ſed altera Maria, id eſt vitâ; inquit idem Sanctus Serm. 74. *Venit*

ipſa,

ipsa, sed altera; altera, sed ipsa, ut mulier mutaretur vitâ non nomine, virtute non sexu. Licet fuisset ejusdem sexus, conditionis, non tamen vitæ: unum idemque mutat nomen, quia veniens ad Sepulchrum Christi, permutat vitam. Idem Serm. 77. *Venit mulier, sed redit Maria, venit, quæ intulerat mortem, redit, quæ genuit vitam.* Imò juxta eundem Serm. 74. *Serò mulier currit ad veniam, dum festino & festivo gressu, properat ad tumulum*; quasi idem sit, omnem manum pedemque retrahere, ac cohibere à gressu vitiorum, si vel unus passus movetur ad visitandum Sepulchrum. Et quæ olim grandium malorum dicta Magdalena, jam à Sepulchro, depositis malorum criminumque maculis, castissimæ Mariæ & titulô & vitâ honoratur. Altera non diversitate naturæ, sed morum & gratiæ; pronuntiante S. Laurentio Justiniano: *Erat quippe ipsa, sed altera, per essentiam ipsa, sed per gratiam altera.* Hoc est grande privilegium Sepulchri, ut qui illi spiritu adstant, prospiciunt interna luce, ad illud festinant, ad illud gemunt, & veniam consequuntur, vitam moresque in melius mutant, aliique prorsus & non illi, qui ante fuerunt elati, otiosi, tepidi &c. sed humiliores, abstemii, proficientes, laborantes &c. inveniuntur. Visitatio JESU Sepulchri, obsequium impensum Christo in illo loco, transformat hominem in alium, dum in novum statum gratiæ reinducit. Tanta benignitas Domini imbuit Magdalenam, *cum Sepulchrum religioso studio, pia mentis devotione obivit, ut altera & videretur & dici mereretur*; ait Didacus Nissenus, in Dom. 15. post Pentec. Perioch. 2. fol. 210. hoc probabunt exempla cap. 5. Perpende ex his quanta bona adipiscitur Magdalena à visitatione Sepulchri, quantum glorificata, dum illud honoravit! Sepulchrum Christi glorificantes se glorificat.

Serm. de S. Magdalena.

Quod attinet alias Sanctas Mulieres & Matronas, & hæ non minus cum Magdalena, affectæ erant Sepulchro Christi, ejusque visitationi: ut ipsa diversitas temporum, quâ solebant adire demonstrat. S. Hieronymus in Matth. cap. 28. apud Glossam: *Quòd diversa tempora istarum Mulierum, in Evangeliis describuntur, non mendacii signum est, sed sedulæ visitationis officium, dum crebro adeunt & recurrunt, & non patiuntur à Sepulchro Domini diu abesse, vel longiùs.* S. Petrus Chrysologus, Serm. 76. *Maria & Maria venerunt, ut viderent Sepulchrum: vides, quia venerunt, non ut Dominum cernerent, sed Sepul-*

pulchrum. Id eſt hanc fuiſſe, ex duplici motivo pergendi ad Dominicum Sepulchrum Sanctarum mulierum intentionem, cum annexa ſibi conditione, volendo abſolutè & efficaciter unctionem Corporis Chriſti in Sepulchro: ſi autem hoc illis non liceret, adhuc arriperent & continuarent iter ad illud, ut Sanctum illis intueri, venerari & contingere ſufficeret Sepulchrum. Quod motivum earum, etiam ſolius videndi Sepulchri Chriſti, vel ex eo conſtat, quia quaternis vicibus venerunt ad Sepulchrum Chriſti: Si enim jam una vice, venientes ad Monumentum, non invenerunt Corpus JESU, ad quid repetito curſu, moleſtiâque imbellem fatigarunt ſexum? exiſtimo inditam fuiſſe tantam dulcedinem & delectationem Sancto illi loco, ut ejus in primo adventu allecti voluptate, iterum atque iterum incitarent animum, moverent greſſum ad ejus conſpectum. Et hic quaternarius accurſus ad Sepulchrum, quatuor temporibus, quæ Eccleſia obire ſolet, exprimitur; ſic exiſtimat D. Athanaſius, Epiſcopus Nicenus, Quæſt: 90. *Cùm ſint quatuor tempora, & totidem adventus, quibus venerunt Mulieres ad Monumentum.* Et D. Gregorius Niſſenus, Orat. 2. de Reſurrect. fol. 334. in his fermè terminis, Cornelius Janſenius, Epiſc. Gandaven: Præter quatuor, fœminas, quarum nomina exprimuntur apud Evangeliſtas, cenſet aliquot ad Sepulchrum Domini adiiſſe, quæ dum ingreſſæ ſunt Monumentum, duplex, juxta eundem, mentes Mulierum tenebat affectus, timoris & gaudii. Et B. Dionyſius, Archiep. Alexandrinus, in Epiſtol. ad Baſilidem Epiſcopum teſtatur de illis, quòd venerunt nondum ut aromata ferentes, ſed ad ſpectandum Sepulchrum.

In Concord. Evang. fol. 1061.

Biblioth. Vet. Patr. Tom. I. fol. 307.

Hæc autem illarum viſitatio S. Sepulchri, in multis fuit laudabilis. Primò. Tum quia fuit citiſſima absque mora; S. Petrus Chryſologus Serm. 69. *Ad Sepulchrum fœminæ ardentiores videntur Apoſtolis.* S. Laurentius Juſtinianus: *Mulieres valde manè, in ipſo diei crepuſculo, ſumptis ſecum aromatibus, gradu concito, corde ignito, atque deſiderio miniſtrandi, ad locum, ubi eum reconditum noverant, ardentiſſimè perrexerunt.* Expende allegatas circumſtantias. Unde non expectantes aliam diem, ſtatim transactô Sabbatô, ad Monumentum properant, ut Sepulchri locum aſpicerent, Chriſto obſequium impenderent. Imò ſi feſtivitas Sabbati permiſiſſet, militum cuſtodia non fuiſſet appoſita, indecentia ſui ſtatus non

De Triumph. Chr. Agon. cap. 24.

non obesset, tota nocte ad Sepulchrum pernoctarent, diuque morarentur, quamvis animus tali plenus non frustrabatur intentione. S. Hieronymus in Epist. 150. Hedibiæ qv. 4. scribit, Sanctas fœminas, per totam noctem non semel, nec bis, sed crebrò ad Sepulchrum Domini cucurrisse. Tum quia totam noctem insomnem duxerunt; adeoque respuentes omnem commoditatem suam, nec dormire potuerunt, præ alacri illo animo, seriisque cogitationibus, quas tunc continuas habebant, ut quantocyus ad Monumentum pergerent. Unde teste Ruperto Abbate, libr. 14. in Joan. *Per noctem ambulantes juvante lunâ, venerunt ad Monumentum; adeoque impletum est in illis, quod prædictum de Sponsa fuerat:* In lectulo per noctem quæsivi, quem diligit anima mea. Paschasius: *Nec mireris, quæ sic quærebant, quæ per totam noctem, eundem locum* (id est Sepulchri) *frequentaverunt.* Ecce vide, quod nec tenebræ, nec nox præpediat ad visitationem S. Sepulchri!

Secundò, illa visitatio in Sanctis Mulieribus Sepulchri Christi, ex multis religiosis motivis procedebat. Tum ob gratitudinem beneficiorum; Considerat enim Ludolphus Carthusianus, libr. de Vita Chr. part. 2. Cap. 70. quare, cum multæ aliæ Mulieres, fuerant secutæ Dominum, cur ad Monumentum tres tantum properant? Respondet: quia Christo plus obligatæ erant ex eo, quod plura beneficia ab eo receperant. Pluralitas beneficiorum à Deo acceptorum, ire compellit ad visitandum Sepulchrum. Nemo unquam pluris te, qui Religiosus es, accepit à Christo beneficia; ergo ratione horum, tu præ aliis obligaris ad visitandum tumulum Christi. Ad quem, inter illas Matronas, fuit & Maria S. Jacobi Minoris, Fratris Domini, Fundatoris Ordinis Nostri; quia sic spectabat, ut qui Custos esset Sepulchri, Institutor Custodum, in sua propagine amorem declararet, quasi nativa sit, ab origine descendens virtus, consangvinea domui S. Jacobi Minoris, adstare Sepulchro, ac illud venerari. Tum ob amorem, præ cæteris, diutiùs moratæ sunt ad Sepulchrum, quæ præ aliis dilexerunt; & licet non invenerunt Corpus, non tamen ideo aufugerunt, vel eruperunt statim à Monumento, sed quæ amoris documenta exhibituræ erant cadaveri, eadem præstant loco, dum nequaquam ab eo abscedunt, quia à *Monumento vehementissimus amor* (ait Albertus Magnus, in Cap. 24. Lucæ) *Domini, recedere eas non patieba-*

Vide Gloss. in Luc. Cap. 24.

tiebatur. Si tu amas Christum, à loco Sepulchri non permittas mentem tuam se absentare. Tum ob pietatis devotionem, quæ eas tàm perseverare ad Sepulchrum, quàm illud intueri compulit; unde tam anxiæ fuerunt, omnino appropinquare Monumento, ob hanc, quam dat causam S. Vincentius Ferrerius: *Ratio est, quia credebant adhuc Corpus Christi esse in Monumento; unde dicebant: Et si non possumus eum ungere, saltim poterimus Monumentum ejus tangere.* Multum sibi appretiant vel saltim contactum Sepulchri, in quo Corpus Christi jacebat, & id obnixè postulant. Tui hæc sit amoris ratio erga Sepulchrum, ut illud, si non corpore, mente, corde contingas. Tum Nicolaus Lyranus, in Cap. 16. Marci, descriptum dicit adventum Mulierum, ex devotione ad Sepulchrum: Quem honorem ut exhiberent Monumento Christi, ab ipso præmonentur Angelo, his verbis: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Non alio fine, manu demonstrans ipsis locum Sepulturæ, nisi ut ei competentem exhibeant venerationem. Ita observat Marcellin. Pisan. *Prior venerabundus astitit Sepulchro Angelus, Mulieribus ingerens obsequium exhibendum loco; hæ enim voces:* ecce locus, ubi posuerunt eum; *pias urgebant Mulieres ad honorem tumuli ejus, in quem suum amorem, pretioso aromate testabantur.*

Serm. 2. in die S. Pasch.

In Fest. Resurr. Sect. 7. fol. 189.

Tertiò. Dum sic amabiles se præstant, sedulæque in visitatione Sepulchri Christi, ad illud statim præmiantur, gratias acquirunt, beneficiis cumulantur. Tum quia, dum adhuc Sepulchro adhærebant, Angelorum consortio recreantur: *Ecce duo viri steterunt juxta illas in veste fulgenti,* & Angelus, qui perfidos terruerat custodes Sepulchri, Sanctis Mulieribus, (quæ veluti essent Custodes Sepulchri, contra illud sederunt; dicit textus Evangelicus: *Sedentes contra Sepulchrum;*) idem Paranymphus dixit: *Nolite timere;* qui bono animo, pio, devoto, Sepulchrum Christi custodiunt, non sicut milites, sed sicut mulieres, illi à Sanctis Angelis ab omni timore & pavore eximuntur, liberantur. Et cùm tanta pietate eas viderent Angeli, visitare Sepulchrum Christi, jam quasi concives eorum, ab eis honorificè excipiuntur, & concives Angelorum dicuntur; S. Gregorius Papa homil. 21. in Evang. *quæ vestros concives videtis.* Unde dum sedebant, videbantur expectare Sacrum Sepulchrum invisentes; ast postquam advenerunt, assurgunt: *Ecce duo viri steterunt*; quas honorifice excipiunt, dum Sacras

Luc. 24. v. 4.

Matth. 27.

cras illas reliquias, Monumentum, linteamina illis monſtrant. *Venite & videte locum, ubi poſitus erat Dominus*, uti ſolent taliter excipi dignæ nonniſi Perſonæ. Tum quia ex tali viſitatione, primoque aſcenſu ad Sepulchrum, prima merentur reſurgentem cernere Chriſtum: *Quia magnam* (verba ſunt Chriſtiani Druthmari in Biblioth. Patrum) *curam habebant veniendi ad Monumentum, rectè merentur obvium habere Dominum.* Cujus ſuæ felicitatis, hoc habuerunt præſagium, quia quando venerunt ad Sepulchrum, incipiebat ſol apparere ſuper terram; Dionyſius Alexandrinus: *Et dum circa Sepulchrum verſantur & occupantur, ſol exoriri, primosque radios ſpargere cœpit.* Quia Sol juſtitiæ myſticus Chriſtus, tunc illis exorietur, & eum videbunt, quando verſabuntur & occupabuntur circa Sepulchrum; quia omnibus lux cæleſtis apparet, Solque Chriſtus illuminat corda mentesque eorum, qui verſantur & occupantur in laude & gloria Chriſti ad Sepulchrum. Collige ex dictis gloriam S. Sepulchri, ex tanta viſitatione Sanctarum Mulierum, de quibus addo id, quod dicit Jacobus de Voragine: *Iſtæ Sanctæ Mulieres, fuerunt valde ſolicitæ, Sepulchrum Chriſti viſitare, exemplô quarum, & nos viſitare debemus.* Et ſimul quanti ſit meriti apud Deum virtutisque, viſitare ejus Sepulchrum, illud honorare & glorificare? quantis gratiis & beneficiis, luminibus, titulis, conſortiis fruitur, præmiatur, quicunque devotè viſitat, perſeverat in gloria Sepulchri Chriſti. Adeamus ergo cum fiducia, ad Chriſti Sepulchrum Angelos, & Sanctas Mulieres properantes comitemur, ad Divinum hoc Monumentum mente & animo nos conferamus, non ut Corpus Chriſti videamus & ungamus, ſed ut pariter ex motivo Sanctarum Mulierum, Sepulchri ejus gloriam admiremur.

Epiſt. ad Baſilid.

De Paſch. Vigil. Ser. 7.

§. IV.

Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex Viſitatione Sanctorum Apoſtolorum & Diſcipulorum.

Ecce quantum delatum eſt honorificentiæ, vacuo Chriſti Monumento! dum illud non ſolùm Angeli, devotus muliebris ſexus, ſed etiam ſummæ Authoritatis Viri, primum fidei caput Petrus, & Charitatis Joannes, viſitarunt. Princeps locus ſacer Monumentum, Principes inviſores capiebat. Petra erat nativa,

Petra Myſtica Chriſtus, petram iterum ambit Petrum; quis ergo contra fundamentum gloriæ Sepulchri, moliri aliquid poterit, in tantis conſtitutum petris? Novus tumulus, puriſſimum Corpus, innocentiſſimus & Joannes, omnia in ſuam conſpirarunt æqualitatem; excludit à ſua viſitatione diſpares, conformes ſuſcipit.
Luc. cap. 24. Vicarius Chriſti, vicarium ejus locum, etiam pronus adorat: *Petrus cucurrit ad Monumentum, & procumbit*; id eſt, ut Nicolaus de Lyra hîc veniens ad oſtium Monumenti, primò inclinat ſe, reddens etiam nomine ſuorum ſucceſſorum, loco illi inclinationem, qui perſonaliter hanc exhibere non poterunt. Si primum poſt Chriſtum Eccleſiæ caput Petrus, pronus in venerationem Chriſti tumuli accurrit, quâ non profundiori humilitate, ab aliis venerandum erit? vel quis non cenſebit illud dignum eſſe ſubmiſſo cultu, ſi illud Petrus pronus adorat? Et antequam ad certiùs cognoſcendam interiùs intraret veritatem, priùs limites oſtiaque ſalutat Sepulchri; *procumbens*, id eſt, ut explicat Tyrini; *prono capite, & propenſo collo inſpiciens*. Si tantum honorat poſtes Sepulchri, quantò terram ipſam, in qua jacuerat Corpus Magiſtri, reveritus eſt? Et quomodo temerario auſu peccatrix mens, ſanctam illam Speluncam introire cupiet, ſi pœnitens Petrus, poſt dolores lachrymasque, poſt reſpectus Domini, non audaci auſu, ſed paulatim, & cum ſubmiſſa veneratione ſubſiſtens, vix expoſt ſubivit? Ad quam, dum cum tanto humilitatis actu, perpenſione dignitatis loci accedit; procumbens, ipſum medium Monumenti petit, ibidem creditur ei apparuiſſe Mediator hominum Deus; ſentit Albertus Magnus, in Luc. Cap. 24. v. 33. Quia qui in charitate perfecta, Monumentum adorat, Chriſtum ſibi apparentem, ſive ſe illuſtrantem, ad latus habet. Non ibant ergo, ſed currebant tantæ gravitatis Viri, quia veloces ſe, in cultu S. Sepulchri, exhibebant viſitatores. De illis in Catena D. Joannes Chryſoſtomus: *Cum multo ſtudio, Monumento aſſiſtunt*. Et S Odilo Abbas Cluniacenſis, Serm. 6. de Reſurr. *Tanti Apoſtoli ad Sepulchrum ejus, etiam greſſu corporeo, delectabiliter currebant*. Unde dum Petrus caput tumulo Chriſti inflectit, ſuper totum orbem illud erigit. Et tunc etiam exercitè fuit agnitus, pro Summo Capite, dum illi Joannes ad Sepulchrum primatum detulit, licet venit citiùs ad Monumentum, non tamen introivit, ut exhiberet ſignum

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 10. fol. 606.

obſer-

observantiæ majoris Petro debitæ, & Caput Apostolorum agnosceret. Præter Lyranum in Joan. cap. 20 v. 7. Hieronymus Natalis, in Adnot. de Resurr. Christi: *Non ingreditur tamen, deferens scilicet digniori honorem; ita semper habitus est primus Apostolorum Petrus.* Imò Joannes Apostolicam dignitatem Petri, ad Sepulchrum agnovit, referente Wicelio in Evang. Pasch. fol. 332. *Theophylactus dicit, Petri mentionem hic esse factam, propter Apostolicam dignitatem, quam & Joannes postea detulit Petro, nolens prior in Monumentum, quamvis Petrô illuc prior venisset, intrare.* Fit ergo ad Monumentum mentio Apostolicæ dignitatis Petri, qui Sepulchrum adorabat, & simul Sepulchro præerat, & hucusque in Summis Pontificibus præest. Similiter Joannes, ex sociata visitatione Sepulchri, promeruit non modica elogia; id exarat calamus D. Ambrosii: *Discipulus ille, qui citiùs Petrô ad Monumentum præcucurrit, immodicè commendatur.* Constat ergo ex Evangelica Historia, Petrum cum humilitate visitasse Sepulchrum, primatumque illi delatum à Joanne; ita ex revelatione Mariæ de Jesu, num. marg. 1481. deduci videtur, hos ambos Discipulos in Monumento existentes, tunc modo primùm, firmos elicuisse actus fidei de Resurrectione Christi. Quam veritatem tangit & Barradius, Tom. 4. libr. 8. cap. 9. Esse verò simile, Petrum ingressum Sepulchrum, prius credidisse, cum quo colloquens Joannes de signis Resurrectionis Christi, post Petrum credidit; adeoque & in opere credendi, in Sepulchro prærogativam habuit Petrus. Veloces itaque fuerunt, in visitando Sepulchro, hi Sancti Apostoli: *Non enim ad vanitates mundi; sed ad Sepulchrum festinabant,* inquit Joannes Ferus. Sed quia diu non permanserunt, visione Angelorum privati. *Observa primò,* (idem, super hæc verba Joan. Cap. 20. *Vidit duos Angelos*) *quia Apostoli etiamsi Sepulchrum visitassent, nullum tamen Angelum viderunt, quia statim recesserunt; hæc autem* (id est Magdalena) *quia permansit, Angelos vidit, non unum, sed duos.* Quantum sit bonum permanere, indesinenti affectu, ad Sepulchrum Christi! Quòd autem hi duo insimul Discipuli ad Monumentum Christi properarunt, non casu vel subitò id factum, sed ex ea ratione; quia, cum juxta Theophylactum, apud Glossam in Joan. Cap. 20. v. 4. Petrus fervidus & practicus, Joannes autem contemplativus & ad Divinorum cognitionem idoneus dicatur, talem in

Libr. de 42. Mansion. Mansione 26.

2. Part. libr. 6. cap. 28.

In Annot. in cap. 20. Joan. fol. 480.

in his Discipulis societatem, ad suum Monumentum Christus exigit, ut illud visitent indissolubili comitatu, & practici & contemplativi; ita, ut unius sine altero, nequaquam sit grata Sepulchri ejus visitatio; si quis contempletur nonnisi Divina, & eorum usum in praxi non habeat; vel si praxim exerceat, sed non eorum, quæ ad Divina contemplanda ducunt. Neque solummodo pro eo tempore visitasse Sepulchrum Christi Petrum & Joannem, velit quis intelligere, sed aliis quoque temporibus, ex eo existimo; licet enim expressè in Actibus Apostolorum non habeatur, cæterum cùm certum sit D. Petrum, sub ipso Tiberii principatu, integrum quinquennium mansisse Hierosolymis, & postea pluries tandem repetierit: item primum Concilium ab ipsis Apostolis, præsidente Petro, celebratum fuit; nemo pietati & Sanctitati D. Petri & Apostolorum, hanc adimere poterit virtutem: & verisimile tenendum est, tam sub tempus illius quinquennalis residentiæ suæ Hierosolymis, quàm pro quocunque vel non diuturno adventu, Sanctissimum Sepulchrum Christi veneratum fuisse; aliosque pariter Apostolos, ante sui Divisionem ibi commorantes, adire solitos, dum nondum adhuc ita efferbuit Judæorum persecutio, tam in Apostolòs, quàm in loca Sacra. De quo plura inferiùs libro eodem, Cap. 5. §. imô ad finem.

De aliorum autem Discipulorum ac Apostolorum visitatione Sanctissimi hujus loci, constare videtur ex Theophylacto, Archiepisc. Bulgariæ, qui propterea dicit, in propinquo fuisse Monumentum Christi, ut illud possent etiam Discipuli adire. Verba illius sunt: *Singulari autem dispensatione factum est, ut in propinquo esset Monumentum, ut & Discipuli possent adesse.* Georgius Stengelius, Soc. Jesu, Mundi Theoretici part. 3. Cap. 64. num. 3. de Christi Sepulchro dicit: *Frequentarunt illud tres Mariæ, visitarunt Apostoli, & ex eo usque tempore, per ipsos Christiani nominis acerrimos hostes, hodieque pietatis causâ, ad illud solent proficisci amatores non pauci.* Andreas de Arcones, in Cap. 2. Isaiæ v. 22. *Sepulchrum Christi gloriosum à Sacris Scriptoribus celebratur, à piis fœminis adoratur, à Sacris Apostolis frequentatur, ornaturque Angelorum frequentia.* Imò per hoc ipsum patet, quòd sub tempore existentiæ suæ Hierosolymis, S. Apostoli visitabant S. Sepulchrum, dum in suas dispartitas abituri Provincias, Hierosolymis, antequam divellerentur, invisunt

In Joan. cap. 19. Enar. fol. 225.

Discurs. 5. fol. 408.

ſunt loca Sacra. Recenſet V. Maria de Jeſu in Civit. Myſtica, 3. part. libr. 7. cap. 13. num. margin. 236. hac relatione: *De reliquo, cùm Jeroſolymam emigraturi valedicerent, primùm fuit Sacrorum locorum ſtationes adire; puta hortum Gethſemani, Montem Golgothæum, Sacrum Sepulchrum, locum Aſcenſionis, aliaque id genus, inquantum fieri poterat. Atque loca iſta, omnes inſigniter reverebantur, non ſine lachrymis, terram Domini contactu Sacram adorantes.*

Ex his piè cenſendum, & veraciter dicendum eſt, etiam S. Jacobum Minorem, Fratrem Domini viſitaſſe Sepulchrum Chriſti; conſtat tum ex dictis ſuperiùs, hic ex ratione generica, in univerſali viſitantium Apoſtolorum: Tum ex ſenſu Alphonſi Salmeronis, Tract. 49. fol. 403. col. 2. in med. *Alii verò non tantùm Sepulturæ adfuiſſe B. Virginem MARIAM, ac Sanctum Joannem, ſed & Petrum & Jacobum, Fratrem Domini, affirmant; ut Anſelmus, in libro illo de Paſſione; & rationi & pietati valde eſt conſentaneum, licet de illis nihil referat textus Evangelicus.* Proinde eidem rationi & pietati conſonum eſſe videtur, tam Apoſtolos alios, quàm præcipuè S. Jacobum Minorem, viſitaſſe Sepulchrum Chriſti. Si enim Apoſtoli abituri Jeroſolymâ, viſitarunt, ac valedixerunt locis ſacris, & Sepulchro Chriſti, quantò magis hic S. Apoſtolus, qui præſentiſſimus ibi erat? utpote à S. Petro deſignatam habens ſibi illam Civitatem, talibus verbis: *Servus Chriſti, dilectiſſimus Frater noſter Jacobus, ſequetur Dominum in eo, quòd ſit Paſtor & Epiſcopus iſtius Urbis Hieroſolymæ, ubi Judæis prædicabit, & ſimul cum Joanne, magnæ Servatoris Noſtri Genitrici aſſiſtet & ſerviet*; apud eandem Mariam de Jeſu habetur. Adeoque Epiſcopus locorum Sacrorum Ibid. 3. part. exiſtens, quomodo perceptibile hoc eſt, ut illa non adeat & non l.b.7. cap. 13. viſitet? præſertim cùm amor ille locorum Sacrorum, omnibus num. 230. Apoſtolis unus idemque inerat, quantò magis Præſuli Diœceſano; & in ſua Metropoli Civitate exiſtentem non animaret, ad ſui frequentem venerationem? Tum ſi Auguſtiſſimæ Imperatrici pariter à ſervitiis fuit, & Dominam ſuam frequentiùs comitabatur, cum S. Joanne, ut immediatè relatum, & idem ipſum verum habetur in eadem Myſtica Civitate, 3. part. libr. 8. cap. 17. num. 704. Si ex ſupra dictis B. Virgo frequenter loca Sacra viſitabat, & etiam ante obitum; nihil repugnat, ut in tam Sancto opere, comites hos duos Sanctos, ſimul ſecum haberet? Tum quia S. Jacobus,

pro conservandis locis Sacris, Deum precatus est, unde & appo-
Biblioth. Veter. PP. Tom. I. fuit expressè Sepulchrum Christi, in sua Missa Divina: *Memores igitur & nos peccatores Passionum ejus vivificarum, Crucis salutaris ac mortis, Sepulchri & Resurrectionis ejus à mortuis &c*; ejusmodi memoriam frequentem, etiam in celebrando cultu, ejusdem Sepulchri habuit. Si enim ob specialem Sanctitatem, licuit ipsi adire Sancta Sanctorum in templo Salomonis, quis illum prohiberet, in visitando Sanctissimo Sepulchro? cujus ille Custos à Ssma Matre fuit designatus? Id probant & verba Dionysii Areopagitæ, S. Pau-
Cap. 3. de Divin. nomin. li Discipuli, qui ista de se, & Apostolis testatur: *Apud ipsos etiam Pontifices nostros, Divino Spiritu plenos, cùm & nos, ut scis, & tu, & multi ex Sanctis Fratribus nostris, Sepulchri* (alii Corporis) *quod Auctorem vitæ, Deumque recepisset, videndi causâ convenissemus (aderat autem & Frater Domini Jacobus, & Petrus, maximum antiquissimorumque Theologorum columen) ubi post contactum, placuit, ut infinitè potentem, divinæ infirmitatis bonitatem, Pontifices laudarent omnes, quisque pro captu suo.* Quæ verba, licetsi multi sunt, qui de Corpore Virginis MARIÆ, ad cujus funus convenerunt Apostoli, (ut notatum intra Parenthesim) legant; & eadem verba inveniuntur apud S. Joannem Damascenum, Orat. 2. de Dormit. Deiparæ; in Breviario, infra Octavam Assumpt. B. M. Virginis. Quarta die, in 2do Nocturno, Lect. VI. ad finem; non desunt tamen, qui observent, secundùm genuinam interpretationem illius, in Græco textu, legendum esse Sepulchrum Domini: & ita Claudii, Joli, Jacobi Combefesii, Ludovici Thomasini, Tillemontii, S. Maximi, & Hinnemari Rhemensium Archiepiscopi, observatio est roborata, qui Sepulchrum diu olim legerunt, non corpus. Similiter Jacobus Gretserus, Soc. Jesu, Theologiæ Professor in Academia Ingolstadiensi, lingvæ Græcæ peritissimus, de sacris locis, Peregr. libr. 1. cap. 4. num. marg. 5. fol. 28. refert pariter Hilduinum, Authorem non vulgarem in suis Areopagiticis, dictum textum explicare de Sepulchro Christi, cui favet Matthæus Galenus, in sua ad Areopagitica præfatione, hancque sententiam Hildvini, sua non carere probabilitate, nec omni prorsus verisimilitudine destitutam esse, idem Gretserus dicit; nihilque absurdi in hoc, quòd Apostoli jam per orbem dispersi, convenerint Hierosolymas, ut Sepulchrum Domini viderent toties in

ante

ante à se visum; ut idem asserit; & qui ita affecti erant sacris locis, ut quæ contemplari & venerari cupiebant quotidie, vel saltem accommodato à Deo tempore, contemplari & venerari licitum eis foret. Et esto, si non haberent ullam veniendi causam Apostoli Hierosolymam, hæc sola sufficeret, si venirent colendi & videndi Dominici Sepulchri causâ; ita in terminis dictus Gretserus, ibidem fol. 29. Idem allegat & Baronius, Tom. 1. fol. 475. & 476. concludit. *Non tantùm Hierotheus ac Dionysius*, (nempe Areopagita) *sed & Apostoli, antea per orbem dispersi, ad contuendum Sepulchrum Dominicum convenerint, atque ad illud contuendum, tunc studium & vim Spiritûs adhibuerint. Quid de Apostolis dixerimus, qui multos annos post Ascensionem Domini, Hierosolymis manentes, & Sepulchrum Domini præ oculis semper habentes, tunc potissimum ad contuendum advenerint?* Præter tamen adductas sententias Authorum, dicta verba de viso Christi Sepulchro esse intelligenda, dicunt nonnulli, ipsam rei rationem id postulare. Quid enim est, quòd eô visô, laudasse dicuntur Apostoli Divinæ infirmitatis bonitatem? nisi quòd in assumpta à Deo infirmitate carnis, mortuus atque Sepultus fuit, & resurrexit; ut 2. Corinth. 13. vers. 4. *Crucifixus est ex infirmitate, sed vivit in virtute.* Relata ergo probabilitate, sensuque Authorum dictorum, prædictam Authoritatem de Sepulchro Christi intelligentium, ex eorum sensu, manifeste patet S. Jacobum Minorem, Fratrem Domini, cum S. Petro, aliisque Fratribus Apostolis, ad videndum Sepulchrum Domini convenisse, quod Auctorem vitæ, Deumque receperat.

CAPUT III.

Sepulchrum Christi gloriosum, tam ob mysticam in se ipso repræsentationem rerum summè dignarum, quàm sui in rebus sat gloriosis.

Dignitas Sepulchri Christi, antequam tam clarè, expressè pandetur ab Isaia, pariter & post Isaiam, ad ipsum recubitum Corporis Christi in illo, habita fuit ex eo; quòd illa latens in figuris, titulis honorificis veteris testamenti, factisque multis repræsentabatur, quamvis obscurè; ita & exinde evadit Sepulchrum Christi gloriosum, quia tam ipsum fit repræsentativum ac expressivum,

quoád mysticam suam significationem rerum summè dignarum, quam quod res summè dignæ, ac summè gloriosæ, repræsentantur mysticè in Christi Sepulchro. Eò enim est honoratior Legatus, quò digniorem Principalis sui Personam gerit. Nucleus gloriosior, quò latam complexus est in sua angustia Homeri Iliadem. Clarius Speculum, quò plures perlucidè apparent species, nitent formæ. Adeoque dum & in Sepulchro Christi, dignissimarum rerum exhiberi species, referri imagines, singulis hîc ostendam Paragraphis, inde sat gloriosum demonstrabo.

§. I.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex mystica repræsentatione Principalium Mysteriorum.

Primò MYSTERII TRINITATIS. Sepulchrum Christi in eo fuit Symbolum dicti Mysterii, quatenus numerus ternarius, in multis fuit quam maximè in honore & celebritate, ad Sepulchrum Christi; in isto autem numero Trinitatis Mysterium esse, inquit sic Sebastianus Barradius Tom. 4. libr. 7. Cap. 2. fol. 335. *Tribus diebus in Sepulchro decubuit, tertia die surrexit, fuit illi in honore numerus ternarius, propter Augustissimum Trinitatis Mysterium.* Et juxta D. Aug. libr. 6. de *Trinit. Vestigium Trinitatis invenitur in unaquaque creatura.* Qualiter autem hoc vestigium inveniatur, explicat S. Thomas, 1. part. qv. 45. artic. 7. ad 1. Quod repræsentatio vestigii Trinitatis, attenditur secundùm appropriata, per quem modum ex creaturis, in Trinitatem Divinarum Personarum, venire potest. Et tale vestigium secundùm appropriata, id est proprietates quasdam, Sepulchro convenientes, repræsentare videbatur Trinitatem Personarum Hinc *primò* in una rupe, unoque excavatum lapide Sepulchrum Christi, tribus tamen locis est distinctum: primus locus ante Capellulam erat, in quo positum fuerat, velut in arca, Corpus Christi; secundus locus vestibulum quoddam erat in rupe excisum: tertius erat arca in eadem Capellula, excisa è solo prominente, in aquilonari latere, ubi positum fuit Corpus JESU; hoc refert personalis testis Quaresmius, Tom. 2. Elucid. Terr. Sanct. libr. 5to. Cap. 10. fol. 2[illegible] *[illegible]ò.* Tres palmos prominet à solo, juxta eundem, & Paciuchellium: *Sacrosanctum Sepul-*

Sepulchrum, à pavimento tribus palmis altum. Dubliulius libr. 1. fol. 17. *Tertiò*. Monumentum triplici modo clausum erat: grandis lapidis ad ostium advolutione; sigilli appositione; militum deputatione; quod videtur indicare Trinitatem, inquit Tertullianus, de Chr. Pass. & morte. *Quartò*. Tres Discipuli, totidemque Mariæ ingrediuntur, quibus erat una fides pietasque. *Quintò*. Triduanæ Sepulturæ tres dies, quibus in Sepulchro jacuit, fuerunt dedicati Sanctissimæ Trinitati; per illos Beata Trinitas honorata, inquit Hieronymus Laureti Abbas, Benedictinus, in Sylva Allegoriarum, fol. 916. Titulo: *Sepulchrum: Sepultus autem mansit Christus tribus diebus, ut designetur notitia Trinitatis, quam habent consepulti cum ipso.* S. verò Petrus Chrysologus, dans rationem triduanæ Christi Sepulturæ, ait: *Tres dies sepulturæ suæ, tribus impendit Christus habitationibus futuros; inferis, terræ, cælo*; & infra subdit: *Simul, ut Trinitatis gratiam, tridui Sacramento datam, panderet hominibus ad salutem.* Idem Serm. 58. in Symbol. Apostol. in hæc verba: *Sepultus, tertia die resurrexit*, ait: *Etsi in passione, nostræ se carnis veram probavit habuisse substantiam, per trium dierum* (nempe Sepulturæ) *figuram, totam Trinitatis resurgit in gloriam.* S. Ephrem, Serm. de Pœnit. *Tres dies Sepulturæ; Mysterium Trinitatis pandunt. Et vide si possimus tres dies, consepulti Christo, facere, cùm plenam Trinitatis confessionem capimus.* Ita Sedulius, in Epist. ad Rom. fol. 78. Et triduana devotione, in memóriam triduanæ Sepulturæ, celebrari & honorari Sanctissimam Trinitatem; ut illius Triduanæ devoti cultores, sint adoratores Dei, Unius in Essentia, Trini in Personis. Hinc aliqui in memoriam triduanæ Sepulturæ, tribus diebus, pro Defunctis, in Novembri, memoriam faciunt, ut per fidem Trinitatis, animæ, in profundo purgatorii existentes juventur. Et ita asserit Gvilelmus Durandus, in Rationali Divinorum Officiorum, libr. 7. cap. 35 *Nota, quòd quidam faciunt memoriam pro defunctis, tertia die, seu per tres dies, repræsentantes Domini Sepulturam, seu respectum habentes ad Resurrectionem Christi, qui tertia die resurrexit, resurrectionem cum Christo mortuis exoptantes, seu ad Trinitatem. Sextò*, illa sata tria, in quæ acceptum fermentum, mulier abscondit; habetur Luc. 13. v. 20. significant credulitatem Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ad quam fidem homines Ecclesia ducit, ut Theophylactus apud Glossam loco citato. Suidas autem apud

Glossam literalem, Martini Delrio, in Genes. cap. 18. fol. 274. his tribus satis, dicit significari triduanam Domini Sepulturam; adeoque in eadem parabola trium satorum, & Trinitas Sanctissima, & simul triduana Sepultura figurabatur. *Septimò*, Mensuræ tres, ex quibus confectus fuit subcinericius panis, sicut Mysterium Trinitatis, ita & triduanam significabant Sepulturam; juxta S. Damascenum, hom. in Sabbat. Sanct. num. 25. sic dicentem: *Quid sibi volunt Mensuræ tres, ex quibus confectus subcinericius panis fuit? nonne palam triduanam vitalis Panis Sepulturam indicant.* *Octavo*, Sunt, qui numerant triginta tres horas, quibus Christus jacuit in Sepulchro. Quod ipsum & illa cæremonia, quæ fit in die Resurrectionis, referente Ragusino, Stagni Episcopo, de peren. cult. Terr. Sanct. libr. 1. indicat, quod scilicet eâ horâ, quâ surgunt, ante mediam noctem, purgantur lampades Dominici Sepulchri, Montis Calvariæ & totius Ecclesiæ, & accenduntur, luminariaque vel candelæ grossæ triginta tres, ob reverentiam illius horæ, in qua Christus, reassumpto mortalitatis Corpore, rediit ad immortalitatem. *Nonò*. Tria corda in uno Sepulchro: Christi, Beatissimæ, & Mariæ Magdalenæ. Præter dicta fol. 15. Origenes de illa, in sua homilia ait: *Denique Joseph posuit in Monumento Corpus tuum, Maria sepelivit ibi pariter Spiritum suum, & ita indissolubiliter junxit, & quodam modo eum univit cum corpore suo, ut facilius posset separare animam se vivificantem, à vivificato corpore suo, quàm spiritum te diligentem, à corpore defuncto suo.* *Decimò*, Horâ tertiâ matutinâ, Anima ad Sepulchrum rediit ad corpus; habetur
Num. marg. 1466. in revelationibus Mariæ de Jesu, Mystic. Civit. 2. part. lib. 6. Cap. 26. Pariter tertia die surrexit de Sepulchro, ut ostenderet, quòd Humanitas Christi, virtute Sanctissimæ Trinitatis (cùm omnia opera ad extra, sint communia toti Trinitati) sit excitata; talis est mens Glossæ Interlinearis, adductis verbis his: *Solvite templum hoc*, (id est Corpus) *& in tribus diebus excitabo illud*; addit; *scili-*
Serm. 62. *cet in virtute Trinitatis.* Et exactiùs S. Chrysologus ostendit & sui, & cæterorum mortuorum, futuram resurrectionem, beneficio ac operatione Trinitatis: *Tertia die surrexit, ut esset corporis resurrectio, virtus, gratia, beneficium Trinitatis.* Nam sicut tota Trinitas creaverat primum hominem de terra; ita secundum hominem tres Personæ, quæ distinctis illis tribus diebus, in uno ferè contentis

tentis correſpondebant, tertia die de limo terræ Sepulchralis, in vitam immortalem reproduxerunt. *Undecimò.* Sicut ſol in morte Chriſti, tribus horis obſcuratus eſt, *quia* (dat rationem Amalarius Fortunatus, Epiſcopus Trevirenſis, libr. de Ord. Antiphonarii) *prædicaret orbi, tribus diebus & tribus noctibus, Creatorem ſuum & operatorem, obſcuratu um ſe in Sepulchro*; ita idem ſol tribus horis, prævenit ſolitum ſuum ortum; teſtatur Maria de Jeſu, locô immediatè citatô, cap. 7. num. 1478. ut eſſet indicium Solem Myſticum Chriſtum, citò in ſplendidiſſimo de Sepulchro exortum Corpore, potentiâ Trinitatis, ad ejus, anticipato ortu ſuo, laudem, creaturas aſſurgere, citerioribus radiis perſtrinxit. *Duodecimò.* Tres mulieres veniunt ad Sepulchrum, ut ſic exprimerent honorem Sanctiſſimæ Trinitatis, in uno nomine Mariæ; tres: Maria Magdalena, Maria Jacobi, & Maria Salome, quæ exprimunt fideles, fide Sanctiſſimæ Trinitatis imbutos, venientes ad Monumentum Chriſti, & ibi recolentes ejus Paſſionem; Hugo de S. Charo Cardinalis, in Marci cap. 16. fol. 124. dicit: *Per tres Mulieres, ſignificantur omnes fideles, fide S. Trinitatis inſignes, Monumentum intrantes. Decimo tertiò.* Juxta S. Aug. apud Nicolaum de Lyra, in Marc. cap. 16. in Monumento tres Angeli, in una ſpecie virorum, ad inſtar illorum, viſorum ab Abraham, qui Trinitatem præ ſe ferebant, viſi in veſte fulgenti, unus extra Monumentum, duo intra Monumentum. *Decimo quartò.* Petrus ter cucurrit ad Monumentum, Euthymius in Luc. cap. 24. *Apparet ergo, quòd tertiò venerit ad Monumentum: primùm quidem ſolus, poſtmodum verò cum Joanne, prout ipſe Joannes ſcripſit: Cum autem reverſi eſſent, rurſus coactus eſt ſolus currere; neque enim hunc ſuſtinere permiſit amoris vehementia.* Ecce qui Chriſtum ter negaverat, trina vice ad Monumentum, & quidem etiam impellente, & quaſi ſtimulante gratia Spiritûs Sancti, cucurrit, ut in Monumento Chriſti, Trinitatem Sanctiſſimam adoraret, quam trina negatione offenderat. Et de Magdalena Nicephorus dicit, quòd ter ad Sepulchrum venit, ut confiteretur & gratias ageret toti Trinitati Sanctiſſimæ, producenti inviſibiliter opus ad extra reſurrectionis Coporis Chriſti; & ab eadem peteret conſervationem Monumenti. *Decimo quintò.* Sicut tres ſunt, qui teſtimonium dant in cælo; ita tria fuêre in Monumento, quæ teſtimonium dederunt veræ Reſurrectionis: ſcilicet lapidis revolutio,

Bibliot. Vet. PP. Tom. 9. fol. 410.

Hiſt. Eccl. c. 33. fol. 84.

volutio, quæ tam Discipulis, quàm Judæis illuc venientibus, testimonium certissimum dedit; secundò vacuitas à Corpore Monumenti; tertiò devolutio, & in unum collectio linteaminum. Primasius Africanus, Discipulus S Augustini, Commentar. in Epist. ad Rom. talem instituit comparationem: *Sicut in Joannis Epistola legimus; tria sunt, quæ perhibent testimonium: Aqua, Sangvis, Spiritus, unum in ministerio, non in natura. Aqua, per figuram, testis est Dominicæ Sepulturæ; Sangvis testis est mortis; Spiritus, testis est Resurrectionis, quia Spiritus Author est vitæ.* S. Petrus Chrysologus hanc dat rationem Serm. 59. *Ut tribus in diebus Trinitatis beneficium panderetur, ut per triduanum tempus, humana trium temporum generatio salvaretur, id est ante legem, in lege, & in gratia. Decimo sexto.* Tribus miraculis fuit glorificatum Monumentum: Primum miraculum, quòd Corpus clausô signaculô exivit; secundum Angelorum apparitio; tertium motus terræ. *Decimo septimò.* Tres Ordines, sub uno fundati Instituto. *Decimo octavò.* Juxta Conradum Hietling, tempore Paschali, circumdatur gloriosissimum Christi Sepulchrum, tribus vicibus. *Decimo nonò* Tria Templa, juxta eundem, Crucis, Calvariæ, Resurrectionis, in unum copulata. In quanta igitur expressione, fuit ternarius numerus, ad Sepulchrum Christi, tanto in honore, in illo manifestabatur Mysterium Ssmæ Trinitatis. Cúm enim opus aliquod illustre, & notabile exponi debet, sive proferri res aliqua consideratione digna, priùs exemplar illius, figura sive externa, sive interna exhiberi solet; quia ergo Christus Dominus, post resurrectionem de Sepulchro, promulgaturus & instituturus erat determinatam formam Baptismi, summè necessarii, sub expressa & explicita pronuntiatione Sanctissimæ Trinitatis; proinde externum exemplar & figuram, in Sepulchro (quod repræsentat Baptismum; ut hoc dicetur Capite, & probabitur) ejusdem Ssmæ Trinitatis exhibuit: Ut sicut in Baptismo fit professio Sanctissimæ Trinitatis; ita in numero ternario, in tot circumstantiis Sepulchri Christi expresso & adhibito, fieret ejusdem Mysterii confessio.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 6. part. 2. f. 30.

Manuduct. 10. libr. 2. fol. 256.

Sepulchrum Christi est Symbolum Nativitatis.

In Sepulchro Christi, factam fuisse susceptionem integræ Naturæ Humanæ in unitate Personæ Verbi, constat ex eo; quia nulla

nulla ibi Persona, nisi Divina Verbi, eaque unica, talem assumptionem Humanitatis suscepit: quia licetsi Divina Persona Verbi, tam Animæ in limbo, quàm Corpori in Sepulchro fuerat unita, non tamen toti Naturæ Humanæ completæ & integræ; quia Corpus in morte fuit separatum ab Anima, adeoque fuit Natura incompleta; adveniente autem Anima è limbo, facta est unio Animæ Corpori: adeoque in Sepulchro, quasi iterum factus est de novo integer, & perfectus Homo, conjunctus Personæ Divinæ Verbi, ac per resurrectionem, ad instar Nativitatis in Sepulchro, facta est quodammodo assumptio, dum Anima, quæ per mortem fuerat separata à Corpore Christi, antea illi unito, fuit iterum eidem Corpori reunita in Sepulchro. Ita in terminis dicit Philippus Fuldensis, in Nili Mystici Alveo 5to. *Momentô, quô Anima Christi redux ab inferis, in Sepulchro Sanctissimam Humanitatem rursum assumpsit.* Id ipsum optimè advertunt doctissimi Psalmorum Expositores, perpendentes titulum Psalmi 21. qui sic inscribitur: *In finem Victori, pro susceptione matutina*; vel ut refertur apud Interpretes in alia translatione: *pro assumptione matutina*; per quam susceptionem & assumptionem matutinam, intelligunt resurrectionem. Duplicem enim divdiunt susceptionem & assumptionem Humanitatis Divinæ, conformiter ad hunc sensum Psalmi, unam vespertinam, quæ fuit in primo instanti Incarnationis in utero, ubi quia assumpta fuit Natura humana passibilis, mortalis, ideo dicitur susceptio vespertina. Alteram matutinam, quæ fuit per resurrectionem de Sepulchro; quia Christus de Sepulchro reassumpsit eandem Naturam, matutino tempore, impassibilem, immortalem & gloriosam. Prima itaque assumptio in utero, fuit vespertina, altera in Sepulchro, fuit susceptio matutina. Psalmus ergo vigesimus primus, qui ad literam procedit, è mente Synodi Toletanæ, de Resurrectione Christi, habet titulum præfixum: *Victori pro susceptione mat[uti]na*, quam talem susceptionem de Sepulchro, subsecuta fuit resurrectio. Et ita præter alios Eminentissimus Jorgius Cardinalis, Episcopus Sabinensis, in Commentar. super Psalm. super citatum Psalmum dicit: *Porro ipsa Resurrectio vel intelligitur per susceptionem, vel assumptionem matutinam; quia licet primò instanti conceptionis, Deus susceperit vel assumpserit Naturam humanam, tamen quia Natura humana fuit mortalis & passibilis; ideo assumptio illa fuit vespertina, no-*

Conc. 21. §. 2.

 cti

Eti mortis vicina; sed in resurrectione assumpsit Naturam immortalem & totam glorificatam. Adeoque per talem resurrectionem fit susceptio excellentioris Humanitatis, quoàd dona Corporis, hæc autem contigit in Sepulchro, ut hæc verba Psalmi 41. *Nam & ipse Deus meus, susceptor meus,* exponit Remigius, Episcopus Antisiodoren. *Susceptor meus de Sepulchro.* Idem hæc Psalmi 42. *Me suscepit dextera tua,* exponit: *Divinitas me hominem suscepit de Sepulchro.* Et Psalm. 72. Humanitas perfecta alloquitur Deum Filium: *Et cum gloria suscepisti me* id est de Sepulchro. Ad id conformem dat|rationem B. Simon de Cassia, super hæc verba: *In quo nondum quisquam positus erat,* quare novum fuit Sepulchrum? *Ut* (inquit) *Sepultura Incarnationi conveniat; nam dum incarnaretur, positus est in Utero Virginali, ubi nondum quisquam positus fuerat, neque ponendus erat: Sic in Sepulchro novo positus fuerat.* Et Sepulchrum Incarnationis habitaculum nominat idem de Cassia, ad quod Angelus accedens, sedit: *Descendit ad Resurrectionis locum, sicut ad Incarnationis habitaculum.* Sicut enim Gabriel Incarnationem Verbi, MARIÆ annuntiavit; ita idem Archangelus Mariæ Magdalenæ, & alteri Mariæ, nuntiare perennem Christi vitam de Sepulchro, venerat. Dicit S. Gregorius homil. 21. in Evang. *Qui ergo in Sepulchro nuntiatur* Adeoque alterum tribus Mariis Festum, Incarnati Verbi de Sepulchro, annuntiatione Angelica, indictum erat. Duo Angeli sedentes, unus ad caput, alter ad pedes, ubi positum fuerat Corpus JESU, Divinam humanamque repræsentabant Naturam; ut Divinitas per caput designetur, juxta illud Apostoli: *Caput Christi, Deus.* Humanitas per pedes, cui proprium est ambulare. Hujus sensus est Haymo Episc. *In quo loco considerandum est, quàm pulchrè utraque Domini Natura, Divina pariter & humana, nobis commendatur.* In hoc igitur vacuum Monumentum, commendabat utramque Naturam, Divinam & Humanam, quòd in utraque hac Natura plena & integra, sicut natu est de Utero Virginis, ita de Sepulchro resurrexit; nec eam de Sepulchro resurgens dimisit, sed gloriosiorem eduxit. Hanc duplicem Christi Nativitatem intelligamus ex S. Epiphanio, Orat. in Sepulchrum Chr. *Audi Christi duplicis Nativitatis opera, & plaude ob miracula: Angelus quidem MARIÆ, Maternam Christi generationem nuntiavit; Angelus verò Mariæ Magdalenæ, ex Sepulchro regenerationem*

Libr. 13. de Pass. Dom. f. 400.

Ibid. f. 401.

In homil. Pasch. f. 259.

nem annuntiavit. Noctu Christus in Bethleem nascitur, noctu rursum in Sion renascitur. Fascias circa Nativitatem suscipit, fasciis & hic involvitur. Myrrham natus accepit, myrrham & in funere aloëmque recipit. Ille Joseph nec maritus appellatur MARIÆ, & hic Joseph ab Arimathæa, vitæ nostræ parentator efficitur. In Bethleem & in præsepi generatio, verum in Sepulchro tanquam in præsepi locus. Ecce Nativitatis primæ Christi de præsepio, æmula altera de Sepulchro generatio. Binas itaque Nativitates Christus in mundo celebravit; unam in carne passibili, & mortali in stabulo; alteram in Carne impassibili, & immortali in Sepulchro. Hinc secundæ Nativitati conformes adaptavit Personas, loca, accommodavit circumstantias, quæ illam priorem referrent ac repræsentarent: & generatio Christi de Sepulchro aptissima similitudine, à Virginali generatione ex Utero declaratur. Canit Ecclesia, Dominica in Albis: *Qui natus olim è Virgine: Nunc è Sepulchro nasceris.* A primis illam precibus incipit Ecclesia, hoc versu: *Filius meus es tu, ego hodie genui te:* Simili Introitu solenniter inchoat in altera hac de Sepulchro Nativitate. Dicta enim verba Psalmistæ, D. Hilarius in Ennarrat. super Psalmum 2. Non solùm ad Virginis partum, sed ad primogenitum ex mortuis de Sepulchro Christum, ex Apostolica dicit Authoritate pertinere. Linteamina Sepulchralia, quibus obvolutum & cinctum Corpus Christi, cunabulorum fasciæ fuerunt & involucra; ad instar enim natorum infantium, simili ligandi modo, fuerat cinctum Corpus Christi in Sepulchro; ut videre est in pictura apud Chiffletium fol. 47. Sepulchrum Christi Domini, cunæ fuerunt, juxta S. Epiph. *In Sepulchro itidem, ac in quodam præsepio, collocatus Christus est.* Antrum, spelunca; Sancti Magi ad cunabula detulerunt myrrham, significantes cunas, expressum Sarcophagi proscenium esse. Mulieres deferunt aromata ad Sepulchrum, denotantes cunas Christi esse, in quibus Christus etiam à Regibus venerabitur. Unica Phœnix in orbe Christus, ubi mortuo Corpori suo paravit rogum, & cunas construit, ex quibus post funera vivat. Cunæ Infantis Dei & timorem & gaudium produxerunt; Sepulchrum duos affectus parit, timoris & gaudii: *Et exierunt citò de Monumento, cum timore & gaudio magno*; adeoque honorem ipsum cum gaudio & tremore offerunt. Ut ibi Pastores accurrunt ad præsepe; ita Summus Pastor Petrus

Hymn. ad Matut.

Matth. 26. v. 8.

advenit currens & visurus Sepulchrum; novam parturitionem & regenerationem agnovit, dum Sepulchrum absque Corpore Christi intuitus est. Renatum esse de Sepulchro, expresse in Matth. dicit S. Ambrosius; imò & gloriosiorem istam, quàm illam Nativitatem; quia quamvis Corpus Christi ejusdem fuerit Naturæ, tamen alterius gloriæ de Sepulchro. Adeoque prioris Nativitatis forma, ex illo processit gloriosior. Soli occiduo, subscriptum lemma: *Delitescit, ut renascatur*, Christi Sepulturam concernit; in Sepulchro delituit, ut renasceretur. Solis ortum, natalem dicit his verbis S. Zeno Veronensis Serm. de resurr. *Sol quotidie nascitur*, id est oritur. Christus ex Sepulchro ortus, *ab umbris clarior*, quasi natus; *hinc splendor & vita.* Natalis quippe faustissimus est resurrectio, quâ ex angustiis Sepulchri, Corpus editum est in lucem sempiternam, servatis integris signaculis; ita invehitur contra Judæos S. Epiphanius, Serm. in Sepulchr. Dom. fol. 162. *Accusant te non dissoluta sigilla, regenerationis Dominici Christi Sepulchri.*

Sepulchrum Christi est Symbolum Circumcisionis.

Gessit quandam imitationem Circumcisionis Sepulchrum in eo, quòd sicut per illam fit aliqua depositio carnis; ita in Sepulchro Christi Corpus fuit exutum, omni passibilitate, mortalitate, corruptione; & indutum longè venustiori formâ Corporis. Docet S. Augustinus, libr. 16. contr. Faust. Manich. cap. 29. quòd circumcisio carnis, nihil aliud significat, nisi expoliationem mortalitatis, quam de carnali generatione portamus: Tali ergo Circumcisionis Mysterio, celebratum est Monumentum Christi; octavâ die, id est Dominicâ post Sabbatum, dum Corpus ejus exuitur mortalitate, & induitur immortalitate. Et Circumcisio, quæ fuit die octavo, præfigurabat juxta Bedam, innovationem carnis in Resurrectione; hæc autem innovatio carnis, suam originem sumpsit, ab innovatione Corporis Christi de Sepulchro, de quo die octava surrexit, & ibi despoliavit se linteamentis, tanquam externis operimentis, qui fuerat à mortalitatis nexu absolutus. Et sicut illa circumcisio fuerat cultrô lapideô; ut habetur ex S. Anselmo apud Glossam, in Epist. ad Rom. cap. 4. quod fuit indicium, similis in petra Christi Circumcisionis, quod ab illo per petram Sepulchri, abscindetur corruptio carnis. Et similiter cùm Resurrectio-

rectionis Christi, figura fuerat Circumcisio, illius instrumentum adhibitum, fuerat etiam figura petræ Sepulchralis, ex qua, & in qua die octavo, circumcisi omnes homines fueramus; quatenus ejus facti sumus comparticipes resurrectionis. Hîc apponendum, quòd S. August. in Serm. de Temp. Serm. 141. scribit: *Hujus rei* (id est Resurrectionis Christi) *signum, Circumcisio data erat Patribus, ut octavo die circumcideretur masculus. Gen. 18. Circumcisio fiebat ex cultellis petrinis. In ista Circumcisione significabatur expoliatio carnalis vitæ octavo die, per Christi Resurrectionem Septimus enim dies hebdomadis, Sabbato completur. Sabbato Dominus jacuit in Sepulchro: Octavo autem die, resurgendo, nos innovavit. Nos ergo octavo die resurgendo circumcidit, nempe per petram Sepulchri.* Tum S. Chrysostomus exponens verba S. Pauli, Epist. ad Coloss. Cap 2. *In quo & circumcisi estis circumcisione &c.* homil. 6. fol. mihi 1269. inquit: *Et quia circumcisionem vocat, idem quoque Sepulturam vocat*; id est, sicut qui spiritualiter circumciditur, peccata carnis exuendo abjicere debet, ad normam carnalis circumcisionis; ita qui cum Christo sepelitur spiritualiter, vestimenta, id est terrena relinquere, & à se alienare debet. Tum sicut juxta Origenem homil. 3. in Genes. Circumcisio illa carnalis, circumcisionis spiritualis formam præferebat; ita petra Sepulchri Christi, non solùm Circumcisionem illam veterem exprimebat, per factam resurrectionem, sed etiam spiritualem; petra enim Sepulchri, est repositorium vitæ veteris, & fundamentum novæ. Quicunque veneno peccati infectus serpens, morsuque inveteratam pellem circumferens, angustias hujus Sepulchralis subierit petræ, corque in penetrandis factis, nitatur subinferre, inveteratis depositis habitibus, rejectis vitiis, radicatis malis; novum induet hominem, carnales deponet affectus, ac circumcisionem spiritualem vitæ, ab omnibus illicitis consequetur. Testatur S. Augustinus, aquilam taliter se renovare, rostrum aduncum, quod nimis excrevit, ut cibum capere non possit, ad petram allidit, & superfluitatem illius detruncando, & quasi circumcidendo, sic consulit ulteriori vitæ suæ. Similem & tu fac circumcisionem, qui in altum cristas tuas erigis, rostrum tuum, scilicet aduncam æstimationem tui, si ita excrescere fecisti in altam apud te reputationem, ut ex hac ratione, cibum spiritualem capere nequeas; utere medio: Adige te sedulæ consi-

Josue 5.

conſiderationi Sepulchralis ſaxi, hanc mentem, corque tortum & inflexuoſum, Monumenti Chriſti allide petræ; & ſic renovabitur, ut aquilæ juventus tua, confracto tali roſtro, & circumciſa mente, à tumuli Chriſti rupe, capies cibum, quicunque vitam ſpiritualem prorogat & conſervat.

Sepulchrum Chriſti eſt Symbolum Reſurrectionis, tam noſtræ, quam ſui.

Primam propoſitionem hujus tituli, probat S. Paulus, totâ primâ Epiſtola ad Corinth. Cap. 15. in qua ex Chriſti Sepultura, Reſurrectione, noſtram infert reſurrectionem, & ordinem ac modum ejus, non ſolùm quoad animam, ſed etiam quoad gloriam corporis. Si enim credimus, quòd Deus mortuus, ſepultus, reſurrexit; ita credendum eſt etiam nos mortuos, ſepultos, virtute Divinâ, rurſus reſuſcitandos ad vitam æternam. Sicut ergo Sepulchrum Chriſti, evidentiſſimam exhibet veritatem Chriſti mortis, Sepulturæ, ac ejus Reſurrectionis, conſequenter manifeſtum eſt Symbolum & reſurrectionis noſtræ: Ut quicunque vident vel contemplantur mente Chriſti Sepulchrum, iidem recordentur pariformem ex ſuis Sepulchris, corporum ſuorum reſurrectionem. Hunc locum Sepulchri Chriſti, pro documento probandæ veræ reſurrectionis noſtræ, Sancti Eccleſiæ, multique Doctores ſtatuunt. S. Hieronymus ad Pammachium: *Paſſionem quoque ejus in Cruce, mortem ac Sepulturam, quæ univerſa ſervavit, ac reſurrectionem veritate & non comparativè confitemur, qui & primogenitus ex mortuis, primitias maſſæ corporum noſtrorum, quas in Sepulchro poſitus, ſuſcitavit, pervexit ad cælum, ſpem nobis reſurrectionis, in reſurrectione proprii Corporis tribuens; unde & omnes ſic ſperamus reſurgere ex mortuis, ſicut ille reſurrexit.* D. Baſilius Seleucus orat. 13. *Jonam nec ſolum verbis Domini Sepulchrum prædixiſſe, ſed in ceto Sepultus, & poſt triduum ſine noxa redditus, omnes docuit vitam de Sepulchro erumpere.* Goffridus Abbas Windocinenſis, Serm. 5. de Reſurrectione: *Sicut anima Chriſti ſemel ab eo ſuſcepta, die tertia rediit ad Sepulchrum & ibi Corpus ſuum vivificavit, & ita de Sepulchro Chriſtus ſuſcitavit ſeipſum; ita & animæ noſtræ die tertia (id eſt ſecundo adventu Chriſti) Deo præcipiente, corporibus ſuis, ſociabuntur in Sepulchris, & ita vivificata, ſtatim de*

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 12. fol. 283.

Sepul-

Sepulchris ſuſcitabuntur. Thomas Treterus, Cuſtos Varmienſis: *Glorioſum reſurrectionis Chriſti Sepulchrum, futuræ immortalitatis noſtræ pignus,* vocat. In Præfat. Peregr. Hieroſol.

Secundam propoſitionem ejusdem tituli, ſic deduco: Quemadmodum Chriſti Corpus in Sepulchro, licet ingentibus concluſum erat valvis, clauſtris potentibus, cuſtodiâ inſtructâ, præſidio multiplici, eoque firmô; attamen his integrè manentibus, in ſuo ſtabili infracto conſtitutis, Chriſtus cum majori gloria ſua reſurrexit, viſibilis in corpore apparuit, famam ſuæ potentiæ Divinæ, in tam ampla Urbe, orbeque integrè divulgavit. Ita ipſum Sepulchrum Chriſti, permulto labore, variisque adinventis mediis, ab inimicis Chriſti, ejusque locorum ſacrorum, fuit obrutum deſuper phanis, terrâ, lapidibus, ſtercoribus contectum, ut nè veſtigium hæreret memoriæ, mentique impreſſus foret locus ille, quolibet ſpectandus oculo. Sed ecce Divina effecit Providentia, Bonitas, ut præclarum illud victoriæ trophæum, quod obſcuris amandatum erat tenebris, non permitteret univerſum genus humanum, protinus celare; ſed publico expoſuit ſoli, exireque in apertum de terra fecit, & ſic alteram in tali facto Reſurrectionem Monumenti celebravit. Id egregiè demonſtrat Euſebius, in vit. Conſtant. libr. 3. Cap. 24. *Locus ille Monumenti, ex abditis terræ ſedibus eminebat, ipſum etiam venerandum & Sacro ſanctum ſalutaris Chriſti Reſurrectionis Monimentum, præter omnium ſpem, una emerſit & Sepulchrum, quod meritò Sanctiſſimum appelletur, Reſurrectionis Salvatoris aptè expreſſit effigiem, quod poſt tenebrarum caliginem, quibus quaſi Sepultum jacuiſſet, in lucem denuò prodiit, & illuſtrem ſanè, miraculorum ibi editorum viſum, (qui revera omni voce clariùs Salvatoris Reſurrectionem teſtificatus eſt) ſub aſpectum eorum, qui ad illud ipſum contemplandum veniebant, ſubjecit.* Sicut ergo factâ aperturâ, & remotis clauſuris, militibus, virtus reſurrectionis inclaruit, factamque declaraverunt miracula; ita dum omnia illa, quæ obſtruebant Monumentum Chriſti in terræ ſcrinio, ſemota & ſepoſita fuerunt; manifeſtata fuit, per varia ibidem facta miracula, reſuſcitatio Sepulchri, ab umbris reductio, & ademptum viſui, ſubjectum oculis veniens Monumentum, claram Salvatoris, in ſeipſo, teſtificabatur velut à mortuis reſurrectionem.

§. II.

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex mystica repræsentatione sui in Beatissima Virgine MARIA, & Beatissimæ MARIÆ in illo.

Post Deum, quid gloriosiùs Matre Dei? re illa quid digniùs? quæ in sua expressione, & Matrem Dei imitatur, & Virgo MARIA, ad instar ejus se gessit composuitque. Res hæc Sepulchrum Christi est, quod & Matri Dei assimilatum est; & vicissim MARIA Virgo illi se, ad instar æmulam, exhibuit, effigiemque genuinam, in sua excelsa dignitate, exposuit; nonne hinc gloriosum dici debet? Quod autem ita sit, quantum ad primùm, Beatissimam Virginem gessisse figuram Sepulchri, & illius quandam formam in se expressisse: Præter authoritatem tot multorum Doctorum, Matthias Faber expresse dicit: *Uterus Virginis, quasi Sepulchrum Christi fuit novum & incontaminatum, hortus deliciarum, propè locum Passionis, ob perpetuam ejus recordationem, sind ne & aromatibus, id est pura conscientia & virtutibus instructum.* Probatur hoc ratione; quia Beatissimæ Virgini aptè conveniebant, repertæque in ea fuerunt, hæ omnes præcipuæ circumstantiæ, ex quibus Sepulchrum Christi gloriosum evasit. Quæ circumstantiæ, recensitæ ab Evangelistis fuerunt. Prima circumstantia Sepulchri, quòd sit alienum; B. V. MARIA, in instanti suæ Conceptionis, tota Divina, à culpâ alienâ & propria voluntate patrata, aliena Dei Mater, Josephi quidem sicut & Sepulchrum, sed Virginalis castitatis conjugio purissima, sicut & illud, in quo nec Joseph, nec alius quispiam hominum, præter Deum Hominem, jacuit. Secunda circumstantia Sepulchri, quòd sit myrrhâ & aloè plenum; de MARIA dictum: *Quasi myrrha electa, dedi suavitatem odoris.* Et juxta D. Basilium Seleucium: *Templum castitatis, aromatibus bene odoratum.* Tertia circumstantia Sepulchri, quòd sit in Petra; de MARIA Gverricus Abbas, Serm. 2. de Annunt: dicit: *An non rectè vocatur Petra MARIA? quæ in amore integritatis, proposito firma, effectu solida, sensu quoque ipso adversùs illecebram peccati, tota insensibilis erat & lapidea.* Quarta circumstantia Sepulchri, sunt linteamina Sepulchralia; MARIA, quia Arca fuit, tota obvelata umbrâ

Conc. 7. in Fest. Nativ. B. V. M. fol. 579.

Eccl. 24.

Orat. 39.

umbrâ Spiritus Sancti. Quinta circumstantia Sepulchri, quòd sit novum: MARIA, juxta Hesichium Hierosolymitanum Presbyterum, Orat. 2. de Deipara: *Tabernaculum, ab omni sorde liberum.* Sexta circumstantia Sepulchri, quòd sit signatum; MARIA, juxta S. Ildephonsum: *Signaculum fidei*; juxta S. Athanasium: *Ipso sigillata Verbo.* Septima circumstantia Sepulchri, quòd sit munitum & custoditum; MARIA munimentum est inviolabile, juxta Gverricum Abbatem: Sic eam Spiritus Sanctus, in instanti Conceptionis, custodivit, ut mors, quæ per peccatum Adæ introivit in mundum, ad eam non accederet. Octava circumstantia Sepulchri, quòd sit in horto; MARIA hortus absque lolio paradisi Adæ. Nona circumstantia Sepulchri, quòd sit proximum Calvariæ; vicina & Cruci & Passioni MARIA. Decima circumstantia Sepulchri, quòd sit circa Urbem; MARIA in instanti Conceptionis, in Urbe cælesti, per visionem beatificam fuit, ut pie tenetur. Undecima circumstantia Sepulchri, quòd in illo Corpus Christi corruptionem non subiit; quòd item illæsô Sepulchrô pertransiit; MARIA in sua Conceptione Sanctissima, Adæ corruptelas nescivit; & juxta S. Jacobum Minorem in Liturgia: *sine corruptione Deum Verbum peperit.* Et novus homo propterea, sine ulla corruptione procreatus de Virgine; *ut Sanctitas* (inquit Sanctus Augustinus, Tom.9. libr. 2. de Symbol. ad Catechum. Cap. 6to.) *Virginalis Uteri, in omnibus ornaretur ex convenientia inviolabili Sepulchri.* Duodecima circumstantia Sepulchri, quòd sit gloriosum; *Deiparam honorabiliorem, quàm Cherubim, gloriosiorem, quàm Seraphim* dicit idem S. Patriarcha Ordinis Nostri. Conveniunt itaque facta, res quoque necesse est convenire; MARIAM cum Sepulchro Christi. Hinc existimo bene Sabbati diem, & Christi Sepulturâ celebrem esse, & Virgini MARIÆ simul dicatum; ut sit Symbolum multæ cohærentiæ, inter Sepulchrum Christi & Virginem MARIAM, & è contra, inter Virginem MARIAM & Sepulturam.

Quantum ad secundum. Monumentum Christi Marianum Symbolum erat. Præter Sanctos Patres sæpè hic adductos, ita expresse Doctor Angelicus, 3. part q. 51. Art. 2. ad 4. *Potest autem & novum Sepulchrum, MARIÆ Virginalem uterum demonstrare.* Et doctissimus Olyssiponensis Commentator Sylveira: *Sepulchrum Corpus* Libr. 8. de Se-

pultur. Dom. Cap. 21. qᵛ. 22. num. 85. *pus Christi recipiens, præfigurabat Sacratissimam Virginem, quæ ipsum recepit in utero suo. Cùm ergo Sepulchrum Virginis figuram repræsentaret, necesse est, ut esset mundum, purum, ac novum, sine ulla vetustatis aut vermiculi nota; ac proinde Sepulchrum tanquam secunda Dei Mater, expediebat, ut haberet Analogiam cum prima, quæ omnino fuit aliena, ab omni maligna suspicione maculæ.* Imo Monumentum hoc Dominicum, habere quandam effigiem & formam spiritualis illius Monumenti, quod B. Virgo in corde suo amantissimo paravit Filio, conformi probat paritate Joannes Thaulerius, in Exercit. de Vit. Chr. Pariter & idem Sepulchrum, magnam habuit convenientiam cum utero Virginali B. V. MARIÆ, Justinus Miechoviensis, mutua ab utrinque comparatione satis deducit. Nunquam enim saxeæ vulvæ Virginitas, Marianæ ad instar, magis similis apparuit, quàm dum in aperto ostio, inturbatoque lapide, vivum peperit Dei Corpus. Imò Sepulchrum, cum utero MARIÆ æmulum, habuit se per modum excedentis & excessi. Excessum uteri Sepulchri, supra Uterum MARIÆ, satis indicat S. Ambrosius, Serm. 48. & S. Augustinus, Serm. 298. de Sepultura Domini, cujus integra verba relege in Officio S. Sepulchri, approbato novissimè à S. Sede, in octava, in secundo Nocturno. Quorum mentem verbaque fluidissimus Noster Pöëta, in Figuris Sepulchri Christi, Figur. 34. in altera facie, gratissimis metris cecinit & expressit. Præterea in Sepulchro Christi, major virtus Dei supernaturalis elucescere videtur, quàm in utero; quia ad generationem ex utero, aliqua coöperabatur creatura, scilicet MARIA, Carnis suæ materiam ministrando. Proinde multi Theologi docent, quòd fuit causa physica efficiens instrumentalis Incarnationis: Sepulchrum autem Christi, totum fuit in potentia obedientiali, habens se merè passivè & receptivè, tam ad recipiendum Corpus, quàm ad generationem & nativitatem de eodem factam. Adeoque ibi virtus Divinæ omnipotentiæ apparere magis videtur, dum sine ullo comprincipio & concausa quacunque, sed per ipsam præcisè factum est, ut de Sepulchro intacto elevaretur Corpus humanum. Excedere autem in hoc videtur uterus MARIÆ Sepulchrum; quòd in Sepulchro mortuus, sine anima jacuit; ibi vivus. Virginis uterus in ante donis Sanctissimis Spiritus Sancti exornatus; hoc in ante vacuum, & incapax horum. In Sepulchro tribus diebus; ibi novem mensibus jacuit & portabatur. Quan-

Quanquam Sepulchrum Christi, non solum habere convenientiam cum B. Virgine, respectu partûs Filii, fuisseque compar utero & cordi MARIÆ, juxta S. Ambrosium citatum, verùm etiam respectu Conceptionis Immaculatæ, sine originali culpa, ipsius Matris Dei, quæ colligi & inferri à pari, à Christi Monumento optimè potest, taliter arguendo; idque à fortiori. Decuit & congruebat hoc honori Christi Corporis, & summæ dignitati resurrectionis, seu alteri vitæ immortali Christi, ut tale sibi Deus ipse in carne præpararet Sepulchrum, quod nullum in ante admitteret cadaver, quod & non repugnavit, cum ejusmodi actualis evidentia sustulit repugnantiam. Et si in casum suscepisset aliquando cadaver, privaretur hac sorte, non fuisset dignum Christi Corpore, pararetur, designaretur vel crearetur aliud. Ita decuit Supremam excellentiam Dei, ipsamque Sanctitatem ejus Infinitam, dignitatemque Maternam Beatissimæ, ut quæ Corpus & Animam humanitatis, unitam Personæ Verbi Dei, editura erat in mundum, tanta polleret puritate, novitate, ut nulli adjaceret Corpori Adami, ejusque contagione inficeretur; aliàs non foret dignè præparatum habitaculum, cui majorem exhibuisse honorem, prærogativam, quam lapidi, ipsa ratio ac pietas dictat. Quod ipsum & non repugnavit, sicut non repugnavit id lapidi Sepulchrali, ut ipse eximeretur à communi lege Sepulchrorum. Ita probat Reverendissimus Josephus de la Zerda, Ordinis S. Benedicti, Episcopus Almaricensis, Academia 23. *Grandis Conceptionis Virginis excellentia, etiam lapis cadaveri recipiendo destinatus, quia Virgine è pariturus erat Filium Dei, ita adversus mortem armatus fuit, ut ulteriùs, juxta S. Augustinum, nec ante, nec postea, quidquam mortale concepit.* Isidorus à S. Ægidio, de Monte Carmelo, in Corona Mariana, Stellâ primâ, Radio 3tio. num. 34. fol. 24. ex Sepulchro Christi, his verbis deducit Immaculatam Conceptionem: *Poterat Sepulchrum, licet non novum, licet aliquis in eo tumulatus fuisset, ita mundari, quasi novo simile. At quid Sepulchrum debet esse novum, ut sit aptum Christi Sepulchrum? Intendite! indecens omnino fuisset, quòd illud Sanctissimum Christi, Dei & Hominis Corpus, Sepulchro antea maculoso & fœtido inferri. Hoc probè sciens Joseph, posuit illud in Monumento novo. Hinc infero: Si fuisset indecens, Christi Corpus mortuum Sepulchro aliquo usurpato & fœtido sepeliri; multò inconvenientius*

Tract. 28. in Joan.

 fuisset,

fuisset, & ad majus improperium Christi, si vivus Corpore & Anima, novem mensibus jaceret in ergastulo Corporis Materni, aliquando maculati peccato originali, aliquando fœtidi peccato Adami. Antonius Kalckstein, S. Th. Doctor, in Libr. 1mo. Innocentiæ Marianæ, in quo Immaculatam Virginis Deiparæ Conceptionem, ex Sepulchri Christi novitate, & Sindonis munditie, tali declaratione comprobat §. 9. fol. 291. *Corpori mortuo JESU Christi Salvatoris Nostri, quod magnis precibus à Pilato impetratum fuit, Joseph ab Arimathia reclinatorium providit mundissimum; involutum enim in sindone munda, posuit in Monumento novo, quod ipse exciderat in petra, in quo nondum quisquam positus fuerat; ut habetur* Matth. 27. v. 59. & 60. *Cur tanta quæso sindonis mundities corpori jam mortuo adhibetur? Cur Corpus Christi non in alicujus, propè Hierosolymam jacentis, S. Patriarchæ tumulum illatum fuit? quid sibi vult Monumenti istius novitas? Ratio huius videtur; quia indignum & indecens fuisset, ut corpus illud Sanctissimum, quod adhuc Divinitati (seu personæ verbi) remanebat hypostaticè unitum, per tridui spatium, in loco minimâ immunditiâ, aliquando polluto quiesceret, & in Sepulchro Patriarcharum, incineratorum cadaverum fœtore infecto jaceret. Hinc signanter Spiritus Sanctus, per Mathæum, Dominici Sepulchri exprimit puritatem, nitorem; dicens:* Et posuit Corpus Christi in Monumento novo, quod exciderat in petra; *insinuans Sepulchrum illud, quod per Prophetam Isaiam prædictum fuit gloriosum:* Erit Sepulchrum ejus gloriosum; *ab omni immunditie etiam fuisse immune, & novum, quia nullius cadaveris, in illo sepulti, fœtido coinquinatum erat odore. Unde subjungit S. Lucas Cap. 23. v. 53.* Et posuit eum in Monumento exciso, in quo nondum quisquam positus erat. *Ex quo sic argumentari licet; Si talem ac tantam puritatem Deus requisivit in illa sindone, in qua Corpus Christi, Essentiæ quidem, (seu potiùs Personæ Divinæ Verbi,) per unionem hypostaticam realiter copulatum, sed animâ privatum, tantillo tempore recubuit; quanta non puritas & innocentia debuit esse in MARIA, in cujus utero, velut in domicilio, Verbum Divinum, niveæ Humanitati nexu ineffabili conjunctum, non paucis diebus, sed novem mensibus hospitari voluit? quomodo non tota pura, munda, aut immaculata fuit Deipara, de qua natus est JESUS?* Ecce quam solidum à Sepulchro Christi, à paritate habetur Argumentum, Immaculatæ Conceptionis Beatissimæ Virginis MARIÆ, defensivum!

§. III.

§. III.

Sepulchrum Christi gloriosum, quia fuit typus Ecclesiæ, prædicationis ac promulgationis Evangelii, Sacræ Scripturæ, Virtutum Theologicarum.

Ecclesiæ, typum fuisse Monumentum Christi, eamque repræsentare, ita censet Eminentissimus Cardinalis Hugo Carensis in Caput 24. Lucæ fol. 267. explicans hæc verba: *Et introeuntes in Monumentum*; dicit: *Mystice per Monumentum, significatur Ecclesia Militans, intra quam Sepulchrum Christi continetur, quia fides passionis & resurrectionis, ibi prædicatur & veneratur.* Et Petrus Berthorius Benedictinus, capitulo 6. in Cap. 16. Marci fol. 90. *Per Sepulchrum Domini, potest intelligi Ecclesia Materialis, qua Corpus Domini in Sacramento Altaris servatur. Vel etiam Ecclesia Universalis, in qua Corpus Christi, in persona pauperum, mortuum & depressum jacet, & substernitur.* Conformiter S. Germanus Patriarcha Constantinopolit. in Theoria rer. Ecclesiast. in Biblioth. Veter. Patr. Tom. 6. fol. 136. Ecclesiam Materialem, ubi Mysticum illud ac vivum Sacrificium fit, speluncam illam dicit, de qua Marci: *Erat Spelunca excisa ex petra, & illic posuerunt JESUM.* Et per interiora Speluncæ, ubi Sepultura collocata est, repræsentari dicit, Sacrarium Ecclesiæ. Fores autem Ecclesiæ cancellatæ, sive cancelli ænei, nè quis temerè & simpliciter ingrediatur Ecclesiam, Ibidem fol. postesque duplicatæ, juxta eundem, sunt ad hanc piam memoriam 137. factæ, quod ambæ figuram lapidis Monumenti designent, quem Angelus, cum evolvisset ex ostio Monumenti, proclamabat resurrectionem Domini, ingressumque liberum permisit. *Venite & videte: Ecce locus ubi posuerunt eum*; sic dum aperiuntur fores Ecclesiæ, quilibet ab Angelo Custode invitatur; Venite & videte locum, ubi sub speciebus Eucharisticis positum est Corpus Christi. Huc pertinet elegans ratio motiva, qua persuaderi possit laicis in villis, ne morentur in januis Ecclesiæ, sed ingrediantur Ecclesiam, Missam audituri, quam inter alias dat Joannes Clericatus U. J. D. Canonicus Patavinus, Edit. 4. decis. 36. num. 9. quia *Monumentum Christi fuit typus Ecclesiæ*, adeoque juxta eundem, sicut Mulieres Angelos intus esse viderunt, extra autem à Judæis fuerunt Satel-

lites collocati; ita Christiani, qui ad societatem Angelorum se pervenire contendunt, more eorundem, debent Ecclesiam intrare intus, cum extra Ecclesiam sunt Hæretici, Infideles, sicut impii Custodes extra Monumentum.

Accedit & interpretatio horum verborum Isaiæ: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*, alii legunt: *Et erit Ecclesia ejus gloriosa* quatenus Sepulchrum Christi in se gloriosum, gloriam Ecclesiæ designabat, quia de Sepulchro Christi ortum suum duxit, & ex eo ejus celebrantur Natales, ut sentit Paulus Sherlogi in Explanat. in Cantic. Salomonis Vestigat. 14. innixus rationi: Quamvis enim ex latere dormientis Christi in Cruce, Ecclesia prodierit, tamen cum tempus illud sit mœstum, lætiori celebrandos Natales diei reservavit, nempe in diem Resurrectionis transtulit; quem diem S. August. Serm. 136. de temp. nuncupat diem, quo nata est Ecclesia. Adeoque ut eo die Natalis Christi de Sepulchro, ita & Nativitas Ecclesiæ, de eodem simul celebratur. Baptismus enim conferri solet die Sabbathi, Sepulturæ Christi commemorativi, per quem nascuntur filii Ecclesiæ: Sicut enim solennis ortus Christianorum, ex quibus Ecclesia constat, fit per Baptismum Sepulturæ Christi collatum, ita & Natalis Ecclesiæ felicissimus, auspicatur à die Sepulturæ & resurrectionis de eodem; ita ut in Cruce in latere Christi, die Parasceves Ecclesia diem ipsum Natalis, sive ortûs sui, die autem Paschatis Nativitatem suam, solenni ritu Genethliaco celebret. Joseph etiam ab Arimathæa, juxta D. Hilarium in Matth. fol. 424. Speciem habebat Apostolorum, & quanquam in duodecim Apostolorum numero non fuerit, idcirco tamen discipulus Domini nuncupatur, quod sicut ille Corpus Christi in tumulum lapideum, sic Apostoli verbum Christi & ejus doctrinam in lapidea & dura corda inferent. Ita tenet D. Thomas, 3. part. qv. 51. Artic. 2. ad 4. ubi conformiter ad S. Hilarium in Matth. Cap. ultimum, per Monumentum excisum in petra, significari dicit Mysticè hoc, quod per Apostolorum doctrinam, in pectus duritiæ gentilis, quod doctrinæ opere excisum, Christus inferretur. Saxeum Monumentum, significabat firmitatem & soliditatem Ecclesiæ: excisum enim in petra, S. Ambrosius legit: *hoc est in fidei fundamento*, quod Ecclesiæ fides, sit firmissima, perennis, ac diuturna, fundata super Petram. Ludolphus de Saxonia Carthusianus:

Comment. in Luc. Cap. 24.

nus: *Per Monumentum in petra excisum, designatur fidei soliditas, in qua apud Ecclesiam Sepultus est Christus, hoc est fides Christi, supra quam petram ædificata est Ecclesia.* Hinc Angelus dum sedebat super Monumentum, quasi primum fidei construeret in illa petra ædificium. *Ponebat* (ait S. Petrus Chrysologus Serm. 34.) *Angelus super petram fundamenta fidei, super quam Christus erat Ecclesiam fundaturus, qui dixit*: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Novitas Sepulchri, significabat novam legem gratiæ, novum testamentum. Aromata tam in illo redolentia, quam ad illud delata, sacrificia & orationes, quæ fieri debebunt in Ecclesia. *Quasi Aromata emimus, quæ ad Sepulchrum deferamus, quando ingressuri Ecclesiam ad orationes, conscientias emundamus.* Sigilla sunt miracula Dei, quæ fiunt in confirmationem doctrinæ veræ Ecclesiæ, quia illis consignari solet locutio Dei, & miracula esse sigilla Dei tenet Barradius Tom. 2. in concord. Evang. lib. 10. Cap. 5. & alii. Custodia; sunt Pastores, Prælati, Doctores, qui armati gladiis pietatis & scientiæ, non permittunt illam in aliquo lædere, sed defendunt acriter vigilantes. Lapis claudens Monumentum, repræsentabat mysteria latentia, occulta ac abscondita, à sensibus; ut dum Judæi lapide Sepulchrum Christi, una cum contento texerunt Corpore, indicium dederunt sui velaminis, in mentibus obduratis eis impositi, quô obducta eorum corda, non intellexerunt in lege veteri in tabulis lapideis, Mysterium Incarnationis, & alia Sacramenta Christi latere: Ut dicit Joannes Eckius in part. 5. oper. contra Lutherum homil. 3. tom. 2. fol. 5. *Sepulchrum in quo recumbit Dominus, ipsa Sancta est Scriptura, huic advolutus est lapis insigniter magnus, puta velamen intellectus legis veteris secundum literam, quoniam & lex illa tabulis lapideis inscripta fuit, sic in veteri etiam testamento lapis ad Monumentum Christi positus erat, quia Sacramenta Christi abscondita fuerunt, Judæos omnes latuerunt, lapidem hunc in hodiernum diem usque servant Judæi, neque revolvunt à Sepulchro Domini, dum nequeunt intelligere Christi Sacramenta, sub legali veteris testamenti cortice latentia.* Sepulchrum autem revolutum, indicabat Ecclesiæ fidem, toto Orbe patentem, ac per Apostolos, Evangelistas, aperiendos articulos credendi; ut ad hoc spectat, quod S. Augustinus Serm. de temp. Sermone de Sepulchro Domini, 133. dicit: *Sepulchrum Christi, patens est Evangelistarum beatum guttur,*

De Vit. Christi 2. part. num. 10.

Haymo Episc. homil. Pasch. fol. 256.

guttur, per quod illud æterno literarum thesauro condiderunt. Patens autem Sepulchrum ideo dicitur; quia qui vult ad Christi pervenire mysterium, non ingreditur ad illud, nisi per Evangelicæ doctrinæ secretum. Propterea adaperto Monumento, Angelus unus ad caput, alter ad pectus sedebat; tum propter reverentiam loci, ex tactu Corporis Domini consecrati, nolebant medium attingere; tum quia Ecclesiæ doctrinam ac Evangelium, ab uno extremo mundi ad alterum annuntiabant, declarandum: Hanc dat rationem S. Aug. in Joan. Tract. 121. Cap. 20. *Angeli, latinè sunt nuntii, isti modo Christi Evangelium, velut à capite usque ad pedes, ab initio, usque ad finem, significabant esse nuntiandum:* Adeoque dum in Angelis Sepulchri, Apostoli & prædicatores intelliguntur, in Monumento prædicatio Ecclesiæ, & fidei disseminatio, typicè manifestata fuit.

Cujus ab illo inchòátionis, expressit in ante figuram, venter ille piscis, ex quo vix exivit Jonas, exorsus est publicam in Niniven prædicationem. Quod nimis miratur S. Zeno Serm. de Jona, quòd post natatile Sepulchrum, incolumis Ninivitas illustrat, terribilibus oraculis, salutem credulæ Civitati præstolatur: Sed solvitur admiratio, quia scilicet exprimebat, quòd à Sepulchro Christi, cujus venter piscis figura erat, ut patet sub Prophetia Jonæ, initium sumet Apostolica prædicatio, oracula salutis pandentur, & Ecclesiæ fides dilatabitur. Huic insistendo figuræ, serio adhortatur prædicatores & Concionatores Thomas de Aquino, Clericus Regularis Neapolitanus, ut prædicaturi & seria salutis daturi monita, velint prius Sepulchrum Christi, saltem mente ingredi, ut strenui evadant præcones, suaque prædicatione ad pœnitentiam Auditores inducant; dum sic dicit in Annot. Moral. in Evang. fol. 366. num. 8. *Quid extimescat homo, ad quem legitimè pertinet verbum Dei evangelizare; strenuus surgens è Christi tumulo præco, cum ad sex tantummodo Jonæ verba, ex umbratili Christi Sepulchro exeuntis:* Adhuc quadraginta dies, & Ninive subvertetur; *illi ò Ninivitæ egerint pœnitentiam.* Sepulchrum Christi Cathedra est, ex qua terrentur vitia, provocantur ad pœnitentiam, & quod, si illud intrent prædicatores, efficaces Sermonarii salutis Animarum evadunt. Et Angelum dedisse, ejus rei considero exemplum: Angelus enim, cur quæso Monumento Christi insedit? dum illud revolvit? cur non declinavit seorsum alicubi à parte Monumenti?

relictoque eo, vel disspareret, vel saltem in alio loco à longe præsentem se exhiberet, non ipsum præoccuparet lapidem? Sed id eum fecisse ex ea arbitror significatione: Promulgaturus erat magnum Mysterium, dogma fidei, animos ad credendum advenientium permoturus Nuntius Angelus, simulque duplicem festivitatem denuntians Resurrectionis, & Sepulchri, albo vestimento, tanquam Rochetto, Canonicis Regularibus proprio, hic Custos Sepulchri, & Stolâ albâ indutus apparuit, Exedram fundamentalium assertorum suorum, & Cathedram sibi elegit Monumentum, ex quo efficacissimè probavit, ac deduxit & Resurrectionem Christi, his verbis: *Surrexit, non est hic*; & gloriam Sepulchri: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Paschasius Ratbertus in Evangel. Matth. in hæc verba: *Et sedebat super eum*, dicit: *Sedebat quasi fidei adsertor & Doctor resurrectionis Christi. Sedebat quasi Magister cælestis Scholæ super petram, ut soliditas sedentis, daret credentibus fidei firmitatem.* Bibliot h.Vet. PP. Tom. 9. p. 2. f. 1231. Aureo ore profert verba S. Petrus Chrysologus Serm. 74. de Resurrect. Domini, super Matt. cap. 28. *Angelus autem sedebat, non ut lassus, sed ut fidei Doctor, ut resurrectionis Magister.* Quibus auditis & perceptis, advenientes facile convicit, & ad veram credulitatem perduxit, dum Sepulchro insidens, Articulorum Ecclesiæ proponeret veritatem. Et quamvis Naturâ suâ sit intellectualis, tamen & qui raro apparent, & apparentes non nimis fiunt loquaces, vix paucis verbis rem absolvunt; postquam tamen conscendit Monumenti lapidem, nimis ratiocinari auditus est, & multa cum mulieribus collocutus, nuntians resurrectionem, Sepulchri elogium, mortis necessitatem, traditionem in manus hominum, crucifixionem, Prophetarum prædictionem, ut patet ex Luc. 24. v. 5. Cur, qui rem unô poterat complecti verbô? tanta vocum multitudine, tam facunda, eaque multiplici serie discurrit, affaturque mulieres? multa illis proponens credenda? Sepulchri Christi beneficium, gloriaque fuit; vix illud conscenderat, vix hoc pulpitum, ambonemque ascendit, disertissimus evadit, doctèque numerosis verbis, sacra erudit dogmata, peritiamque eorum, per varios Articulos abunde exponit. Imò non solum Angelus sedens in Monumento, Resurrectionis Articulum declarat ac definit, verùm per hæc verba: *Venite & videte locum &c.* Christum verum esse Deum, ac Dominum in unitate Naturæ,

idem Doctor egregius, in ſede æternæ ſoliditatis, nempe in Sepulchro concludit, ac de illius Naturæ unitate & indiſtinctione tractatum decernit. Hoc acute Paſchaſius Ratbertus in Evang. Matt. libro 12. his verbis oſtendit: *Et ideo quàm benè Angelus, qui reſidebat acſi Doctor egregius, in ſede æternæ ſoliditatis, non ait:* Venite & videte, ubi poſitum erat Corpus, *ſed integrè quia indiſſolubilis unus eſt Chriſtus:* Venite & videte, ubi poſitus erat Dominus. *Verum tamen Angelus docet, & oſtendit, quod idem in utroque & unus ſit Dominus, unus in Sepultura Corporis, unus in Verbo, & unus in Anima, unus itaque in utraque Natura indiſſolubilis & inſociabilis manens, in una Perſona DEUS & Dominus.* Dum ergo dicit Monumentum locum Domini, dicit & docet id, quod negabant Judæi; ſicut enim illi Chriſtum non agnoſcebant Deum, ſic ille dicit locum hunc eſſe Domini, ſcilicet ejusdem Dei in unitate ac Domini in Perſona Verbi cujus Deitatis ac ſupremi Dominii eſt Pater & Spiritus, ut indicaret ex loco Monumenti Domini, unitatem Divinitatis in corpore & anima Chriſti viventis, ſepulti & reſurgentis extitiſſe indiſſolutam. Simulque docet & oſtendit Tractatus fidei, Eccleſiam concernentes, à præconibus & doctoribus, ſatis ſuperque annuntiandos de Sepulchro, quorum tanto amplior promotio, quanto ſtabilior mentis cordisque in Sepulchro Chriſti meditando, commoratio. In hac lapidea Cathedra, bini Magiſtri Spirituales ſedentes, ex loco extrinſece ſitûs ſui, demonſtrativi fuerunt Oratores, Totius Hypoſtatici; ut illorum unus, qui ad caput, primum caput de Divinitate Chriſti, alter qui ad pedes, alteram partem, nempe Humanitatem, defendere videretur. Eruitur id ex S. Gregorii ſenſu homil. 25. in Evang. *Quid eſt, quod in loco Dominici Corporis duo Angeli videntur, unus ad caput, atque alius ad pedes ſedens? niſi quia Latina lingva Angelus, nuntius dicitur, & ille ex paſſione ſua nuntiandus erat, qui & Deus eſt ante ſæcula, & Homo in fine ſæculorum.*

Biblioth. Vet. Patr. Tom. 9. p. 2. f. 1232.

Eodem functa miniſterio à Sepulchro Chriſti & Magdalena, quæ dum ad illud citiſſimo curſû properat, ibi ſubſiſtit ſtabiliter, oculos frequenter vibrat in illud, exinde Apoſtolorum conſequitur dignitatem; imò juxta S. Vincentium Ferrerium: *Apoſtolorum Apoſtola,* fidei Chriſti myſteria illis annuntiat, dubios & perplexos certificat; adeoque dum Petro & Joanni, recta à Monumento properans

perans evangelizatur, huic utrique statui hominum, peccatori & justo, proponendam palam Ecclesiæ fidem commonstrat. Nec ipsi Sancti Apostoli, prius in totum mundum dispertiuntur ad convertendas Gentes, ad erudiendum & imbuendum, in fide Catholica orbem, iter arripiunt; quam priùs Sepulchrum Christi visitent, ut dictum fol. 328. Utique cum Apostolorum esset officium fidei Christi nuntiare mysteria, ad illum pergunt adorandum locum, ex quo initium Sapientiæ, omnisque effluxit eruditio. Adeoque visitatio Sepulchri, sicut parat viam ad auscultanda mysteria, ad efficaciam prædicationis; ita & illud patens ac revolutum, aperte declarabat, quod nomen Christi, merita, doctrinaque toto promulgabitur orbe. Ex apertis tumuli ostiis, colligere licuit, per ora Virorum Apostolicorum, ad universi oras omnes perventuram, ac dilatandam fore potestatem, puritatemque Ecclesiæ Sanctæ, & sanæ doctrinæ dogmatumque Christi. In cujus sanè rei confirmationem, arbitror illam suffragari cæremoniam, quam refert Ragusinus Episcopus, quod in Festo Resurrectionis, in Sepulchro Christi quatuor Evangelia legantur. Primum in platea secundùm Matthæum; secundum in loco, ubi caput, & latus & pedes compositi fuere, secundùm Marcum; tertium secundùm Lucam, in loco capitis Domini, in angusto Sepulchro reclinatum; quartum ad sinistrum latus, è regione dextri lateris, & ibi legitur Evangelium secundùm Joannem: omnia autem Evangelia, de Resurrectione, de Sepulchro, & adventu ad illud. Hac inquam cæremoniâ declarari videtur, quod totum Evangelium Christi, ac ejus prædicatio, à Sepulchro prodivit Christi, in quatuor mundi partes.

SACRÆ SCRIPTURÆ typum fuisse Sepulchrum Christi, constat ex Eminentiss. Cardinali Hugone Carensi in Marci cap. 16. qui explanans hæc verba: *Venerunt ad Monumentum dicit: Mysticè Monumentum est Sacra Scriptura, in qua latebat olim Christus, quasi mortuus & sepultus; Ostium ejus, id est Christus, per quem solum intratur in ipsum. Lapis, est velamen literæ ac figurarum, quibus Christus in Scriptura celabatur. Mulieres, sunt Scholares ad studium venientes, qui videntes Scripturæ difficultatem & obscuritatem, atque ingenti sui tenuitatem dicunt:* Quis revolvet nobis? *id est ad nostram utilitatem,* lapidem ab ostio Monumenti? *id est difficultatem & obscuritatem à Scriptura?* Similiter & Origenes homil. in divers. ait:

Monumentum Christi est Divina Scriptura, in qua Divinitatis & humanitatis ejus mysteria densitate literæ, veluti quadam muniuntur petra. Nam sicut Monumentum erat alienum, ita Scriptura Magistrum habet & Doctorem Spiritum S. cujus instinctu dictata. Clausum, Sacra Scriptura, multa recondita arcana & profunda continet. Munitum, Scriptura firmatur Authoritate Pontificum, Conciliorum, Sanctorum Patrum. Sigillatum, Scripturæ Sacræ cognitio illi patefit, qui notam veræ Ecclesiæ in se habet. Incorruptum, Sacra Scriptura à tineis, vermibusque hæresum protinus intacta conservatur. Proinde sicut magna veneratio habetur Scripturæ Sacræ, ita & Monumento Christi illius repræsentativo debetur honor & gloria. Hujus Sacræ Scripturæ duo testamenta vetus & novum, in duobus Angelis in Sepulchro sedentibus, in eodemque loco sibi conjunctis cohærentiam utriusque de Mysteriis in illo evenientibus S. Gregorius dicit designari, his verbis: *Possumus etiam per duos Angelos, duo testamenta cognoscere, unum prius & alterum sequens. Qui videlicet Angeli per locum Dominici Corporis, sibimet sunt conjuncti, quia nimirum utraque testamenta, dum pari sensu incarnatum, & mortuum & resurrexisse Dominum nuntiant quasi testamentum prius ad caput & testamentum posterius ad pedes sedet.* Dum itaque bini Angeli in Sepulchro sedent, indicant gloriam ejusdem, duobus testamentis fuisse nuntiatam.

VIRTUTUM THEOLOGICARUM Symbolum fuit Monumentum Christi; & hunc ternionem, tres dies in Sepulchro Christi significabant, juxta Ussunam tres Virtutes Theologicas infusas, tres autem noctes; acquisitas, tempore quarum, quiescit Christus in corde, velut in Monumento. *imò.* Fidei; etenim juxta Antonium Ferdinandum Gvevara, U. J. D. in homil. in Domin. Pass. de Sepulchro Christi dicentem: *Hoc enim dilectissimi fidei Christianæ Cathedra, & suggestum vitæ:* tum quia per hoc, quòd Monumentum erat in petra, designatur solida ac firma fides, sentit Judocus Clichtovæus, Can. Carnot: *Per petram significatur soliditas & firmitas fidei Sacræ. Quare per hoc opus Joseph significatur, quia Sacrum Christi Corpus, debemus reponere in corde nostro, solidato in vera & integra fide.* Vicellius: *Diligentia Sepulturæ & consignatio Monumenti, fidei Catholicæ est firmamentum.* Apud Tertullianum Tom. 1. de Resurr. Cap. 44. fol. 503. *Sepulchrum Christi, caro fidelis dicitur.*

in Quadr. fer. 4. Dom. 2.

fol. 112.

Serm. 1. in die Pasch. liter. A.

In postil. in Pas. Dom. fol. 321.

tur. Per candida linteamina, significatur Anima fide Romana firmata, eaque candida ac pura. *2dò.* Spei, quatenus non solùm antiqui Patres, qui exoptabant sepeliri ad Monumentum Christi, ut dictum, ob spem, quam habebant suæ resurrectionis, sed etiam quicunque Monumentum Christi considerant, spes firmissimas salutis suæ concipiunt, eriguntque desideria sua ad cælestem Patriam. *3tiò.* Charitatis, quatenus ex Monumento Christi ignis promicans, de quo infra, magnum amoris Divini incendium, clarum faciebat, & quod illud ad se visendum, adeundum rapiebat corda, inflammabat affectus. Id ipsum dicit Vitalis Zuccolius Patavinus Abbas Camaldulensis, in homil. super Evang. Marci: *Quid est autem hoc Monumentum excisum in petra? nisi cor fidele, quod excisum est de petra Christo. Anima ergo fidelis est tale Monumentum, quæ Christum suscipit, sindone involutum, candida nempe atque vera fide. Ostium, unde ingreditur in Animam, est veræ Spei probata fiducia, quæ sperat Dominum ita resurrecturum, ut eam suscitet ad vitam. Quis est autem lapis? nisi Charitas, quia susceptus Dominus per fidem, atque spem, per Charitatem in se retinetur.* His tribus actibus, visita frequenter Sepulchrum Christi, quod his tribus præcipuè redditum fuit gloriosum, Fide Christi, veri DEI; Spe Resurrectionis; Charitate Amoris & visionis. Enar. 67. c. 15. fol. 378.

§. IV.

Sepulchrum Christi gloriosum, quia illud repræsentant principalia Sacramenta; Baptismi, Eucharistiæ, & pœnitentiæ.

Cum juxta Theophylactum, Bedam, apud Glossam revolutio lapidis insinuabat reserationem Sacramentorum Christi; & juxta S. Bernardum: *Sepulchrum vacuum sacris membris, plenum tamen nostris Sacramentis:* Proinde ut in iis, quæ gloriosa præcipuè sunt, conservetur gloria Sepulchri, per illius expressionem; hæc tria præcipuè Sacramenta, Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia, gerunt speciem ac typum Sepulchri Christi. Sicut enim triduana Sepultura, præcessit resurrectionem; ita hæc tria Sacramenta quibus obtinetur justificatio, meritò illam repræsentant. Hujus ulterior ratio colligitur ex D. Fulberto Episcopo Carnotensi ad Adeo- Biblioth. Vet.

Patr. Tom. 12. fol. 4. datum Epist. 1. Cum enim Christus Dominus, etiam in signis sensibilibus, in quibus instituit Sacramenta, vellet memoriæ nostræ, mortem, Sepulturam & Resurrectionem suam, seriò insculpere, ut ferè continua eorum haberetur memoria; ita Sepulchri & Sepulturæ ejus, ut haberetur recordatio, signa & significativa talia voluit esse Sacramenta, quæ in necessario, quotidiano, & frequentissimo habentur usu & dignitate.

Quod attinet Baptismum, sic habetur inter libr. S. Aug. Tom. 9. libr. de vera & falsa pœniten. cap. 3. circa medium: *Qui enim baptizatur, mortem Crucis & Sepulturam Christi repræsentat, in immersione sua; in signo enim Crucis, quisque in aqua submergitur, & submersus Sepultus ostenditur.* Et Primasius Episc. Africanus discipulus S. Augustini Commentar in Epist. ad Rom. *In Baptismatis mysterio, mortis & Sepulturæ & resurrectionis ejus exemplum imitemur.* Primò, quando infans à valvis Ecclesiæ deducitur ad fontem Baptismi, significatur Corporis à Cruce ad Sepulchrum ponendum processio. S. Cyrillus Hierosol. Episc. Cathech. Mystagogica 2. ibid. Tom. 4. fol. 452. de Baptismo: *Postea deducebamini ad Sanctum Domini lavacrum, quemadmodum Christus à Cruce ad destinatum Sepulchrum ducebatur.* Secundò, Patrini ad Baptismum deferentes, repræsentant Custodes Sepulchri. Eminentiss. Cardinalis Hugo Carensis in cap. 27. Matth. fol. 88. Tertiò, fons Baptismalis, locum ipsum Monumenti; Theodulphus Episc. de Ordine Baptismi num. 13. ait: *Fons Baptismi, similitudinem gerit Sepulchri Christi, quod novum fuisse legitur; quia quicunque in eo consepelitur Christo, & ei consurgit, secundum Apostolum; in novitate vitæ ambulare debet.* Scribit enim S. Apostolus in sua Epist. ad Coloss. c. 2. v. 12. *Consepulti ei in Baptismo, in quo & resurrexistis per fidem Operationis DEI, qui suscitavit illum à mortuis.* Quartò Aqua Baptismalis, quâ mergimur & abluimur, actum Sepulturæ indicat S. Zeno Serm. 4. ad Neophyt. dicit. *Sacri gurgitis undâ sepelimur, ut Sepulchri nido vivificati, resurrectionis Jura gustaremus.* Fulbertus Episcopus loco cit. hîc: *Requiritur sane in Baptismatis Sacramento, aqua propter Sepulturam scilicet significandam.* S. Cyrillus Hierosol. hîc eodem loco: *Atque ita illa salutaris aqua, & Sepulchrum vobis* (scilicet Christi de tali enim sermo) *& Mater effecta est.* Quintò, invocatio Ssmæ Trinitatis, & trina illa ablutio sunt symbola triduanæ Sepulturæ Christi, juxta eundem

dem S. Cyrill. Hierof. loco adducto fuperius. Almaricus Fortunatus Epifc. Trevirenfis de Ecclef. Offic. libr. 4. *Quando mergimur ter in aqua, confepelimur Chrifto, triduano Sepulchro.* S. Petrus Chryfologus: *Audiant fideles & intelligant; triduana Domini Sepultura, trina demerfione figuratur in baptifmo.* Quamvis enim ritus baptifmi, antiquitus effet inftitutus, per trinam immerfionem corporis, ut & nunc fit in Ecclefia Græca, quæ trina immerfio, triduanæ Sepulturæ Chrifti fuit figura, expreffe tenent dicti citati hic Sancti Patres antiqui; S. Germanus Patriarcha Conftantinopol. in Theoria Rer. Ecclef. *Nam per immerfionem in aqua & emerfionem, triplicemque mundationem, triduanam Sepulturam & Refurrectionem ipfius Chrifti repræfentamus & confitemur.* D. Thomas Doctor Angelicus 3. part. qv. 66. Art. 8. *Illa enim tertiò repetita immerito, typum Dominicæ exprimit Sepulturæ.* Ita in moderno baptismo, qui fit per ablutionem, trina affufio aquæ adhibenda eft juxta præfcriptum Canonum ac Ritualium; ut fiat repræfentatio eadem fignumque triduanæ Sepulturæ Chrifti; quod triduum Chrifti, ficut unam faciebat Sepulturam, ita trina affufio aquæ unum Baptifma. Et ita adducit ex D. Damasceno libr. 4. c. 10. Joannes Rubeus in Rational. Div. Offic. libr. 1. fol. 46. Manifeftè docet Doctor Angelicus immediate loco citato Artic. 7. *Ad Secundum dicendum, quod in immerfione expreffiùs repræfentatur figura Sepulturæ Chrifti; & ideo hic modus baptizandi eft communior & laudabilior. Sed in aliis modis baptizandi, repræfentatur aliquomodo, licet non ita exprefsè. Nam quocunque modo fiat ablutio, Corpus hominis, vel aliqua pars ejus aquæ fupponitur, ficut Corpus Chrifti fub terra fuit pofitum.* Sextò, quando infans ab aquis levatur, per hoc fignificatur refurrectio de Sepulchro. Ut S. Leo Papa in Epift. Decretat. IV. Cap. 3. *In Baptismatis regula, & mors intervenit interfectione peccati, & Sepulturam triduanam, imitatur trina demerfio, & ab aquis elevatio, refurgentis ad inftar eft de Sepulchro.* Primafius Ep. Africanus Comment. in Epift. ad Rom. cap. 6. *Hoc utique modo dum de filiis perditionis, filii adoptionis efficimur, priori naturæ fecunda nativitate præmorimur, & dum cognato terræ elemento fubmergimur, fepelimur; dum è finu fontis affurgimus, fufcitamur: & ex hoc maximum baptifmatis Sacramentum eft.* Septimò, quantum ad effectum Sepulturæ Chrifti & Baptifmi, talem facit pararellam S. Chryfoft. Comment. in Cap. 6.

Serm. 113.

Epiftol.

Serm. 10. fol. 111. Epiſtol. ad Rom. *Quemadmodum enim Corpus Chriſti in terra Sepultum, fructum attulit, Orbis ſalutem; ita & noſtrum in baptiſmate ſepultum, fructum attulit, juſtitiam, ſanctificationem, adoptionem, & alia innumera bona; feret autem & poſtremò reſurrectionis donum.* Octavò, Characterem, qui imprimitur in baptiſmo, indicat Sigillum; firmitas propoſiti de non relabendo, lapidem ad oſtium Monumenti, juxta Hugonem Caren. adductum ſupra. Unde ex hac occaſione, quia baptiſmus repræſentat Sepulturam Domini & ejus Sepulchrum. *Quod igitur Chriſto Sepulchrum* (ait S. Chryſoſtomus in Epiſt. ad Rom. homil. 9. fol. 90. tom. 3.) *hoc nobis Baptiſma fuit*; ideo in Vigilia Paſchæ fit benedictio fontis baptiſmalis, ſoletque baptiſmus ſolenniter adminiſtrari, quando ſcilicet commemoratur Sepultura Chriſti; conformiter ad Caput 6. Epiſt. S. Pauli ad Rom.

Secundò EUCHARISTIA. Quam glorioſum Sepulchrum Chriſti futurum erat, patet inde, dum tam præſtantiſſimum Sacramentum Euchariſtiæ inſtituens, vivam futuri ſui tumuli ac Sepulturæ, Chriſtus in eo ideam expreſſit. Ut in dignitate hujus Sacramenti includeretur & gloria Sepulchri, quæ ſubſequi debebat, jam propriori in ſuo quaſi prototypo ſcilicet Euchariſtia cerneretur. Exclamat Gregorius Maſtrilius Sermon. 39. de Euchariſtia: *Ecce in hoc Sanctiſſimo Sacramento, ipſe vivum ac ſpirans noſtrum Sepulchrum fieri voluit, ſe totum tuo concludit pectore, tuo ſinu recondit omnem Divinitatis abyſſum, velut honorato, glorioſoque Sepulchro ſuo!* Tum quia ſub ſpeciebus Euchariſticis incluſit Chriſtus Corpus ſuum vivum, unitum Perſonæ ſuæ Divinæ; ut incluſit illud tumulus mortuum; & ſicut ibi, ita & hic latebat Divinitas. Duo ſignacula Sepulchri lapis & Sigillum, fuerunt expreſſa in duabus Speciebus panis & vini, quæ tegerent Corpus Chriſti & Sangvinem; hæ enim ſpecies ſigna fuerunt, ſub quibus latebant res eximiæ; ita ut ſub ſigillis illis, latebat Corpus conjunctum Verbo Divino. Linteamina tumuli, repræſentabant, puras conſcientias Sanctorum Apoſtolorum, Juda excepto. Novitas, repræſentabatur in novitate tam excellentiſſimi Sacramenti, cui veteres ritus huic novo ceſſere, ut canit Eccleſia; & quia in innovatis cordibus, dilectorum Diſcipulorum ponebatur Corpus Chriſti; immediatè ante ſuam Paſſionem Crucemque Corpus Chriſti ſub ſpe-

ciebus

ciebus panis & vini fuit collocatum; quia tumulus non longè a Cruce, & propè Crucem futurus erat. Tum ſeparata conſecratio Corporis & Sangvinis, ad deſignandam in tumulo ſeparationem Animæ a Corpore, non tamen Perſonalitatis Divinæ. Et dum ipſe Chriſtus, qui eſt petra ſe ipſum ſumpſit, & ſe ipſum communicavit, tunc factum eſt quaſi ſuum ipſemet Corpus Divinum, in cor ſuum, tanquam in petrinum, vivum tamen Monumentum imponeret. Similiter & Ssmum Mariæ pectus, in quo Ssmum illud Corporis Sacramentum depoſitum fuerat, protunc verus tumulus fuit, qui per eximium donorum ornatum, fuit novus, & cum omni reverentia ſuſcepit depoſitum. Imò cœnaculum illud, in quo Euchariſtia fuit inſtituta, figura fuit Sepulchri Chriſti Duo enim Diſcipuli, qui miſſi erant, ut præpararent illud diverſorium, quod exciperet Corpus Chriſti, ſub ſpeciebus Euchariſticis; fuerunt figura, Joſeph & Nicodemi, qui pariter præpararent tumulum Chriſti Corpori. Paterfamilias illius domûs, peculiari gratia fuit permotus, ut domum ſuam ultrò offerret; Joſeph ab Arimathæa, inſtinctu Spiritûs S. & Bmæ, liberè ſuum offert tumulum. Cœnaculum alienum, & tumulus non proprius. Cœnaculum decentiſſimè ornatum, innuebat tumulum omni decore, ac munditie inſtructum. Menſa illa Cœnaculi, in qua repoſita fuit Euchariſtia, pariter figurabat Sepulchrum: ut enim illa inſtructa fuit mappâ linteâ; ita Sepulchrum linteaminibus adornatum, in quibus repoſitum fuerat Corpus Chriſti. Et ſicut illa Menſa ſex, aut ſeptem digitis erat elevata, habetur in Revelat. Mariæ de Jeſu in Myſtic. Civit. part. 2. libr. 6. cap. 11. num. 1181. ita Sepulchrum Chriſti, quod eſt Menſa, ut hic brevi dicetur, fuit elevatum à terra ut patet ex fol. 330. Et Illuſtr. Radziwil in ſua Hieroſolym. Peregrinat. fol. 55. ſcribit: quod in hoc ipſo loco, in quo Corpus Chriſti jacuit, Sacerdos Divina tractat Myſteria, quando quidem locus hic à terra, ultra ſesquicubitum eſt elevatus. Vaſa pariter illa, paropſis, & poculum, typus Sepulchri Chriſti erant; vaſa enim hæc, quæ fuerunt pretioſa, erant ex lapide ſmaragdo perſimili, ut ibidem habetur, quid quæſo portendebant? niſi Sepulchrum Chriſti pretioſum, lapideum, quod eſt ſmaragdo lapidi comparatum, fol. 111.

Præterea & dies Cœnæ Domini, dies Sepulturæ Chriſti fuit, quo Chriſtus Corpus ſuum Deificatum, in ſuo corde, Beatiſſimæ,

mæ, & Sanctorum Discipulorum, velut in tumulo conclusit, adhibitis custodibus, id est effectibus, qui ex reposito hoc Corpore, in his mysticis tumulis statim astiterunt. Quod constat & ex subtili considerat. 47. in Evang. Doctoris Ordinis Nostri in libr. *Sepulpultura Viventium*. Et expressè Antonius Serpensis Chronolog. Eucharist. Enarrat. 5. num. marg. 33. dicit: *Ultima Cœna, fuit dies Sepulturæ, quia Christus in illa nocte ultima Passionis suæ prævia, cum in ejusmet principio instituisset Eucharistiam, jam erat tumulatus in ipso corde terræ, seu in hominis terreni præcordiis, atque medio.* Imò & cæremoniæ nonnullæ, quæ hac die fieri solent, Sepulturæ Christi videntur correspondere. Et sic primò, dum eadem die, de jure Corpus Dominicum reservatum, defertur ad Capellam & locum seorsivum à parte, hoc fit ad repræsentationem ejus, quod factum est à Josepho & Nicodemo, scilicet deferentibus Corpus Christi ad Sepulchrum. Ita Cardinalis Hugo Caren. Comment. in Luc. cap. 23. fol. 272. Et Josephus Acosta Soc. Jesu, Conc. 3. fer. 5. in Cœna Domini fol. 623. *Nova enim* (ait) *& reliquo tempore inusitata cæremonia, absoluta Missa & Cœna Domini commemorata, Corpus illius venerandum, in locum sepositum defert* (id est Sacerdos) *ibique reponit usque ad Parasceven, quandam Sepulturæ Christi imaginem, populo Christiano repræsentans.* Similiter & lotio pedum, eidem correspondere videtur Sepulturæ, ita, ut lotio aliorum Corporum tempore pomeridiano, lotionem Corporis Christi imponendi Sepulchro; & cinctura linteo, involutionem linteaminibus ejusdem Corporis; inclinatio Christi ad pedes, prostratioque tam submissa, in terra profundo lapideoque fundamento, Christi Corporis demissionem, ac prostrationem in Sepulchro edocebat. Tertiò, quòd à tempore illo, non pulsentur campanæ; nec dicitur: *Gloria Patri*, quod & continuis observatur diebus; quia cum hoc die Cœnæ, mystica cœpta fuerit Christi Sepultura, demonstrativa illius, quæ est realiter subsecuta, ut nos humilitatem ejus imitemur, quæ facta fuit per demissum Corpus in Sepulchrum, ac sic infimè humiliatum, hac de causa Gloria omittitur, & signa excelsa, scilicet campanæ tacent. Sic dicit Alcuinus de Divin. Offic. cap. 16. *Per tres continuos dies, qui sequuntur, id est quintâ, sextâ, & Septimâ feriâ triduanam Domini Sepulturam celebramus. Ac per hoc, ut compaginemur, humilitati Sepulturæ ejus, omittimus excelsa*

celsa nostra, id est Gloria Patri, & campanas, id est signa. Sed quomodo feriâ quintâ (scilicet Majoris Hebdomadæ) Sepultura Domini celebratur? nisi quòd Sacramentum Eucharistiæ, cujus tunc dies Institutionis recolitur, Sepulturam Christi ac Sepulchrum remonstret, quod fuit ex candido Marmore, rubei & albi permixti coloris: ut Adamnanus cap. 3. agens de locis sanctis, de Monumento dicit: *Color verò illius, ejusdem petræ Monumenti & Sepulchri, non unus, sed duo & permixti videntur, ruber ut que & albus, inde & bicolor eadem ostenditur petra*, quod indicabat Corpus & Sangvinem Christi tegendum. Sicut in sacra Eucharistia, Corpus & Sangvis illius, velo tegitur specierum binarum, panis & vini.

Insuper Eucharistiam esse Sepulchrum Christi Corporis, probat & descriptio ipsa Sepulchri, quod nihil aliud fuit nisi Corporis defuncti receptaculum, & memoria, quia in illo & Corpus Christi fuit, & memoria penes illud Christi Passionis perseverat. Eucharistia vivum Corpus Christi, ex prolatione verborum habet, & simul in illa recolitur memoria Passionis ejus, ut canit Ecclesia. Præterea Sepulchri figuram, etiam ferrea instrumenta, quibus conficiuntur hostiæ exhibent, dum multa eorum sculpta, propter formandas hostias referunt imaginem Sepulchri Christi, ac idem in illis efformant. Constat ex Aloysio Novarino in Agno Eucharistico libr. 5. cap. 69. pag. 207. Et talis miraculosa hostia quæ Amstelrodami asservatur, Domini effigiem refert resurgentis, unum pedem supra Sepulchrum, alterum infra habentem defixum; suntque permultæ hostiæ, quæ variis modis referunt Christi Sepulchrum, quas sculptas sub insigni tumuli Christi loco citato, subjicit quatuor, quas ibi videre licet. Et id ipsum, notare etiam Molanum adducit. Nostri Ordinis Ecclesia aliquot, talibus utuntur hostiis, effigiatis tumulo Christi. Imò etiam in minoribus hostiis, propter populum adhiberi solitis, habentur apud eundem Novarinum, duæ figuræ, in quibus repræsentatur Christus, tumulo & Cruci adhærens. Cap. 27. n. 691.

Sed sicut Eucharistiæ Sacramentum, formæ hostiarum, tumulum Christi exhibent, ita non solum omnium communicantium corda, sed quanto magis, quotidie celebrantium Sacerdotum animæ, omnem normam Sepulchri Christi, præferre debent, ac se ipsos ad digne suscipiendam Eucharistiam, per omnimodam con-

formationem Monumento Christi præparare satagant. Monet Author bonæ & antiquæ notæ apud Aloysium Novarini in Sacr. Elect. libr. 8. num. 162. *Meminerit Sacerdos se, cum communicat in Missa, repræsentare Sepulchrum Domini nostri. Et quemadmodum Sepulto eo, occluserunt, & munierunt Sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus; ita qui communicat, estque vivum Sepulchrum Christi viventis, statim atque ipsum intra se accipit, debet hujus Sepulchri portas occludere, & obsignare suas scilicet facultates & sensus, ne quid ingrediatur; Sanctosque Angelos oret, ut custodum officio fungantur.* Joseph enim ab Arimathæa, antequam Sepulchro imponeret Corpus Christi, prius Christum in suo corde, ad instar Monumenti, propter quem construxit, reposuit. Unde & Christus dum in ultima Cœna adhortatur Discipulos, & in illis Sacerdotes, ut quotiescunque id facere contenderint; id est Corpus Christi suscipere deberent, prius corda sua ad ideam Sepulchri ejus construant; quod indicat illis verbis: *Hæc quotiescunque feceritis, in meam commemorationem facietis.* Ita observat S. Aug. Serm. 133. de Temp. *Joseph, non priùs in terrena Sepultura posuit Christum, quàm in Monumento sui cordis, quod Sepulchrum Christus exquirebat, quando dixit:* hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis; *quasi memoria Sepulchrum sit, quod exposcit.* Advertant proinde tàm fideles populi, quàm Sacerdotes, quomodo debeant esse devoti ad Sepulchrum Christi, & ad suscipiendum hoc Sacramentum, seipsos conformare Sepulchro Christi, vivaque fieri monumenta Christi, uti admonet Ludolphus: *Sumpturus igitur Eucharistiam, videat, ut cor suum sit, quasi Monumentum novum, in quo locetur, & quasi hortus, in quo delectetur, ne in Monumento suo alius positus sit, alioquin non poterit in eo, dignè sepelire Christum.* Videat & audiat & quilibet celebrans, quod S. Bernardinus Tom. 3. Serm. 43. in fine part. 1. scribit: *Stomachus Sacerdotis, qui recipit ipsum Corpus Domini comestum, significat Sepulchrum Christi, in quo positus fuit post ejus mortem.* Non solum itaque significativè, sed effective debes esse Sepulchrum Christi, ut nulla sit in te corruptionis macula, propositorum ac votorum tuorum, sis constantissima ac firmissima petra; exprimas in te sigillum & characterem veri Sacerdotii, ut te spectantes, Christi Supremi Sacerdotis, figuram videant; onere procurandæ animarum salutis, tanquam lapide gravatus, à quo te nulla

De Vit. Chr. 2. part. cap. 66. num. 10.

nulla terrena, quamvis robusta removeat potestas &c. Ex his patet, tam Eucharistiam, quam diem Cœnæ, ipsosque recipientes Eucharistiam & alia Sepulturam & Sepulchrum Christi esse repræsentativè.

POENITENTIÆ Sacramentalis, Sepulchrum Christi est symbolum. Joannes Ferus in Joan. cap. 20. fol. 586. Sepulchrum Christi, pro Pœnitentia intelligit, dum dicit: *Mulieribus pergentibus ad Sepulchrum Christi, hoc est ad Pœnitentiam, qua Christo consepelimur.* Ordinis nostri dignè hic memorandus Doctor, in Sepulchro Parasceves fol. 211. Sepulchrum Christi, vocat locum remissionis peccatorum, & in Examine conscientiæ Sepulchro Christi conjuncto, in dolore de peccatis: *Sacrosanctum Sepulchrum, Petram illam, de qua fluunt aquæ Pœnitentiales & torrentes lachrymarum*, nominat. Quid enim quæso lapis appositus Monumento? nisi contritionem designabat, cui si supponantur etiamsi dura corda, contrita placebunt. Linteaminum revolutio, & inspectio Monumenti; exacta discussio conscientiæ. Ostium apertum Sepulchri; oris confessio. Fletus Magdalenæ ad Sepulchrum; lachrymas pœnitentium denotat. Ut de Magdalena sæpius inclinante, & prospiciente cum fletu Sepulchrum, dicit Drogo Episc. Ostiensis Serm. 1. de Pass. *Iterum & iterum inclinare vel locum vacuum, ubi positus fuerat sæpius intuere, amplius & amplius, ipse te ad plorandum locus irritat.* Petra; firma proposita, amplius non peccandi. Ita sentit & Cardinalis Hugo in Matth. cap. 27. exponens hæc verba: *Et posuerunt eum in Monumento novo;* dicit: *id est in corde innovato per pœnitentiam. Saxum enim magnum, quod advolvitur, ad ostium Monumenti, est magna pœnitentia, quæ tenet in nobis JESUM per gratiam. Duæ Mariæ ad Sepulchrum; sunt duæ amaritudines, pro irriguo inferiori, & superiori. Et infra lapidis advolutio, est firmum propositum perseverandi. Signaculum; est confessio; ratione enim confessionis, pœnitentia est maximè Sacramentum, id est signum sacrum. Custodes sunt Confessores & Doctores, per exhortationes & consilia sua.* Propterea existimo Petrum, præ aliis Discipulis, primum accurrisse ad Sepulchrum, quia qui primus negando Christum, mortem animæ incurrit; primus ad Monumentum properaret, ut confitendo à mortuis resurgentem, ad vitam rediret animæ, & lavacrum abluendo sceleri, in petra limpida quæsivit, quod linteis Sepul-

Biblioth. Vet. PP. Tom. 12. fol. 490.

chralibus detergeret. *Verum* (inquit S. Chrysostomus Orat. in Apost.) *qui primus negaverat, ad Sepulchrum cucurrit primus*, tanquam ad Symbolum & locum pœnitentiæ, & timorem illum vocis ancillaris, ex quo temere abjurat Magistrum, audax ad Sepulchrum festinusque accessus, eluit ac abstergit. Ut huius dat rationem Euthymius in Joan. cap. 20. exponens hæc verba: *Venit ergo Simon Petrus, & introivit in Monumentum*, dicit: *nullo jam oppressus metu, quô prioris timiditatis culpam abstergeret*. Nec alio motivo, terna vice advenit ad Monumentum Christi, ut dictum supra, nisi quia totidem negaverat Christum vicibus, & qui post trium horarum spatio, post negationem fuit restitutus gratiæ; ita tribus vicibus invisens Monumentum, ternam culpam per pœnitentiam abolevit: Ut dictus Euthymius sic consonat in Luc. 24. *Trina ergo vice ad Sepulchrum accedens, trinam curavit negationem.* Eandem pœnitentiam consecuta est & Magdalena ad Sepulchrum Christi. Audiamus Evangelistam: *Maria stabat ad Monumentum*; quid deinde ex hac illatum statione? *Conversa est, & vidit Jesum stantem.* Stationem ad Monumentum, subsequitur conversio ad Christum, & visio illius. Quasi ad Confessionale sic ad Monumentum venientes peccatores, plenè contriti, curati & conversi, cum bona spe, visionis Dei redeunt. Sepulchrum Christi tam excellens symbolum Pœnitentiæ fuit, ut esset etiam inductivum, pertractivum, ac incitamentum singulare ad conversionem. Teste enim Illustrissimo Principe Nicolao Radziwil, Equite S. Sepulchri, sanctissimus hic locus, illud proprium, ac sibi congenitum habet, ut maximum quemque peccatorem, ad gratias agendas excitet, ad contemplationem Passionis Christi vehementer inducat, & inflammet, ad seriam delictorum pœnitentiam provocet; hoc ex exemplis patebit infra. Et S. Laurentius Justinianus: *Secum tacita* (id est Magdalena justificata peccatrix) *suspirans, gemens & lugens revolvebat, nequè se temperare valebat à fletu. Nemo ibi erat* (nempe ad Sepulchrum Christi) *qui non fleret vehementer, & ad cælos singultus emitteret. Resonabat locus ille* (nempe Sepulchri Christi, de illo enim fit sermo) *clamoribus, aspergebatur lachrymis, ac gemitibus complebatur.* A. R. P. Franciscus Kowalicki Soc. Jesu in suis Concionibus Polono idiomate editis, in Feria 2. Quinqu. fol. 137. ad finem dicit: *Pejores sumus dæmone, si nobis Sepulchrum*

Civit Mystic. p. 2. libr. 6. cap. 16.

Joan. 20. v. 11.

Peregr. Hierosf. fol. 116.

chrum

chrum Christi, abominationem non adferet vitiorum, non inducet ad vitam severiorem.

§. V.

Sepulchrum Christi repræsentat Altare, Mensa, Ciborium, Calix, & Cæremoniæ Ritusque Missæ.

Dictum est superiùs, Ecclesiam significare Sepulchrum Christi, quod confirmat & S. Basilius Cæsareæ Episc. in Anaphora dicens: *Ecclesia est Domus Divina, & Sancta Spelunca ubi Sepulchrum*; S. Germanus Patriarcha Constantinopolit. in rer. eccles. interpret. dicit: *Ecclesia typum referens adfixionis in Cruce, & Sepulturæ & resurrectionis Christi*; pariter & ea, quæ intra Ecclesiam continentur & peraguntur, figuram ac typum Sepulchri Christi gerunt, & sic primò:

ALTARE. Nam Theophylactus super Luc. 24. explanans hæc verba: *Venerunt ad Monumentum* in Mystica significatione apud Glossam, dicit: *Sepulchrum figura est ALTARIS, in quo celebratur Mysterium Corporis & Sangvinis Domini.* In Morali apud Lyranum ibidem, pariter juxta intellectum mysticum, Beda dicit: *Sepulchrum illud, figuram Dominici habebat ALTARIS, in quo Corporis Mysterium, non in serico, non in panno tincto, sed instar sindonis, quâ eum Joseph involvit, in linteo puro, debet consecrari.* Apud Græcos referente Jacobo Gretser in Appendice Tom. 2. fol. 597. Majus altare dicitur *Christi Monumentum*; quod refert & Claudius Sanctesius. Ad idem dicit S. Germanus Patriar. Constantinop. in Theoria Rer. Eccles. *ALTARE est, dicitur præsepe & Sepulchrum Domini.* Zacharias Episcopus Chrysopolitanus Exposit. in Evang. *Nam Sepulchrum ALTARE Domini significat, in quo carnis ejus ac Sangvinis Mysteria celebrantur.* Andreas Cricius Episc. Plocensis de Sacrif. Miss. fol. 49. *ALTARE coopertum stragulis, mappis mundis; linteolum corporale, calix cum operculo seu patena, Sepulchrum cum lapide, sudario, Syndonemque mundam, quâ involutus erat Christus, significant.* Sebastianus Bollandt in aureis Sermon. fol. 493. *O Christiani! Sepulchrum Domini videte, videte etiam ALTARE Domini; hæc enim sunt duo cubilia, in quibus cubat.* Nam sicut Altare, nihil aliud est, nisi locus, in quo verum Corpus Christi & Sangvis collocan-

fol. 987.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 8. fol. 53.

Ibid. Tom. 12. fol. 204.

locantur, imò in eodem loco ipſo, conficitur ſub Speciebus Euchariſticis; Paſſio Chriſti illusque memoria, Reſurrectionis, & tam multorum, ab eo acceptorum beneficiorum fit rememoratio; in Sepulchro Humanitas Divinam recognovit Majeſtatem, adeoque tumulus Ara Dei Magni fuit, Ara cogniti Dei, in qua Chriſtus primitias celebravit, in eo Sepulchro relictis corruptelæ exuviis, conſtitutus eſt primogenitus ex mortuis, & primitiæ dormientium. Eſt Altare, in quo Deus lætificat juventutes noſtras; & ſi ſenes virtute illud viſitent, introëant, in novam revocantur profectûs juventutem. Eſt Altare, ad quod non aliter appropinquatur, niſi cum incenſo, odore virtutum, & ſvavitate orationum, cum qualibus aromatibus Sanctæ Mulieres ad Sepulchrum venerunt: à quibus docemur, & nos non aliter, ad hoc noſtrum venerabile accedere Altare, Monumentum, niſi cum aromatibus virtutum & orationum. Sic perſuadet nobis S. Gregor. in homil. 22. in Evang. *Sanctarum Mulierum pietatem imitari debemus, ad Monumentum Domini cum aromatibus proficiſci, id eſt cum fragrantia charitatis, cum odore virtutum & bonorum operum.* Eſt Altare, ad quod accedere debemus, lavato prius corde, lava inter innocentes conſcientiam tuam, & modo primum circumda affectu Altare Monumenti. Ad hoc tale dat monitum S. Bernardus Abbas, Temp. Paſch. Serm. 2. ad Abbates num. 10. *Quòd ſi fortè non potes innocens, imò quia non potes, lava inter innocentes manus tuas antequam circumdes Monumentum Domini. Ad ALTARIS officium nemo accedit in veſte communi, ſed quisquis acceſſurus eſt, albis induitur. Et tu ergo, cùm ad Domini Monumentum properas, lavare, dealbare, induere veſtimentis gloriæ ut dicatur tibi:* Confeſſionem & decorem induiſti. Ecce hic S. Bernardus facit comparationem Altaris cum Sepulchro Domini. Ex qua ratione convenientiæ, aliquæ cæremoniæ circa Altare ſtatuuntur, quæ accomodantur ad Sepulchrum Chriſti repræſentandum. Sic trina incenſatio Altaris, ſignificat trinum adventum Mulierum, cum tribus vaſculis aromatum. Ut habetur in Cæremon. Nicolai de Plowe Decretorum Dris fol. 47. Similiter non eſt omittendum, quòd Sacerdos vertat ſe ad populum ad dextram, & per eandem ad Altare ſe revolvit, quia per hoc deſignatur, quod in Sepulchro Domini Angelus à dextris ſedebat, ut habetur apud Rubeum in Rationali libr. 2. fol. 315. Plura vide ſub titulo *Altare* libro 1mo.

MEN-

MENSA. Ita in terminis S. Germanus Patriar. Constantinop. in Theoria Rer. Eccles. *Est autem S. Mensa ad imitationem Sepulturæ Christi, quâ Joseph sublato Corpore de Cruce, involvit Syndone munda, & aromatibus & unguentis unctum exportavit cum Nicodemo, & sepelivit ipsum in Monumento novo, exciso ex petra; quod est exemplum Sancti illius Monumenti, Altare & Sacra Mensa.* Unde ex ratione expressionis Mensæ, Altaris, Sepulchri Christi, habetur, quod etiam linteamina, quæ adhibentur, exprimant linteamina & Syndonem, quæ fuerunt in Sepulchro, quæ ratione novitatis illius, ac munditiei, debent esse alba & nitida, ut ex institutione S. Silvestri Papæ colligitur. Sicut etiam & tobalea duntaxat unica, quæ in die Parasceves super Mensam Altaris ponitur, Syndonem significat, qua involutum fuit Corpus Christi in Sepulchro: tenet Durandus in Rationali Divin. Offic. lib. 6. cap. 77. Et proxime adjacet Mensæ, Crucifixionis figura, in signum, Monumentum Christi, fuisse proximum Calvariæ loco. Idem S. Germanus adductus: *Mensa est vice loci Sepulturæ*; id est Sepulchri (Sepulchrum enim alio nomine dicitur Sepultura observat Joannes Rubeus in novo Ration. libr. 1. cap. 6. fol. 21.) *in quo positus est Christus; deorsum, ubi est crucifixio, vice loci ubi crucifixus est Christus; vicinus enim erat locus & fossa, ubi Sepultus est.* Præterea Mensa Altaris debet esse ex lapide confecta, quia Sepulchrum Christi, quod repræsentat Altare, fuit excisum ex petra, tenet Aug. Barbosa in 2. part. Juris Eccles. libr. 2. cap. 7. fol. 59. num. 5.

CIBORIUM. Constat ex cap. 10. sanè de Celebr. Missa Ciborium esse locum singularem, mundum, signatum, in quo devotè ac fideliter Eucharistia conservatur. Sic Sepulchrum fuit locus singularis, mundus, signatus, in quo devotissimè ac fideliter Corpus Christi repositum fuit. Sicut in Sepulchro fuit detentum, sub custodia militum, sigillo; ita in Ciborio Christus sub clavibus detinetur. Sicut Ciborium est in medio Altaris, ita & Christi Sepulchrum. Id firmat digna Authoritas S. Germani citati immediate & aliquoties, ibidem in Theoria rer. eccles. dum inquit: *Ciborium esse in medio; quia Christi Sepulchrum fuit in medio terræ, in quo operatus salutem, omnibus confitentibus, in Hierosolymis conscriptum esse ipsissimum medium terræ.* Qua authoritate firmatur Sepulchrum esse in medio, conformiter ad dicta fol. 215. Hinc Bartholomæus

Biblioth. Vet. PP. Tom. 8. fol. 53.

Gavantus part. 1. titul. 20. fol. 55 refert, quod in ostiolo tabernaculi, solet pingi imago Christi sedentis in Sepulchro, ad innuendum tabernaculum Altaris immobile, clausum, in quo semper asservatur Ssmum Sacramentum, esse adinstar Sepulchri Christi, in immota petra erecti, clausi, in quo asservatum fuit Corpus mortuum. Pixis etiam ipsa, in qua reponitur Corpus Christi, figuram refert Monumenti, ut constat ex Hugone Cardinali, qui explanans hæc verba: *posuit illud in Monumento suo novo*, dicit: *hinc est, quod Corpus debet poni in Pixide immediate, quæ non sit ad alios usus constituta.* Ante Sacrarium Ambo, sive suggestus, lapidis à Monumento devoluti nos admonet, juxta Simeonem Archiep.

Ibid. Tom. 12. fol. 877. Thessalonic. de Nave Templ. & juxta eundem de Sacr. vestibus, Sacerdos stola sacra contectus repræsentat Angelum in Monumento Salvatoris, apparentem stolâ candidâ coopertum.

CALIX. Inter multa necessaria ad Missam celebrandam, multa sunt, quæ gerunt figuram Sepulchri Christi ac ejus expressionem. Sic corporale licet significet, juxta S. Germanum citatum, Syndonem; in qua involutum erat Corpus Christi, in Monumento positum; tamen juxta Paschasium Ratbertum Abbatem Corbejensem, Ordin. S. Benedicti libr. 12. in Matth. referente Cornelio à Lapide in Matth. cap. 28. v. 59. fol. 552. quod & Sylveira testatur Tom. 5. libr. 8. cap. 21. quæst. 10. num. 63. Monumentum indicare videtur, dum dicit: *Hac de causa, & Corpus Christi in Missa, nonnisi in Syndone collocatur mundissima, quod vulgò Corporale vocant, à Corpore Christi, quod adinstar Sepulchri in se continet.* Similiter in

Biblioth. Vet. PP. Tom. 6. fol. 285. vetusto codice, in Expositione Miss. refertur: *Patena namque Crux, sive Sepulchrum*; inter hæc tamen Calicem, maximam figuram ac typum gerere Sepulchri Christi, multorum est dignissima decisio & sensus. S. Hildebertus Episc. Turon. in carminibus de Offic. Miss. asserens, non deesse Altari tumulum & Crucem sic canit.

Ib. Tom. 12. fol. 354.

Nevè putes illi, tumulumvè, Crucemvè deesse
Ipse Calix tumulum denotat, Ara Crucem.

D. Thomas Angelicus Doctor 3. part. qv. 83. art. 3. ad 5. sic dicit: *Calix significat Sepulchrum Domini; Patena verò lapidem Sepulchro superpositum.* In cujus S. Doctoris sensum propendit B. Albertus Tract. 3. de Miss. cap. 4. dum inquit: *Calice utimur pro Sepulchro, Patenâ pro lapide, ad os Monumenti posito, pallis & Corporalibus pro*

Syndone, qua involutum fuit Corpus Dominicum à S. Joseph pietatis officio. Et hoc exprimunt hi verſus:

Ara Crucis, tumulique Calix, lapidisque patena
Syndonis officium, candida byſſus habet.

Quos verſus & ad ſuum hac in parte, ſentimentum, refert Cardinalis Hugo Carenſis in Luc. cap. 23. Hugo à S. Victore, quem refert Rubeus de Divin. Offic. libr. 1. fol. 33. Et apud D. Thomam loco adducto Art. 3. in 6. habetur: *Calix cum patena, repræſentat Sepulchrum Chriſti, quod fuit exciſum in petra.* Jacobus de Vitriaco de Myſt. Miſſ. cap. 34. *Per Calicem Chriſti Sepulchrum deſignatur.* Idem exiſtimant permulti, qui de ritibus Eccleſiaſticis ſcripſerunt. Inter Sermones S. Bernardi in Cœna Domini fol. 260: *Altare, cui aſſiſtis, quam pro te ſuſtinui, repræſentat Crucem; & Calix, Sepulchrum, in quo mortuus quievi; patena, lapidem ſuperpoſitum; Corporale ſudarium; ſubſtratoria Corporalis, linteamina, quibus involutus fui.* Ejusdem Sepulchri Chriſti repræſentatio in Calice patet ex Pontificali Romano de conſecratione patenæ & Calicis fol. 461. ubi Pontifex in ultima oratione benedicens calicem & patenam, orat: *Ut per noſtram benedictionem, vaſculum & patena ſanctificentur, & Corporis & Sangvinis Domini noſtri JESU Chriſti, novum Sepulchrum, Sancti Spiritûs gratiâ efficiantur.*

Sicut autem Calix repræſentat Sepulchrum Chriſti, ita palla, quâ tegitur Calix, ſignificat lapidem, quo tectum fuit Monumentum. S. Germanus Archiep. Conſtant. in Theoria rer. eccl. dicit: *Velum ſive aer* (id eſt palla) *eſt, & dicitur eſſe vice lapidis, quo munivit Joſeph Monumentum, quod obſignavit.* Et apud Gavantum Innocentius III. libr. 5. Hinc eſt formæ quadratæ, talis enim formæ fuit lapis Sepulchri Chriſti; ut patet ex deſcriptione ejusdem apud Mariam de Agreda in Myſtic. Civit: *Erat de reliquo Monumentum,* 2. part. lib. 6. *ducta deſuper teſtudine, concameratum quoddam antrum, cujus oſtium* cap. 27. *lapis quadratus, oppido ingens occludebat, intus vero a latere Sepulchrum erat, à terra tantisper erectum, atque ibidem Liberatoris Noſtri Corpus fuerat depoſitum.* Super pallam Crux per modum ſigilli, ſuper lapidem.

CÆREMONIÆ RITUSQUE MISSÆ exprimentes Sepulturam & Sepulchrum Chriſti. Conſtat ex communi ſenſu Doctorum, & inſtitutione Miſſæ Sacrificii, illam repræſentare Paſſio-

nem, Mortem ac Resurrectionem Christi. In Sacris Mysteriis Liturgiæ continentur hæc verba: *Cum Cruce Sepulturam & Sanctam resurrectionem tuam, Salvator adorantes glorificamus.* Constat etiam illud Sacrificium, repræsentare Sepulturam Christi. S. Basilius Cæsareæ Cappadoc. Episc. in Anaphora, qui illa verba Canonis à Christo prolata: *Hæc quotiescunque feceritis, in mei memoriam facietis*, quasi exponens ait: *Quotiescunque enim hoc facitis, mortem meam annuntiatis, ac memoriam Sepulturæ, Resurrectionisque meæ celebratis.* Gvillelmus Durandus Mimatensis Episc. in Ration. Divin. Offic. *Siquidem ea, quæ fiunt à principio secretè usque in finem, Passionem Domini Sepulturam, & Resurrectionem Domini, repræsentant.* Proinde dum Sepultura Christi exprimitur in Missæ Sacrificio; & locus Sepulchri Christi, in quo facta est Sepultura, & ex quo facta est Resurrectio, per certos ritus, cæremoniasque sacras manifestatur. Et quia juxta eundem Durandum in Calice & in Sangvine, magis significatur Christus mortuus, quam in Corpore; ideò sicut mortuus fuit pannis & lapide Sepulchri opertus, ita in hoc signum, Calix palla operitur. Nicolaus de Blowe Decretorum Doctor, Capellanus Episcopi Posnanien. libr. 2. fol. 46. de Offic. Eccles. adeoque Sangvis in calice coöperto, repræsentat in Sepulchro clauso & signato Corpus Christi. Hostia verò extra Calicem, Corpus Christi extra Sepulchrum, idem Durandus supra citatus de Canon. libr. 4. cap. 46. num. 11. Et Joannes Baptista Rubeus, Clericus Regularis Genuensis in Ration. Divin. Offic. libr. 24.

Bib'ioth. Vet. PP. Tom. 2. fol. 108.

Ibid. Tom. 6. fol. 135.

Præterea significatio Sepulturæ & Sepulchri Christi, incipere videtur statim post verba: *Nobis quoque peccatoribus &c.* dum Calix signandus est cum Hostia; quamvis juxta Honorium citandum in Gemm. animæ cap. 83. per Secretum Canonis innuitur Sabbathi Sepulturæ silentium. Nam primò cum dicendum est: *omnis bonor & gloria*, Sacerdos tenet Corpus Christi super Calicem, antequam illud eidem immittat: Per quod significatur juxta Joann. Burchardum, in vetusto libr. de ordine Miss. tentio & elevatio Corporis Christi, à Joseph & Nicodemo, dum deponebatur de Cruce, antequam imponeretur Sepulchro; ut adimpleretur illud: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*; ita dictus Author. Unde juxta S. Germanum in Theoria Rer. Eccl. Dum Sacerdos sublevat Divinum panem, & signum Crucis ter facit in aëre cum venerabili & vivi-

vivifico pane, tertia Crux, quæ fit fupra & propè difcum, innuit terram, in qua vivificum illud Corpus Chrifti fepultum eft. Ipfa autem elevatio calicis cum hoftia & Sangvine fimul jam confecrato, indicat, quod Jofeph fimul Corpus cum Sangvine Chrifti, locavit in Sepulchro, ex Stephano Eduenfi Gavantus part. 2. tit. 16. num. 20. Quæ elevatio Calicis congruè fit cum Sangvine & fimul cum Hoftia, ante immediatam prolationem horum verborum: *Præceptis falutaribus moniti &c.* quia Jofeph, qui de Cruce Corpus Chrifti levavit, & in Sepulchro locavit, monitus & inftructus fuit præceptis falutaribus Chrifti; ut Durandus loco adducto num. 22. Petrus Blefen. Bathon. Serm. 43. in Biblioth. Lugdunenfi tit. Miffa: *Dicturus: Oremus, præceptis falutaribus moniti &c. prius detegit Calicem, qui hactenus tectus erat, & detectum elevat; item deponit eum & tegit. Via teftimoniorum eft: recolit enim, quod Jofeph de Cruce Corpus Domini tulit, & pofuit in Monumento, & advolvit lapidem &c; & quia per triduum Dominus claufus eft in Monumento, ideo prius profequitur tres pofitiones Canonis, antequam iterum amoveat velamen.* Honorius Auguftot. Presbyter in Gemm. Anim. de antiquo ritu Mif. libr. 1. cap. 47. *Dicente Sacerdote: Per omnia fæcula fæculorum &c. Calicem cooperit, præferens Jofeph ab Arimathæa, qui Corpus Chrifti in Monumento depofuit; lapide cooperuit. Calix hic Sepulchrum, patena lapidem defignat, qui Sepulchrum clauferat. Tres Articuli, fcilicet:* Oremus; Præceptis: Pater nofter: & Libera nos: *tres dies fignificant; quibus Chriftus in Monumento quiefcebat.* Poft hæc reponit Sacerdos Hoftiam in Corporali, quæ depofitio collocationem Chrifti in Sepulchro demonftrat, Rubeus lib. 2. Et palla Diaconus cooperit calicem, quia Jofeph Domini Corpus in Cruce levavit, & in Sepulchro depofitum, lapide operuit. Radulphus Decanus Fungrenfis libr. de Canon. obfervant: Et Durandus dicens: *Super os calicis depofitam pallam, repræfentat advolutionem faxi magni ad oftium Monumenti.*

Biblioth. Vet. PP. Tom. 12. fol. 1023.

Secundò Corpus Domini immiffum Sangvini in Calicem, & Calicis cuppa cooperitur pallâ, quousque tres Articuli Orationes expleantur, fcilicet Præfatio hæc: *Per omnia fæcula fæculorum &c.* Oratio Dominica: *Pater nofter &c.* & illa, quæ fequitur fcilicet: *Libera nos, &c.* quæ embolis Dominicæ Orationis nuncupatur, fignificantur tres dies, quibus Chriftus coopertus faxo, figillo,

linteis, jacuit in Sepulchro, iuxta citatum Radulphum. Micrologus de Eccl. observat. cap. 18. *quia sicut Christus, tres dies in Sepulchro fuit coopertus, ita & nos Corpus Domini & Calicem cooperimus, usque dum tres Articulos orationis compleamus.* Et hæc oratio, *Libera nos &c.* dicitur in silentio ex eo, juxta Innocentium; quia Christus in Sepulchro, triduo in silentio jacuit, Rubeus, Joannes Burchardus, & Durandus; in qua nominantur tres tantùm Apostoli, ad triduum Sepulturæ Christi indicandum, putat Gavantus loco citato, num. 22. Secundum autem morem aliarum Ecclesiarum protunc Sacerdos Mensam osculatur Altaris, in signum, quòd in Sepulchro tanquam in pace factus est locus; Durand. n. 23.

Tertiò. Dum Chorus respondet: *Sed libera nos à malo*, Subdiaconus accedens ad Diaconum, tradit illi patenam involutam. Diaconus verò illam recipiens, eam revolvit, & tradit Sacerdoti osculando illius manum. Quod sicut per retrocessum Diaconi ab Altari, repræsentantur Mulieres Sepulto Domino, à Monumento recedentes; ita iuxta eundem Rubeum libr. 2. & Durandum, accessus ejusdem exprimit Sanctas Mulieres, venientes videre Sepulchrum, & repræsentantes cor suum Sepulchro dicentes ad invicem: *Quis revolvet nobis lapidem ab ostio Monumenti?* & simul videntes revolutum ab Angelo, ut patena illa revolvitur à Diacono. Ita Almarius Fortunatus Episc. Treviren. de Eccl. Offic. libr. 3. Subdiaconus, qui patenam tenuit, formam Nicodemi gerit, qui myrrham & aloë ad Sepulturam Domini attulit. Porro Subdiaconus & Archidiaconus, cum alio Diacono, patenam tenenti, tres Marias præferunt, quæ cum aromatibus ad Monumentum venerunt. Honorius in Gem. cap. 48. Illa autem signatio patenæ, quæ subsequitur, repræsentat illud, quod legitur in Matth. quod Principes Sacerdotum & Pharisæi signaverunt lapidem cum Custodibus Rubeus ibid. fol. 481. Dum dicitur: *Da propitius pacem*; post signationem, quidam osculantur patenam, quidam osculantur summitatem & pedem calicis, quod osculum portendit intimum affectum ad Monumentum, exemplo Magdalenæ, quæ stabat ad Monumentum. Aliqui etiam cum patena summitatem, latus & pedes calicis tangunt, quod similiter ex affectu intimo faciunt, quasi totum Monumentum amplectentes, quod per calicem & patenam repræsentatur. Ita in terminis Durandus in Ration. Officior.

Libr. 4. cap. 50.

Officior. libr. 4. cap. 50. num. 4. Quare autem Corpus Christi, tamdiu permanet in Altari, seu in Corporali, donec illæ compleantur tres Orationes; id est: *Præceptis moniti: Pater noster: & Libera nos quæsumus &c.* hæc datur ratio in vetusto Codice in Expos. Missæ: Significat Corpus Domini tribus diebus in Sepulchro quievisse. *Post tres autem Orationes Corpus Christi de Altari, quod pro Sepulchro, in hac significatione accipitur; quia post tres dies Corpus Christi de Sepulchro surrexit.*

Quartò. Cum Sacerdos dicit: *Ab omni perturbatione securi.* Submittit patenam Hostiæ, significando patentem latitudinem charitatis ad Corpus Christi in Sepulchro, seu (ut habetur in 4plici exposit: Missæ) significans cum patenti latitudine charitatis, Corpus Christi portatum esse ad Sepulchrum. Ioannes Burchardus. Deinde removetur calicis palla, à Diacono, & tunc disco operiendo sedulo intuetur in calicem, quod ideo fit juxta Rubeum fol. 483. & Durandum cap. 51. quia in hoc loco os calicis, significat ostium Monumenti; remotio autem pallæ & intuitio, quod Angelus Domini lapidem ab ostio Monumenti revolvit, & in Sepulchrum diligenter aspexit. Tum portat Corpus Christi, super Calicem, quasi ad Sepulchrum sepeliendum, remoto lapide ab ostio Monumenti juxta Joan. Burchardum. Fractio etiam Hostiæ, quæ fit ad repræsentandum, juxta eundem, quòd Corpus Christi vulneribus fractum, sive divisum, fuit, positum in Sepulchro. Tres Cruces cum particula Hostiæ fiunt, cum dicitur: *Pax Domini &c.* super Sangvinem; triduum significant Sepulturæ, secundum Innocentium: vel tres Mulieres, quæ fuerunt circa Monumentum, juxta Rubeum, Durandum, & Nicolaum de Plowe lib. 2. de Offic. Eccl. fol. 53. Mittitur Particula in Calicem dicendo: *Hæc commixtio &c.* quòd Anima sit unita Corpori in Sepulchro, & reditus illius ad Corpus in Sepulchrum; Rubeus & Durandus num. 20. Quæ pars Hostiæ remanet in Calice, usque ad sumptionem; per quod designatur Corpus jacens in Sepulchro. Licet si antiquitùs fuerit ritus, qui nunc non servatur, ut scilicet una pars in Altari remaneat, usque ad finem Missæ, in signum servati Corporis Christi in Sepulchro, juxta Doctorem Angelicum 3. part. qv. 83. Art. 5. ad 8. Jacobus de Vitriaco in Exposit. Missæ cap. 34. de dicta commixtione hanc dat rationem, quia cum panis ad carnem, Sangvis

gvis

gvis refertur ad Animam, commixtio Corporis Christi cum Sangvine in calice, significat conjunctionem Corporis Christi in Sepulchro cum anima separata. Dum Papa Sangvinem sumit, Diaconus calicem tenet, significans Angelum, qui Christo resurgente, lapidem de Monumento tulit. Communicato Sacerdote, mox calix de Altari tollitur, quia Christo resurgente, Corpus in Sepulchro non invenitur, idem Honorius lib. 1. cap. 63. Hausta purificatione, quidam inclinant calicem, ne remaneat aliquid Sangvinis, Mysticè ad notandum Sepulchrum esse vacuum, quia ex illo prodiit Christus; idem Rubeus loco citato & Durandus cap. 55. num. 3. Similiter plicatur Corporale & ponitur in bursam, quia veniens Petrus & Joannes ad Monumentum vacuum, viderunt sola linteamina composita, juxta eundem Rubeum.

His ritibus Missæ addo, sicut in die Cœnæ Domini, fit commemoratio Sepulturæ & Sepulchri Christi. Calicis enim illa die, in quo reservatur pro Parasceves Hostia, pallâ prior coopertio, significat lapidem ad ostium Monumenti, subsequens verò super pallam patenæ positio indicat Sigillum, quo fuit signatus lapis Gavant. par. 4. tit. 8. de feria 5. in Cœna Domini; adeoque eodem die fit accelerata repræsentatio Sepulchri Christi, ut ibidem: & locus ille, in quo Calix cum Hostia reponendus est, velis ac cortinis Regiis, sive splendidis ornari debet, quia in horto fuit Sepultus Christus, & à vulgo idem locus, Sepulchrum Christi appellari solet, idem Gavantus novissimæ editionis fol. 183. Ita in die Parasceves fit anticipata ejusdem Sepulturæ Christi in quibusdam recognitio. Primò, in Missa feriâ 6tâ Parasceves, tria hæc: *Præceptis: Pater noster: Libera nos &c.* triduum Sepulturæ Christi significant, Honor. in Gem. Anim. libr. 3. cap. 36. Secundò sicut candelæ & lumen, extinguuntur in Matutinis precibus tribus vicibus, in signum, quia verum lumen, triduo jacuit in tenebris Sepulchri, Durand. libr. 6. num. 15. ita dum septem candelæ in die Parasceves juxta aliquos, tribus vicibus extinguuntur, recolunt triduanam Domini Sepulturam, idem Durandus libr. 6. cap. 72. vers. 23. Et iisdem candelis successivè, una post aliam extinctis, una sub Altari absconditur, & postea revelatur; ad notandum, quod Christus, qui in Sepulchro positus, lumine occultato figuratur, ibidem postea fuit absconditus, & revelatus per suam Resurre-

ſurrectionem, & manifeſtationem Sepulchri vacui. Idem Durandus ibidem num. 26. Ille autem lamentabilis cantus, circa Altare, greſſu diſcurrente: *Domine miſerere*; lamentationem Mulierum circa Sepulchrum Domini, huc illucque gradientium, repræſentat. Et quod lumen Eccleſiæ extingvitur in his diebus, aptatur ad id, quod ſol juſtitiæ extinctus eſt & ſepultus, tribus diebus & tribus noctibus, Amalarius Fortunatus Epiſc. Treviren de Eccleſ. Offic. lib. 4. cap. 22. Præterea, ſicut in Paſcha, tres Pſalmi, ſignificant triduanam Domini Sepulturam, ita & tres Pſalmi in die Pentecoſtes recolunt Sepulturam Domini triduanam, ut idem Amalarius lib. 4. cap. 27. quia ſicut in Sabbatho Sancto, in quo recolitur Sepultura Chriſti, fit benedictio fontis baptiſmalis, in quo ſignificatur Sepultura Chriſti, ita & in Sabbatho Pentecoſtes, fit eadem benedictio fontis, ſignificativi Sepulchri & Sepulturæ Chriſti in renaſcentibus in baptiſmo. Unde ſicut in baptiſmate conformamur Chriſti morti & Sepulturæ; ita in acceptione Spiritus Sancti, Spiritui vivificanti, in Sepulchro fontis baptiſmalis in Sabbatho Pentecoſtes. Idem Amalarius lib. 4. cap. 29. de Officiis Eccl.

Hanc ergo glorioſam ſignificationem Sepulchri Chriſti, quæ tam digniſſimo Myſterio figuratur, & repræſentatur, ex eo eſſe cenſeo. Nimirum voluit Deus, ſicut ſua præcipua Myſteria Paſſionis, Sepulturæ & Reſurrectionis, in continuo habere uſu, recordatione, oculis, veneratione, ita gloriam inſtrumentorum, in quibus celebrata ſunt, uti Crucis & Sepulchri, in præſentiſſima habere memoria, ac eſſe præſentia repræſentativè ſemper adſtantibus S. Altari, & audientibus miſſam. Et Eccleſia S. ſciens, non omnes Chriſtianos poſſe viſitare Sepulchrum Chriſti illorum hanc impotentiam, tam facili ſupplevit medio; adhibendo ipſis notitiam, ſive interpretationem miſſæ, ac in illis ſignificationem Sepulturæ ac Sepulchri, ut toties viſitare videantur Sepulchrum, quoties audientes miſſam, cogitant Sepulturam Chriſti, ac locum Sepulturæ Chriſti venerantur, dum Chriſti Corpus in Altari, in Hoſtia conſecrata, in Calice ſub ſpeciebus Sangvinis adorando, ſe ſubmittunt. Et non alio fine, has collectas ex Authoribus dignis Cæremonias, ritusque concernentes Sepulchrum Chriſti, hic tibi attuli, tum ob probandam & deducendam inde gloriam Sepulchri Chriſti, cujus non poſtrema debet eſſe dignitas, ſi tam res dignæ,

myſteriaque, illius typum demonſtrant. Tum ob inſinuandum tibi modum, honorandæ Sepulturæ Chriſti & Sepulchri, ut omnes, tam qui audiunt, quam qui celebrant miſſam Sacerdotes, toties venerentur Sepulturam Chriſti, ac ad ejus advertant Sepulchrum, quoties in Miſſa & præfatis cæremoniis, puro corde ac affectu contemplantur, ac mente verſant, per dicta ſigna, intelligi Sepulturam ac Sepulchrum Chriſti, cujus gloriæ memoria ac cultus toties & tam frequenter in mentem venire debet, & animo manere fixa, quàm ſæpe & quoties, hocce Sacrificium vel tractatur, vel ab aliis peragi cernitur.

§. VI.

Sepulchrum Chriſti, eſt repræſentativum Religionis & votorum illius.

Hæc verba: *videre Sepulchrum*; Hugo Carenſis explicat in ſenſu morali: *Id eſt religionem*; quòd Sepulchrum deſignet Religionem. Petra enim clauſa, ſignificat clauſtra Religioſorum, qui in Cænobiis ſuis, Collegiisque manentes, quamvis ſint in virenti virtutum horto, ad exemplum tamen Chriſti, ſub Religioſa clauſura, ut in Monumento manere debent. *Quòd autem Monumentum Chriſti eſſet figura Clauſtri hominum Chriſto addictorum, palam eſt ex eo, quod ibi erat corpus crucifixum & extinctum. Religioſi autem tribus votis ſicut clavis cruci affixi ſunt, & jugi mortificationi inſiſtentes mortui ſæculo minime ſibi vivunt.* Marcellinus de Piſe Sect. 6. 4. in Feſt. Reſurr. fol. 173. Veſtibula Sepulchri, diſtincta dormitoria Religioſorum, quorum unum novitiorum, ſeu modo primum intrantium, à longe adhuc intima ac Religioſa atria ſpectantium exprimebat: ſecundum Profeſſorum, qui jam intimiùs debent appropinquare, obligati per vota, ad notitiam ſtatus ſui: tertium veſtibulum, ſacerdotum habitationem indicat, qui jam ſunt conjuncti intime, & approximati Chriſto; tum ex ratione ſtatus, officiique ſui, tum ex majori notitia proficiendi, arctiùs Chriſtum adire debent & intimiùs. Lapis advolutus, Vota Religioſa, Statuta Regulæ, conſtitutiones. Sigillum; lectio Sacræ Scripturæ, librorum Spiritualium, caſuum conſcientiæ & cæterorum; quia talis doctrina conveniensque ſcientia, pietati impreſſa, ſigillum eſt Religioſorum. Cuſtodes; Directores, Magiſtri, Moderatores, exemplum bonum,

In caput. 28. Matth.

bonum, animadversio supra seipsum, vigiliæ in exercitiis Spiritualibus. Ostium apertum Sepulchri; Sermones Spirituales, colloquia, Prædicationes, confessionum auditiones, Lectionum traditiones & alia oris, bonorum tamen operum facta, quæ fiunt testimonia resurrectionis nostræ, ac vitæ JESU, in nobis remonstrativa. Linteamina; sint externæ modestiæ, in habitu compositiones, non tales tamen, quæ solùm sint signa extrinsecus, locum tamen nequaquam reperire possis, quòd sit ibi JESUS, sed quod jam resurrexit: Sed tales nos exhibeamus, ut ex habitu etiam cognoscatur Christus, indumentis vestitus. Angelus super Monumentum; significat Prælatum, Superiorem, super custodiam commissi sibi gregis excubantem, qui præcipue illi, qui sunt nuntii Resurrectionis, qui adinstar prædicti Angeli, debent spectari in fulgure, id est, esse terribiles malis & discolis formidandi; & simul in nive, id est mansvetudinem exhibentes; splendidi lumine doctrinæ, innocentia & sanctitate vitæ, ac morum albedine, absque ulla nota. Vota Religiosa, exprimit Sepulchrum; Primo. Votum paupertatis, quia alienum; per quod non solum indicata fuit paupertas sine proprietate, sed etiam alienatio à se propriæ voluntatis, cum non ex propria voluntate suæ humanitatis, Christus ibi fuit positus. Secundo. Votum castitatis in novitate Sepulchri, in hoc consistente, quod nec ante ingressum Corporis Christi, nec post, corruptum aliquid retinuit. Tertio. Votum obedientiæ, repræsentat Sepulchrum, quatenus in tempore præfixo, absque ulla alteratione, commotione, conturbatione, resistentia, cunctatione, reddidit Corpus Christi. Obedientia autem juxta B. Joann. Climacum est, Sepulchrum propriæ voluntatis.

§. VII.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex nonnullis Figuris novi Testamenti.

Primò. Sepulchrum Christi & Sepultura significabatur in illo tertio ac ultimo munere, à tribus Magis oblato, nimirum in myrrha; Tum juxta prosam Ecclesiæ: *Pulvis myrrheus Sepulchrum prædocet*; tum juxta hymnum Anonymi de Epiphania: *Cum myrrha imputribili, ad Sepulchrum Domini. Cum Deus & Rex gloriæ adoratur* Biblioth. Vet. PP. Tom. 15. fol. 1018.

tur in homine. S. Ambrosius de magis deferentibus myrrham: *Myrrha honor Sepulturæ est.* Quasi illi Infanti Deo, sapientissimi & futurorum præscii magi, in cunis adhuc vagienti, Sepulturam & Sepulchrum præsignabant. Ac hic, qui in præsepi jacet Deus Homo, idem in Sepulchro cubabit tribus diebus. Et quem in cunis adorabant natum, in Sepulchro simul repræsentabant mortuum. Gestatur in manibus Regis myrrha, quia honor Sepulturæ ac Sepulchri, in manibus Regum portabitur. Munus Regum maximum, venerari Sepulturam Domini. Divites & fideles myrrham deferunt; quia dives & justus Sepulchrum Domino parabit eidem. Magna erat convenientia Sepulchri & præsepis, sive altera nativitas vel regeneratio Sepultura erat. Exhibent Sepulchrum in reverentiæ actu, quia coram illo etiam Reges procident, & dignum existimabunt, cui sit honor & gloria. Post necem à Judæis, paratur Christo gloriosius Sepulchrum, non hoc, quod intendebat sua nece parare Herodes. Pedibus infantilibus pro honorario submittitur myrrha, quia toto corpore, immittetur Sepulchro Christus, quod donum, dum libenter acceptavit Natus, libenti animo occisus, ingredietur Sepulchrum. Aderant tam dignis muneribus Maria & Joseph, quia dignitati Sepulturæ aderit & Maria & Joseph Decurio, & Cælestes intelligentiæ Angeli. Honorastis Sepulchrum, terreni Reges, quia illud Rex Regum digniùs honorabit. Deferte ad Regem Natum Judæorum Sepulchrum, quia in illo asservabitur, & titulus, in quo legetur JESUS NAZARENUS, Rex Judæorum. Non adime reverentiæ tributum, tumulo Christi, hæresis, en vides etiam in figura & Mysterio à Regibus æstimari pretiosum, & dignum in illo, Christum Sepultum adorare.

Secundò. Sepulchrum Christi figuratur in verbis significativis suæ Sepulturæ datis à Christo. Pharisæis & Scribis in signo Jonæ Prophetæ Matth. 12. quia nimirum hoc signo fuit signata crux & Sepulchrum Christi, tenet S. Chrysostomus in cap. 28. Matth. homil. 89. *Hoc est illud profectò signum, quod petentibus Judæis daturum se dicebat, dicens:* Generatio prava & adultera signum quærit & signum non dabitur ei, nisi signum Jonæ Prophetæ; *Crucem enim mortem, Sepulchrum atque resurrectionem significat.* Primò enim sicut venter ceti Jonæ, fuit figura Sepulchri, ut dictum sub prophetia Jonæ; ita per cor terræ, in verbis Christi, intelligitur Sepulchrum

chrum juxta Sanctos Patres & Interpretes à Sylveira Tom. 3. libr. 5. fol. 330. num. 99. satis luculenter adductos. Secundò tres dies Jonæ, trium dierum Christi indicant Sepulturam, juxta Anastasium Sinaitam in Hexamer. libr. 3. anag. contempl. Cur autem Christus, dum quæreretur à Judæis de aliquo signo illis ostendendo, non monstravit signum passionis ac mortis suæ, sed signum Sepulturæ? dici potest; tum quod Sepultura Christi fuit speciale signum ejus glorificatæ naturæ, humanæ; tum fuit speciale signum Divinitatis, tum quod Judæi manifestam Christi mortem oculis spectaturi erant, & vere agnoscere in cruce mortuum, nunquam autem sperabant & credebant de Sepulchro resurrecturum. Tum quia Christus ipse etiam in vita voluit honorare Sepulturam & Sepulchrum suum, dum illud in signo prophetico proposuit Pharisæis. Tum dat hujus optimam rationem Sylveira loco citato fol. 328. num. 80. quia Christus in morte fuit multis opprobriis, injuriis, ac tormentis affectus; jam vero in Sepulchro magno honore ab hominibus est prosecutus. Oblivisci itaque videbatur Christus de injuriis mortis suæ, de Sepulchro autem, in quo multo honore ac decore fuit insignitus recordatur, ac illud in signum & documentum suæ pietatis ac honoris præstiti ab hominibus, assumit. Passio ac mors Christi fuit signum opprobrii, contumeliæ, ac dishonorationis Christi, proinde de his, quia amator inimicorum Christus, non exponit signum; Sepulchrum vero quod erat honoris ac beneficii exhibiti documentum, assumit ac proponit ut signum honorificum, ac pietatis demonstrativum.

Tertiò. Sepulchrum Christi est Ager ille, de quo Matth. 13. v. 44. in quo homo abscondidit thesaurum, & vendidit universa & emit agrum illum: Arnobius cap. 17. in Annot. in Evangel. loc. *Ager hic mundus est, thesaurus absconsus in Agro Christus, qui latuit triduana illa passione in Sepulchro.* Iste enim homo, primò fuit Joseph ab Arimathæa, qui thesaurum, id est corpus Christi, quod inappretiabilis thesaurus est, ut dictum sub titulo Gazophylacium libr. 1. in agrum Sepulchri abscondidit, & summam inde concepit lætitiam & gaudium, quò nihil carius ipsi accessit, dum agrum illum, tam copioso replevit thesauro, ac si quibusque divenditis pretiosissimis mercibus, prædives Ager nimium evaderet; Secundò ille homo fuit S. Helena Imperatrix, quæ absconditum thesaurum, monumentum scilicet ipsum invenit in Agro. Gvillelmus

 Duran-

Durandus libr. 7. cap. 11. de Invent. Cruc. dicit: Quod in Festo Inventionis S. Crucis, adeoque & Sepulchri Christi, conformiter ad dicenda cap. 4. aliæ Ecclesiæ, Evangelium hocce Matthæi de thesauro abscondito, legant; Crux enim & Monumentum ad literam inventa sunt in Agro. His ergo inventis S. Helena Imperatrix, præ gaudio summo abiit, & vendidit universa, id est omnes relinquendo transitorias substantias, ad S. Sepulchrum existentibus Famulabus, se ancillari obsequio mancipavit, ut illum agrum emeret pretio humilitatis, & sui famulitii. Emit insuper agrum illum, dum totum ærarium suum exhausit, & expendit in comparando agro illo Sepulchrali. Tertiò homo ille fuit Godefridus, qui divenditis omnibus bonis suis hæreditariis & successionalibus, scilicet Castro Buillon, cum longe lateque diffuso territorio, Leodiensi Ecclesiæ, mille trecentis marchis argenti purissimi & tribus auri, ut habetur in Natalibus Sanctorum Belgii, in appendice de hoc Rege, & tria amplissima Patrimonia, ut habetur apud Paulum Æmilium libro 5. emit Agrum Sepulchri Christi, ut ad illum comparandum, manu tenendum, possidendumque, omnia bona divenderet, ut solum illud lucraretur, in quo thesaurus Corporis Christi fuit absconditus. Tales homines insuper fuerunt multi Imperatores, Reges, Principes, qui tanti hunc sibi æstimarunt agrum, ut pro illo adipiscendo, bonis fortunæ suæ, & amplissimis possessionibus se exuerent, ut tantùm illô frui possint. Et quibus fortunæ non suppetebant opes, sangvinem, vitam, qua nihil cariùs, impenderunt & exposuerunt, & illius agri cultores, Domini, possessoresve fierent. Ita fecerunt illi, de quibus sic scribit Trithemius Abbas in suo Chronico fol. 260. num. 40. Tom. 2. *Hoc ipso anno 1100. multi Principes, Episcopi, Abbates, cum infinita multitudine, ad Terram Sanctam, in servitium Dominici Sepulchri profecti sunt. Inter quos fuit Bertholdus Comes de Nuenburg in Brisgaw, qui accepta pecunia Comitatum suum Ecclesiæ Argentinensi tradidit in perpetuam possessionem cum omnibus attinentiis suis, & ipse cum Filio suo profectus est Hierosolymam, ibi in servitio Sepulchri Dominici, usque ad mortem perseveravit, cujus exemplo multi nobiles & potentes prædia sua vendentes, cum uxoribus & liberis perpetuo servitio Sancti Sepulchri se devoverunt.* Ecce sunt hi homines, qui vendiderunt omnia sua, & flocci sibi fecerunt copiosas possessiones, ut pro tanto à se vili existimato

ſtimato pretio, eoque abjecto, emerent agrum Sepulchri, in cujus ſervitio laborem ſuum, pro æterno theſauro comparando impenderent, & plus lucrati ſunt, dum poſſeſſores hujus agri evaſerunt, quam Domini terræ nuncupati.

Quartò. Affinis huic altera parabola; ibidem v. 33. de fermento quod mulier abſcondit in ſatis tribus. Hæc tria ſata juxta dicta fol. ſignificant triduanam Sepulturam, vel per ſatum, intelligitur Sepulchrum ipſum, in quod Mulier Beatiſſima MARIA, cui non pridem dixerat: *Mulier:* abſcondit fermentum, Chriſti Corpus, quod juxta S. Ambroſium Serm. 21. in Dom. 6. poſt Epiph. recte fermento comparatur. Et hujus eſt ſenſus Cornelius à Lapide hoc loco in Expoſit. Anagog. *Satum tertium eſt Sepulchrum, in quo abſconditum Chriſti Corpus, fermentavit omnia in Reſurrectionem & vitam.*

Quintò. Locus Sepulchri Chriſti, prædici videtur in his illius verbis Matth. cap. 24. v. 28. *Ubicunque fuerit Corpus, illic congregabuntur & Aquilæ;* Corpus enim hoc loco cadaver ſignificat, in hunc locum Barrad. in Evang. tom. 3. libr. 9. cap. 9. fol. 585. & dicit hunc eſſe ſenſum: Ubi fuerit cadaver, illic congregabuntur & aquilæ; adeoque per hoc pronomen; *ubi*, videtur exprimi locus Sepulchri Chriſti, cum in illo fuerit cadaver ſeu Corpus Chriſti mortuum. Ad quod congregatæ ſunt Aquilæ, nempe Joſeph & Nicodemus, idem Barrad. tom. 4. in Evang. libr. 7. cap. 23. fol. 327. *Venit Joſeph, venit & Nicodemus ad Chriſti Corpus Nobiles Aquilæ, audaci volatu, juxta illud Matth. 24.* Ubi fuerit Corpus illic congregabuntur & Aquilæ. *Hanc Divinam audaciam Spiritus S. illorum pectoribus tribuerat, ut Chriſti Sepulchrum glorioſum eſſe inciperet.* Sanctæ Mulieres, de quibus S. Thomas de Villanova Serm. de Reſurr. *Prodeunt ergo domo, dum adhuc tenebræ eſſent, & veniunt ad Monumentum, orto jam ſole, non quod ſegniter irent, quæ quaſi Aquilæ volabant ad Corpus.* Euthymius ſcribit aquilas ſatellites, qui ſtipabant Chriſtum, hi ſatellites cuſtodes erant Sepulchri, qui nimia celeritate ad illud ſtipandum advolarunt. D. Hilarius aquilas appellat Sanctos; ô quot Sancti & Sanctæ volatu corporali & Spirituali deſiderii, congregati ſunt ad locum illum, in quo fuerat Corpus JESU! Hieronymus, Chryſoſtomus; Angelos, Martyres, cæterorumque multitudinem, nomine Aquilarum ſignificari dicit.

dicit. Ad locum Sepulchri advolarunt è ſublimi cælo alati Angeli, de illis idem Barradius Tom. 4. fol. 343. *Cur Angeli ad Sepulchrum? quia Regis Angelorum erat, gaudent itaque Angeli magnaque cum lætitia in Sepulchrum veniunt.* Advolarunt & Martyres; currebant duo ſimul ad Monumentum Petrus & Joannes, ipſe eſt Aquila, ſic eum appellat S. Aug. De quo quærit idem Barradius libr. 8. cap. 9. Cur Joannes in Sepulchrum non introivit, & in ſolo introitu non in curſu, obſervavit reverentiam Petro, dicit: tunc raptum deſiderio videndi Sepulchrum non advertiſſe. Advolavit ad illum locum tanta Sanctorum multitudo, quæ nec enumerari poteſt S. Gregorius Papa in Dialog. de Sacris Imaginibus: *Cœperunt ab univerſo terrarum orbe homines velut aquilæ advolantes, Hieroſolymam venire, prout in Evangeliis dixerat Dominus:* Ubi fuerit Corpus, illic congregabuntur & aquilæ. *Chriſtus autem cadaver; aquilæ in ſublime volantes, religioſi ſunt homines & Chriſti amantes.* Author imperfecti, in aquilis regalem dignitatem oſtendit. O quot tales aquilæ, nempe Reges, Principes, Duces, & cæteri de regio ſangvine proceres, ad Sepulchrum adorandum convenerunt! Aquilæ celeri volatu ad cadaver convolant, etiam ex locis valde diſtantibus; ſic Imperatores, Reges, aliique de ſangvine Regum propagati, velociſſimè etiam ex locis maxime longinquis, confluebant ad locum Sepulchri, in quo Corpus Chriſti mortuum, fuit depoſitum.

Sextò. Sepulchri Chriſti fuit figura, ille hortus in parabola propoſitus, de quo Luc. 13. v. 19. *Simile eſt grano ſynapis, quod acceptum homo, miſit in hortum ſuum, & crevit, & factum eſt in arborem magnam, & volucres cæli requieverunt in ramis ejus.* Quis enim iſte homo, niſi Joſeph ab Arimathæa, qui ab Evangeliſtis, homo juſtus, & vir bonus dicitur; iſte homo fuit dignus, ut acciperet granum ſynapis, Chriſtum Dominum, & ſeminaret in horto ſuo, in quo erat Sepulchrum, & quod hortus eſt, dictum ſub titulo eodem libr. 1. Quod minimum quidem erat protunc, ut habetur apud Matth. in eadem parabola; tum, quia tam profundè humiliatum; tum, quia tam ſe exiguum, immenſus Deus in carne oſtendit, ut illo Sepulchri ſpatio concluderetur. Et omnibus ſeminibus fuit minimus, in quantum omnibus, humilitate ſua exemplum erat. Sed poſtquam hoc ſemen, Corpus Chriſti videlicet,

licet, ex Agro Sepulchri per Resurrectionem, in altum excrevisset, tam latè ramos suos protendit, ut totum orbem protegerent; & volucres Cæli B. Virgo, Aquila magnarum alarum, & Sancti Apostoli, Doctores & tot innumeri Sancti, totam requiem animarum suarum, in hujus arboris ramis collocarunt. In hac parabola, hunc latere sensum agnovit S. August. Epist. 48. apud Glossam: *Potest in grano Synapis humilitas Dominicæ Incarnationis intelligi, quo accepto, homo misit in hortum suum; quia Corpus Crucifixi Salvatoris, accipiens Joseph, in horto sepelivit.* S. Gregorius libr. 19. moral. *Christus granum fuit Synapis, quod in agro seminatum fuit, cum à populo comprehensus, & morti traditus, tanquam in agro fuit, statione quadam corporis consepultus. Tandem verò ultra mensuram omnium olerum excrevit, & universam Prophetarum gloriam excesfit. Unde arbor fuit, cum resurgeret.* Ut ergo & tu in hac arbore, id est Christo conquiescas, sis volucris cæli, à terra, rebusque mundanis longe distans; ut autem fias cælo proprior ac vicinus, humilia te in Sepulchro Christi, & sic ex illo, usque ad cælestia excresces.

Septimò. Eandem parabolam, quæ habetur & Matth. cap. 13. v. 31. exponunt Sancti Doctores, de Sepultura & Sepulchro Christi: nomine grani Synapis intelligunt Corpus Christi, per hominem autem seminantem hoc granum, significari volunt Josephum ab Arimathæa. Per agrum vero Sepulchrum Christi indicant. D. Ambrosius Serm. 2. *Hoc granum Joseph accepisse, & seminasse in agro suo, sive in horto; Christum enim Joseph ab Arimathæa in horto suo sepelivit, & granum hoc veluti seminavit.* S. Hilarius in Matth. *Minimum granum Synapis, humilem Christum significare cruci suffixum, & in Sepulchro veluti horto seminatum; unde summa cum gloria resurgens in arborem excrevit maximam.* O verè Sepulchrum Christi gloriosum! O ager benedicte, nulli terreno comparande! De hoc semine dicenda sunt illa verba Psalm. 111. *Potens in terra* (scilicet Sepulchri) *semen ejus* Christus, a quo generatio rectorum benedicetur. Primus ille hortus Gethsemani juxta D. Hilarium, ager erat, in quem de sudore vultus sui, secundus Adam, prima semina sangvinis sui jecerat, & seminavit. Secundus hortus Monumenti, & simul ager, in quo ultimas guttas copiosæ redemptionis suæ è mortuo corpore, velut semina mortua jecit, quibus fructum

ſuæ paſſionis glorificaret, & in incrementum majus extenderet. Ex quo dum tuam pretioſe ager felicitatem agnoſco, veraciter pronuntio: Verbum Dei eſt ſemen hujus agri, ex quo & Corpus adeo pulcherrimè excrevit, & te tali fructu nobilitavit. Si terrigenæ tales amant agros, deſiderant, illorum poſſeſſione gloriantur, nobilitantur, ditantur, & ſubſiſtunt; qui illis nimis fœcundè fructificant, & plurimum fructum adferunt; & cur non debet amari, deſiderari ager Sepulchri Chriſti, ex quo tam fœcundisſimus germinavit fructus? Cur ex poſſeſſione talis agri, non debet gloriari homo agricola terrenus, ex cujus ſemine nobilitatur, ditatur, augetur, & ſubſiſtit? Nimis itaque colite, amate, deſiderate gloriamini fideles, de agro tam fertilisſimo, æſtimate agrum Sepulchri Chriſti, ex inæſtimabili ſato ſemine. Oſculor reverentisſimè manum tuam ô homo dignisſime Joſeph, vosque conſeminatrices alias manus, quæ ſeminaſtis in agrum Sepulchri, adeo dignum ſemen. Simulque amplector & præfero te ager fœcundisſime, Sepulchrum Chriſti, omnibus terrenis divitiis, utinam ex te ſolo, fructu hoc utar, & ex tuo ſemine creſcam, ſive in excreſcentis arboris Chriſti ramis, inhabitem perenniter.

Octavò. Sepulchrum Chriſti eſt Domus reſtitutionis Zachæi, de qua Luc. 14. Locum iſtum Iſaiæ Prophetæ: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, Chaldæus Paraphraſtes teſte Ario Montano fol. 276. legit. *Et erit locus habitaculi ejus in honore.* Sepulchrum ergo, cum ſit locus habitaculi, ſeu domus, brevis licet manſionis, fuit glorioſa in eodem titulo, ex titulis veteris teſtamenti libr. 1. adductis. In novo vero, habitaculo Sepulchri Chriſti, convenientem & figurativam cenſeo domum Zachæi, in qua facta eſt reſtitutio, ac redditio in quadruplo. Quid enim illa apertura Monumentorum, ſub tempus mortis Chriſti portendebat? niſi illam ſitim furum & avarorum, ad inſtar rei alienæ, pretioſi illius appetitum theſauri, hianti ore, ſummis inhiabant divitiis, ſi non ſorte tacitoque modo, ſub tenebris illis, ſors illis contingeret, de ligno rapere Corpus Chriſti. Quorum dum unum ex illis, pro majori ſua diſpoſitione ac arte, harum divitiarum furandi pollens, ſcilicet quia novum, quia juſti, quia purum fuit, contendit rapere de morte vitam, & Corpus Chriſti, meretur intra ſe, tanquam opes intra Arcam concludere, Matth. cap. 28. cum omni præcuſtodita cautela. *Pilatus juſſit reddi Corpus.*

Ite

Ite, cuſtodite ſicut ſcitis. Tam ergo pretioſâ onuſtum rapinâ ſatis oblectatum, conſcium tamen rei alienæ, ſuæ diuturnæ tentioni indebitæ, quaſi urgente ſtimulo, de contrectatione rei, non ſuo dominio ſubjectæ, tremens ac pavens acceptum reſtituit. S. Chryſoſt. in Pſal. 21. ait: *Sepulchrum accepto Corpore, deposito terretur, quod Patris theſaurum accepiſſet, depoſitum cum tremore reddidit.* Et Salmeron Tom. 10. fol. 404. *Hoc Sepulchrum dicitur glorioſum futurum ab Iſaia, propterea, quod primum Sepulchrum eſt, quod Corpus creditum, redivivum ad vitam immortalem reſtituit.* Sed ſicut ad adventum Chriſti in domum Zachæi, fit in quadruplo reſtitutio: *Si quid aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* ita Corpus Chriſti exceptum in Monumentum Joſephi ab Arimathæa, licet eo non invito, quia *oblatus eſt quando voluit*, de Cruce cum ſurripuiſſet; in quadruplo ſuo Domino, rei contrectatæ facit redditionem, in quatuor donis nobilitatum exponens, ac in publicum exhibens, pretioſum pignus. Adeſt huic ſenſui Vincentius Gilibertus Clericus Regularis in Pſal. 3. v. 4. cujus licet prolixa, utilia tamen ſubdo verba: *Et verè furtum fuit; nam Sepulchrum lucri faciendi gratia, ſive Corporis Chriſti, ſive uſûs, ſive poſſeſſionis illius, invito Domino rapuit Dominum; dum enim Dominus majora pati optabat, & longiori tempore in Cruce pendere deſiderabat. Sepulchrum, ut illum poſſidendo evaderet glorioſum, invito Domino conſecravit, & ſeu ita rapuit mortem. Cum ergo tempus reſurrectionis advenit, quod à Principe Apoſtolorum dicitur:* Tempus reſtitutionis; *Sepulchrum à conſcientia conſtrictum reſtituit Salvatorem, & legem reſtitutionis ſervavit, quâ ei præceptum erat:* Si quis furatus fuerit ovem, reſtituet quatuor oves pro una ove. *Et Zachæus dicit Domino:* Si aliquid defraudavi reddo quadruplum. *Eandem reſtitutionem in quadruplum fecit etiam Salvatori Sepulchrum; mortale enim ab eo furatum, reddidit immortale, agile, luminoſum quatuor dotibus ornatum, ſummo honore coronatum & glorioſum.* Sicut enim Domus Zachæi, honorifica fuit ob exceptum Chriſtum, & præſtitum actum juſtitiæ, reſtituendo in quadruplo, quod ſuum erat; ita Sepulchri habitaculum glorioſum, quia fuit Domus Joſephi, excipiens Corpus Chriſti, & Domus reſtitutionis in quadruplo.

[Margin: Actor. 3. v. 21. — Exod. 22. — Luc. 19.]

Nonò. Figuratum eſt Sepulchrum Chriſti in Domo, in quam introivit Chriſtus & accubuit, ubi Magdalena unxit pedes ejus,

& lachrymis rigavit, *& domus impleta est ex odore ungventi.* Joan. cap. 12. v. 3. quia Christus accubiturus erat in domo Sepulchri, ad quam domum ibi accumbentis Christi, ventura erat, cum similibus ungventis Magdalena, & multi peccatores eandem domum erant visitaturi. Et hæc Domus tota Sepulchri impleta est ungvento, nimirum Corpore Christi, ac Nomine IESU, quod ungventum exinanitum est, tum ungventis, quibus fuerat Corpus Christi locatum, unctum. Dum ergo in domum convivii adfert Magdalena ungventa, simul in mysterio refert, quod in Sepulchro decumbet Corpus ungventis delibutum. Id ipse Magister Christus explanavit *in diem Sepulturæ meæ*, vel ut Matth. *in Sepulturam.* Sed quid est, quod ad Cœnam, sive convivium Sepultura & Sepulchrum Christi memoratur? nisi forte, tum quod juxta Barradium Tom. 3. in Evang. fol. 420. *vocat illam diem Cœnæ, diem Sepulturæ; sive quia illa unctio Sepulturam repræsentabat.* Tum quia à Cœna Christi ultima cum Discipulis, inchoabuntur signa ostensiva Sepulturæ, & Sepulchri Christi. Tum quia optimum est, dum sapidum aliquid aut dulce sumis, in ipsa dulcedine & inter epulas, Sepulturæ ac Sepulchri Domini recorderis. Tum quod etiam ad Convivia Magnatum vindicatio honoris Sepulchri Christi poterit opportunè promoveri. Tum quod Sepulchrum Christi, est Mensa Spiritualium dapum, ac deliciarum. Quod vero Magdalena, dum ungventa Sepulchralia simul defert, in simul & lachrymis pedes rigat, quia qui memoriam Sepulturæ, sic & Sepulchrum adeunt, non sine lachrymis abeunt. Sive simul lachrymarum pœnitentialium fluenta provocat in hominibus, Sepulchri adoratio ac memoria. Procumbunt peregrini ad Sepulchralia ostia, & vim lachrymarum ad pedes Christi, ibi jacentis profundunt. Hoc opus Magdalenæ quod præfiguravit Sepulturam, commendavit publicè Christus, & multum sibi in illo complacuit; Multum commendat Christus eos, qui mysteria Christi, ut & Sepulturæ profitentur. Publicam laudem à Christo obtinent, qui circa cultum Sepulchri ejus, piissimo obsequio famulantur. Complacet sibi Christus, in promotione cultûs Sepulchri sui. Etiam inter Pharisæos & Scribas, id est inter Infideles existenti tumulo exhibitus honor, publicam meretur eamque Divinam laudem; sive Divinis præconiis extollendum est Christi Sepulchrum.

Deci-

Decimò. Sepultura Chrifti Domini, fuit præfignata tempore illius Paffionis, in illo adolefcente, amicto fuper nudo, de quo Marc. cap. 14. v. 51. Quem adolefcentem referente Lyrano, ibidem apud Gloffam, nihil habentem, nifi Syndonem, aliqui dicunt, quòd fuit S. Jacobus Minor Frater Domini: quicunque tamen is fuerit, hic myfticè figurabat Chriftum Dominum, qui de fe dixit: *Adolefcentulus fum ego & contemptus*, qui in Sepulchro indutus Syndone, & linteaminibus fuper nudo Corpore, rejectis ibidem, nudus ex eo exivit. Confirmat hanc rem Petrus Biverus Matritenfis Differt. 2. de privileg. Mariæ num. 58. pag. 221. *Adolefcens erat Chriftus, fyndone mortalitatis indutus, & tenuerunt eum Hebræi, dum caperetur, dum vinciretur, dum Cruci affigeretur; adhuc in Sepulchro ipfo, ubi & à Militibus cuftodiebatur; at ille rejecta mortis & immortalitatis fyndone, nudus profugit ab eis. Unde & nudus de Sepulchro prodiens defcribitur & depingitur. Conftat Syndonem tunc temporis rejeciffe, ficut vidit fuis oculis S. Petrus.* Intravit in Monumentum, & vidit linteamina pofita.

Undecimò. Sepulchrum Chrifti figurabat, illa probatica Hierofolymis pifcina, de qua Joan. cap. 5. v. 2. Si enim Sepulchrum S. Landradæ Virginis, probaticæ pifcinæ comparat Molanus; cur- D. Julii fol. 140.
ni eadem, Sepulchri Chrifti non extiterit figura? ex qua non folum corporum, fed quod magis animarum, idque omnium hominum, quibuscunque defectibus, etiam lethiferis laborantium, medela prodivit. Primò illa pifcina fita erat juxta portam Hierofolymis; Sepulchrum Chrifti, ad portam ejusdem Civitatis. Secundò pifcina illa, juxta Adrichomium num. 62. domus effufionis dicta, quod aquæ ad illam confluebant; Sepulchrum Chrifti domus profufarum gratiarum, ex qua & Divinæ gratiæ effluunt; dicit Cardinalis Baronius, quod ex relicto Sepulchro Chrifti, tanquam loco, dignâ memoria confecrato, & quodam trophæo victoriæ facto, toto orbe confpicuo, atque proficuo, ex quo veluti è perenni quodam fonte, fluenta gratiarum atque miraculorum eruperunt, & ad quod aquæ, populi multi, confluunt. Tertio juxta eundem Adrichomium ampla & præcipua erat; Sepulchrum Chrifti ampliffimum, orbis & cæli præcipuum ftillicidium. Quartò juxta Evangeliftam, quinque porticus habebat; Sepulchrum Chrifti quinque vulnera, tanquam porticus, per quas haurimus fontem

tem aquæ vivæ. Huic Sepulchro adjacebat magna multitudo langventium hominum, variis detenta infirmitatibus corporis, animæ; expectans in illam descensum Angeli, sed postquam Magni consilii Angelus Christus, post motum terræ in hanc piscinam Sepulchri descendit prior, & virtute sua potestatis motum exercuit, scilicet activè Resurrectionem suam DEUS effecit, illo uno sano & integro in corpore facto, omnes nos tam corporaliter in dotibus, quam supernaturaliter in anima sanati sumus. Sicut enim uno infirmo in paradiso homine Adamo, omne genus ægrum factum; sic uno homine Christo, descendente in piscanam Sepulchri, & surgente ex illa, universi mortales multis & magnis oppressi peccatis, sani & salvi facti sunt. Vel etiam per illum Angelum intelligitur Angelus ille Domini, qui descendit super hanc piscinam, & movit illum lapidem, turbatis omnibus custodibus, ac territis; & Magdalena, quæ prior post amotionem lapidis, illuc venerat, sanitatem recuperavit. Vel si aliqui sunt, qui in hac piscina figuram Baptismi ostendunt, ut Syrus vertit: *Baptisterium* porro Baptisterium, est symbolum Sepulchri Christi; proinde illius, tanquam antitypus piscina erat. Tum referente Lyrano in hunc locum, lignum, in quo vidit Regina Saba in Spiritu passurum Christum, Salomon, fecit poni in profundo terræ, ubi postea in superficie terræ, facta est illa piscina, quod figurabat idem lignum Crucis, in profundo terræ abscondendum, & juxta illud aperiendam piscinam, non aliam, nisi Monumentum Christi.

Duodecimò. Parabola illa Evangelica prolata à Christo de semine Joan. 12. v. 24. quid palam per suam similitudinem evolvebat? nisi Sepulturam Christi Domini. Seminis enim granum erat Corpus Christi. Advertit enim hìc S. Aug. apud Glossam, quod nulli alteri semini hìc comparavit se Christus, nisi frumenti; quia in solo frumento juxta morem Ecclesiæ conficitur Corpus Domini. Tum sicut semen frumenti omnibus aliis est candidius; ita Corpus Christi præ omnibus aliis innocentiùs, Sanctiùs. Hoc ergo semen contritum ligno Crucis, postquam mortuum in terram Sepulchri cecidit, multum fructum attulit. Terræ autem Sepulchralis fructus multi fuerunt, dum in eam hoc semen cecidit. Tum quia hæc terra protulit fructum tam excellentem, humanitatem Christi vivam, tanquam vitem, cui nos palmites complantati per

gratiam,

gratiam, fructus meritorios faciamus. Tum quia ab illa terra, semen Verbi Dei non aruit, sed etiam cadens in petram frugiferam, attulit fructum plus quam centesimum. Tum denique quod ab illa terra, omnes terrigenæ, rebus terrenis non adhærentes, sed Christo consepulti, levantur in sublime, ut gramina tanta proferant, quæ vitæ immortalis obtinendæ, educant alumnos. Ad rem hanc eleganter S. Vincentius Ferrerius Serm. 4. in Dominic. Sexag. hanc parabolam explicans, de quadruplici seminis casu, scilicet in Incarnatione Verbi, dum hoc Semen cecidit in terram benedictam MARIAM; in nativitate, dum ex terra eadem prodiit, & in antrum decidit; in vita, dum sparsum fuit per prædicationem, in varias terras & corda hominum; in Passione, dum toties in terram prostratum & conculcatum fuit; tandem de quarto casu hujus seminis, in terram Sepulchri dicit: *Quartò cecidit in terram bonam, scilicet in sua tumulatione, quando Corpus fuit positum in sancto Sepulchro; anima vero in limbo. Et ortum, scilicet resurgendo, fecit fructum centuplum, scilicet Sanctorum Patrum liberationem, & nostram redemtionem. Et fuit completum verbum quod Christus dixit:* Amen dico vobis, nisi granum frumenti, cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet. Si autem mortuum fuerit multum fructum affert. Et clarissimè Illustrissimus Regni Poloniæ Princeps, Stanislaus Radziwil M. D. Lithvaniæ Cancellarius, in histor. Pass. Christi super dicta verba fol. 262. *Cecidit in terram granum nobilissimum, & sub terram in Monumentum, multum attulit & affert fructum. Ergo radix fœcundissima, Monumentum Christi.*

Decimo tertiò. Gloria Sepulchri Christi, resplendebat inter illos pretiosissimos lapides, de quibus in Apocal. cap. 21. quorum unus ex illis ornamentum Sepulchri Christi fuit, nempe lapis Sardius; quia sicut lapis Sardius, intra saxi cor generatur; sic Christus (inquit hìc Cornelius à Lapide) in lapideo Sepulchro resurrexit, & quasi regeneratus est. Ludovicus Alcazar in Apocal. fol. 916. *Si inter Sardas nobilissima, intra saxa generatur, appositum est symbolum, ad miram Christi Domini, in lapideo Sepulchro regenerationem; sic Paulus de Christi resurrectione explicat illud Psal. 2.* Ego hodie genui te. Tum sicut hæc gemma, quamvis à pluribus reputetur novissima, pretiosa tamen & pulchra est; ita Sepulchrum Christi, quamvis novissimorum, quia mortui est locus, pretiosissimum

ſiſſimum tamen & pulcherrimum fuit. Tum ſicut in pectore Aaronis, in prima ſerie, locum primum Sardius tenebat, quia videlicet Summi Sacerdotis Chriſti, locus Sepulturæ primatum tenet, ut dicetur; vel quia rationale Judicii, non nimis longè erit à Sepulchro Chriſti, ut dictum fol. 111. Vel quod pectus Sacerdotis, debet primo ita ornari, ut exprimat Monumentum Chriſti in ſe; vel eſſe in pectore ſemper memoria S Sepulchri. Tum hæc gemma eſt rubei coloris; lapis Sepulchralis rubei albo permixtus. Illum deſcribit Haymo Epiſc. in die S. Paſch. fol. 259. *Erat enim lapis magnus in horto, guttulis purpureis intinctus*; fuit item Sangvine Chriſti conſperſus. Tum in Hebræo dicitur à verbo Adam; Sepulchrum Chriſti fuit Corporis humani, ſecundi Adami receptaculum. Virtutesque quæ conveniunt Sardio lapidi, Sepulchro Chriſti optimè adaptantur; nullius fuit expers maculæ, livores & vulnera in eo Chriſti fuerunt, ſanata; gaudium accedit, dum in Domino parit lætitiam, Sangvinem Chriſti retinuit, & ſiſtere fecit undequaque fluentem; feris Barbaris & peccatoribus terrorem incutit; maleficia pellit; & malefactores exterminat à ſuo aditu intimo, quas etiam proprietates convenire Sardio attribuunt Expoſitores.

Decimo quartò. Liber ſcriptus intus & foris, ſignatus ſigillis ſeptem, de quo Apocal. cap. 5. exprimebat Sepulturam Chriſti & Sepulchrum, in quo Liber vitæ, Chriſti Corpus, fuit involutum linteis & ſindone, & ſignatum ſeptem ſigillis, id eſt varietate figurarum, & multitudine myſteriorum, cujus multitudinis ſeptenarius eſt ſymbolum, juxta Cornelium. Tum Aretas Cæſarien. in Apocal. cap. 13. per Librum intelligit Chriſtum; ſigillorum autem myſticam ſignificationem, adferens expoſitionem ſexti, ad depoſitionem in Sepulchrum refert: Libeat hic per librum ſignatum ſigillis ſeptem, intelligere Sepulchrum Chriſti, quod fuerat ſcriptum intus Verbo Divino, foris teſtimoniis figurarum, Prophetarum; cujus ſcripturæ interior & exterior explicatio patuit ex aperto & revoluto libro, id eſt Sepulchro: cognitus eſt character Divinitatis, qui humanitati per unionem impreſſus erat. De quo forſitan Malachias cap. 3. v. 16. *Scriptus Liber Monumenti, coram eo timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus.* Hujus Libri materia & argumentum, Perſona Divina Verbi; illâ ſolâ conſcriptus,

& illi tantum dedicatus, quam dum cælavit, satis magnos imprimi sibi fecit, bonitatis ac attributorum ejus characteres, nunquam delendos & obliteraturos, quos in Sepulchro colligere & legere licet. Libro inscriptum lemma: *Doctis hic servit apertus.* Sepulchrum Christi apertum, nonnisi doctis serviebat. Angelus fortis, nempe Gabriel, dignus est aperire librum, & solvere signacula; quia infallibilis Veritas, ita hunc librum revolvit & pertransiit, ut signacula ejus minimè solveret. Servivit apertus, primò B. Virgini Divinæ Magistræ; Intelligentiis subtilissimis; Mariæ Magdalenæ, quæ magistra ab hoc libro evasit, futurorum mundi totius Doctorum; Petro & Joanni; Jacobo Minori, supremis & antiquissimis Theologorum columinibus. Servivit apertus liber hic, S. Cyrillo; Sophronio, aliisque Doctoribus, Episcopis Hierosolymitanis, cunctisque servit timentibus Dominum, & cogitantibus nomen ejus. Emmanuel Villaroél tale promit encomium. *Erat Monumentum concha sine pretiosissima margarita, ac epistola arcana, scripta literis vulnerum, quibus legebantur, ab amante pectore sculpta signa dolorum. Magdalena etiam atque etiam Sepulchri respiciebat Epistolam, an incuria reliquisset, transitu solatii aliquantulam sententiam. Non invenit & iterum legit; quia amanti semel legisse non sufficit.* Sepulchrum Christi est liber deauratus gratiis, ornatus privilegiis, sigillatus eximiis prærogativis. Signacula septem hujus libri, id est Monumenti Christi, sunt septem custodiæ. Primò. Pater cælestis custos fuit: Si enim Spiritum suum ei Christus in cruce commendavit, procul dubio & Corpus in Sepulchro à corruptione æquè fuit custoditum. Secundo. Christus sui ipsius custos extitit; adhuc enim in vita, non minus verè quam malitiosè à Judæis objectum fuerat: *Nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es.* Qui custodem significat. Tertiò. Matrem etiam benedictam, custodem Sepulchri fuisse non à vero aberratur, licet non corpore, spiritu tamen quis neget? cum cor illius ibidem fuerit conclusum. Quartò Joseph, Nicodemus suum apposuit sigillum, dum lapidem advolvit ad ostium Monumenti. Quinto. Judæi munierunt Sepulchrum, signantes lapidem. Sexto. Angeli custodes extiterunt. Septimum tandem explicans Auctor Paradisi Sponsi & Sponsæ capit. 50. fol. 198. *At quem septimum fuisse custodem arbitrabimur? Certè existimo quòd diabolus huic operi pro nequiore vigilantium*

Tom. I. Thaumatolog. 5. Didaxal. 17. n. 11.

lantium parte non defuerit; ut quemadmodum non frustra in cruce morienti adfuisse præsumitur, ita hîc suo muneri, in Judæis adjuvando, non defuisse credatur. Verùm septimum Sepulchro Christi, sanctiorem adjungo custodem, D. Jacobum Minorem, Fratrem Domini, ejus tituli convenientiam, inferius probandam relinquo. His ergo septem custodibus tanquam sigillis septem, liber iste, Sepulchrum, signatum fuit, ex quo dum victor Leo Christus prodiit, omnes illum prospexerunt, ingentia legerunt beneficia, exosculati sunt & coluerunt ac magni fecerunt.

Decimo quinto. Sepulchrum Christi videtur esse, ille thronus in medio positus, in quo vidit Joannes Agnum stantem, tanquam occisum ibid. v. 6. Ille enim thronus, & formam lectuli feralis gerebat, quia in illo fuit locatum cadaver, Agnus occisus, & dicitur tanquam occisus; quia licetsi in illo throno non fuerat occisus, repræsentabat tamen occisionem. Sepulchrum Christi thronus fuit, ut Simeon Archiepiscopus Thessalonicensis, de Divino Templo, cap. de Sacra Mensa: *Sepulchrum est Thronus JESU.* Tum si referente Cardinali Baronio anno 692. Romæ in Sepulchris videre est, Christum sculptum quasi agnum; Hierosolymis Sepulchrum Christi thronus erat, in quo agnus, qui tollit peccata mundi, collocatus fuit. Tum quia Sepulchrum Christi fuit in medio ut pat. fol. fuit thronus, ut ex titulo eodem lib. 1mo. Induit lectum ferale, in quo licet non fuit occisus, jugulatus tamen, & immolatus ibi jacuit, & Sepulchrum vacuum, mortem & occisionem Christi repræsentat. Lectus quidem feralis Christo, mihi & universo populo principium vitæ, in ejus vivificato Corpore. Et quod dicitur de throno, quod in illo Agnus & occisus fuerat, & stans seu suis viribus nitens: Si enim occisus ergo jacens; Si jacens ergo non stans; tale admirandum cadaver, non in alio admirabili solio, nisi in Sepulchro reperiri censeo: in hoc solio Regali, Agnus occisus jacebat, jam tamen erat vivens, jam stans viribus Divinitatis, qui triduo jacebat occisus, tertio die resurrexit. Agnus ergo, qui in throno Sepulchri jacebat occisus, ut Alcazar in Apocal. explicat, surrexit, quasi leo, dum tertia die resurrexit, & cum ingenti totius populi Judaici, ac mundi stupore reseravit librum, dum incipiens à Moyse & Prophetis omnibus, interpretabatur in omnibus illis Scripturas, quæ de ipso erant; & sic primus

mus à Sepulchro Scripturarum & Prophetarum Interpres Christus, suam Divinam manifestavit Sapientiam. Circumstans autem turba thronum in cytharis & phialis plenis odoramentorum, significabat primo ipsum Christum Dominum cum turba Angelorum & Sanctorum in ipsa die resurrectionis circumdantem Sepulchrum, juxta relationem Pelbarti de Temesvar Serm. 3. in Dom. Pasch. quòd Christus summo mane cum Angelorum & Sanctorum multitudine, venit ad Sepulchrum, & omnibus Deum benedicentibus, coram eis Corpus Animam reassumendo, ex Monumento clausuris salvis exivit; & secundùm Vincentium, super Sepulchrum stetit, Corpus gloriosum & cicatrices omnibus ostendit. Stabant itaque Angeli & Sancti in circuitu throni, & ceciderunt in conspectu throni Sepulchri, & adoraverunt Christum resurgentem. Secundo B. V. MARIAM, quæ lætabunda, & effusa in gaudia, capite coronata, veste splendenti, hunc thronum, odoramentis, id est intensis actibus meritoriis, orationibus, devotionibus replevit. Tertio. Mulieres venientes, cum vasculis plenis ungventis. Quarto. Discipulos Domini, qui concordi consensu, cum sanctis suis desideriis procumbentes & inclinati, hunc venerati sunt thronum. Quinto. Omnes Cæsares, Reges, Principes, Duces, coronata capita, quæ in plena devotione odorato corde, toti in gaudia effusi lætabundi huic throno se substernebant & inclinabant. Sexto. Demum, universum, Christianum populum, qui promptus & avidus, huic Agno in throno Sepulchri cytharizans, id est hymnos & laudes, concinens, svavi concentu & concordi, in multis vocibus jubilans, maximam gloriam Christi ibi occinit, & ibi extollit. Hæc est turba magna, quam dinumerare nemo potest ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & lingvis, stantes & flectentes ante thronum Dei in conspectu Agni occisi, & stantis sive resurgentis, procidentes amicti stolis albis, id est conscientiis puris, per expiationem delictorum, & Sacramentum pœnitentiæ; & palmæ in manibus eorum, quæ illis dabantur recedentibus ab illo throno. Ecce quomodo illa, quæ de throno dicta sunt, optimè inducunt gloriam Sepulchri Christi, & ad illam alludunt. In persona itaque horum Seniorum, Nomine omnium creaturarum, quæ in cælo est, & super terram, & sub terra, & quæ sunt in mari, & quæ in eo, procido ante thronum

S. Sepulchri, in facie eorum, & mei, & adoro te, in hoc throno Agne occiſe, & ſtans, id eſt ex mortuis reſurgens, ibique omni excogitabili, tibi ſoli nota, & excellenti ſvavitate vocum, pſalmodiis, hymnodiâ, internô ſive externô jubilô, cum demiſſione & reverentia abyſſati, concino ac inclamo: Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt in Cruce, accipere in throno Sepulchri, virtutem & Divinitatem, & ſapientiam & fortitudinem, & honorem, & gloriam, & benedictionem, ut thronus ejus, id eſt Sepulchrum, adoretur in ſæcula ſæculorum; millies occinendo illud: *Ergo te* (id eſt rupes Sepulchri) *Cæleſtis Agni. Purpurata Sangvine. Aula ter felix adoret Terra, pontus, æthera.*

In Hymn. de S. Sepulchr. Regn. Gall.

CAPUT IV.

Sepulchrum Chriſti glorioſum demonſtratur, ex mirabili ſui inventione, in eoque ſive penes illud repertis inſtrumentis Paſſionis; ex Eccleſiis, Capellis, Monaſteriis, fundatis in honorem Sancti Sepulchri.

§. I.

Sepulchrum Chriſti glorioſum ex mirabili ſui inventione repertisque inſtrumentis paſſionis Chriſti.

Inveniri aliquid in laudem & gloriam & honorem, ſumitur pro eo, quod eſſe gloriam, cedereque in honorem & laudem. Et ita Cornelius à lapide, hæc verba Epiſtolæ 1mæ S. Petri cap. 1. v. 7. *Inveniatur in laudem & gloriam & honorem* explanat. Sepulchrum Chriſti inveniri in laudem & gloriam Chriſti, eſt idem dicere: eſſe glorioſum, ceſſiſſe in honorem & laudem. Cujus gloria tantò micantius reſplendet, quantò mirabiliter ex abditis terræ profundis, per ſuam inventionem, ingenti motu erupit, in honorem Chriſti & ſui. In tantam enim infida illa gens Idumæa rabiem exarſe-

exarſerat, ut non exſatiata cæde innocentiſſimi Chriſti, etiam ſtragem locis ſacris meditaretur, & triſte funus, Sarcophago ipſi Divino parare obnixe intenderet, & in triumphati Chriſti exuvias, armato bellare furore. *Judæi ferre non poterant, ut in Cruce ſuperſtite, paſſio ejus coleretur, cujus reſurrectionem vacuato, diſcuſſis ſignaculis ſuis Monumento probatam, coli ferre non poſſunt,* ſcribit S. Paulinus in Epiſt. ad Severum. Itaque cum Summi Sacerdotes, poſt Chriſti Aſcenſionem, multa fieri prodigia, & ſigna in Nomine JESU, ab ejus Diſcipulis, palam & in luce vidiſſent, immani furunt inſania, & quibus deerant media, memorabile nomen Chriſti ſupprimere, non defuere iniqua conſilia, Monumentum ejusdem, ſeu memoriam, procul ab oculis pellere, à quorum immemori pectore, Redimentis pulſus amor. Hæc itaque iniquè conſultant: *Verùm nè amplius, id in futuras generationes diffundatur, venite occultemus locum Sepulturæ ejus. Si enim populi viderint vacuum Sepulchrum, omnes credent in illum. Tunc juſſerunt obrui Sepulchrum, locumque Calvariæ, hæc ſalutis ſigna oblivioni mandare contendentes. Atque hoc fuit peſſimum prævaricatorum Judæorum conſilium.* O cœcam nimis, quis non videat Solymæ gentem? quæ ſacram illam ſpeluncam, ſole illuſtriorem, denſis obvelavit tenebris! excœcata illa progenies, quia æterna tecta caligine, tantum lumen ſuſtinere nequivit, quod ab antro illo promicabat Divino, cæleſti ſe privat luce, dum lucem adimit ſereno tumulo. Sed non ſatis erat, excœcato populo, perpetuæ damnato nocti, caligine terræ moleque, tegere Monumentum; magno terræ cumulo, locum illum obruentes, inſuper totum locum Reſurrectionis & Cranii, lapide ſuperficie tenus ſternunt. O obdurata Judæorum corda! quorum tota arma, viriumque potentia lapides jacere. Sed quod crimen? quod ſcelus tumuli, quod lapidibus in pœnam meretur obrui? in veſtrum caput, hæc ſaxa redundabant. Videte, benè de vobis à Summa dictum Veritate, quod ex Patre diabolo eſtis, genus dæmoniorum, & progenies tartari; ſatanas ille, dum jejunum aggreditur Chriſtum, à lapidibus orditur tentamen: *Dic ut lapides iſti &c.* Primum conatum in Sacrum tumulum Chriſti, à ſaxo aggreſſi eſtis, dum illum obruere lapidibus tentaſtis, proinde diabolicus fuit. Sed quomodo illi, primo Eccleſiæ Hieroſolymitanæ Diacono, lapides pro corona fuerunt, à vo-

Alexand. Monachus de venerat. Cruc. Chriſti.

Sozomen. lib. 2. cap. 1. Nicephorus Euſebius.

à vobis vertici illius inserti; sic dum culmen Sepulchri congerie prægrandi lapidum onerastis; coronam, quâ semper dignum est, capiti ejus imposuistis. Metuendus vobis erat cinis ipse Sepulchri, proinde mole lapidum illum supprimere voluistis. Sed ex hac saxorum grandine, innotescet fama Sepulchri; moles obruat hæc tumulum, vivet post funera factis. Et tumulus Christi, tumuli decoratur honore. Tali hoc stratagemmate, prophetæ fuistis ruinæ vestræ; sepelivistis sub his saxis tumulum ex petra; quia & tota Metropolis, & simul una tota est vestra sepulta domus. Cui ruinæ ne subjaceret Christi tumulus, non in damnum, sed in præsidium vestris cadentibus muris; tantum cumulum coácervastis lapidum, quibus se tueretur. *Quandoquidem* (inquit citatus Alexander) *Civitas jam erat devastanda, atque igni conflagratura, concessit DEUS vivificum lignum, locumque gloriosæ Resurrectionis, ad exiguum tempus occultari, ne in tanta rerum confusione, à Judæis vel gentilibus igni hæc loca traderentur, quæ tempore opportuno, magnâ gloriâ erant revelanda.* Tanto tristi funeri tumuli, parentabant lachrymabundi Christi cultores, toti gementes & squallidi, dum recordarentur amico sibi privari & ab invicem separari loco. O crudele cordi Christiano funus, dum Christi Sepulchrum lapidibus terraque tumulatur! O verè abominatio in loco Sancto, dum Sancta urna Christi Corporis, locus ille sanctissimus, impuris idolis, profanis simulacris conspurcatur! Necdum ex innocuo perfuso sangvine, sceleratas abluerunt manus Judæi, jam nefandâ sævitiâ, manus injicere in loca Christo sacrata, illa lapidibus, mole terræ, concutiunt abolent, & conterere nefario ausu intendunt. Radicem & fundamenta Ecclesiæ juxta Socratem tollere arbitrabantur, si in illis locis idola colerentur: sive juxta Sozomenum, cùm locum Calvariæ & Resurrectionis, undique lapidibus straverunt, religionem sub ipsa ortûs sui primordia, excindere insolenti studio sunt aggressi. Præcludunt devotioni Christianæ, lapidibus omnem viam, erga illum locum, dum nec intrepidè illuc proficisci poterant, nec aliis indicare audebant, & nè illuc pergentes, malo laborarent apud Gentiles supposito, quod statuas adorandas adirent, per quod non suam, loci absconsi reverentiam, sed externè errorem confirmarent. Nam cum fideles ex traditione Majorum, locum illum Golgothæ & Sacri Monumenti didicissent, quamvis

jam obrutus & obſcurus erat, nihilominus tamen quotidie ad illum accedentes, religiosè eum adorabant. Quod conſpicati idolatræ, diabolo illos inſtigante, ædem illic Statuæ Jovis, & impuriſſimæ Veneris templum condiderunt, & ſtatuam erexerunt, ut hac ſathanæ inventione; Chriſtianæ multitudini, nullus ad eum locum poſſet eſſe acceſſus; ex quo ſubſequenter in aliis orta fuit jam penitus locorum Sacrorum ignorantia, ut ita teſtatur citatus ſupra Alexander Monachus ibidem. Sed expreſſit in hac parte inanimatum, ſacrum tamen ſaxum, humilitatem ejus, qui in eo jacuit; poſtraverat ſe Chriſtus ſub pedibus Judæ, argenteæ illius ſtatuæ venalis, ſubſternit ſe & tumulus ſub pedibus inanium deorum, ut dum ſe ita humiliat, magis in altum gloriæ exaltetur.

Et ita defacto res ſe habuit, humilitate ſua, Sepulchrum Chriſti crevit. Sacrilega illa manus, abſcondidit tumulum; pia ac devota S. Helenæ detexit dextera. Cælata virtus, quò diu latuit in abſcondito, eò glorioſior evaſit, dum ſplendore Auguſtiſſimæ Imperatricis quæreretur. Et hæc eſt Mulier Evangelica, quæ amiſſam drachmam, admoto quærebat lumine, dum hæc religioſiſſima Matrona divina viſione ſibi oblata, juxta citatum Alexandrum, ſive Divino lumine illuſtrata, drachmam Sepulchri Chriſti, everſis idolorum delubris, diligenter quæſivit. Obſerva hic & animadverte, quantam DEUS habet curam Monumenti ſui, etiam vacui, dum jacturam illius gloriæ, non fuit paſſus aboleri, ſed quantumvis hæc permiſerit fieri malitiæ Judæorum, ut per tale detrimentum, majora Chriſti elucerent prodigia, & locus ille ſacer, ſtupendis glorificaretur miraculis, dum Helena Divino in ſomnis fuit admonita oraculo, ut Nicephorus libr. 8. habet; ut Monumentum Chriſti Hieroſolymis abditum requireret & inveſtigaret. Cuinam quæſo hæc ſors contigit Sepulchro? & quodnam adeo, tam pretiosè æſtimatum eſt? in tanto habitum reſpectu, ut illius inventionem, non alius aliquis minus nobilis conditionis, ſtatus infimi, ſed ipſa Imperatoris Mater, tam *præclari filii genitrix, omniumque piorum ſermone decantata,* Theodoretus Hiſtor. Eccl. lib. 1. cap. 8. *Mulier omni laudum genere ornatiſſima*, Alexander Monachus. Ipſa inquam authoritate grandis, ætate gravis, comitatu ſplendida, exercitu fortis, itineris tam oblongi moleſtias, & labores non recuſans. Ipſa inquam tantæ pietatis, quantam vel in hoc

hoc ipſo facto & poſtmodum ſanctitas declaravit; in propria disquirere perſona, non detrectavit, plurimum ſibi faciens Monumentum Chriſti invenire. Ad quid hi tanti apparatus, tam primæ dignitatis irrefragabiles cum difficultate conatus, niſi ut illa, quæ tanto tempore, ex hominum cognitione, erepta fuerat Sepulchri gloria, in tam Auguſtiſſima & Sereniſſima reſplenderet luce, ac ex prima ſui inventione, toto ore in omnibus partibus mundi, gloria S. Sepulchri proclamata foret, ac prolixa oratione, Divina laus prædicaretur.

Sic ergo pro majeſtate loci, in ſtructa Cæſarea Aulæ ſuæ pompa, ac ſelecto ſatellitio mulier fortis, cujus de omnibus finibus pretium ejus, ſpecie ſua & pulchritudine, unà cum literis ab Imperatore, ad Macarium Epiſcopum Hieroſolymæ directis, proſperè incedebat; Regnatrix. Cogita quidnam protunc non ſanctum meditabatur, diademate inſignita mens, ut ſuis potiretur deſideriis, devoto magis properans affectu, quam curſu; ut Deus illam ſecundis adjuvaret votis, tota cupiditate flagrabat, ut ſplendor ille Monumenti Divini, eò triumphaliùs illuceſceret, quò decalcatis & depreſſis fictilibus diaboli ſtatuis, victrici ſuperſtitem famam ſuam coronaret gloriâ. Nullo unquam fortè tempore Hieroſolymis accidit, quod tam nobili pompa, amplo occurſu ſuſciperetur hoſpes, quanto protunc Hoſpitum Princeps Imperatrix, admittebatur applauſu, ſalutabatur obſequio. Univerſi protunc Chriſticolæ, quia motivum & intentionem noverant hujus Dominæ, reperiendorum locorum ſacrorum, affectus magis ac corda, quam pyras inſtruebant triumphales, quibus ſanctum acceſſum Auguſtæ illuſtrarent. *Epiſcopus autem* (ſcilicet pro tunc Macarius inquit Alexander Monachus) *ubi intellexit Imperatricem jam adventare, cum Comprovincialibus Epiſcopis, obviam proceſſit.* Georgius Hamartolus in ſuo Chronico: *Cùm verò Epiſcopus intellexiſſet jam advenire Imperatricem, collectis Provinciæ Epiſcopis, debito cum honore obviam ei proceſſit.* Nec mora, poſt præſtita illa, dignitatis tantæ, ac humilitatis jura, procedit Imperatrix, Judæo quodam homine, ſcilicet expoſt S. Cyriaco Epiſcopo Hieroſolym. ex paterna quadam annotatione, regionem Calvarii Monumenti indicante.

Orat. de Invent. S. Cruc.

Ergo pergit devotiſſima Princeps, ſceptrum in ligonem, pomum regale, in rotundum convertit ſermonem, quo imperat; jubet,

jubet, inquiri præcipit. Stabat olim ad Sepulchrum, Patriarcharum cætus, beatorum Procerum manes; immortales Comites, prodeuntis è limbo Christi animæ pedisfequæ; quæ resurgenti Christo, solemnem pompam triumphi adderent, & spectarent. Stabat & protunc insignis utriusque status potestas, quæ resurgentis tumuli triumphum cerneret, & clarum trophæum, de cordibus suis erigeret. Vidisses eo in loco, parte ab una, adstare Reginam à dextris in vestitu deaurato, circumdatam varietate comitatus præclarissimi. Pugnaces equitum turmæ, peditumque catervæ, campis stabant apertis, ut in Epistola Leonis Imperatoris ad Amarum Saracenorum Regem habetur: *Matrem suam Helenam, cum exercitu, usquequo Hierosolymam veniret, direxit.* Parte ab altera sacrorum Antistitem, Macarium, caput mitrâ ornatum; dextrâ Pastorale pedum gerentem, circa eum corona Episcoporum, collegium Prælatorum ac Canonicorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, Cleri Universi ornatus. Hinc inde multitudinem credentium, oculos, animosque vibrantium, ac inspicientium locum. Præsul venerandus ac Imperatrix, populusque comes, flectunt genua, preces ad Deum fundentes, manus in altum extollunt, ut Deus loca sangvine suo consperfa abdita, spectanda producat. Itaque extemplò, mandat destrui sceleratissimum templum Veneris ac Jovis, quod desuper ædificatum erat; juxta Anastasium Bibliothecarium, & Alexand. Monachum, ex fundamentis, dæmonis istius templum, subverti jussit, ipsumque pulverem funestis sacrificiis violatum ejicit, & procul à civitate dispergit, terramque, quam densitas veprium, atque virgultorum operuerat, & ideo incognitus erat; (Honorius Augustod. habet) rastris aperiri. Et ecce locus contremiscit, fumus cocciomatis de terra ascendit; idem testatur. In citata Epist. Leonis habetur: *& dum foderent, fumus incensi de fovea exivit*, & Sanctum Domini Sepulchrum, quod olim latebat, evadit manifestum; thesaurus ille, qui fuerat absconditus, ex terræ metallis effulsit. Sacrum illud Resurrectionis antrum, apparere incœpit, & tres sparsim dispersæ cruces, Nicephorus lib. 8. cap. 29. Alexander, Hamartolus, Theodoretus Histor. Eccl. libr. 1. cap. 18. *Cum autem Sepulchrum diu absconditum, manifestum evasisset, apparuerunt tres ibidem juxta Dominicum Sepulchrum defossæ Cruces.* Socrates libr. 1. Histor. Eccl. cap. 17. *Helena Imperatoris*

Biblioth. Vet. PP. Tom. 3.

De Gest. Rom. libr. 1.

Serm. de Invent. S. Cruc.

toris Mater, Christi Sepulchrum, in quo conditus est, & resurrexit diligentiùs investigare cœpit, & difficulter quidem, sed tamen Deo adjuvante invenit.

O! inexplicabilis protunc, quæ fuerat lætitia Imperatricis, Præsulis, Cleri, populique! quam proni protunc in terram omnes prostrati, pro agendis gratiis, quantò protunc exultabat populus Christianus gaudio, afficiebatur mœrore infidelis quisque. Ruebat ingenti compulsus affectu, quilibet prono colle, & sacram illam humum venerabantur osculantes. Imò non deesse protunc existimo, & Sanctorum Angelorum Agmen, qui convolantes Sacro illi loco invento, humile præstiterunt obsequium. Accurrebat langventium multitudo, undique stipantes illam piscinam post talem motum, expectantes & recipientes sanitatem. Nonnè Sacrum illud antrum, Resurrectionis, Servatoris accepit imaginem? Sicut enim in Dominicæ Sepulturæ typum, Sepulchrum diu videbatur occultum; ita nunc in resurrectionis Dominicæ referendum est signum, eo quod post tenebrosam illam occultationem, ad lucem denuò rediit, & spectatoribus conspicuam historiam eorum, quæ illic miraculosè gesta erant, videndum exhibuit; dum re ipsa per talem sui inventionem, de Salvatoris resurrectione clarissimum exhibuit testimonium. Et sicut illo tempore resurrectionis, ad Monumentum primò properavit mulier, angelus sedit; ita tempore inventionis illius mulier devota, ac Sancta Imperatrix, properavit ut illud videret; Angelus Præsul Macarius, & ingens concursus populi adibat. Redit ab illo loco processionaliter, sicut venerat, hilari animo S. Macarius, totus perfusus dulcedine cælesti, ingreditur Ecclesiam suam ad Montem Sion, matricem Pastor, & ibi dignas depromit gratias, pro tanto repenso munere. *Fuit proinde* (inquit Josephus Acosta) *Sepulchrum ejus gloriosum, jam illo quoque tempore, quo inimici, summis opprobriis, æternâque ignominiâ nomen ejus obscurandum, sibi sunt arbitrati.* Quod vel ex hoc ipso celebre factum, quòd illi inveniendo mater magni Constantini, qui Princeps esse Christianis Principibus, tanto matris Helenæ opere meruit. Non videtur hìc quid vero simile esse, quod testatur Joannes de Lezana in Annal. Carmelit. quòd Helena Hierosolymam veniens, Sepulchrum Christi revelatione duarum Sanctimonialium in spelunca quadam, ob graves tyrannorum persecutio-

Conc. in Cœna Dom. fol. 623.

Tom. 2. fol. 458.

secutiones, latitantium invenit. Cum vix protunc Sanctimoniales fuerunt, & potius Divina revelatione facta S. Helenæ & S. Macario, vel ex notitia S. Quiriaci, (de quo in Vitis Sanctorum Ordinis Nostri vide fusiùs) Crux & Sepulchrum Christi inventa fuere; ut potissimum id Authores Classici asserunt, magis veritati consonum.

Verùm, ut Sepulchrum Christi redditum est spectabile, ex tam solenni ac miraculosa sui inventione, ita gloriosum fuit, conformiter ad Prophetiam Isaiæ, ex repertis Christi passionis instrumentis in eodem. *Dant sociata decus.* Non solùm enim apud Gentiles hic mos fuit, imponere Sepulchris virorum fortiorum arma, apud Virgilium, quod Æneas Misseni tumulo, jussit inferre arma bellica, *ingenti mole Sepulchrum. Imposuit suaque arma viro, remumque tumbamque*, sed & Hebræos, ipsa instrumenta quibus mors inferebatur reis, una cum illis sepeliri consveviffe, Cardinalis Baronius testatur Tom. 1. Annal. Eccl. fol. 183. Marcus Verselus libr. 7. rer. August. Patet 1. Machab. cap. 13. In Sepulchris Machabæorum, vera arma appensa fuerunt, ut de Sepulchro Jonathæ refertur, quæ erant Symbola virtutis ac gestorum, & naves sculptæ, ut per hoc ostenderetur eos esse, potentes in terra, mari, & ubique illustres obtinuisse victorias, hic Cornelius à Lapide. Ex hac ergo consvetudine, imo & lege Hebræorum, existimat Baronius, Clavos, Spineamque Coronam, eodem cum Domino, Sepulchro esse inclusam. Crucem vero quam locus Sepulturæ non caperet, in propinquiori aliqua specu esse reconditam. Paulus Nazarius Cremonensis Exposit. in 3tiam partem D. Thomæ, in quæst. 51. Art. 2. fol 344 dicit, B. Virginem primò Clavos accepisse, deinde eos in Domini Sepulchrum intulisse, & post Christi resurrectionem à Judæis, cum Cruce Domini fuisse sepultos: & quamvis rem hanc incertam dicat, tamen S. Andreas Hierosolymitanus, Cretensium Episcopus, de Exalt. Crucis affirmat pro certo, post Christi resurrectionem, Judæis stimulis invidiæ & timoris affectis, ne illis in vindictam, Christianis in tutelam reservaretur aliquid ex instrumentis Dominicæ passionis, Crucem & omnia, quæ ad Crucem pertinent, nempe Clavos & lanceam, & titulum, quem in Cruce Pilatus scripsit & affixit, in ima terræ defodisse. Ex qua Authoritate Illustrissimus

Annal. Ecclef. Tom. 1. fol. 183.

Fridericus Fornerius, Episcopus Hebronensis, Suffraganeus Bambergensis, in Paradiso malorum punicorum Domin. Pass. Tom. 2. Conc. LXII. fol. 755. deducit, non solùm Crucem & alia instrumenta passionis, de quibus meminerunt Authores, sed & lanceam, quæ latus Domini aperuit, de qua alii nihil innuunt, ex hoc S. Andrea, specialiter illam exprimente, & ex variis historiis Sepultam fuisse simul. Socrates Hist. Eccl. libr. 1. cap. 17. *Dejectâ igitur Statuâ locôque post amotionem aggeris repurgatô, tres Cruces in Monumento reperit,* (id est Helena) *unam felicissimam illam, in qua Christus extensus fuit, & reliquas duas, in quibus duo latrones mortem passi sunt. Inventa simul est tabula Pilati.* Et Baronius Tom. 3. in Indice verborum & rerum, sub nomine *Crux*, dicit: *Cruces tres inventæ, in Antro Sepulchri*; quod deducit fol. 355. ex Sozomeno, testante in altera parte Antri illius, in quo Sepulchrum Domini inventum fuit, tres illas esse Cruces repertas, & tabellam tituli seorsim positam. Conformiùs tamen ad communem sensum, in proximo statim ad Monumentum intro, esse Crucem inventam, ut supra ex eodem Baronio retuli. Clavos autem in Monumento positos, & inventos, non in Antro, ubi Cruces erant, ut non opus fuerit eos, à clavis latronum miraculo secernere. Ciaconius in vita S. Silvestri I. *Helena redux è Palæstina Romam, ubi Constantinus Augustus, Filius ejus tunc agebat, ad quem partem Crucis, & tres clavos in Sepulchro Christi repertos, attulit.* Adrichomius in Descript. Terr. Sanct. *Interim Imperatrix, aggerem quoque, qui Sacrum Domini occultabat Sepulchrum, quod diu sub illo obstrusum jacuerat, asportavit. Quô factô, mox illud emersit, & in eo Clavos, quibus Salvator noster Cruci affixus fuerat, reperit, ibidem quoque spineam Coronam invenisse videtur.* Tabella tituli Crucis, pariter est inventa in Antro Sepulchri; ita habetur apud Baronium in Indice, sub litera T.

Tom. 1. fol. 220.

Hanc verò tam glorificam inventionem Sepulchri Christi, & S. Crucis, ac aliorum instrumentorum die 3tia Maji contigisse testatur Carolus Sigonius his verbis: *Helena Augusta Hierosolymam profecta, ministris se Filii, summa ope Sepulchrum Domini eruere laborantibus ducem adjunxit. Fanô autem Veneris disturbatô, & terrâ, quæ superjecta fuerat, diligenter egestâ, tum V. nonas Maji, Sepulchrum cum tribus non longe jacentibus Crucibus, Clavisque quibus Cruci affixus*

In Hist. Occid. Imper. libr. 9. fol. 90. ann. 326.

affixus Christus, & titulo qui Cruci superpositus fuerat, oculis se piorum objecit, in maxima omnium gratulatione, quòd tantus thesaurus, tanta felicitate esset inventus. Quod ipsum patet & ex Oratione gravi & Pastorali Tiberii Cincii S. R. E. Card. Episcopi Æsini, quam habuit in expositione Sacrarum Reliquiarum S. Septimii Episcopi Æsini, quæ diu in angusto latuerunt loco, ex hoc contextu: *Cùm Sepulchrum suum Sanctissimum, cum Crucem adorandam, & suæ passionis instrumenta venerabilissima, per trecentos fere Annos, sordibus obruta, permiserit abscondi, donec per Sanctam Helenam divinitùs inspiratam, & ad hoc adjutam reperta, exponerentur in venerationem publicam, Hierosolymis in templis ab eadem regiè constructis & ornatis. Cujus eventûs, annua publice memoria recolitur die tertia Maji.* Proinde cùm Ecclesia Catholica, hoc die celebrat Festum Inventionis Crucis Christi, in continenti simul celebrat & Inventionem Sepulchri Christi, quæ pariter eodem die contigit. Nonne igitur gloriosum Sepulchrum Christi, ex tam mirabili, glorifica ac celebri inventione sua? Si enim gloriosa fuit Christi sepultura, gloriosissima resurrectio, nonnè & gloriosum Sepulchrum ipsum, cujus absconsionem & postmodum inventionem, mysteria Sepulturæ & Resurrectionis, præfigurarunt? Sicut enim ipsum Corpus Christi in Monumento, erat positum, lapide tectum, militibus Judæorum stipatum, ita & post, ipsum Sepulchrum terra & lapidibus desuper injectis obrutum, statuis ac delubris appositis, tanquam inanibus custodibus traditum. Sicut Corpus Christi triduo jacuit; ita & Sepulchrum in tali absconsione trecentis annis permansit. Tum sicut Christus virtute Divinitatis suæ ex Sepulchro surrexit, absque omni sua læsione; ita & Sepulchrum ex tenebris prodiit virtute divina revelatum, sine ulla sui, & suorum contentorum, nimirum Crucis, Clavorum, tituli, spineæ Coronæ putrefactione, corruptione, vel aliqua corrosione. Sicut Christus tertia die surrexit, ita tertia die Mensis Maji, Sepulchrum in lucem publicam & apertam prodiit. Sicut Christus verno tempore surrexit, & Caro ejus verè refloruit, ita Sepulchrum ejus in Majali tempore inventum, quasi novæ vitæ ac gloriæ suæ germinavit, ac gemma illa prætiosa, unà cum arbore Crucis, ac fronde sive fronte tituli gemmavit & pullulavit; ac sicut in Majali tempore flores, arbores, ac universa geminantia rident ac gaudent;

Alphonsus Ciacon. in Hist. Pont. Rom. & Card. Tom. 4. fol. 642.

ſic Chriſtianus populus ad Inventionem tumuli ac Crucis Chriſti, totus ridere, lætari, ac ora in laudem Divinam viſus eſt explicare. Corona illa Spinea, quæ ſacrum cum vulnere inſignivit verticem, jam nunc cum rubore, velut ſui facti verecunda, in vernans, & florentiſſimum excrevit Majale ſertum; pro corona, & ornamento Sepulchri Chriſti gloriæ, ac ſigno ejus Virgineæ caſtimoniæ; ſertum terdenis illud cingens, ac coronans. Nonne Sepulchrum ejus glorioſum inde fuit, quod tanquam tabernaculum omnem continuit ſupellectilem, quæ ad cultum, miniſterium Dei pertinebat. Illud protunc fuit armamentarium, de quo verificari videntur hæc Prophetica verba Iſaiæ Cap. 22. v. 8. *Et revelabitur operimentum Judæ & videbis in die illa armamentarium domûs ſaltus.* Poſtquam enim revelatum eſt Monumentum Chriſti per Sanctam Helenam, per disjecta & diſcooperta operimenta, quibus Judæi & Gentiles cóoperuerunt illud, nempe lapides, terra ſtatuæ; tunc videre in die illa licuit, armamentarium domûs ſaltus, nempe Sepulchrum Chriſti, quod eſt domus ſaltus, exilientis ex illo Salvatoris; ut dictum fol. 75. in quo varia inſtrumenta bellica reperta cernebantur, quibus devictus eſt diabolus, videlicet protunc non longe videbatur Crux Chriſti, in ipſo verò Sepulchro, Spinea corona, clavi, titulus Crucis. Illud protunc fuit domus illa, in qua prætioſa utenſilia & ornatus, ad decorem & ſplendorem Chriſtiani nominis, fuerunt aſſervata. Illud protunc fuit Gazophylacium, in quo quidquid prætioſi fuerat, latuit & abditum erat. Illud fuit cella illa Ezechiæ, de qua Iſaiæ cap. 39. v. 2. *Aromatum & argenti & auri, & odoramentorum & ungventi optimi, & Apotheca omnis ſupellectilis ſuæ, & univerſa quæ inventa ſunt in theſauris ejus.* Ezechias enim interpretatur, fortitudo Dei & ſignificat Chriſtum Dominum, cella vero, Sepulchrum hujus Ezechiæ, in qua Corpus Chriſti argento & auro æſtimabilius; aromata odoramenta & ungventum optimum, nimirum ungventa & aromata, quibus repletum fuit Monumentum, & odoramenta, quibus exolebat inventum Sepulchrum, nam *ſubitò terra commota eſt, & aromatum miri odoris vaporem exhalavit.* Inquit Adrichomius fol. 111. & Apotheca ſupellectilis ejus, nimirum Crucis, Clavorum, & univerſa, quæ inventa ſunt velut theſauri in hac cella, fuerunt monſtrata, & oſtenſa. Concludo verbis Adrichomii fol. 115. *Sive*

ergo Inventionis Dominici Sepulchri primordia spectes, semper illud Isaiæ vaticinium locum habuit: Et erit Sepulchrum ejus gloriosum.

Patet ex multis Sanctorum & Sanctarum exemplis, quod in eorum amantibus cordibus, Christi mysteria expressa fuere & instrumenta passionis, talibus mysteriis consona. Si meditationi mysterio Sepulturæ & Resurrectionis, cor Christianum insistet, insculpetur ei, ac imprimetur Sepulchrum Christi, in eodem pariter invenientur & instrumenta Christi passionis, sicut sua inventione miraculosa glorificata fuerunt, & conservata in illo, sive penes illud; ita cordi per amorem inclusa, & gloriam Crucis ac passionis, unà cum Monumento Christi, retinebunt integerrimè.

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex Ecclesiis, Capellis, Oratoriis, Monasteriis, fundatis in honorem S. Sepulchri.

Plurimi Expositores, ac Sacræ Scripturæ Interpretes sive Encomiastæ gloriæ S. Sepulchri, verba hæc Isaiæ Prophetæ. *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Exemplificantes ac inductione probantes, quomodo fuerit gloriosum, inter alia ex eo dicunt gloriosum, quod in honorem illius, erecta fuerit Ecclesia sumptuosissima ab Helena Imperatrice. Præter alios, Cornelius à lapide, in Isaiam Prophetam fol. 168. Jacobus Tyrini in eundem, Josephus Mansi Discur. Exeget. Tom. 1. Discurs. 6. de gloria Sepulchri Christi. Fornerius; Jacobus Marchantius &c. Huic ergo expositioni ac probationi gloriæ Sepulchri innixus, eandem gloriam, hac inductione probare instituo, dum gloriosum Sepulchrum Christi, ex erectione non solum ab Helena Imperatrice, in honorem S. Sepulchri, sed etiam aliarum Ecclesiarum; Oratoriorum & Capellarum erectarum demonstro. Adeo enim etiam vacui S. Sepulchri, amorem habuerunt supremæ dignitates, ut gloriam illius vel in hoc ipso ostendere perenniter voluerint, dum in ejus honorem, ædes Sacras erexerunt. Et Deus voluit, hunc suo tam nobili loco deferre cultum, ut sub ejus titulo fortunatæ piorum manus, magnifica struerent templa. Tantum enim gloriæ merebatur Sarcophagus hic, ut rupellanæ structuræ, quæ latebat humi-

humilitas, tam ipsius qui jacebat conditi assurgeret sublimitate, quàm etiam conditorum, in alta luce effulgeret, liberalitate, dum in decus majus Sepulchri JESU, admiranda conderentur templa, augusta fundarentur Sacraria.

Et sic primò supra Salvatoris Nostri Monumentum, & circa salutare illud antrum, quod post illas tenebras terræ in lucem apertam prodiit, *ut multo clariorem sanctitatis suæ significationem dedisse cognosceretur protunc*; sic refert Epistola Constantini ad Macarium. Imperatorum Augustissimus, fide Christiana, plusquam armis potentissimus victor, Constantinus Magnus, imo devotione circa Sepulchrum Christi Maximus, præclaram nimis Ecclesiam construxit, ad cujus erectionem divino impulsu & spiritu Salvatoris concitatus; tantam in animo magnanimo existimationem sibi statuit, ut Sanctissimum illum Resurrectionis locum, ita splendidè exornaret, quæ Basilica declararet locum illum esse eximium, & omnibus veneratione dignum. Quam suam tam piissimam intentionem, literis ad Macarium protunc Antistitem Hierosolymitanum datis, satis luculenter exprimit. Et qualem unquam in structuris elegantiam ars elaboraverat, quodque prætii ac splendoris, in lapidibus metallis recondidit natura, & æstimatio agnovit, totum id Imperatorio edicto, in novam Fabricam opifex manus, ita affabre collegit, & adaptavit, ut gloriam & spectaculum terrarum diceres, Ecclesiam supra Sepulchrum Christi impositam, & conditorium sive conservatorium ac scrinium, ubi thesaurum cælum, divitias orbis se reposuisse fateretur.

Baron. Tom. 3. fol. 350.

Euseb. de vita Constant. libr. 3. cap. 24.

Fundatorem tàm conspicui operis Eusebius, nonnullique ipsum Constantinum, plurimi quod Helena Augusta pii Imperatoris, pia Mater, ejusdem sacræ ædis amplissima extiterit Fundatrix, S. Severus Episc. Bituricensis dicit: *Helena Mater Principis Constantini, qua augusta cum Filio conregnabat Basilicam in loco Dominicæ Resurrectionis constituit.* Et inferius alii citandi. Qua in re minimè sibi contradicere videntur, & facile conciliari, ut cura mutua, sumptuque ærarii amborum, tàm Matris, quàm Filii, parique affectu Ecclesia illa construi videretur, Filio Matri opem per regiam suam potentiam, & authoritatem porrigente. Ut auctior illucesceret Sepulchri Christi dignitas, & fortuna domicilii cumulatior foret, gemino Principum, Matris & Filii resplendebat beneficio. Sive

ut

ut assumptum opus, festinatius ad egregium veniret culmen; opem, opesque in unum colligunt Benefactorum Serenissimorum manus, ut inde & Sepulchri gloria, & virtus majestatica coálescat. Hi inquam Principes piissimi, nullum sic dignius præstandum judicarunt obsequium, ac congruentius glorificationi Sepulchri Christi, non existimarunt meritum; quam desuper tam præclaram ad conspectum universi, & admirationem cunctorum instruendam molem; non tam pario nitentem lapide, quam auro vibranteque luce adamantum totam splendentem, quæ excelsum esse honorem Sepulchri Christi deduceret, famæque illius, omni genti memorabili, sit demonstrativum argumentum.

Et ut amplius, & ad oculum ferme pateat, quantum fuerit prædives, magnificum, piaque elatione in altum murorum, ac instructione ornamentorum, splendidum illud Augustal, in primum titulum S. Sepulchro excitatum, hujus nobilissimæ & antiquissimæ Ecclesiæ descriptiones, præter hanc, quæ apud Eusebium extat, nonnullas dignorum Authorum subjicio. In libello de locis Sanctis, quem V. Beda composuit cap. 2. fol. 486. & Histor. Eccl. Anglorum libr. 5. cap. 17. fol. 229. Ad occasum Ecclesiæ Anastasis, hoc est Resurrectionis Dominicæ, rotunda Ecclesia, tribus cincta parietibus, duodecim columnis sustentatur, inter parietes singulos, habens spatium viæ, quæ tria Altaria, in tribus locis parietis medii continet, hoc est Australi, Aquilonari & Occidentali. Hæc bis quaternas portas, id est introitus, per tres è regione parietes habet, è quibus quatuor ad Vulturnum, & quatuor ad Eurum spectant. Hujus in medio Monumentum &c.

Socrates libr. 1. Histor. Eccl. cap. 17. Imperatoris Mater, Templum magnificum, in loco Sepulchri condidit. Nicephorus Histor. Eccl. libr. 8. cap. 30. Imperatoris Mater Helena, amplissimo Templo in Resurrectionis loco, ita constructo ut nulli prorsus quæcunquè vel pulchritudine vel magnitudine eximia sunt, cederet, novæ Hierusalem nomen indidit.

Bartholomæus Chassanæus in Catalogo gloriæ mundi part. 12, considerat. 75. Non est omittenda descriptio S. Sepulchri, cum prophetizatum fuerit, illud esse gloriosum, ut habetur Isaiæ 11, & ut dicit Bartholomæus de Saligniaco in suo itinerario terræ Sanctæ in cap. 6. tom. 7. distat pedibus centum & novem, à loco Crucis

Christi ad superficiem pavimenti Ecclesiæ, spatio pedum viginti novem, quod resultat ex decem & octo gradibus, & à principio pavimenti usque ad Sepulchrum, spatium est pedum octoginta. Et est dispositio loci Dominicæ Sepulturæ talis. In media Templi area, stant duæ domunculæ sive cryptæ; sunt enim è rupe cavata interius, exterius parietibus marmore incrustatis, tecto rudi juxta naturam rupis exterius manentis. Hoc Sepulchrum est septem pedibus longum, octo palmis altum, à pavimento ex marmore candido atque lucente. Hujus Sepulchri est Templum gloriosissimum, quod sicut singulari gloria est a Deo clarificatum, ita sumptuosissimè & pulcherrimè à Principibus Christianis constructum ornatum atque ditatum, & plurimarum nationum fidei Christianæ officiis Sanctis die noctuque frequentatur. Est enim hoc Templum miræ altitudinis & amplitudinis, plurima loca Sancta includens, & ab utrisque lateribus multis sacellis distinctum, innititur columnis marmoreis septuaginta tribus, singulis supra basim triginta pedum altitudine elevatis, in testudine artificiosæ picturæ, miraculorum varietate visuntur.

Cottovicus in suo Hierosol. & Syriaco itinerario. *Cæterum quod ad Sacro sancti hujus Templi celebritatem, dignitatem ac devotionem attinet, tantam esse affirmaverim, quantam qui oculis non subjecerint, haudquaquam concipere animis possent. Adeò enim Sanctissima hæc Basilica, qua nullus sanè Augustior locus, nullum in orbe fanum sanctiùs est, non fidem solùm, sed famam quoque ipsam, quæ cuncta in majus celebrare solet, incredibili Majestate & fastigio vincit. Ut autem paucis concludam, libet hic Jacob Patriarchæ dictum adjungere: Vere terribilis est locus iste, non est hic aliud, nisi Domus Dei, & Porta Cæli.* Et verè Ecclesia Sancti Sepulchri est Porta Cæli quia in medio ejus consistens Sepulchrum Christi, sub uno tantum aperto foramine, quod tali Ecclesiæ & aliis Capellis ac Oratoriis lumen administrat. Martinus Sanutus. Fidel. Cruc. libr. 3. p. 14. cap. 8. super Sepulchrum Domini, quod est in medio Ecclesiæ ejusdem, est apertura rotunda. D. Dionys. Carthus. Enarrat. in Matth. cap. 24. art. 44. fol. 99. Rutilius Benzonius Episcopus Lauretanus & Recanatensis, libr. Commentar. 3. cap. 30. fol. 151. aliique superiùs citati; hic inquam patulus prospectus, manifeste indicat, rectissimum ad Cælum à Sepulchro Christi, esse ductum &

tractum. Quod comprobat & Chassanæus, de mundi gloria p. 12. Consil. 75to hoc mirabile asserens, quod in Templo S. Sepulchri in Jerusalem, testudo & ejus tectum non clausum, sed apertum & pervium cælo, est foramine ibi lato, prout refert Fulcherius Carnotensis lib. 18. num. 50. Basilica decens super Dominicum Sepulchrum, rotunditate facta, cujus rotunditatis summitas, ita artificiosè tegmine caret, ut foramine illo satis splendori patula, clara semper habeatur. Quod pluries tamen postea cum ob injurias temporis occludi tentaretur, in vanum labores & opera impenderunt, cum nullatenus illud occludere poterant, & hucusque inocclusum ita permanet. Sic evidenter patet ex Filii Dei Sepulchro, patere nobis Cælum, per inocclusum illum transitum; ac introspicere sæpius Sepulchrum Christi, sit una elevare oculos, & cor erigere ad visionem pacis.

Gvilelmus de Bandelsel, Eques laureatus Hierosolymit. in suo Hodæpor. de S. Sepulchro sic loquitur: In medio Ecclesiæ Sepulchri, & sub illius circulo, parvula domuncula est, in quam propter portæ demissionem versus orientem intrare oportet, corpore incurvato. Supra verò testudinata est, admodum semicirculi, opere Mosaico auro & marmoribus deornata, nullam habens fenestram, candelis & lampade illustrata. In hujus domunculæ parte dextra, locus est Dominicæ Sepulturæ, attingens extremitates prædictæ casæ in longum, scilicet ab oriente versus occidentem.

Wilhelmus Tyrensis Archiepiscopus, in sua Hierosol. Hist. lib. 8. cap. 3. describit Ecclesiam Sanctæ Resurrectionis, quod sit formæ rotundæ, in declivio montis Sion, quod ad orientem respicit, sita est ut clivus eidem eminens & contiguus Ecclesiæ, pene superet altitudinem, & eam reddat obscuram; tectum habet erectis in sublime trabibus, & miro artificio in modum coronæ contextis, apertum & perpetuo patens, unde lumen Ecclesiæ infunditur necessarium, sub quo hiatu patulo, Salvatoris positum est Monumentum.

Marinus Sanutus Fidel. Cruc. libr. 3. part. 14. cap. 8. Primo ingrediaris Ecclesiam S. Sepulchri, quæ inter cuncta mundi Sanctuana, obtinet principatum. Ecclesia ista rotunda est, & habet per diametrum inter columnas LXXII. præter assides, quæ habent per circuitum XXX. pedes super Sepulchrum Domini; quod est in

medio Ecclesiæ ejusdem, est apertura rotunda, ita ut tota crypta S. Sepulchri sit sub dio. Golgothana Ecclesia adhæret isti, & est oblonga, loco chori S. Sepulchri, parum demissior, sunt tamen ambæ sub uno tecto.

Christianus Adrichomius in descript. Urbis Hierosolymæ fol. 113. Inter quæ illa, quæ in hoc loco (id est resurrectionis) condita est Basilica, reliquas totius orbis amplitudine atque pulchritudine longe excellit, nam auratis corusca laquearibus, & aureis dives altaribus, marmoreis septuaginta tribus columnis fulcitur, & tam Resurrectionis, quàm crucifixionis locum, sub uno eodemque tecto comprehendit, quod in sui medio rotundo patet foramine apertum, sub inferiori Ecclesiæ parte, Dominicum consistit sub dio Sepulchrum, cui passionis Christi theatrum, Mons Calvariæ, chori loco adhæret &c.

Ad quem conformiter & Joannes Dubliulius Hierosolym. Hodæpor. libr. 1. Nunc de hujus Basilicæ forma (id est Resurrectionis) nonnihil dicendum est. Ea est rotunda, habens per diametrum inter columnas septuaginta, tres pedes, Camera sive testudo, opere Mosaico aperta in medio, sicuti Pantheon Romæ, ita ut tota crypta Dominici Sepulchri, sub dio fit. Quæ Basilica, reliquas totius orbis amplitudine longe excellit. Eum enim locum, in quo toto terrarum orbe, nihil arbitrabatur esse diviniùs, Religiosissima Regina, ita exornandum putavit, ut nullùm ædificii genus, uspiam aut splendidiùs, aut mirabiliùs videretur &c. Spelunca verò, in qua Domini Sepulchrum est, octo pedes habet in longitudine, & totidem in latitudine, marmore quidem exteriùs tecta, sed interiùs rupes una est eadem formâ, quâ olim fuit. Est autem rupes illa marmorea, coloris prope cinerei &c.

Bernardus de Breyndebach, insignis Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ Decanus, qui personaliter die 12. Julii, hora vesperarum, in ipsum venerandum Dominici Sepulchri Templum, a Rectoribus Civitatis Sanctæ Hierosolymæ, fuit admissus, de hoc Templo taliter dicit: Est autem hæc dispositio Templi ejusdem Sacratissimi; Ecclesia ipsa rotunda est, & habet per diametrum inter columnas 73. pedes, absidesque, quæ habent per circuitum à muro interiori 10. pedes. Super Sepulchrum Domini, super quod in medio, ejusdem Ecclesiæ, est apertura rotunda, ita ut

tota crypta S. Sepulchri ſit ſub dio. Spelunca, in qua eſt Sepulchrum Domini, habet longitudinem octo pedes, in latitudinem ſimiliter octo, undique tecta marmore exteriùs, ſed interiùs eſt rupes una, ita ſicut fuit tempore Sepulturæ. Oſtium ad hanc Speluncam, intrat ab oriente, valde demiſſum & parvum. Tumba S. Sepulchri marmòre griſei coloris alba, à ſuperficie pavimenti tribus palmis, longa pedibus octo, ſicut eſt interiùs ipſa crypta, ſive Spelunca, & ex omni parte clauſa, nec lumen poteſt haberi intrinſecùs, ſed ab extrinſeco; alia etiam Spelunca eſt ante Speluncam iſtam ſcilicet Sepulchri, longitudinis & latitudinis & diſpoſitionis intus & extra, & videntur iſtæ duæ extra exiſtenti, eſſe una, ſed cum interius fueris, videbis eas ab invicem, pariete per medium ſeparatas. Intratur autem prima iſta, & deinde alia, in qua eſt Sepulchrum, in iſtam exteriorem intraverunt Mulieres, quando dicebant: *Quis revolvet nobis lapidem?* Et iſte lapis erat advolutus oſtio Speluncæ interioris, & jacet hodie magna pars ejus ante oſtium Speluncæ interioris, cui fuerat advolutus, in medio iſtius.

Ludolphus de Saxonia in 2da part. Cap. LX. fol. 419. in vita Chriſti: Deinde ad quinquaginta paſſus (id eſt a Calvaria) arca eſt Sepulchrum Domini, ubi eſt Eccleſia S. Sepulchri ſeu Reſurrectionis Dominicæ rotunda, ſed chorus protenditur in longum cum Sanctuario, in quo eſt ſummum altare, & ſuſtentatur duodecim columnis, ſed utraque Eccleſia, ſcilicet iſta Golgotha, uno tecto eſt tecta. Unde quidam hanc & illam, unam dicunt eſſe, nominantes eam Eccleſiam S. Sepulchri, ſeu Reſurrectionis Dominicæ.

Anshelmus, in Deſcript. Terr. Sanct. Corpus Eccleſiæ S. Sepulchri, & eſt amplum ſatis, & rotundum, & in medio Eccleſiæ eſt Sacrum illud Sepulchrum Chriſti, habens in circuitu multas columnas, & groſſas orbiculariter, æqualiter diſtantes à Sepulchro, ad tredecim paſſus, ut credo, & hæ columnæ ſuſtentant turrim latam & altam, quæ eminet ſupra Sepulchrum, quaſi caminus, in cujus acie, eſt tantum feneſtra ſatis lata, quæ dat lucem, non modo ad Sepulchrum Chriſti, ſed toti Eccleſiæ.

Franciscus Quaresmius ſatis exactè deſcripſit eandem Eccleſiam, & locum Monumenti Chriſti Tom. 2. in Elucid. Ter. S.

libr. 5. cap. 7. ubi teſtatur: Templum hoc Sanctiſſimæ Dominicæ Reſurrectionis, eſſe in formam Crucis ædificatum. Et cap. 12. Sacratiſſimum antrum, Divinumque Monumentum eſſe in medio magnæ rotundæ Eccleſiæ Dominicæ Reſurrectionis circa ipſam ædificatæ, in quem modum in Italia, apud Lauretum, Sacra & miraculoſa Deiparæ parva Lauretana domus eſt, in medio alterius magnæ & illuſtriſſimæ Eccleſiæ.

Illuſtriſſimus vero Princeps Nicolaus Radziwil, Archimareschalcus Ducatûs Lithvaniæ in ſua repurgata Hieroſol. peregr. breviſſimam deſcriptionem Templi S. Sepulchri refert; cujus præmiſſa tam ingenti amplitudine, cum cæteris ædificiis, ut non ſolùm ingentem numerum Sacerdotum, populi advenientis, ſed integri militum Templariorum exercitûs, receptaculum foret, ſubdit: Sciendum eſt, totam machinam ex eleganti, & magno lapide quadrato, una cum turri campanaria, in altum conſurgere. Templum verò ipſum, ad formam Crucis eſſe compoſitum, lapide ſecto concameratum, parietes in quadrangulum coëunt &c. Supra ipſum Dominicum Sepulchrum, tholus circularis dimidia parte tantum teſtudinatus conſurgit, & feneſtram unam circularem, quæ lumen copioſum præbet, ad inſtar illius, quæ Romæ, apud S. Mariam Rotundam conſpicitur. Sacri Sepulchri Capella ſuperius undique marmore conſtrata, parietes quoque exteriores cinerei, marmoreis itidem tabulis, quæ columnis Porphyreticis diſtingvuntur, conveſtiti. Eccleſia tota habet tectum plumbeis laminis obductum &c.

Conradus Hietling Manuduct. 3. libr. 2di. Templi Reſurrectionis ſtructura Magnifica, expenſis & ſumptibus Conſtantini Magni, erecta eſt circa Annum Domini 326. poſt celebratum Nicenum Concilium; decem itaque Annis, in illa excitanda laboratum.

A quibusdam peregrinantibus Spiritualibus & ſæcularibus Anno 1509. in deſcriptione Hieroſolymæ, Polono idiomate edita in Vilnenſi Ducatu Lithvaniæ ſic deſcribitur: Eccleſia S. Sepulchri complectitur locum Calvariæ & Sepulchri Chriſti, & alia loca Paſſionis. Prædicta Eccleſia eſt ab Helena conſtructa, magna, habens, tranſitus inordinatos; eſt adinſtar Baſilicæ magna & Metropolis, ubi eſt circuitus circa chorum. Chorus prædictæ Eccleſiæ eſt

eſt oblongus, velut quadraginta paſſibus, latus paſſus 14. quem tenent Græci. Tota Eccleſia S. Sepulchri, eſt bene lata & rotunda, & in medio Eccleſiæ eſt Sepulchrum Chriſti, circa quod multæ columnæ circumdantes Sepulchrum, ſtantes per 13. paſſus. Et hæ columnæ fulciunt turrim latam, & longam, quæ eſt ſuper Sepulchrum quaſi caminus. In cujus ſuperficie eſt tantum una feneſtra, bene lata, quæ ſuppeditat lumen, non tantùm ad Sepulchrum Chriſti, verùm toti Eccleſiæ, & alia feneſtra non eſt in eadem Eccleſia, per quam feneſtram pluvia decidit in locum Sepulchri. In angulis harum columnarum, ſunt habitationes variarum Chriſtianarum Nationum. Quantum ad amplitudinem hujus Eccleſiæ, ea eſt, ut ſub uno tecto Montem Calvariæ, Sepulchrum Chriſti, & illum locum, in quo inventa eſt Crux Chriſti complectitur, & in illa ſecure aliquot millia hominum, & commode conſiſtere poſſunt. Fundator hujus Eccleſiæ Magnus Conſtantinus Cæſar, qui poſt converſionem ſuam Anno 326. ædificare incepit, & Anno 11. conſummavit. Fundamenta adeò firma habet, ex lapide ſecto, quod nulli ſubjacet ruinæ. Hic prætioſus theſaurus totius Chriſtianitatis, in poteſtate Turcarum manet. Turcæ ſiquidem & claves habent ab Eccleſia, & ſemper in diligenti cuſtodia, & occluſione tenent. Peregrinantes, dum Sepulchrum Chriſti viſitare volunt, prius debent ſe primæ jurisdictioni Turcarum denuntiare, & perſolvere certa tributa, qui Turcæ aliquot venientes, ante Eccleſiam in terra, ante portam Eccleſiæ conſidunt, & quilibet, qui intrare vult Eccleſiam, debet certam quotam pecuniæ, in illorum manus projicere. In Feſto Paſchatis, Pentecoſtes, S. Petri & Pauli, Aſſumptionis B. V. liber cuilibet aditus, ſine ulla penſione; propterea in his Feſtis, fit ingens concurſus Chriſtianorum fidelium. In hac Eccleſia die ac nocte, varii Religioſi & Spirituales, non ſolum Catholici, ſed Græci, Armeni, Georgiani, Jacobitæ & alii manent, & devotiones ſuo ritu ordinario celebrant. Pro quo, habent inter ſe diverſas Capellas, in quibus quælibet ſecta, more ſuo Miniſteria Divina celebrant. Qui Spirituales Suſtentantur à ſuis connationalibus ſectæ ſuæ. Ex Templo nunquam exeunt, ſed dum tempus prandii & comeſtionis advenit, cibum & potum per unam feneſtram, in porta ſubminiſtrant. Habent etiam quædam receptacula, penes Eccleſiam, in quibus quieſcunt. In hac

hac Ecclesia manent Latini. Inter omnes alias Capellas enumeratas eminentior & primaria est Capella Sepulchri Christi, propter amplitudinem & majestatem, quâ omnes alias excedit. Intus parietes Jaspide & marmore tecti, & circum circa marmoreis & ex lapide Jaspide columnis decorati. Et hæc res non minus circa Sepulchrum Christi admiratione digna, quod licet tota terra Sancta, variis infestationibus & desolationibus fuerit subjecta, & variis incursionibus; magna damna in civitatibus, Ecclesiis, perpessa est, attamen Sepulchrum Christi integrum ac intactum permansit: imo ipsi Turcæ, licet Ecclesiam S. Sepulchri, in sua potestate retinent, tamen in aliquo nocumentum eidem inferre non audent.

In Fasciculo Myrrhæ in Campis Palæstinæ collecto à Joanne Cantio Solik, qui Anno 1710. Sanctam Jerusalem visitavit, ita describitur Tract. 7. cap. 1mo. De origine Templi Resurrectionis Domini Nostri JESU Christi, sequor fundamentalem rationem, seu traditionem, scilicet quod S. Helena Imperatrix, huic operi principium dederit, & ex parte consummaverit. Ita Breviarium Romanum 3. Maji. *Helena Salvatoris Cruce inventa, magnificentissimam ibi extruxit Ecclesiam.* Anno vero 20. Imperii Constantini Filii sui, id est post Christum natum 326. Macarius Episcopus S. Civitatis, ab eodem Imperatore literâ, quæ incipit: *Tanta erga nos Salvatoris Nostri benignitas &c.* admonitus, ut hujus Templi peculiarem curam gereret, quia hoc excellebat tum magnificentiâ, tum mysteriô ac ministeriô alia omnia templa, ita ut illis temporibus, jure sibi vendicarit primatum templorum universi mundi, nam (complectendo loca omnium Sanctuariorum, in eo contentorum) aliquot millia hominum facile capiebat. Principiata igitur hæc Sancta Machina fuit Anno 326. & consummata Anno 337. quamvis jam Anno 331. quô à Merologio consecrata, fuerit potiori ex parte in suo esse conspicua. Et licet a Barbaris toties male tractata, nunquam tamen ejus forma fuit detrimentum passa - - Quod attinet Architecturæ formam, Crucis potiori in parte repræsentat, licet imperfectam. Corpus ejus principale consistit in rotunditate, duplici circumdatum ab infra porticu seu loggia, quorum inferior sustentatur 14. Columnis cum pedi sustentaculis, & duodecim pilonis ordinate intermediantibus. Rotunditas ejus operta est grandi cuppula, affabrè extructa, ad modum rotundæ

pyramidis, 132. trabibus cypressinis formatæ, latitudo cujusque trabis unius palmi: ex omni parte longitudo palmorum 30. sicut Romæ templum Pantheon, vulgo Rotunda. - - Sanctuaria, quæ primitùs erant ab hoc Augusto templo separata. Post recuperationem autem Civitatis Sanctæ, nostri Catholici, eam tam accommode adunarunt, ut una tantummodo fabrica, sine differentia ulla appareat. Hoc Sanctum Templum cum Monte Calvariæ, ab intra fuit exornatum opere Mosaico pretiosissimo, de quo propter antiquitatem multum jam decidit, jam fumus obfuscavit candelarum, & lampadum, quarum ardet continuo magnus numerus, præsertim, quando omnes Nationes conveniunt, in celebrando Paschate: nimirum Latini nostri, Græci, Armeni, Gofti, Surriani, tunc ultra 4000. omnes ordine elegantissimo dispositæ. Sunt autem in isto templo Sanctuaria octo, in quibus plenaria concessa indulgentiæ.

Idem ibidem Tract. 8vo. Cap. 1mo. taliter describit gloriosissimum Domini nostri Sepulchrum: Sanctissimi Sepulchri Salvatoris nostri subsistentia, est circumdata supra mentionata Basilica, cujus formalis structura est, ad modum Oratorii alicujus, ad portam Occidentalem, quadrum repræsentans, ad orientalem vero medio - - orbiculatum de petra excisum, cum frontispicio semisphærico, concavo, & à pavimento elevato in altum 10. & latum 6. palmis. Ipsum autem Sepulchrum, quod est in forma alicujus Tumbæ, collocatum est ad partem septemtrionalem, potissimo marmore coopertum, hoc servit pro missis celebrandis, & una quotidie solenniter decantanda ex privilegio de Resurrectione Domini. Prope ostium adsunt duæ fenestrellæ, quæ vix apparent, nisi bene observentur. Item lapis qui serviebat pro meliori & fortiori sustentaculo alterius magni lapidis, qui occludebat ostium Monumenti, de cujus revolutione sollicitæ erant tres Mariæ, quæ cupiebant in Sepulchro videre JESUM, dicentes: *Quis revolvet nobis lapidem &c.* Sed eo pervenientes, jam viderunt revolutum lapidem, & Angelum sedentem super illum qui dixit eis: *Nolite timere &c.* Super illum minorem Angelus sedit, quem hodie ad ostium, inter vestibulum Sacri Sepulchri fideles piè osculantur. Ille magnus est ruptus per Armenos, & transportatus ad domum Caiphæ, seu ad Ecclesiam eorum, in territorio Montis Sion, qui servit pro Al-

tari, magis tamen poſt Altare collocatus, & obmuratus manet. A foris ſimiliter iſtud Sanctiſſimum Sepulchri Sacrarium, eſt diverſimodæ apparentiæ. Nam ad Occidentalem plagam eſt octo angularis, ornatum octo columnis marmoreis palmarum 10. altis, latis vero trium; circumferentia cum ſuis pedibus & capitellis diſtantia unius ab altera ſex palmis. Supra has fornix elegantiſſimè fabrefactus, qui totam illam machinam cingit, eſtque tam intus, quam foris modo proportionato tabulis adornatus marmoreis; tectum ejus totum eſt planum (exceptâ cuppulâ ſeu turriculâ) plumbo coopertum, quod ſuſtentatur columnis duodecim, de Monte Sinai ad hoc ex profeſſo à Græcis advectis; vertex ſeu ſummitas cuppulæ eſt rotundo ſemisphærica, ſub hac cuppula eſt foramen pro fumi tranſitu, à tot lampadibus Principum Chriſtianorum in Sanctiſſimo Sepulchro ardentibus, uti Auguſtiſſimi Imperatoris, Regis Galliarum, Regis Portugalliæ, Reipublicæ Venetiarum, Reipublicæ Genuenſis, Ducis Sabaudiæ &c. Et ad finem inter alia refertur quoque a fide digniſſimis, quod Baſſa quidam rediens Mecchâ à Sepulchro Machometis ſui, & intrans Salvatoris noſtri dixerit: *Modo cognoſco, ubi purus homo, & ubi quaſi Deus & Homo fuit ſepultus.* Et revera vix aliquis prima vice intrans eò, ſine lachrymis egreditur.

A quodam nationis Polonæ Religioſo, mihi bene noto, qui modernis temporibus à ſancta peregrinatione Hieroſolymitana redux anno Domini 1743tio in manuſcriptis ejus, mihi communicatis, Polono idiomate, ita deſcribitur Eccleſia S. Reſurrectionis: Aliorum autem pinnaculorum tres partes ſpectant ad Latinos, quarta ad Armenos. Variis temporibus præcipue in Feſtis Paſchatis, Latini in muro parietum, circa Sepulchrum Chriſti, periſtromata ſuſpendunt, & imagines paſſionem Chriſti repræſentantes, lampades argenteas & æreas. Idem faciunt & Armeni in ſua parte. Pavimentum circa S. Sepulchrum, eſt ex marmore præcellenti, coloris miniati, & ante fores Capellæ S. Sepulchri eſt ex marmore albo & nigro ac viridi, ſicut & in Choro Latinorum. Hæc Eccleſia habet duas turres, una eſt ſuper magnum Chorum, quem Græci tenent, altitudinis ſatis claræ, altera eſt ſuper Capellam Sancti Sepulchri, quod eſt in medio Eccleſiæ altitudinis à terra inſignis, magno ſumptu cum licentia Imperatoris Turcarum erecta à

Latinis

Latinis Anno 1719. tecta lamina plumbea, habens unam fenestram, per quam fenestram pluvia decidens, manet in pavimento Ecclesiæ, ad Capellam S. Sepulchri, & omne lumen ex illo loco accipit, constans aliquot millionibus. Santon Turcicus, alias quasi Parochus Capellæ S. Sepulchri, habet tres fenestrulas ex sua residentia ad templum S. Sepulchri, quibus introspicit eandem Capellam, una cum uxore & liberis. Hæc Ecclesia S. Sepulchri, annumeratur inter præcipuas Moscheas Imperatoris Turcarum, hoc est Templo Salomonis, Sanctæ Sophiæ Constantinopoli, Moscheæ Arabicæ, ubi est Sepulchrum improbi Machomet, quarum Moschearum ipse est Protector. Hujus Ecclesiæ prima Fundatrix S. Helena, quæ intus erat opere Mosaico de integro adornata, sicut in quibusdam adhuc locis, sunt evidentia signa hujus operis, præcipuæ Calvariæ; Crucifixionis, Capellæ. Hæc Ecclesia S. Sepulchri, ita est intra terram, quod muri illius ad Septemtrionem & Occidentem sunt in majori medietate intra terram; propterea semper est ibi humiditas & frigiditas, in æstate temperantur æstus ingressu illius. Circa hanc Ecclesiam variæ nationes manent, hoc est Turcæ, Græci, Latini, Armeni, Goffti &c. & domus ita sunt adjacentes, ut circuiri ab extra nullatenus possit. Hæc Ecclesia & hæ mansiones, tempore possessionis Christianorum, erant residentiæ Canonicorum S. Sepulchri, Patriarchæ, & aliarum Spiritualium Personarum Claustra. Ad quam Ecclesiam modo manent, sive intra ipsam Ecclesiam, variæ nationes, hoc est Latini, Græci Ordinis S. Basilii, Schismatici, Armeni excommunicati, Goffti Surriani Hæretici, occlusi ab ipsis Turcis, & sigillati sigillo ipsius Imperatoris Turcarum; solet tamen aperiri pro persoluto tributo, præcipuè in Festis Paschatis harum nationum, in Dominica prima Quadragesimæ. Et dum aperitur, præsidium Turcarum ante illud stat. Imperator Turcarum quotannis, communis proventûs ex illo loco plus percipit, quam bis centena millia.

Sepulchrum Christi, est in medio Ecclesiæ, circa quod in Festis Paschatis celebrantur processiones, diversarum nationum ibi manentium, ex quibus primam suam Processionem peragunt Latini, sicut & omnes alias cæremonias, postmodum Græci Schismatici, Armeni Goffti, Surriani, Abassini &c. Longitudo hujus

Capellæ ab intra paſſus 9. latitudo paſſus 6. altitudo cubitos 8. Parietes ejus ſunt tecti tabulis magnis, coloris cinerei, tam ab extra, quàm ab intus, præ vetuſtate aliquæ ruinatæ, & ex locis ſuis avulſæ ac dejectæ; ſiquidem eas non licet reparare ſine licentia Turcorum. A latere hujus Capellæ à meridie & ſeptemtrione tres columnæ juxta proportionem ſtructuræ, quam ſuſtentant; in ſummitate ejus turricula rotunda, laminâ plumbeâ tecta, in ſex columnis marmoreis duplicatis porphyraceis oblongis cubitis 4. craſſis tribus palmis, quas columnas quondam Græci comportarunt ex monte Sinai ad Jeruſalem, & Latini eas ab eis acquiſiverunt, permutato candelabro luſtrali ex aurichalco ſummæ pulchritudinis & magnitudinis, quod extat modo in Choro Græcorum. Hæ columnæ ſunt aliquæ coloris miniati porphyreæ, aliquæ marmoreæ cinerei. Hæc tota turricula eſt latitudinis orgyarum 4. lata inter columnas orgyarum 2. altius ſupra columnas eadem turricula juxta proportionem ſtructuræ latior. Hæc Capella S. Sepulchri caret tecto, ſed in ſummitate eſt in plano, juxta proportionem ædificiorum in oriente; hæc Capella S. Sepulchri dividitur in duas Capellas: prima ab Oriente habet fores ligneas myſterioſe factas, altas cubitis tribus, & ſemiquatuor, latas cubito uno & dimidiæ palmæ, longitudo & latitudo hujus Capellæ paſſus quatuor, altitudo orgyas 2. Figura eſt litera 6. Habet tres feneſtrulas ſine vitris, longas in cubitum 1. latas juxta proportionem, una ad meridiem, altera ad Septemtrionem. In hac Capella lampades die ac nocte ſemper ardent variarum nationum, hoc eſt Latinorum, Græcorum, Armenorum, Gofftorum numero 16. ubi ab his eſt fumo denigrata, Nationis Latinæ lampades num. 5. variorum Regum Europæ, & ante introitum in Sepulchri Capellam, lampas Armenorum lucet, qui à lateribus ab extra Capellæ accendunt lampades 4. In hac Capella eſt unus lapis in medio, coloris cineracei quadratus latus & longus palmis duobus, & digitis tribus, altus à terra ſemiduobus palmis exciſus è petra ejusdem Capellæ, in ſignum in eodem loco poſitus, in quo jacebat ante fores alterius Capellæ, in qua eſt Sepulchrum Chriſti, quo fuerat occluſum, dum Corpus Sanctiſſimum Chriſti in illo quievit, quem Angelus amovit & ſedebat ſuper eum, dum Chriſtus reſurrexit; ipſe autem genuinus lapis, quo Sepulchrum, una cum Corpore fuerat clauſum, eſt in

Monte

Monte Sion apud Armenos in Domo Caiphæ. Altera Capella, ubi eſt Sepulchrum Domini, in quo Corpus ejus Sanctiſſimum quievit & reſurrexit, ad quam ſunt fores parvæ ex hac prima, de qua dictum, alta palmis 5. & digitis 2. lata palmis 3. longitudo & latitudo hujus Capellæ palmis 9. altitudo palmis 5. in illa ad ſeptemtrionem eſt Sepulchrum Chriſti Domini, in quo ex marmore coloris cineracei eſt erectum, altum à terra palmis tribus & ſemi, longum ab oriente ad occidentem ita, ſicut eſt Capella, latum ſicut medietas Capellæ. In hoc ipſo Sepulchro quotidie cantatur Miſſæ Sacrificium, & Miſſæ privatæ abſolvuntur à ſolis Latinis, ſiquidem ad illos ſpectat Sepulchrum Domini, ex ipſo privilegio Imperatoris Turcarum, ſiquidem illud ſicut & alia loca, emit apud illum Robertus, Rex Siciliæ. Aliis autem Nationibus, ſicut Græcis, Armenis, Gofftis, Surrianis, Abaſſinis, nullas ſuas cæremonias licet in eodem loco abſolvere, intrant tamen illud & orant. In hac Capella ſupra ipſum Sepulchrum, lampades argenteæ variarum Nationum plurimæ pendent, & in illis ſemper oleum olivarum ardet, hoc eſt Græcorum, Armenorum &c. num. 28. Latinorum ex variis Regnis Europæ numero 13. hoc eſt Summi Pontificis, Cæſaris, Hiſpaniæ, Franciæ, Portugaliæ, Sabaudiæ, Florentiæ, Neapolis, Venetiarum, Siciliæ &c. & pro magnis Feſtivitatibus pendent aureæ, à quibus nimium eſt deſumata Capella; attamen in ſuperficie ſunt tres feneſtrulæ, ſive foramina ſphæricæ formæ, per quas fumus exit. In Feſto Paſchatis, Corporis Chriſti, dum Proceſſio fit ſolennis circa Sepulchri Chriſti Capellam, cum venerabili Sacramento, & pro aliis Feſtivitatibus, pretioſis periſtromatibus, cum variis figuris & myſteriis, hoc eſt reſurrectionis, apparitionis &c. adornatur præcipue ab extra eadem Capella Sepulchri Chriſti, & hæc periſtromata ſunt cum variis ſtemmatibus Regum Europæ, præcipue Hiſpaniæ, Galliæ, Portugaliæ. Ante Capellam Sepulchri Chriſti, ad orientem eſt Chorus Religioſorum in altum paſſus 6. in longum paſſus 8. In hoc choro ante Sepulchrum pendent magnæ lampades argenteæ variorum Regum, præcipuè lampas Neapolitana magnæ æſtimationis & pretii, Florentiæ, Hiſpaniæ. Ab occaſu ſolis hujus Capellæ Sepulchri Chriſti, habent Goffti Capellam nimis miſeram & exiguam, quæ deformat loci fabricam. Ab extra & in aditu hujus Capellæ,

in muro in prospectu & per directum ad S. Sepulchrum, ubi Corpus Christi jacuit, Græci & Armeni fecerunt foramina per quæ digitus potest inferri, & taliter suos peregrinantes seducunt, qui in hæc foramina clausis oculis digitum recte inferet est prædestinatus, ad cælum &c.

Præter hanc principalem & augustam Ecclesiam in loco ipso Sanctissimi Sepulchri erectam, sicque descriptam, magnis privilegiis & Sanctuariis dotatam, non defuere & aliæ, in Civitatibus Palæstinæ, in honorem S. Sepulchri Ecclesiæ insignes, & magnis redditibus dotatæ, à Comitibus erectæ, imò & Cathedrales, titulo S. Sepulchri insignitæ, à Canonicis Hierosolymitanis gubernari solitæ, quas refert in sua Bulla Cælestinus Papa II. approbatoria Ordinis Nostri, quam adducit Joannes de Nigra Valle in Genealogia Ordinis Canonici ad finem. Et Gabriel Pennotus Canonicus Regul. Lateran. præclarus Scriptor.

Libr. 2. Cap. 62.

Ecclesia insignis S. Sepulchri in Accon, seu Ptolomaida, à Nobili viro Lamberto Hals, cum magnis redditibus, donata Canonicis Hierosol.

Samuel Nakielski fol. 5. & in Antiqv.

Ecclesia Cathedralis, tituli S. Sepulchri, in Metropoli Phœnices, Civitate Tyrensi. Adrichom. Theatro terr. Sanct. fol 9.

Ecclesia S. Sepulchri ante Urbem Tripolitanam, in monte Peregrino, à Raymundo Comite Tolossano, insigniter sub eodem titulo ædificata, peregrinorum opera, & liberaliter dotata. Idem fol. 186.

In Regno Neapolitano, Ecclesias, quas Nostri possidebant, multas fuisse, ac inter cæteras, Ecclesiam S. Sepulchri Brundusii. Marulus de Orig. & Progr. Relig. Sepulchri Domini Hierosolymitani.

Ecclesia S. Sepulchri in Barleto, (quod est oppidum in Apulia satis nobile) cum suis pertinentiis ad prædictam Congregationem S. Sepulchri spectabat.

Ecclesia S. Sepulchri in Civitate Trojæ in Apulia, erat dictæ Congregationis.

Ecclesia S. Sepulchri in Civitate Tirazonensi, Provinciæ Cæsaraugustanæ in Hispania, quam Alphonsus Rex Hispaniarum, magnificè extruxit, ac liberaliter providit, dum Saracenos ex Hispania expulit, & est illustris Abbatia Ordinis Canonicorum Regularium,

eo

eo quod illius Canonici ſunt de Congregatione Canonicorum Dominici. Sepulchri Hieroſolymitani: Meminerunt hujus Abbatiæ Aubertus Miræus de Collegiis Canonicor. Regul. cap. 32. & alii.

In Affrica ſuper allatam terram Sanctam, ubi ſepultus Chriſtus tertia die reſurrexit Heſperius vir Tribunitius, Oratorium, ſive Eccleſiam conſtruxit juxta Baronium Tom. 1. fol. 241. *Sed tenuem ex Sepulchri loco ſumptum pulviſculum, eodem honore habendum exiſtimarunt adeo, ut ejusdem condendi cauſa etiam Eccleſiam excitarint.*

In Regno Aragoniæ, in Oppido Calataum, eſt illuſtris Abbatia S. Sepulchri, ut refert Aubertus Miræus de Orig. Canonic. fol. 150.

Cameraci Urbe Archiepiſcopali Belgicæ ſecundæ Monaſterium eſt Sancti Sepulchri, Ordinis S. Benedicti; Raynoldus Rayſſius in Hierogazophylacio Belgico fol. 470. De quo expreſſe Aubertus Miræus in notitia Eccleſiar. Belgii fol. 182. ſic ſcribit: *Gerardus Sanctæ memoriæ Epiſcopus Cameracenſis, tempore magnæ famis, dum morientium corpora capere non poterant cæmeteria, Cameracenſis Urbis incidit ſanum conſilium, ut extra muros Civitatis fodere faceret polyandrum. Juxta quem locum Eccleſiam poſtea conſecraverat in honorem Dominici Sepulchri, eamque & terris & familiis dotavit, ut propter reverentiam tanti Nominis, ſepultura ibi eſſet pauperibus & peregrinis. Hanc autem Eccleſiam amplificare congrua diſpoſitione conabatur, niſi ſenio jam preſſus prohiberet. Ego itaque Lietbertus Succeſſor, tanto & tali animatus exemplo, quoniam parva erat, juxta Eccleſiam illam, Monaſterium ampliore ſchemate ædificavi, ipſumque in honore Domini noſtri JESU Chriſti, & ejus S. Sepulchri conſecravi Anno 1064.* Unde dicitur Eccleſia Cameracenſis, Eccleſia S. Sepulchri, ut ibidem fol. 206. & Abbas illius loci, nomine Abbatis S. Sepulchri vocatur, ut ibidem fol. 383. Et in Epiſtola ſua Lugduni Innocentius Pontifex: *Dilecto Filio Abbati S. Sepulchri Cameracenſis &c.*

Burgienſis ſive Burgi Civitas S. Sepulchri, cujus erectionis & nominis S. Sepulchri occaſio patet ex Bulla Leonis X. in erectione illius Epiſcopatûs, quem primo erexerat. Quod cum in illum locum, qui modo Burgenſis Civitas eſt, ante Sylva ingens erat, duo nobiles peregrini, ex fortuito caſu, ſive ſic deducente eos Divina manuductione, adveniſſent, ſcilicet Arcanus & Ægidius, qui nuper

per à Sancto Christi Sepulchro redierant, lapsi sunt in somnium, & in eo divinitus admoniti, ut templum in Numinis honorem erigerent. Ad quod cum ingens populi esset frequentia, & sensim domos sibi construerunt, ut oppidum jam appareret. Et quia illi peregrini primi redierunt à S. Sepulchro, Oppidum illud S. Sepulchri dictum; postmodum in opulentam Civitatem evadens, eodem titulo appellatum, & Cathedralis à Leone X. erecta Ecclesia, quæ olim Abbatia S. Sepulchri fuit dicta, nunc Episcopatus Burgensis S. Sepulchri vocatur, quem Episcopatum Burgi S. Sepulchri, sub Archiepiscopatu Florentino, refert Ignatius Graveson, in Indice Geographico Sedium Episcopalium, ad initium Tom. 9. Histor. Eccl.

Prioratus S. Sepulchri, Ordinis Cluniacensis, Diœcesis Trecensis apud Miræum cap. 77. Est etiam ejusdem nominis & Ordinis Prioratus fœminarum in Arvernia, ut Claudius Robertus, Lingonensis Presbyter fol. 646.

In Suburbio Hojensi, penes novum Monasterium, est Ecclesia S. Sepulchri, à Petro Eremita, de quo inferius, erecta taliter: Cum rebus Palæstinæ compositis, urgentibus ejus reditum variis Belgii Primatibus, vale facto Regi Baldvino, navim conscenderet, cum his præcipuis Comitibus, scilicet Cunes, Comite Montis Acuti, & Lamberto Comite Claromontano, ad Mosam Leodiensem, & variis Nobilibus, & Civibus Hojensibus. Verum in mari vehementi orta tempestate, nimium periclitantes, Petrus omnes ad Spem in Christum animans, cunctorum corda ita accendit, ut Comes Claromontanus voverit, si sospites portum tenere possent, in honorem S. Sepulchri, & S. Joannis Baptistæ Monasterium in suis fundis ponere: quô voto factô, statim cessavit tempestas. Inde ad propria rediens, voti executionem, Venerabili Petro commisit. Adjuvit pium opus Comes montis Acuti, juvere & alii Nobiles, quorum opibus, in valle amœna, ad tractum Mosæ, non procul à dicto Oppidô, Templum sub titulo S. Sepulchri, & juxta illud Monasterium erexit, in quo Canonicos S. Augustini ad Divina peragenda statuit. Ejusdem Petri Corpus incorruptum, sub Mauritio ejus Templi Canonico S. Sepulchri repertum, elevatum, repositum in Sacello S. Sepulchri, in extremitate templi constructo, miris populi concursibus celebre, additis parieti can-

cellis

cellis ferreis, per quos à transeuntibus conspici possit. Refert Petrus Droutemanus Soc. Jesu in Vita Petri Eremitæ ejusdem. Quo in loco, annua his verbis proclamatur memoria; apud Nolanum in Natal. Belg. in Append. fol. 154. *Octavo Idus Julii, Anno Domini 1115. obiit Dominus Petrus Venerabilis Sacerdos & Eremita, qui primus Prædicator Sanctæ Crucis, à Domino meruit declarari. Hic post acquisitionem terræ Sanctæ, cum reversus fuit ad natale solum, ad petitionem quorundam virorum nobilium, & ignobilium, fundavit Ecclesiam istam, in honorem S. Sepulchri & S. Joannis Baptistæ, in qua idoneam sibi elegit Sepulturam.*

In vico Varallo sub Alpibus sito, Religiosus quidam ordinis minorum, ex nobili familia Mediolanensi, fundans piorum hominum sumptu Ecclesiam, ibi & Monasterium, cum à Sepulchro Domini inspecto rediisset ejus imaginem, quæ speciem Sepulchri Christi exhibebat referens, ac in dicta Ecclesia collocans, tanto sensim inspectione illius, ad pietatem venerationemque erga Sepulchrum Domini permovit adeuntium corda, ut ille locus maxime celebris evaderet, ob concursum populi ad spectandam imaginem, & explendam pietatem erga Sepulchrum Christi, quam impendere non possent, petendo Hierosolymam; ut ex Authore, qui vitam S. Caroli Borromæi, literis consignavit, habet Quaresmius lib. 3. Tom. 1mo Elucid. Terr. Sanct.

In Romandiola Italiæ Provincia, in antiquissima Civitate Ravenna, Ecclesia Ordinis S. Benedicti vetustissima, singulariter ad similitudinem Dominici Sepulchri est constructa, nec facile alias, illi similes reperiri posse, Patres ejusdem Cænobii testati sunt. Idem Quaresmius Tom. 2. cap. 5. ibidem.

In Civitate Parmensi Collegium Abbatiale vetustissimum, S. Sepulchri nominatum, Congregationis Lateranensis. Pennotus libr. 2. cap. 22. num. 4. fol. 308.

S. Conradus Constantiensis Episcopus, qui terram Sanctam invisit ter, quique tertia vice reversus ex Palæstina, Sepulchrum Domini in Constantiensi Æde, quod Hierosolymitanæ illius formam ad amussim referret, exornari fecit, ad quod postea magnus concursus hominum undequaque factus est. Schedelius. De eodem Sancto in vita ejus sic habetur: *Insuper tres Ecclesias construxit, unam in Civitate Constantiensi, duas extra. In quarum una, scilicet*

in Ecclesia B. Mauritii Sepulchrum Domini nostri JESU Christi, simillimum illi, quod est in Jerusalem, cum multa diligentia construi procuravit, ubi etiam duodecim Præbendas Clericis ibidem Christo famulantibus in perpetuum instituit.

Venetiis in Ecclesia S. Zachariæ, præ foribus Ecclesiæ ejusdem, est Sepulchrum Domini, instar ejus, quod est Hierosolymis, formatum, ut Bernardus de Brendeybach, Ecclesiæ Metropolitanæ Moguntinæ Decanus, de reliquiis, quæ habentur Venetiis. Et Illustrissimus Radziwil Epist. 4. fol. 283. in sua peregrinat. ibidem dicit esse Ecclesiam S. Sepulchri (quæ fortè à principali illa Capella, S. Sepulchri Ecclesia dicitur) quam se ingressum pro gratiis Deo persolvendis, pro felici à Sepulchro Christi reditu, dicit. De eadem Ecclesia, vide infra.

Bononiæ, S. Petronius Episcopus Bononiensis, construxit Templum, S. Stephano Protomartyri dicatum; ut habetur apud Surium 4. 8bris in ejus vita, & in eodem Templo est Sepulchrum Domini, ad instar ejus, quod est Hierosolymis, in cujus Ecclesiæ Chronico pag. 124. habetur in hunc modum: In medio dictæ Ecclesiæ pulcherrimum, ex sectis quadratis & perpolitis marmoribus, extruxit locum S. Petronius, hic repræsentat Capellam S. Sepulchri, in quo Sepulchrum candidissimo marmore excisum inclusit, hoc oculis objicit formam illius, in quo Domini nostri JESU Christi Sacratissimum Corpus collocatum fuit, ejusdemque magnitudinis ac mensuræ, ac ipsum originale fecit, & mensuram ipsam S. Petronius propriis manibus accepit, ex vero Domini Sepulchro, quando illud Hierosolymis propriis oculis cernebat. Et teste Surio, in eadem Ecclesia varias imagines Montis Calvariæ & Sepulchri, in quo Christus conditus est, exprimere curavit, ut vehementiùs excitaret, ad amorem Christi passionis. Et ut in eodem Chronico habetur: Supra ostium Sacelli supradicti S. Sepulchri, esse Angelum cum hac inscriptione, *Surrexit, non est hic.* quia talem picturam, in Sepulchro Domini, oculis apertè se vidisse testatur Reverendissimus Bonifacius Stagni, Episcopus Racusinus, in quo Angeli duo depicti, superpositi cernebantur, quorum alter scripto dicebat: *Surrexit, non est hic.* Alter verò Sepulchrum digito notans: *Ecce locus, ubi posuerunt eum.* Quam Ecclesiam supradictam Bononiæ S. Petronius, Hierosolymæ nomine appellavit, & ob

& ob eam causam vicus eidem Ecclesiæ conjunctus Jerusalem nominatur. Surius loco citato.

Fulco Nerra Comes, Hierosolymis reversus, in honorem S. Sepulchri, ultra Augerem fluvium Bello: loco Monasterium & Ecclesiam construxit. In Notis Jacobi Sermondi Soc. Jesu ad libr. 3. Goffridi Abbatis Vindocensis Epist. 2dam. Biblioth. Vet. PP. Tom. 12. fol. 304.

Apud Balgentiacum Aurelianensis Agri ad Ligerem Oppidum nobilis Ecclesia S. Sepulchri, quam possident Vindocinenses, de qua Urbanus II. Goffrido Abbati Cardinali S. Priscæ his terminis nominat: *Ecclesiam Sancti Sepulchri de Balgentiaco, quam ipsius Castri* Ibid. fol. 309. *Domino Lancelino petente, Raunarius Aurelianensis Episcopus, Prædecessori tuo Oderico perpetuo possidendam concessit.* Idem Sermondi ad libr. 5. Epist.

S. Audoneus Episcopus Rothomagiensis, dum adhuc esset Referendarius Regis Dagoberti, Monasterium & Ecclesiam S. Sepulchri, Resbaci construxit, quod Hierosolymam dici voluit.

In Collegiata S. Petri Duacenæ Civitatis Attrebatensis Diœcesis est Sacellum S. Sepulchri, in quo Gvilielmus Estius S. Th. Doctor & Professor, Præpositus ejus Ecclesiæ, Universitatis Duacensis Cancellarius, pietatis, doctrinæ, modestiæ, beneficentiæ in pauperes speculum, consveverat ibi pene quotidie, incruentum Missæ Sacrificium offerre, & in eodem Sacello S. Sepulchri sepultus est. Arnoldus Rayssius fol. 418. in Hierozophylacio.

Nimoniæ in Italia, Capella Sanctissimi Sepulchri, fundata ab Illustrissimo Barone Putz.

Pisæ seu Pisis Ecclesia S. Sepulchri & ibi est Prioratus S. Sepulchri, in qua Ecclesia jacet Corpus Ubaldescæ Virginis, Ordinis S. Joannis Hierosolymitani, quarum Virginum est ibi Monasterium. Ex tabula Ecclesiæ Pisanæ.

In hac Civitate Pisana seu Pisis in Ecclesia S. Sepulchri contigit ut S. Bona ante fores Ecclesiæ S. Sepulchri transiret, super quibus ab aquilonari parte Ecclesiæ, picta est imago Domini Nostri Jesu Christi; Cui cùm velut devota divinis & sacris se signando, more fidelium caput cum reverentia inclinasset, Christum adorans in ea: Imago eadem versa facie se totam inclinans B. Bonæ, extensa manu benedixit eandem. Alia autem vice, cum adhuc valde juvencula ex præcepto Matris ivisset ad forum, ante prædictam

dictam S. Sepulchri Ecclesiam pertransibat, extra quam, quia donum jam fuerat consecuta Divinum, de ampliori confidens, orandi gratiâ Ecclesiam intravit eandem. Et ecce ipsi devotè & instanter oranti, apparuit juxta cancellos Dominus JESUS Christus, cum Matre sua gloriosa, semperque Virgine Maria, aliisque duabus Matribus Sororibus ejus, nec non & cum beato Jacobo Apostolo, cujus limina in Galicia, quæ à totius mundi hominibus visitantur. Illa visionis magnitudine, ac visorum gloria stupefacta, quia nondum asveta erat talibus, fugiebat; quam Beatus Jacobus insecutus, confortando eam, dixit ei: Filia noli timere, quia qui tibi dignatus est apparere, est Dominus Jesus Christus, cum Matre sua benedicta & duabus Sororibus. Quæ ex verbis Apostoli conceptâ fiduciâ, reversa est ad cancellos. Tunc Christus manum suam sanctissimam, capiti ejus imponens, dixit ad eam: Aperi os tuum. Quod cum illa fecisset, insufflans Christus tribus vicibus in os ejus, dixit ei: Accipe Spiritum Sanctum. Statimque S. Bona ipso Spiritu adeo repleta, ut deinceps in vultu, verbis & gestibus ejus gratia ipsius Spiritus redundaret. Ex pervetusto Codice Ecclesiæ Pisanæ apud Godefridum Henschenium, & Danielem Papebrochium Tom. 7. Die 29. May, in Actis Sanctorum in vita ejus, Cap. 1.

S. Aderardus Confessor, cum Hierosolyma à S. Sepulchro ad patriam rediisset, in monimentum suæ peregrinationis, & fomentum devotionis sacram ædem S. Sepulchri, octavo ab Urbe lapide construxit. Martyrologium Gallicanum Andreæ de Saussay Parisiensis fol. 771. In qua & ipse sepultus est. Gujetus libr. 1. cap. 6. de natura festorum propr. q. 12.

Reperiuntur in Gallia nonnullæ Ecclesiæ sub eodem titulo S. Sepulchri, Cadomi videlicet in Diœcesi Bajocensi Collegium Canonicorum. In Diœcesi Bituricensi. Item aliæ alibi, idem Gujetus suprà.

In Germania antequam errore ac hæresi Lutherana infecta esset, tanta erat devotio erga insignia passionis Christi, inter quæ memoriam Sanctissimi Sepulchri Domini, intimo amore sunt prosecuti, ita sub eodem titulo Ecclesiæ frequentes Ordinis Nostri extarent. Noster Historiographus Samuel Nakielski testatur, Secunda Classe fol. 501.

Spiræ

Spiræ Germaniæ Civitate Conradus Epiſcopus Spirenſis, Eccleſiam S. Sepulchri erexit Anno 1207. in qua erant Moniales, quam adjunxit Canonicis S. Sepulchri. In Chronico Trithemii Abbatis fol. 168.

In Bohemia ad Urbem Pragenſem in Albo Monte, Capella Sanctiſſimi Sepulchri, fundata à certo Murario, nomine Joſepho, cui apparuit in ſomnis juvenculus in alba veſte, & eidem Capellam S. Sepulchri, ædificandam revelavit, cui obtemperans monito juvenculi hujus, parvam Capellam ædificavit, aſt poſtmodum mortuis parentibus, accepta hæreditate, peregrinatus eſt Hieroſolymam, ibique Sanctiſſimum Sepulchrum accuratiſſimè delineavit, & ad inſtar ipſius Sanctiſſimi Sepulchri, eandem Capellam reædificavit, in qua etiam Eccleſia ſepultus eſt.

Ibidem in Bohemia in Arce Regia nobiliſſima Carlſteinenſi, eſt Eccleſia, Beatæ Virginis aſſumptæ, in qua eſt Sacellum parvum, ubi Sepulchrum Chriſti haberi ſolet. Boguslaus Balbinus in Miſcellan. Hiſtor. Regni Bohemiæ lib. 3. cap. 8. §. 3. fol. 101. ad fin.

Teuto Brodæ apud RR. PP. Auguſtinianos Diſcalceatos eſt etiam Sanctiſſimum Sepulchrum ad inſtar Hieroſolymitani, fundatum ab Illuſtriſſima Domina Comitiſſa Lychteinſteiniana, ubi quotidie ſacrum unum ſub obligatione celebratur.

Pragæ ad S. Venceslaum apud eosdem RR. PP. Auguſtinianos Discalceatos, eſt Sanctiſſimum Sepulchrum, fundatum antiquitus à Canonicis S. Sepulchri, ad quod qualibet feria 6ta Sacrum Votivum celebratur.

Ibidem in Zderaz, apud Canonicos Ordinis noſtri extat S. Sepulchrum, propter quod ad Eccleſiam conſtruendam, igne conflagratam, plurimi Benefactores Nobiles impenſam dederunt.

Niſſæ apud Canonicos S. Sepulchri extat Sanctiſſimum Sepulchrum, fundatum ab iisdem, cum magna devotione & concurſu populi, maxime feriâ ſextâ frequentatur appenſa ad illud magna de argento & auro votorum & tabellarum copia.

Auguſtæ Vindelicorum in Eccleſia S. Udalrici, cujus ibi eſt Sepulchrum, extat Sepulchrum Chriſti ad Hieroſolymitani modum conſtructum. In Deliciis per Germaniam fol. 3.

In deſcriptione urbis Mediolani Joannes à Pflaumern ſub num. 51. Templi S. Hieronymi fol. 475. habet: *Poſt Divi Ambroſii Xenodochium,*

 dochium,

dochium, sequitur templum S. Hieronymi, multis ornamentis, & præsertim Christi Sepulchro ad Hierosolymitani speciem efformato spectabile.

Idem in descriptione ejusdem Urbis Templi S. Sepulchri sub num. 59. fol. 478. Templo S. Victoris ad Theatrum Ausonii altera proximaque huic ædes ad Sepulchrum nuncupata, cujus originem referunt, ad annum 1090. quo tempore Urbani II. Romani Pontificis, Christiani exercitum trecentorum militum peditum ex centum millium equitum, in Palæstinam miserunt, expulsisque Saracenis ceperunt Hierosolymam. Fuere in eo exercitu septem millia Mediolanensium, quorum Ductor Otto Vice Comes. Signifer Joannes Ro, qui primus conscensis muris, vexillum candidum rubea cruce insignitum in pinnis fixit: *Reliquos inter milites generis nobilitate & pietate excelluit Benedictus Rozza Cortesellanus, qui Christi Sepulchrum non modo coram impense coluit, sed consilium cepit ad ejus figuram similis in Patria extruendi, extruxitque in area ædium suarum, constituta insuper de suo peculio dote &c.*

S. Carolus Borromæus, clavum Salvatoris, quo in cruce fuerat affixus, quem à S. Helena in frenum redactum fuisse narrat S. Ambrosius, universo clero & populo comitante, ad majorem Basilicam Mediolanensem, anno 1451. Calend. Aprilis 13tio transtulit. Anno vero 1577. post sedatam Mediolani pestilentiam, dum festus advenerat dies, quo S. crucis ab Helena inventæ memoria colitur, cumque illustriorem sacrati clavi cultum, annua celebritate S. Carolus in animo haberet, eum diem ad id aptissimum judicavit. Clerô igitur universô convocatô, sanctum clavum, publico conventu, festoque apparatu, ad Ædem S. Sepulchri nomine appellatam, in processione defert. In Vita S. Caroli Borromæi, libr. 4. cap. 10. ab Episcopo Novariensi, apud Surium. Ibidem habetur libr. 5. cap. 2do. Quod S. Carolus Borromæus Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, unum ipse collegium constituit, ad Ecclesiam S. Sepulchri, quem locum boni Presbyteri nonnulli, etiam ante S Carolum Archiepiscopum colentes, antiquam Mediolanensium Clericorum disciplinam, in maxima civitatis corruptela retinebant. In ea igitur Ecclesia S. Sepulchri societatem, actis intervenientibus instituit 17mo Calendas Septembris, & primos sese offerentes, celebri ritu apparatuque receptis, quos alii magno numero secuti sunt, monitaque unà cum sociis S. Sepulchri

chri cultoribus retinebant. Post mortem S. Caroli, ii ad Sanctum Sepulchrum (nempe Ecclesiam) relicti, qui verè sese Ambrosio, Ecclesiæque Ambrosianæ tradiderant.

Veronæ in Tuscana est Ecclesia S. Sepulchri, de qua sic Bzovius Annal. Eccl. Tom. 14. anno 1343. num. 27. de B. Tuscana Veronensi scribit: *Tuscana ad Cænobium S. Sepulchri, Religionis Hierosolymitanæ, ut ibi inserviret perrexit, ac vestem religiosam induit,* atque adeo paupertatem coluit, ut non erubesceret mendicare, ab omni prorsus conversatione humana abhorrens; dies noctesque ferè integras, in vigiliis, orationibus, & meditationibus insumebat; singulis diebus exceptis Dominicis pane & aqua jejunabat. Cum aliquando ad Ecclesiam visitandam exivisset, & latrones chlamydem illi ex humeris detractam arefactione manuum salvissent, prostratis & veniam precantibus sanitatem impetravit. Antequam expirasset, Angelica visione & locutione recreata, in febrem incidit, & tum vocem de cælo delapsam audivit, quæ invitaret. Veni Sponsa Christi Tuscana, accipe coronam, quam tibi Dominus præparavit in æternum. In hac voce expiravit, & multis miraculis inclaruit. Quæ cùm multò frequentiora, ad ejus Sepulturam fierent, Episcopus Veronensis exinde (nam in via juxta Xenodochium Hierosolymitanum sepeliri voluerat) in Ecclesiam S. Sepulchri in paratum Sarcophagum, magnâ populi frequentiâ, pridie Idus Julii, ejus corpus transtulit.

B. Meinwercus, Episcopus Paderbornensis in Saxonia pro obtinenda cælesti Jerusalem, Ecclesiam ad similitudinem sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ facere disponens, Winonem Abbatem de Helmwardeshasen, ad se accersivit, eumque Hierosolymam mittens mensuras ejusdem Ecclesiæ & S. Sepulchri deferri sibi mandavit. Wino itaque Abbas Hierosolymam adit; & reverso de Hierosolymis, & mensuras ejusdem Ecclesiæ, & Sepulchri reliquias deferente, cœpit Episcopus ad similitudinem ejus, Ecclesiam S. Dei Genitricis, extra Paderbornensem civitatem, in orientali parte construere, in qua Canonicos Deo servientes congregavit, & variis assignatis prædiis dotavit. Broverus Soc. Jesu, in vita ejusdem Beati, apud Surium die 5ta Junii.

Cum Justinianus Dux Venetiarum, supra beatum corpus S. Marci Venetias delatum, Ecclesiam vellet construere, morte præventus

ventus eſt, cujus germanus Joannes, vir Deo dilectus Ducatum ſuſcipiens, vicem ejus complevit; conſtruxit namque juxta Palatium elegantiſſimæ formæ Baſilicam, ad eam ſimilitudinem, quam ſupra Domini tumulum Hieroſolymis viderat, quam etiam multis & variis jusſit depingi coloribus, ubi & aromatibus venerabile corpus conditum, honore digniſſimo poſuit. Anno 831. apud Surium 31. Jan. de translatione corporis S. Marci, Alexandriâ Venetias.

Ibidem Venetiis, eſt Eccleſia Sanctimonialium S. Franciſci, ſub titulo S. Sepulchri; intrando Eccleſiam, eſt Capella S. Sepulchri, in cujus ſuperficie, eſt inſcriptio: *Hic intus eſt corpus JESU Chriſti*, & ſequuntur verſus: *Surrexit vita Chriſtus de morte triumphans &c.* In ipſa Capella eſt inſcriptio. *Hic eſt panis qui dat vitam mundo.* Quaresmius Tom. 1. de quinque vulner. Cap. 4. Sect. 4. de Beata Clara de Pugnis Moniali Clariſſa teſtatur, quod in Conventu S. Sepulchri Venetiis, non ſolum interiùs paſſa fuit, in corpore toto, Chriſti Crucifixi dolores, ſed ampliùs, in illius ſiniſtro cordis latere, vulnus inflictum fuit, ex quo guttæ ſangvinis continuò defluebant. In deſcriptione Templorum Urbis Venetiarum, Joannis à Pflaumern ſub num. 21. ponitur. *Templum S. Sepulchri*, de quo pag. 41. ſic habetur: *S. Sepulchri fanum à marmoreo Sepulchro, ad ſimilitudinem religioſisſimi ejus, quod Hieroſolymis inserviſitur effičto, nomen habet.*

Conſtantinopoli nobilis fuit Baſilica à S. Pulcheria erecta, cui Sancti Sepulchri nomen indidit, ubi ſacras repoſuit faſcias, quibus Chriſti Corpus in Sepulchro colligatum fuit. Nicephorus. Cedrenus, de eodem templo dicit: *Leo Senior, Imperator Conſtantinopolitanus, cum Patriarcha, templum Blachernenſe, & ſacrum Sepulchrum ingreſſus.*

Anhuſium Cænobium Monachorum inſtituti ac Ordinis Benedictini magnificum, ibidem Georgius Dapifer de Wetzhauſen egregius Monaſterii luſtrator in Abbatem eligitur Anno Dni 1499. antea Terræ Sanctæ Peregrinus anno videlicet 1490. In cujus rei memoriam, condidit in choro templi Anhuſenſis, Dominicum Sepulchrum anno Dni 1521. ut ſcriptum eſt in marmoreo monumento, eidem parieti inhærente. Ex libro Chronologia Monaſteriorum Germaniæ præcipuorum Authore Gaspare Bruschio fol. 29.

In

In Saxonia dum anno 1119. cœperunt Equites S. Sepulchri ampliari, Goslaviæ condiderunt Monasterium quod S. Sepulchri vocarunt. Ex antiquitatibus Goslaviensibus & vicinarum Regionum libr. 1. Et Anno 1527. ibidem Goslaviæ Cives, erexerunt Ecclesiam in honorem S. Sepulchri.

Maceratæ in Italia, in Ecclesia satis pulchra PP. Barnabitarum est Capella S. Sepulchri, ad quam ex Ecclesia per gradus deorsum intratur. Ibidem die Parasceves sacro, fit magnus concursus hominum: hac die accenduntur lampades, circiter quinque millia. Pro hospitibus visitantibus hanc Capellam S. Sepulchri, est quotidie indulgentia plenaria. In superficie ipsius Sepulchri sunt verba. *Videte locum ubi positus erat Dominus.* Ante Sepulchrum est Lapis, in hac mensura, in quali est Hierosolymis, in quo sedebat Angelus. Quotidie in ipso Sepulchro, ardent duæ lampades de oliva. Ibi, ubi corpus Christi positum, est locus de marmore pulcherrimo.

Dionysius, Placentinus Episcopus, Placentiæ Monasterium Sanctissimi Sepulchri, Ordinis S. Benedicti excitavit, Anno 1056. In Italia Sacr. Tom. 2. fol. 259.

Græcii in Metropoli Styriæ, est Capella S. Sepulchri.

Madriti amplissima Civitate Metropoli Hispaniæ, in Ecclesia Ordinis S. Augustini vocata Capocavana, est Sepulchrum Christi ad instar Hierosolymitani, totum argenteum, eleganti opere efformatum.

In Regno Franciæ plurimas extare Ecclesias, sub nomine S Sepulchri, constat ex Statutis & legibus à Carolo Magno Imperatore, Ludovico VI. Philippo sapiente, Ludovico Sancto Franciæ Regibus Anno 199. in Urbe Hierosolymitana datis, emanatis, in quibus Articulo 8vo sic statuitur: *Volumus etiam & volumus, quod in dicta Ecclesia S. Sepulchri Hierosolymitani, & aliis Ecclesiis per nos, & alios Reges & Principes, hactenus ædificatis, & in posterum ædificandis in dicto Regno Franciæ, & alibi in eorum terris & dominiis, in honorem ejusdem S. Sepulchri & devotionem &c.* Et Articulo 13. *In aliis autem Ecclesiis, per nos & nostros amicos in Franciæ Regno, Nostrisque terris & dominiis, in honorem dicti S. Sepulchri ædificatis.*

In Regno Poloniæ, Jaxa Dux Serbiæ, de Sangvine Regum Poloniæ, Anno 1162. ad honorem gloriosissimi Sepulchri Christi,

 quod

quod præsens conspexerat & adoraverat, nobile Monasterium in Oppido Miechow, Diœcesis Cracoviensis fundavit, & primum Canonicum S. Sepulchri ex Ecclesia Hierosolymitana, Resurrectionis Christi secum adducens; iisdem Canonicis Sanctissimi Sepulchri gubernandam tradidit. Quam Ecclesiam magnificentissimè extructam Illustrissimus Dominus Gedeon, Episcopus Cracoviensis Anno 1166. in honorem & titulum S. Sepulchri consecravit. Id Monasterium Innocentius III. Gregorius XI. cæterique Summi Pontifices in suis Bullis: *Domum Dominici Sepulchri*, vocant. Urbanus IV. in multis gratiis Apostolicis, concessis dictæ Ecclesiæ & Conventui; dicit: *Præposito & Fratribus Ecclesiæ S. Sepulchri de Miechovia.* Ita Reges, Principes, aliique Benefactores Nobiles Regni Poloniæ, in suis privilegiis, Diplomatibus, Ecclesiam & Conventum Miechoviensem, *Dominici Sepulchri Domum* nominant, vide apud nostrum Samuelem Nakielski, in libris ab ipso editis, de origine fundatione ac cæteris hujus Ordinis privilegiis. Maximè enim conveniens erat, ut Ecclesia Miechoviensis cum suo Conventu, quæ juxta decisionem Sacræ Congregationis, est caput sui ordinis, in uno eodemque titulo & nomine Sancti Sepulchri, conformetur suæ principali Metropoli Ecclesiæ Hierosolymitanæ Domini Sepulchri: In qua Ecclesia Miechoviensi antiquitus, Anno 1340. Kalendis Februarii Majus Altare in honorem Sanctissimi Sepulchri & S. Jacobi minoris fuit consecratum. Ibidem aliquot fuerunt Capellæ sub eodem titulo S. Sepulchri Sacratæ, specificè subtus gradus, pro eo tempore consistentem Capellam Michaël de Radomsko Præpositus Generalis Miechoviensis in ordine decimus tertius, consecrari fecit ad honorem S. Sepulchri. Item Capellam sub turri positam cum suo Altari ad honorem S. Sepulchri. Idem Nakielski fol. 381. quæ Capella & nunc extat, non pridem exornata per Reverendissimum Stanislaum Stepkowski Præpositum Generalem, religiosa vita & munificentia in Ecclesias Nostras insignem & laudabilem virum, in qua est Altare S. Mariæ Magdalenæ. Nunc intra ambitum ejusdem Conventus, extat Capella S. Sepulchri, quam ex fundamentis, erexit pro laude Omnipotentis Dei, & Sacrosancti Sepulchri Dominici honore, Thomas de Ilkus, vigesimus quartus Præpositus Generalis Miechoviensis, Canonicus Ordinis Nostri, referente Stanislao à Lowicz, S. Th. Docto-

Nakielski in promptuario Miechovien. fol. 594.

re,

re, ejusdem Inſtituti erudito Viro. Verum dum hæc narrantur, prætereunda non eſt relatio luctuoſiſſima, ſuprema conflagratio ejusdem Eccleſiæ & Conventus, quæ contigit Anno 1745to. die 19. Menſis Aprilis, ipſa tunc Feria ſecunda Paſchæ, hora ſecunda poſt meridiem, ex occaſione incendii concepti in Domibus Oppidanis, quâ conflagratione cum ſummo dolore Ordinis Noſtri, quidquid primævi & moderni ornatus, decentiæ, notabilis ſplendoris in Altaribus, picturis, marmoribus, turribus, Organis Campanis, omnique ſuo fere jam conſummato interno & externo decore, Eccleſia & Conventus præfatus habuit, totum id intenſa ac vehemens flamma conſumpſit, diſſipavit & in favillam redegit, ſicque receſſit omnis decor à filia Sion, ut de hac Cataſtrophe doloris, plura referunt Acta Conventus ejusdem. Si tamen ex Divina Providentia, ſuggerente benefactrices manus ad opportunos ſumptos, poſteris Canonicis Ordinis Noſtri, reſtaurationem integritatemque dictæ Eccleſiæ conſpicere licebit; meminerint eandem ad priſtinum ſuum debere redire titulum, nempe fieri conſecrationem ſub titulo S. Sepulchri, ſub quo à primordiis ſuis fuerat conſecrata.

Eccleſia Zamovecenſis Ordinis Noſtri in Diœceſi eadem, conſecrata primitùs fuit circa Annum Domini 1404. feria tertia ipſo Feſto Viſitationis Beatæ Virginis Mariæ, ad honorem & laudem Sanctæ Crucis & Sancti Sepulchri. Ex manu ſcripto codice idem refert Nakielski fol. 378.

In Eccleſia Conventuali S. Hedvigis Cracoviæ illa priori, ante devaſtationem Sveticam extructa, Illuſtriſſimus Matthias Lubienski Epiſcopus Chelmenſis, Profeſſus Ordinis Noſtri, & Præpoſitus Generalis conſecravit Anno 1623. ſecundum Altare penes Sacrarium, ſub titulo Sacroſancti Sepulchri Domini Hieroſolymitani. Idem fol. 883. Ad quod conceſſit Altare privilegiatum pro defunctis Urbanus VIII. Anno 1632. ſub tenore tali Indulgentiarum apponendo clauſulam; *dummodo in ea Eccleſia, tres Miſſæ celebrentur, & in ea ſit Altare Sepulchri Domini.* Idem fol. 937.

In Palatinatu Ruſſiæ, in Oppido Lezaysk Diœceſis Premiſlienſis, in Eccleſia Conventuali & Parochiali, Ordinis noſtri à latere ſiniſtro ad ingreſſum Eccleſiæ, extat effigies ſive ſtructura S. Sepulchri in Capella, ad normam Hieroſolymitani Sepulchri, ſplen-

didè inaurata, coloribus picturarum ſpecioſa, variis Sanctorum Ordinis noſtri decorata ſtatuis, eandem effigiem ambientibus; de novo conſtructa per Reverendiſſimum Dnum Jacobum Radlinski, S. Th. Doctorem, pro tunc Præpoſitum dicti Conventûs, qui inter præclara opera, in Ordine noſtro peracta, ſtudioſiſſimè cultum S. Sepulchri promovendo, hoc pro gloria ejusdem & decore illius Eccleſiæ, non poſtremum reliquit pietatis ſuæ, in Ordine noſtro, glorioſum monumentum.

Ibidem in Palatinatu Ruſſiæ, ejusdem Diœceſis in Oppido Przeworsk, in Eccleſia Conventuali & Parochiali, Ordinis noſtri, eſt ſatis conſpicua Capella, in honorem S. Sepulchri erecta magno ſumptu, à piæ memoriæ in Religioſa vita exemplariſſimo, dignæ Authoritatis ac meritorum Prælato, A. R. Dno Francisco Chodowicz, S. Th. Doctore, Ordinis noſtri Canonico Regulari, Provinciali per Ruſſiam, ac præfati Conventus Præpoſito. Ejus Capellæ lacunar, egregiis picturis adornatum, repræſentat varias figuras S. Sepulchri. Continet in ſe bina Altaria, in quibus Bononiâ transmiſſæ binæ imagines ſpectantur, in una depicta eſt inſigni arte, depoſitio Chriſti de Cruce ad Sepulchrum: in altera mulierum viſitatio Sepulchri. In cujus medio, modernus Reverendiſſimus Jacobus Radlinski, ex Præpoſito ejusdem Conventûs Prevorſcenſis, electus Ordinis Noſtri Præpoſitus Generalis Inſulatus, feliciter gubernans, præter multa ornamenta illi Eccleſiæ exhibita, in honorem Chriſti Sepulti, & ad augendam fidelium devotionem, erga ſacrum hunc locum, Anno 1744to ſimiliter conſtruxit operoſam effigiem, ſive ſtructuram Sepulchri Chriſti, ad inſtar Hieroſolymitani, affabrè factam, in veſtitu deaurato, & deargentato ſplendidam; addunt decus non modicum Statuæ Sanctorum Ordinis Noſtri, cum inſcriptionibus Sepulchro Chriſti adaptatis. In qua Capella S. Sepulchri, diebus Dominicis à Paſchate, ad Adventum, Miſſæ Votivæ de Reſurrectione Domini celebrantur; fitque devotus concurſus populi, præſertim Dominica ſecunda poſt Paſcha, in Feſto S. Sepulchri; & Dominica ultima poſt Pentecoſten.

✲ (†) ✲

CAPVT.

CAPUT V.

Sepulchrum Christi gloriosum demonstratur, ex Peregrinatione & Visitatione.

Agnoscitur gloria Personæ & rei alicujus, documento aditûs ad eandem, præstando adorationem, humiliterque eam visitando. Sit hoc capite & eadem deductio gloriæ Monumenti Christi, nimirum cultus gloriæ illius, præcipuus actus visitatio, peregrinatio, profundissima ejus veneratio, sive effectiva in facto, sive affectiva in voto. Talis exhibitio, glorificationi ejus conveniens, ut nobiliùs & digniùs ostendi possit, inducentur distinctis paragraphis. 1mo. Tempora & sæcula talium Visitationum & peregrinationum in universali proposita. 2do. Catalogus Sanctorum & Sanctarum per singulos menses, visitantium S. Sepulchrum. 3tiò. Dignitates Spirituales visitantes S. Sepulchrum. 4to. Catalogus Imperatorum, Regum, Reginarum, Principum, Comitum, aliarumque Personarum sæcularium, visitantium S. Sepulchrum. 5to. Ex Regno Poloniæ, referuntur visitatores S. Sepulchri. 6to. Afferuntur exempla miraculosæ visitationis S. Sepulchri. 7mo. Proponuntur fructus & utilitates, quæ proveniunt ex visitatione S. Sepulchri. 8vo. Ad visitationem & peregrinationem Spiritualem S. Sepulchri animantur fideles, propositis modis & mediis talis visitationis.

§. I.

Sepulchrum Christi gloriosum ex Peregrinatione & Visitatione ejusdem, in universali proposita.

Hæc verba Isaiæ Prophetæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, S. Hieronymus in Epist. ad Paulam & Eustochium, interpretatur, quòd scilicet locus Sepulturæ Domini esset ab omnibus honorandus. Iste autem honor in quo consisteret? explicat Lyranus, hæc verba Prophetæ exponens: *quia fideles per orbem existentes, etiam Magni & Nobiles, veniunt ad ejus Sepulchrum venerandum.* Macarius Archiepiscopus Philadelphiensis: *Cæterùm, quod etiam vene-*

ratione dignus sit hic locus, perspicuè Isaias prædixit inquiens: Et erit requies ejus honor. Cornelius à Lapide, super eundem textum commentatur: *Sepulchrum esse gloriosum tertiò, quia à multis sæculis, etiamnum ad Sepulchrum Domini, licet inter medios Turcas situm, celeberrima est, ex toto orbe peregrinatio.* Et Adrichomius dicit, quod Sepulchro Domini, de quo loquitur Isaias, nihil potuit accidere gloriosiùs, quam quòd ex singulis mundi partibus, omnis sexûs, ætatis atque fortunæ homines confluant. Visitatio enim Sanctissimi Sepulchri, est debita ab omnibus fidelibus; imò & universa rationali creatura, ex his terminis, conformiter ad universalem doctrinam Doctoris Angelici 2da 2dæ quæst. 85. art. 3. ad 2. nempe debet venerari locus Sepulchri, primò propter Divinæ Majestatis indicium, quia ibi nobilissima pars, scilicet Caro Christi, unita Personæ Divinæ Verbi jacuit & conclusa fuit. Secundò, quia ibi nobilissimum opus peractum fuit, nempe resurrectio ejusdem Corporis, reunitio Animæ Christi, separatæ per mortem; & tandem utriusque cum unione ad Verbum resurrectio. Tertiò, propter consecrationem loci, ex qua Spiritualem devotionem concipiunt omnes ibidem, ut magis exaudiantur. Quartò, propter sacra Mysteria, & alia sanctitatis signa, quæ ibi continentur, ut non minus verè, quàm propriè de Sepulchro Christi, illa verba 2di Machab. cap. 3. dicantur: *Verè quædam virtus est in loco*, (Sancti Sepulchri) *nam ipse, qui habet in cælis habitationem, visitator & adjutor est loci illius.* Quintò, propter concursum multorum adorantium.

Peregrinationem istam ad Christi Sepulchrum, statim immediatè post Christi resurrectionem incepisse. Nam mox, ut Christus resurrexit, Sancti Angeli de cælo lapsi, quasi peregrini & in habitu peregrino, illum locum visitarunt. Beatissima Virgo, Sanctæ Mulieres, Apostoli & alii Discipuli, qui toto tempore illo, ante Christi Ascensionem, præter omne dubium Sacrum Monumentum Christi frequentissimè adibant, ac Christi resurgentis victoriam, passionisque mysteria, sedula mente ac devotione recolebant. Socrates Hist. Eccl. libr. 1. cap. 16. *Qui, quæ Christi sunt, sapuerunt, Monumentum ejus post passionem venerati sunt.* Similiter & post Ascensionem Christi, non intermissam fuisse à Christianis Sepulchri Christi visitationem, constat ex S. Hieronymo, Epist. 17. ad

17. ad Marcellam scribente: *Longum est nunc ab Ascensu Domini, usque ad præsentem diem, per singulas ætates currere, qui Episcoporum, qui Martyrum, qui eloquentium in doctrina Ecclesiastica Virorum, venerint Hierosolymam, putantes minùs se religionis, minùs habere scientiæ, nec summam, ut dicitur, manum accepisse virtutum, nisi in illis Christum adorassent locis, de quibus primum Evangelium de patibulo coruscaverat.*

Ante tempora Constantini & Helenæ, peregrinationem fuisse ad Sepulchrum Christi, constat tum ex eo, quia multi Sancti ante tempora Constantini, illud visitarunt, & infrà constabit ex Catalogo Sanctorum visitantium Sepulchrum Christi, ubi patebit plurimos Sanctos, qui ante tempora Constantini Magni vixerunt (hoc, anni vitæ eorum in Catalogo annexi probabunt) adiisse Sepulchrum Christi. Tum ex eo: Si enim ad Sepulchra Martyrum, ante tempora Constantini, fuerunt in usu peregrinationes, probat Jacobus Gretser libr. 2. de sacr. peregr. & patet ex Cardinali Baronio Tom. 2. quis arbitrabitur, Sepulchrum Christi à peregrinis neglectum fuisse? Si enim Sepulchra Servorum Dei adibant, quomodo Sepulchrum ipsum Christi negligerent? quomodo hic cultus eidem subtraheretur? Cùm juxta eundem Gretserum, ante Constantini Magni ætatem, Episcopi sanctissimi Cathedram Hierosolymitanam tenebant, & populo Christiano jura dabant, & loca Christi contactu sanctificata, religiosissimè colebant. In Apolog. pro Cruc. Expedit. fol. 180.

Temporibus vero Constantini & Helenæ, & expost numerosissima ibat multitudo ad Sepulchrum Christi, quam vix sæcula computare valent. Vix enim credi potest, teste Baronio, quanta fuerit fidelium frequentia, à remotioribus orbis partibus confluentium Hierosolymam, ad Crucem & Sepulchrum Christi spectandum, postquam hæc loca, quæ fuerunt terrâ oppleta per eandem Imperatricem sunt detecta. Primô enim exemplô hæc ipsa Imperatrix præivit, dum veniens præcisè hac intentione visitandorum & detegendorum locorum sacrorum; ipsa prona procumbit ante Sepulchrum Christi, unà cum Antistite Macario, quasi orientem solem ex umbris adorantes. Unde Gretser libr. 1. de Sacr. Peregr. dicit: *Beata Helena non immeritò Dux & Princeps, non quidem ipsius peregrinationis (scilicet Sepulchri Christi) sed frequentiæ & celebritatis, qua hujusmodi peregrinatio in posterum obita est, existimari jure* Tom. 3. fol. 369.

S. Hieron. Epist. 46. ad Rustic. cap. 5

optimo queat, cum hoc elogio: Tanti Dux fœmina facti. Adeoque quòd frequentiùs ac celebriùs Sepulchrum Christi, post sui per S. Helenam inventionem, visitaretur, hujus facti occasio & S. Helenæ Duci, hac in parte debet imputari, dum fidelibus Sepulchrum, ad cultum & venerationem exposuit. Atque ab hac Sepulchri Christi, & aliorum sacrorum locorum visitatione, quæ multum antiqua erat & celeberrima, & à qua multæ fuerunt impartitæ gratiæ ac gaudia spiritualia, postea introductæ sunt in diversas mundi partes, peregrinationes ad Ecclesias insignes, in quibus erant Sepulchra Sanctorum, quæ pluribus illustrata sunt miraculis. Ab illo itaque tempore, quo nimis florebat Christianitas, omnem habens sibi provisam licentiam, securitatem, ad accedendum ad loca Sacra, præsertim recenter inventum Monumentum, numerosissima multitudo peregrinabatur ad illud, ita, ut nec Nomine Christiano se minùs dignos censerent, nec se scire aliquid arbitrarentur, (dixerat supra adductus S. Hieronym.) si hoc Christianitatis insigne, sanctimoniæ eruditæ non adirent Gymnasium, Summi Præceptoris Christi Sepulchrum.

Ipsis etiam temporibus S. Hieronymi sub Syricio Papa, Imperatore Theodosio, quanta fuerit turba peregrinantium ad Dominicum Sepulchrum, quos S. Hieronymus benigne fovebat, & grato animo suscipiebat, degens Hierosolymis: propterea ad Eustochium excusat se non posse, tam citò Commentarios in Ezechielem Prophetam perficere, ob occupationem in excipiendis hospitibus, de toto orbe venientibus; ita, ut nulla hora, nullum momentum esset, quô à sua visitatione & adoratione cessaret Sepulchrum Christi. In Ezechiel. ad Eustochium: *Nulla hora nullumque momentum est, in quo non fratrum occurramus turbis, & nimirum illis, qui veniebant Hierosolymam ad adorandam Crucem, Sepulchrum, aliaque Sancta loca.* Et ad Paulinum scribit, Epist. 13. notificans ipsi, quid agatur Hierosolymis: *De toto hîc orbe concurritur, plena est Civitas universi generis hominum &c.*

Anno 516. Ex universæ Eremi plurimis Monasteriis ad decem millia Monachorum, quibus præerant S. Theodosius & S. Saba, universales à Salustio Patriarcha Hierosolymitano inspectore designati Hierosolymam venerunt, ut S. Crucem & S. Sepulchrum, aliaque loca sacra, conspicerent. In vita S. Euthymii apud Bollandum 20. Januar.

Anno

Annô 530. Sub Justiniano Imperatore, continuabatur sancta non interrupta possessio, peregrinandi ad S. Sepulchrum, ut patet ex punctis postulatoriis, quæ S. Sabas exposuit eidem Imperatori, ubi proposita & hac petitione, ut cùm à Patriarcha Hierosolymitano Ælia, prius cœptum sit ædificari Deiparæ Virginis Templum, multis adhuc indigeat, nec satis sit instructum ornamentis, munificentia ejus id suppleat, hoc prius supplex exposcit & exponit: *Et qui ad adorandum vivificum Sepulchrum veniunt in Sanctam Civitatem, ipsi tecto opus habent, ut se parum recreent à labore itineris, & maximè, si quis eorum aliquando in morbum inciderit, postulant necessariam corporis curationem.* Baronius. Quæ postulatio S. Sabæ Abbatis inanis esset ad Imperatorem, si protunc non fieret concursus populi ad Sepulchrum. Adverte etiam sanctos esse Patronos ad Imperatores pro peregrinis ad S. Sepulchrum: quis ergo non agnoscet eandem esse gratam Deo, si Sanctis ejus ita placet, ut tutelam peregrinorum ad illud suscipiant? Annal. Eccl. Tom. 7. fol. 158.

Et hæc secura peregrinatio ad S. Sepulchrum, aditusque catervæ populi, ab omnibus mundi partibus, à temporibus Constantini & Helenæ Matris, durabat usque ad finem Imperii Phocæ, & principium Heraclii, id est ab Anno Christi 326. usque ad annum 614. quô tempore, ut habet Baronius & Chronicum Alexandrinum Mense Junio capta est Jerusalem à Rege Persarum, & Sacra loca, quæ Christi viderunt affixionem & resurrectionem ab illis occupata. Quanta igitur tot annis, circiter trecentis, populosissima visitatio Sanctissimi Sepulchri erat, quis valet computare? nisi solus ille, qui dies æternitatis novit. Antequam enim Crux à Persis captiva evecta esset, crebras ibi peregrinationes ad Crucem & ad Sepulchrum Christi fuisse, credendum: inquit Joannes Hamelarius Canonic. Antverp. in suo Historic. Comment. Tom. 8. fol. 231.

Nec eundem zelum, erga JESU Sepulchrum, extinxerunt etiam sævissimi hostes Saraceni, dum sub Heraclio Imperatore Anno 636. sub S. Patriarcha Sophronio, cœperunt Civitatem Sanctam. Non enim timore Saracenorum, eam te ram incolentium retrahebantur, sed lætâ audaciâ, etiam medios inter barbaros pergebant, & revertentes tam serena redibant fronte, quasi in summa pace locum Sepulchri Christi lustrassent. Quamvis enim, ab hoc supra expresso Anno, devenirent loca sacra in potestatem Baron. Tom. 8. fol. 635.

Saracenorum, tamen intra illud dominium, non fuerunt prætermissæ ad S. Sepulchrum visitationes.

Circa annum 1002. teste Rudolpho Glaber histor. lib. 4. cap. 6. ex universo Orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere, ad Sepulchrum Salvatoris (ut ejus sunt verba) quantum nullus hominum prius spectare poterat, penitus enim ordo inferioris plebis, deinde vero mediocres, post hæc permixti quoque Reges & Comites ac Præsules; ad ultimum vero, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperibus illic perrexerunt. Anno 1009. Templum S. Sepulchri miro ex Catholico Orbe concursu frequentari cœptum. Baronius.

Postquam verò Urbanus II. concitavit arma in eliberationem S. Sepulchri, & civitas sancta per Ducem Godefridum fuisset eliberata die 15. Julii, quæ est dies Divisionis SS. Apostolorum, sextâ feriâ, horâ nonâ, quo tempore Christus passus est in Cruce, anno 1099. quanta jam protunc exultatione, perfusus fuit orbis Christianus, dum apertam sibi iterum audirent viam ad S. Sepulchrum. Ecce in hac ipsa die verè impletum est illud Isaiæ: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*, exclamat Robertus Monachus libr. 9. cap. 10. cùm victores omnes totusque exercitus, ad S. Domini Sepulchrum læto incessu perrexerunt, non tam incessu pedum, quàm poplitum & cubitorum proni incedebant, & pavimentum illud imbre lachrymarum inundabant. Et ut dicit Raymundus de Agiles Histor. Hierosol. fol. 179. *capta autem urbe, operæ pretium erat, videre devotionem peregrinorum ad Sepulchrum Domini, quomodo plaudebant exultantes, & cantantes canticum Domini.* Imperceptibile autem & inenarrabile est, quanta ex universo orbe, protunc fuerat colluvies hominum diversarum nationum, ad Sepulchrum Christi, quod majori iterum cœpit religione celebrari. Ciaconius in Vitis Pontif. sub Paschali II. anno Christi 1103. dicit ingentem Christianorum omnium, Sepulchrum Christi Hierosolymis visendi cupidinem incessisse. Jacobus de Vitriaco cap. 54. fatetur, quòd ex omni natione, tribu, & lingva, post terræ sanctæ liberationem, Christi fideles Sepulchrum Domini visitaturi Hierosolymis, confluebant. Post Godefridum Christiani Reges, civitatem Hierosolymam per octoginta octo annos, nobiliter possederunt, quo tempore & merito

Marinus Sanutus Fidel. Cruc. lib. 3. p. 5. fol. 148.

Tom. 1. fol. 900.

S. Antonin. p. hist. Tit. 16. cap. 13. §. 2.

rito & numero populus Christo serviens, ad ejus Sepulchrum augebatur.

Sed postquam iterum devenit in Saracenorum & Turcarum manus, & hucusque manens existit, non cessatur à peregrinatione & visitatione ad eundem locum sanctum. Non solùm de Asia, Africa, Europa, sed etiam novo orbe, denique ex totius mundi partibus, hucusque institui ad illud peregrinationem, dicit Dubliulius libr. 4. *Huc Itali, Galli, Hispani, Germani, Britanni; huc Afri, Græci, Æthiopes; huc Armeni, Persæ, ipsique Indi, religionis ergo ex alio orbe festinant.* Et quod iis temporibus dicebat S. Cyrillus Hierosolymitanus Catech. 17. *Non enim nunc incepit, huc externarum gentium multitudo undique congregari, sed jam olim*, ita & nunc externarum gentium, ad illud congregatur multitudo. Exprimit id textus hymni, qui decantatur, dum circumdatur S. Sepulchrum: *Pergunt huc omnes populi. Illumque adorant, prædicant. Qui morte mortem perdidit. Ex mundi plagis omnibus. Ex omni sexu & genere. Omnes devotè properant. A ore Christi anxii. Ex Orientis partibus. Ex Aquilonis montibus. Meridiei, plagisque. Et ab occasu pariter. Festinant Parthi, Medique. Sic Elamitæ cursitant. Atque Mesopotamii. Simul & Cappadocii. Ex Pontique Provinciæ. A Regione Lybiæ. A Phrygiaque populi. Omnes amore accelerant. Gentes huc ex Pamphylia. Et ex Ægypti partibus. Atque totius Asiæ. Ad locum hunc perveniunt. Pergunt Romani advenæ. Omnes fervore calidi. Ob Christi reverentiam. Ac Matris suæ Virginis.*

Patet itaque à tempore illo incipiendo, quo resurrexit Christus, usque ad hoc fermè tempus & ætatem, Sepulchrum Christi, ratione suæ visitationis, & peregrinationis ad illud, fuisse ita gloriosum, ut nulla possint numerari sæcula, computari ævum, quô non lustretur, visitetur, & honore colatur, locus depositionis Corporis Christi mortui; adeoque omni cursu temporum verificatur illud Isaiæ: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum.* Perantiquum enim erat peregre proficisci religionis ergô Hierosolymam, Monumenta Christi in carne cernere, ex Divo Gregorio Nyssæ Præsule, ita & præsens est eadem, in amante corde Christum, religio ac intentio.

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum ex Visitatione illius Sanctorum & Sanctarum.

Lorinus in Acta Apostolorum fol. 542. celebrem & perhonorificam Sepulchri Christi visitationem dicit. Celebritas hæc satis solennis elucescere videtur in eo, quod illud Sancti & Sanctæ, sive personaliter, sive concupiscenti animo visitarunt. Eorum catalogum in hoc Paragrapho per Menses distributum referam, annexis annis vitæ eorum, propter ostendendam antiquitatem temporis, in eo visitando; & quid circa talem contigit visitationem; quantum licuit adinvenire & legere in variis Authoribus, in quibus expressio visitationis Sancti Sepulchri habetur, partim explicitè, partim implicitè, in proposita in communi visitatione locorum sacrorum.

Januarius.

5ta Januar. Martyrol. Rom. S. Synderica; quæ sub Constantino Magno, spectabili pietate Alexandriæ floruit, & ipsam sub Sanctæ Helenæ temporibus, Hierosolymam ad visitationem Sanctorum locorum advenisse, & Præfectam Monasterii Sancti Sepulchri Hierosolymitani fuisse. Habetur in Actis Specul. Carmel. Authore Daniele Tom. 2.

5ta Januar. S. Gerlacus Eremita, Ordinis Præmonstratensis, nobili stemmate natus, Tribunus Equitum, abjectô militiæ cinguló, & loricâ supra nudum corpus indutus, apud Pontificem Maximum, Eugenium III. depositâ peccatorum sarcinâ ex ejus præscripto Hierosolymam profectus, sacra loca, nimis devoto sæpissimè adeundo affectu, septem annis in Hierosolymitano Xenodochio, pauperibus & peregrinis deservivit: circa annum 1155. reversus Romam ab Hierosolymis, morte imminente, in sua Provincia, cùm nullus adesset Sacerdos, Divina dispositione, accessit specie venerandi senis, Sanctus Servatius, Canonicus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & post Episcopus Tungrensis, niveâ amictus Stolâ (quem in vita semper coluerat Sanctus Gerlacus) à quo Sacramentis ritè munitus obdormivit. Cujus Corpus unà cum Cruce Hierosolymitana, postmodum inventum est. In Actis Sanctorum Bollandus. Item in Lect.

Eccle-

Ecclesiæ Cathedralis Ruremund. in Geldria. In Natal. Sanct. Belg. apud Molanum.

S. Apollinaris, Filia Imperatoris Anthemii, quæ vixit circa annum 400. Parentibus suis dixerat: Rogo vos, ut me dimittatis ad loca Sancta, ut orem, & adorem Sanctam Resurrectionem, & Crucem venerabilem. Et cum nimis esset molesta de hoc Parentibus, jussit Imperator dari illi aurum & argentum, eâque in navim impositâ dixit. Filia, memento nostri in locis Sanctis. Cumque venerat in Sanctam Civitatem cum pueris & ancillis, eis dixit Beata Apollinaris: Agite, adoremus Beatam Resurrectionem, & venerandam Crucem. Eis orantibus, illa orabat pro suis Parentibus. Surius & Bollandus. 5ta Januar.

Duobus Anglis, ad adorandum Sepulchrum Christi Hierosolymam proficiscentibus, ab eoque regressis apparuit senex quidam venerandus dicens: Viri fratres, prosperum iter faciet vobis Deus, & ego ob amorem Regis vestri, in omni via firmabo super vos oculos meos. Ego enim sum Apostolus Christi Joannes, qui Regem vestrum (nempe S. Edvardum) ob meritum castitatis, summa dilectione complector. Hunc ergo annulum, quem mihi in habitu peregrino tribuit, reportate, denuntiantes ei obitus sui instare diem. Ealredus Abbas, in Vita Sancti Edvardi, Anglorum Regis, qui vixit anno 1040. Surius. 5tā Januar.

B. Albertus Eremita in Territorio Senonensi, dum in Palæstinam navigavit, Christi Sacrosanctum Sepulchrum, aliaque nostræ salutis celebrata monumentis loca veneratur, eó animi sensu ac pietate, ut omninò statueret votô, penitus sese Divino cultui consecrare. Bollandus in Actis Sanct. 7ma Januar.

B. Gondisalvus sive Consalvus Amaranthus, Ordinis Prædicatorum, mysteria passionis meditabatur multoties, ex qua assidua meditatione, maximó in dies angebatur desideriô, loca sancta invisendi. Unde deo votis suis aspirante, peregrinationem suam in Terram Sanctam feliciter perfecit, & Divina illa transportatus dulcedine multis effusis lachrymis, sacra illa Passionis & Resurrectionis Christi loca osculari non satiabatur, atque immotis oculis, devotissime intueri, & ibidem quatuordecim annis laudabiliter Deo inserviebat. Idem Bollandus. 10. Januar.

10. Januar. Peregrini omnis generis & ordinis, qui ad Orientem ad Dominicum Sepulchrum pergerent, felices auras ſperabant, ſi benedictione, Sancti Laurentii, Patriarchæ Venetiarum, acceptâ diſcederent. Surius in ejus vita.

11. Januar. Theodoſius Cænobiarcha, in illa generoſa & beata planta juventutis ſuæ, loca ſancta videre cupiens, in quibus omnibus opifex & Deus, toti mundo ſalutares ſuſtinuit paſſiones, has ipſas Chriſti utique reveritus paſſiones, ſi illas ipſe tam parvi faceret, ut propter corporis laborem, ad Sancta loca illa non veniret. Itaque animo confirmatus, precibus S. Simeonis Stylitæ, tanquam ducibus & cuſtodibus iter perſequebatur, & pervenit ad Sanctam Civitatem, quando Juvenali tunc eſſet commiſſus Archiepiſcopatus Hieroſolymitanus. Cum autem totum illum divinum locum obiiſſet, & Sancta Sanctè adoraſſet, apud ſe in animo verſabat, quod inſtitutum vitæ ſuæ eligeret. Hunc S. Theodoſium, Petrus ille Magnus, qui tunc Apoſtolicam Sedem tenebat Hieroſolymis, ille inquam Petrus, cujus magna quidem fuit fama, famam autem ſuperabat virtus, accedit cum aliis Epiſcopis ad ſepeliendum. Cyrillus Hiſtoricus Palæſtinæ, apud Surium in vita ejus.

15. Januar. Abbas quidam ex ſuperioribus partibus, ex venerabili Monaſterio, cùm votum feciſſet, ut Hieroſolymam proficiſceretur, venit in eam domum, ubi S. Joannes Calybita docebatur. Ejus viri habitum & exercitationis inſtitutionem, cum B. Joannes vidiſſet, à Spiritu S. inflammatus, cœpit ab eo quærere, undenam eſſet, quò iret? Interrogatus igitur, patefecit rem ſuam, quòd ſcilicet devotionis causâ Hieroſolymam proficiſceretur, ut illic Deum oraret, & Sancta loca veneraretur. In vita S. Joannis Calybitæ, apud Surium. Vixit anno 460.

20. Januar. S. Euthymius ordinatus ab Epiſcopo Melitenes, & ejus fidei committitur cura Monaſteriorum, quæ erant in Civitate, ætatis ſuæ anno vigeſimo nono, clam ex Urbe egreſſus, ad adoranda ſacra & veneranda loca, promto & alacri animo vadit Hieroſolymam, imò ſæpe è Laura, id eſt eremitica domo, cum notabili Sanctorum Monachorum grege, Hieroſolymam pergebat, & in Sancta Reſurrectione divina quadam contemplatione frequenter orabat. Cyrillus Monachus & Bollandus in ejus vita. Vixit anno 400.

In vita S. Anastasii Persæ, qui vixit anno 610. apud Surium & Bollandum ex manuscriptis Latinis de eodem Sancto. Cum magna Civitas Hierosolymorum capta fuisset à Persis anno 614. & loca sacra, quæ Christi vidêre conversationem, & Cruci affixionem & resurrectionem; & postquam Crux Domini in Persidem deducta esset, S. Anastasius Persa, ubi à captivis Christianis Christi nomen acceperat, sic in eum mox toto animo conversus, statuit proficisci Hierosolymam, & baptismum illic consequi. Cum ergo in sanctam pervenisset Civitatem, adductus ad Eliam Sanctæ Resurrectionis Sanctissimum Presbyterum, qui cùm benignis manibus accepisset juvenem Anastasium, de eo refert ad Modestum, qui Sedi præerat Apostolicæ, nempè S. Jacobi Hierosolymis, & sic divinum baptismum assequitur. Postquam autem Marzabanas ob fidei professionem traditus esset à Præside in carceres, cum interim venisset festum venerabile vivifici ligni Exaltationis Hierosolymis, & ipse admirabilis Anastasius, & quidam alii viri pii, qui erant in Civitate, totam illam noctem celebrarunt in hymnis & psalmodiis, acsi versarentur in Civitate non in carcere. Manè autem facto, ingressus Dispositor Reipublicæ, sub cujus custodia, in vinculis fuit S. Anastasius, rogavit Marzabanam sive Barzabanam, ut vincula ei tollerentur, ut eum in Ecclesiam S. Resurrectionis duceret, tantummodo pro die Festo Exaltationis S. Crucis, cui fuerat affectus interesse S. Anastasius, quia ego eum reducam ad carcerem, & permisit Marzabanas, & deductus in Ecclesiam, adorata summè Sancta Cruce, & Resurrectione Domini, & expletis missarum solenniis, tantus eum zelus subiit pro pietate, ut non solùm Anastasius & socii ejus parati essent mortem pro Christo & pietate subeundam, sed etiam vincula osculantes, desiderii lachrymas elicuerunt, & inflammati à loco Sancto in amore Martyrii, iterum cum lætitia perrexerunt ad carcerem. 22. Januar.

In vita S. Joannis Eleemosynarii Archiepiscopi Alexandrini, qui vixit anno 600. Cum Rasmizsus Dux exercitûs Chosroe, vastasset & depopulatus esset veneranda loca Hierosolymorum anno 614. postquam hoc audivit homo ille Dei, & quod omnia sancta igni essent tradita, deflet quidem non secus atque Jeremias, id quod factum fuerat, non hactenus autem constitit ejus miseratio, sed mittit etiam Chrysippum, virum pium, tradens ei multum auri, frumen- 23. Januar.

frumentumque & alia alimenta & indumenta, & ad ea vehenda plurima jumenta, ut eos qui remanserant ex captivitate recrearet.

In vita ejusdem S. Joannis Eleemosynarii habetur, inter exempla memorabilia, Petri publicani, Ordinis Senatorii, & splendore divitiarum præclari, sed insignis pariter eleemosynarii, quæ ibi apud Surium recensentur Cap. 28. Viso Christo in somnis, induto hac veste, quam nudo nautæ dederat, recedente somno, statim vocavit procuratorem domus, sub quodam arcano ei credito, tradidit illi decem libras auri dicens: Assume me ad negotiationem, & cum me abduxeris ad partes S. Civitatis, illic me vende Christiano alicui tanquam mancipium. Et cum dicta de hoc institisset, tandem ei persvasit, & venit cum illo Hierosolymam. Quo in loco Petrus sua sponte venditus fuit 30. nummis cuidam aurifici, ubi à familia domestica multa passus, non semel irrisus, tanquam emotæ mentis, & alapis inflictis, multisque modis illatis sibi perpessis molestiis exultabat in Domino, cui Christus dormienti in somnis apparuit ita sicut ante, dicens: Ne sis tristis frater Petre; ego enim tuum accepi pretium, sicut priùs vestem. Ecce quanta Sancti viri patiuntur tormenta, ut securi perveniant ad Civitatem Jerusalem, & ibi adorent loca Sancta, præcipuè Crucifixionis & Sepulchri Christi. In quanta frequenti visitatione, dum crebrò occupabatur Petrus ille, viri ex ea regione, cujus, erat Petrus, voti causâ & adorationis pervenerunt ad loca veneranda, & ibi eum agnoverunt.

24. Januar. In vita S. Cadoci Episcopi Regis Filii: *Cadocus tandem Hierusalem veniens loca Sancta visitavit, cui & Dominus gentium idioma contulit, variisque lingvis loqui cœpit.*

25. Januar. B. Popponem nobilissimæ in Flandria familiæ, Abbatem Stabulensem contigit Tyrocinii sui diebus, ex inspiratione Divina concitatum, Dominici Sepulchri loca, cum pii testimonii viris, Roberto & Lauso ire visitatum, qui pari consensu sibi in id ipsum respondebant, iter, quod Hierosolymam respicit, Deo ducente conficiebant. Illis namque diebus, exigentibus peccatis hominum, summa Paganorum violentia & infestatio, viam eandem claudebat, ne quis Dominicum adiret Sepulchrum, vi, qua poterant, arcebant, & secundum illud Isaiæ cap. 33. *Dissipatæ sunt viæ, cessavit transiens per semitam.* Hic tamen cum præscriptis viris, eandem viam

viam aggredi, & non præter ſpem martyrii labores, & pericula vitæ ſuæ auſus eſt ingredi. Deo tamen ducente, loca itineris, quæ Dominicum Sepulchrum reſpiciebant, cum gaudio non modico conficiebant; ubi voti ſui compotes effecti, optionisque ſuæ ſatietate, preces vel ſuſpiria fundendo contenti, Paſchalis, imo cœleſtis luminis jubare, ad idem Dominicum Sepulchrum quotannis deſcendente jucundantur; atque amore ſeu ſtupore in ipſo infatigabiliter excitantur. Everhelmus Abbas apud Surium - - - Vixit anno 1000.

S. Xenophon, qui in Senatorum ordine prius fuerat, non minus internis animi dotibus, quam externis divitiarum opibus enitens; miſerat is Berytum, quæ Phœniciæ Urbs eſt, ſtudiorum juris civilis mater, diſciplinæ & legum diſcendarum gratiâ Arcadium & Joannem filios ſuos. Qui poſtmodum pietatis doctrinam aſſequi volentes, variis tempeſtatibus in mari jactati, quilibet eorum diſtincto itinere appulerunt & arripuerunt viam, quæ ducit Hieroſolymam, ut ibi viſitarent S. Sepulchrum, & alia loca ſancta, & ab illis melioris inſtituti legem edocti, monaſticam vitam ſecuti. Xenophon & Maria Xena ſanctisſima uxor, in qua virtutis perfectionem ſatis corona illa inſignibus ſtellis filiorum contexta declarat, cum eos naufragium in mari paſcos intellexiſſent, nimium contriſtati, ſubmerſos eſſe exiſtimarunt. Verùm habita revelatione de ſuperſtite vita filiorum ſuorum, quòd vivant & ſint in Hieruſalem, ad inquirendos eos profecti ſunt, Hieroſolymam, & viſitabant Sepulchrum Chriſti, & alia loca ſacra, largiendo magnas eleemoſynas. Verùm ambobus fratribus de ſe neſcientibus, Joannes factus monachus penes viſitationem in Eccleſia Reſurrectionis Sepulchri Chriſti, agnovit Arcadium fratrem ſuum, indicante divinitùs quodam ſene pio, viſitante pariter S. Sepulchrum. Et poſt duos dies Sanctus Xenophon & Maria parentes dictorum filiorum, viſitantes montem Calvariæ, & vivificum Monumentum, Domini noſtri JESU Chriſti, occurrente dicto ſene, magnæ ſanctitatis viro, cum Joanne & Arcadio filiis, olim ſubmerſos in mari exiſtimatis à Parentibus, ereptis tamen, qui in illa ſancta viſitatione Sepulchri Chriſti fuerunt, cum ſummo gaudio agniti à Parentibus. - - - Stephan. Wielewieyski Soc. J. in vit. Polon. edit. Niceph. Hiſt. Eccl. lib. 1. cap. 52.

26. Januar.

26. Jan. S. Paula Romana, delata ad insulam Pontiam, sumptis fidei alis, Hierosolymam & sancta loca videre cupiebat. Ingressa est Hierosolymam. Cumque Proconsul Palæstinæ, qui familiam ejus optimè noverat, præmissis apparitoribus, jussisset parari prætorium, elegit humilem cellulam, & cuncta loca tanto ardore & studio circuivit, vt nisi ad reliqua festinaret, à primis non posset abduci. Prostrataque ante Crucem, quasi pendentem Dominum cerneret, adorabat. *Ingressa Sepulchrum resurrectionis, osculabatur lapidem, quem ab ostio monumenti amoverat Angelus,* (qui lapis ostio Sepulchri superpositus, etiam temporibus S. Cyrilli Hierosol. ut idem dicit Cath. 13. ante monumentum situs erat,) *& ipsum Corporis locum, in quo Dominus jacuerat, quasi sitiens desideratas aquas ore fideli lambebat. Quid ibi lachrymarum! quantum gemituum! quid doloris effuderit! testis est cuncta Hierosolyma, testis est ipse Dominus, quem rogabat.* S. Hieronymus in vita ejus apud Surium. De eadem S. Paula apud S. Hieron. habetur, quod post visitata loca sacra, quasi quædam victoriarum Domini erecta vexilla, ad suam rediens speluncam, dicit, se canere jugiter, crebro flere, indesinenter orare, & vulneratam jaculo Salvatoris in commune dicere: *Inveni quem quæsivit anima mea, retinebo eum, & non dimittam illum.* Vixit anno 370.

26. Jan. S. Gabriel, Presbyter Hierosolymitanus, & Præfectus Monasterii S. Stephani Protomartyris, quod non stadio integro ab Urbe Hierosolyma distabat, quo in loco lapidibus est obrutus S. Stephanus & in eodem templo sepulta est Eudoxia Imperatrix, ex illo loco, Divina in sacra peragebat resurrectione. In vita S. Euthymii.

27. Jan. De S. Joanne Chrysostomo Antiocheno, sic in Prologo ad Lectorem habet Dubliulius: *Joannes Chrysostomus, ne Sancta loca ob viciniam contemnere videretur, Hierosolymam religionis ergo frequenter accessit. Aureum illud eloquentia flumen, è fontibus Salvatoris* (& ex Sepulchrali petra) *magnam eruditionis suæ partem hausit.* Vixit anno 380.

28. Jan. S. Cyrillus Alexandrinus Episcopus cum Athenis in studio profecisset ad Joannem Episcopum Hierosol. ut Christianæ vitæ perfectione imbueretur, se contulit. Habetur in vita ejusdem. Quo studio profectus ibi existens, visitavit S. Sepulchrum & loca sacra, qua actiones perfectionis sunt Christianæ. S. Pe-

S. Petrus Thomas, Patriarcha Constantinopolitanus, Legatus Apostolicus, terram Sanctam adiit & Salvatoris Nostri Sanctuaria visitavit. In vita illius per Joannem Carmesonium circa annum Domini 1370. De eodem S. Petro Thoma, Patriarcha Constantinopolitano Lucas Vadingus in vita ejusdem Cap. 5. *In Sancta Civitate Jerusalem, quam religiose, quantô affectu, quibus lachrymis loca sancta lustraverit, quali devotionis ardore ad S. Christi Sepulchrum, & ad Præsepe Bethleemitanum sacrificaverit, vix posset explicari. Spectatores universos ad lachrymas, & novos fervores excitabat. Quotquot occurrebant Christianos, maxime qui Hierosolymis degebant, ad dignam sacrorum Monumentorum, venerationem hortabatur & flocci pendendos omnes cruciatus dicebat, ut se veros Christi cultores fidei contemptoribus objicerent.* 29. Jan.

S. Sulpicius Severus, Archiepiscopus Bituricensis, Dei nutu navim conscendit loca sancta Hierosolymis visitaturus. Quibus peragratis, adeoque visitato & S. Sepulchro, oppidum Bethleem petiit. Ecclesiam loci illius S. Hieronymus Presbyter regebat: Nam Parochia est Episcopi, qui Hierosolymam tenet. In Præfatione Dialog. de seipso testatur idem S. Sulpicius. 29. Jan.

S. Matthias, octavus Hierosolymorum Episcopus, qui temporibus Adriani Imperatoris Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuit, veniens ad locum Sepulchri, jam terrâ obrutum flens orabat taliter: Christe Salvator, qui in hoc Sepulchro sepeliri voluisti, modo autem & ipsum hoc gloriosum Resurrectionis tuæ Sepulchrum terrâ obrui permisisti: ne quæso Domine oblivioni detur locus Angelorum, propitiatorium peccatorum, corporis tui receptaculum, meta & finis Passionis tuæ. Ita in Tabula Hierosol. In vitis Sanct. Ordinis Nostri, Floriani Buydecki, S. Th. Doctoris. 30. Jan.

S. Marcellam venisse Hierosolymam constat ex Epist. S. Hieronymi ad Paulam & Eustochium sic scribentis: *O quando illud tempus adveniet, cum anhelus nuntium viator apportet, Marcellam nostram ad Palæstinæ littus appulsam! &c. Ergo ne erit illa dies, quando nobis liceat speluncam Salvatoris intrare? in Sepulchro Domini flere cum sorore, flere cum matre? &c.* 31. Jan.



Februarius.

1ma Febr. B. Antonius Peregrinus Patavinus, nobili Manziorum familia ortus, ut de illo refertur in Additionibus Molani ad Usuardum, omnia loca sancta visitavit, & legitur epitaphium illius ejusmodi: *Hic jacet corpus B. Antonii Peregrini Patavini, ex Manziorum familia nati, qui omnia loca sancta visitavit, & defunctus est anno 1267.* Bollan.

9. Febr. S. Teliaus Episcopus Landavensis in Wallia Hierosolymam profectus, ad illa mirabilia loca, hoc donum recepit divinitùs, quòd ibi rogatus à populo, ut salutis monita daret, expers lingvæ illius regionis, dum concionaretur, unusquisque adstantium, illum suâ linguâ loquentem audivit. In Actis Sanctor. in continuat: Bollandi.

10. Febr. S. Gvilielmus, seu ut Surius habet Wilhelmus, Dux Aquitaniæ, Comes Pietavorum factus miles, fretusque Comitis fastigio, factus est eò insolentior, quò nobilior. Hic venerat ad Eugenium III. Papam, corde contrito & humiliato, petens conversionem, exosculando pedes, se filium prodigum agnovit, sceleraque sua confessus est, & absolutionem ab illis precabatur, quam Pontifex, simul cum injuncta salutari pœnitentia, commisit Patriarchæ Hierosolymitano, à quo facultate Apostolica absolveretur. Aperiens itaque os suum dixit ad Gvilielmum: Patriarcha Hierosolymitanus, scio, quod prudens sit & magni consilii, ad ipsum te mitto, & potestatem super animam tuam ipsi committo. Salutato igitur Summo Pontifice, super infusa gratia benedictionis Apostolicæ accepta, Hierosolymam profectus est. In diebus autem illis, scilicet sub Baldvino III. terra Hierosolymitana in manibus erat Christianorum, & peregrinis omnibus liber patebat aditus. Wilhelmus igitur nudis plantis cum nimia abstinentia, jugiter Deum precaturus, ingressus in sanctam civitatem, postquam Sepulchrum Christi gloriosum cum pietate & devotione visitasset, requirere cœpit à civibus venerabilem Urbis Primatem (erat autem tunc Patriarcha Fulcherius, Ordinis Canonic. Regul. SS. Sepulchri, ex Archiepiscopo Tyrensi promotus, qui Archiepiscopatus erat Canonicorum Regularium, ut Tyrius & Miræus habet.) Factum est autem per Divinam voluntatem, ut ipse esset Hierosolymis his diebus. Ad

quem

quem cùm introductus esset Wilhelmus, se & causam itineris, totumque negotium seriatim ei patefecit. Patriarcha autem viso Wilhelmo, gavisus est valde; erat enim eum ex multis temporibus, cupiens videre; audiebat enim perstrepente ubique fama, multa mala de illo, & videns, quoniam magnificasset Dominus, misericordiam suam cum ipso, congratulans & exultans, Dominum benedicebat in ipso. Et infra breve tempus, intra ambitum domus suæ Patriarchalis, arctissima specu constructa, præsente Primate Wilhelmus, quasi in carcere, se reclusit, & novem annis continuis in summa pœnitentia & conversione sui ad Deum, & abstinentia, ac mortificatione continua, jucundatus Angelorum frequenti visitatione, ibi vitam egit. Quantam hic S. Pœnitens ad S. Sepulchrum egit conversionem, tota vita ejus describit, pro qua agenda instinctu Divino, ad illud venerandum, Summus remisit Pontifex, quod illud verè sit refugium peccatorum, locus conversionis eorum; & ibi degens, quantis pœnitentiæ rigabat lachrymarum undis petram illam sanctissimam? ibi divinis consolationibus non semel fruebatur, exercitiis spiritualibus intensè deditus fuit &c. Et secundariò visitare proposuit Hierosolymam Sanctam Civitatem. Vir ergo Dei Wilhelmus, reassumptis viribus, iterum spe obtinendæ veniæ peccatorum, & arctioris vitæ studio, cœpit ad priorem locum & ad domum Patriarchæ reverti, unde priùs exierat. Qui prospere veniens Hierosolymam, in idem se recepit tugurium, & ibi se per biennium recludens, districtiorem vitam egit, ad S. Sepulchrum devotus hic sanctus pœnitens, velut coluber super petram, depositis malæ vitæ exuviis, ad illam Sanctam petram sanctitatis novitatem induit. Surius & Bollandus in vita ejus. Vixit anno 1130.

Beatus Martinus Canonicus Regularis, Presbyter Legione in Hispania, cùm ad Subdiaconatûs gradum succrescente ætate pervenisset, mortuo Patre, opes sibi relictas in pauperes erogavit, ab Urbano III. Pontifice Maximo obtenta benedictione, duos annos in Hierosolymitano Xenodochio, pauperibus famulatus est, & ex illo frequenter visitabat Sepulchrum Christi. Idem in vita ejusdem. 11. Febr.

S. Jordanes Saxo, Ordinis Prædicatorum, Generalis Magister secundus, anno 1236. Conventu decimo septimo edito Parisiis, 13. Febr.

 eidem

eidem S. Jordani in mentem ſubiit, Hieroſolymam petere viſendi gratiâ, Sanctæ redemptionis noſtræ loca; ad hoc enim peragendum antehac nutriebat barbam. Tandem deſiderio viſitandi Sepulchrum Dominicum pelago ſe tradidit; verùm oborta ingenti tempeſtate prope Accon, & navi fracta, cum duobus ſociis, nonaginta novem hominibus in fluctibus periit; ſed cùm poſt tempeſtatem prodiit tranquillitas, & corpora ad littus deportata, in humata jacuiſſent, teſtantibus illis, qui de naufragio evaſerunt, luminaria de cælo ſuper eos, ſingulis noctibus effulſerunt, ſed & cruces multæ ſuper eos viſæ ſunt, & odoris fragrantia latiùs emanabat, & ab iis, qui eos tres ſepeliere, usque ad decem dies, odor nimius, ab incolarum ſepelientium manibus non receſſit. Vide hîc, quantis Deus illuſtrat miraculis, inter alia opera bona, opus ſusceptæ peregrinationis ad S. Sepulchrum. Surius in vita ejus.

Bzovius ann. 1236. n. 2.

In vita ejusdem S. Jordanis ibidem habetur, quod Divino afflatus Spiritu, Germanus quidam nobili genere, concionante eodem Sancto, cum ex manibus ejusdem, ſacrum hujus Ordinis ſuſcepiſſet habitum, audiens Pater, multitudine ſatellitum ſtipatus, animo indignabundo Italiam ingreditur, ut ubicunque filium inveniret, ordinis ejusdem habitu exueret, vel occideret. S. Jordanum. Fortè ita caſus tulerat, virum Dei offendit, & voce dira interrogavit: Ubi eſt ille Jordanes? cui vir Sanctus facie læta reſpondit: Sum ille Jordanes. Mox ut hæc verba audivit, & Sancti viri præſentiens virtutem, ex equo deſiliens, & ad ejus provolutus pedes lachrymis profuſus, deteſtabile facinus confeſſus eſt. Tandem inquit ad S. Jordanem: Vir Sancte exhinc pro filii mei ad Sanctiſſimam religionem evolatu lætus recedo, qui amaro animo veneram. Quare antequam lares proprios repetam, Hieroſolymam pro Sanctiſſimis noſtræ redemptionis locis viſendis, hoc cum meo comitatu commigrabo; quod & plenè perfecit, habuerat enim ſecum equites centum. Surius loco ſuprà citato.

12. Febr. S. Silvinus Nobilis Toloſſanus, Epiſcopus Tarvanenſis, viſitavit terram Sanctam, locum Calvariæ, Sepulchri Chriſti, ut quia videre Deum oculis corporeis non poterat, quanquam ſpiritualibus jugiter contemplaretur, ſaltem vel locum, quò ipſum & totum genus humanum, de diaboli poteſtate redemit ſuo proprio ſangvine, & victor ſpolia ejus abſtulit, inviſere mereretur. Bollandus Tom. 3. in ejus vita. - - - Vixit circa annum 734. S. Si-

S. Simeon secundus Hierosolymorum Episcopus, post S. Jacobum Apostolum, Alphæi Filium, Minorem dictum, multoties per vitam suam, lapidem Sepulchri Jesu, lachrymis suis rigavit, ut habetur de eodem S. in libr. tabula Hierosolymit: Et cum esset propinquus Christi secundum carnem, longo tempore administrans Ecclesiam Hierosolymitanam, appropinquabat, sæpe ad locum illum, ex quo integram & incorruptam Carnem Christus extulit, potestate Divinitatis suæ. - - - Vixit anno 107. 18. Febr.

S. Theotonius Canonicus Regularis, de Provincia Gallæciæ, Civitate Tudensi, ex honestis, justisque Parentibus oriundus, quorum genealogiam piis moribus extulit adeo, ut non sine magno S. Spiritus præsagio Græce *Theotonius*, Latine *Divinus* resonat, vocaretur: siquidem singularis cultor Sepulchri Divini futurus erat, jure merito Theotonius seu Divinus appellatus est. Postea D. Gundisalvi, Conimbricensis Episcopi jussione Viscensis Ecclesiæ Prioratum suscepit, sed illum Honorio Presbytero cedens, ut Breviar: Eborense habet, bina vice perrexit Hierosolymam, cum non modica turba peregrinorum. Patriâ egrediens, diu desideratam viam, iterum arripuit, & in tota sua peregrinatione, cives Hierosolymam euntes, ad opera misericordia provocavit. Sed cum post aliquot dies navim conscendisset, & cum sociis navigasset, per dies aliquot intumescente nimis mari, cuncti periclitari cœperunt. Præterea, quæ metum mortis urgebant, visa fuit à cunctis in eodem maris periculo existentibus, terribilis bestia, & nimis formidolosa apparuit, quasi tetæ ignis accensæ, multi dæmonem esse dicebant. Omnipotentis auxilium cum lachrymis, in tanto naufragii periculo, & ne tradat Deus illi bestiæ, animas eorum, D. Theotonius postratus invocabat, hoc modo: Domine JESV Christe, Fili Dei vivi, Fili S. Mariæ, succurre nobis in supremo periculo constitutis, gloriosum ut Sepulchrum tuæ S. Resurrectionis, pro quo venerando & osculando, de finibus mundi venimus, videre mereamur, & tuæ liberationi gratias agamus. Ad quam orationem, Deus mirabiliter misericordiam suam præstans, tempestatem illam cessare fecit, & nova lux oriri cœpit, mirantur omnes jam morti dediti, & Deum benedicentes felici cursu veniunt Hierosolymam. Hilaris Sanctam Civitatem ingressus Theotonius, factaque oratione, descendit paululum in Golgothæ locum, 18. Febr.

ubi

ubi fama eſt, quod de latere Chriſti ſangvis decurrens petram duriſſimam perrupit: deinde brevi ſpatio ad Sepulchrum Reſurrectionis converſus, & videns ipſum Corporis locum, in quo Dominus jacuerat, ubertim & flevit & gaudio replebatur. Occurrebat ei congrua de Domino Salvatore meditandi memoria, quomodo ſcilicet poſt tanta, quæ pertulerat, in ipſo Sepulchro requieverat, ac per illius deſcenſum ad inferos ineffabile magnumque gaudium cogitabat captivorum, quos ſecum eduxit. Inde jam ad medium mundi deductus, quô videlicet loco Joſeph ab Arimathæa Corpus Domini, cum de Cruce deponeret, antequam Sepulchro locaretur, poſuerat; attentiùs orabat, memorans illud Davidicum: *Deus autem noſter, ante ſecula, operatus eſt ſalutem in medio terræ.* Diebus autem multis ad Sepulchrum Domini, ex ardore fidei manſionem habuit, non in refectione quidem, ſed in oratione & Domini opere. Cujus Sanctitatem Dominici Sepulchri Canonici Regulares (de his enim Hieronymum Maſcarenam, in vita hujus Sancti, loqui notat Bollandus, qui erant in Eccleſia S. Sepulchri conſtituti) attendentes, ejus orationibus attentiùs ſe commendaverunt eumque in ſuis beneficiis reciproce receperunt. Communem etiam ſocietatem vivendi ei dabant, ſi cum ipſis habitare vellet, & Cuſtodiam Sepulchri, quod eum, præ omni negotio deſiderare cognoverant. Ille verò ſe facere hoc, minime poſſe dicebat, niſi prius ad Hiſpanias rediens, domui ſuæ diſponeret. Igitur per totam Hieroſolymam iterum atque iterum ſe Omnipotenti Deo commendans, Canonicis quoque & cunctis Servis Dei valefaciens, in Hiſpaniam remeavit, futurum rurſus, ut in proximò Hieruſalem rediret, & ad glorioſum Sepulchrum finem vitæ ſuæ devotus expectaret. Ita quoad verba ejusdem Sancti Theotonii Diſcipulus, eruta ex manuſcriptis ab Hieronymo Maſcarena, edita a Joanne Tamajo Salazario apud Bollandum.

De eodem Sancto, ex alia vita à Joanne Tamajo Salazario edita, apud eundem habetur taliter: Hieroſolymam igitur ſecundò conſcendens, iterum ſacra loca conſpexit & viſitavit, & cum ad S. Sepulchri Eccleſiam perveniret, quâ tunc Canonicorum Regularium, Sanctiſſima perſiſtebat Congregatio, illis adhærere conſtituit. Sed cum Luſitaniam perveniſſet, ubi authoritate Regis Alphonſi & Epiſcopi Conimbricenſis, Cænobium conſtrui cæptum eſt,

eſt, cognita Sanctitate B. Theotonii, Gellus Archidiaconus Conimbricenſis, totius operis penſum, in S. Viri manus perficiendum dimittit. Renuit B. Sacerdos, non tam pii operis officium, ſed apud Clericos Hieroſolymitanos, retardatæ ſolutionis obſtaculum, ſeu quia ſe illis appromiſerat adhærere. Verùm Deus S. Theotonio aliter diſpoſuit, ut nec Hieroſolymam rediret, nec Canonicis S. Sepulchri ſe adjungeret, in cuſtodiendo S. Sepulchro, ſed illius Collegii Prior renuntiaretur.

S. Zambdas, Epiſcopus Hieroſolymitanus, vixit ad Annum 303. qui cùm pluribus annis, Sanctiſſimè Eccleſiam Hieroſol. gubernaſſet, ſingulari animi voluptate loca ſacra, præcipuè Crucis & Sepulchri coluerat. Juxta S. Eucherium Epiſcopum Lugdunenſem Legionem Thebeorum, ſex Millia, ſexcentos, ſexaginta ſex viros, validos animis, & inſtructos armis, antiquorum Romanorum exemplo; ad Chriſtum convertit, qui Chriſtianæ Religionis ritum, ab eodem S. Epiſcopo ſuſceperunt, & baptizati ſunt. Eos S. Præſul per Crucem, Paſſionem, & Reſurrectionem de Sepulchro, obſecratus eſt, ut fidem Chriſti non deſerant. Ut in Vitis Sanct. Eccleſiæ Hieroſolymit. habetur eadem die. Hunc S. Epiſcopum cum novis militibus Chriſti fortitudine veræ fidei, conſtantiâ, plus quam armis inſtructos præter omne dubium viſitaſſe Sepulchrum Chriſti, ubi ſacro regenerati ſunt lavacro, & per baptiſmum conſepulti Chriſto. 19. Febr.

S. Zacharias Patriarcha Hieroſolymitanus, qui vixit circa Annum 609. & in eo loco Sepulchri Chriſti, ab Helena conſtructam Eccleſiam regebat. Cujus temporibus ſecunda perſecutio, poſt illam primam Judæorum, contigerat ſub Chosroa anno 614. Antequam igitur Sanctus Patriarcha, cum vivifico ligno Crucis in Perſidem duceretur, toto illo tempore Sanctiſſimum adiiſſe Sepulchrum, nullus dubitandi manet locus, & quanto dolore eodem Sancto, valedicebat Chriſti Monumento, cum ſumma ab eo violentia avulſus, unicum ſuæ conſolationis ferens remedium, vivificum lignum Crucis, cujus individuus fuerat ſocius & concaptivus. Deinde anno 629. Hieroſolymam ingreſſus, & Sedi ſuæ, ſimulque Baſilicæ S. Reſurrectionis reſtitutus, & venerando S. Crucis ligno, loco ſuo reddito, quantas ad Sepulchrum Domini, Chriſto ex illo reſurgenti referebat gratias, quanto illud comple- 21. Febr.

ctebatur fervore & amore, quantùm compaſſus ſuper ſtrage fidelium, & deſolatione ejusdem Eccleſiæ, vincit calami officium ingens dolor, protunc S. Patriarchæ prorumpens viſceribus.

23. Febr. S. Doſitheus ex Ecbatana Medorum Regia, erat delicium cujusdam Tribuni, ſeu Præfecti Militum. Quidam familiares Tribuni mentionem illi fecerant S. Civitatis, cujus & ipſe viſendæ deſiderio tenebatur. Petiit igitur à Tribuno, ut ad loca illa Sancta inviſenda mitteretur. Ille autem nolens eum mœrere, cum repeſſet quendam amicum ſuum germanum, illuc abeuntem, ait illi: Gratificare mihi, & juvenem hunc tecum aſſume, ut loca Sancta viſat. Ille vir puerum à Tribuno ſuſceptum in omni honore ac recreatione habuit, ſuæ & uxoris menſæ illum adhibens. Ubi verò ad S. Civitatem perveniſſent & loca ſancta adoraſſent &c. Bollandus in vita ejus.

25. Febr. S. Willibaldus, S. Richardi Regis Anglorum filius, cum ſociis immenſo deſiderio accenſus eundi Hieroſolymam, & S. Sepulchrum inviſendi, per magna pericula latronum, famis, ſitis, macerationis, captivitatis, carceris, ſqvallores à Paganis ſuſtinens, Dei virtute liberatus, Hieroſolymam pervenit, cui Deus in recompenſam præteritarum afflictionum, hoc Hieroſolymis tribuit, ut in conſpectu Paganorum ibi manentium, inveniret magnam gratiam, ut quocunque pergeret, eorum conductu iret: quare peragratis omnibus Sanctificationum locis, viſoque Sepulchro Chriſti Hieroſolymis, locoque Paſſionis ejus, ad Montem Caſſinum pervenit. In vita S. Walpurgis Virginis à Strevartio edita, apud Bollandum.

26. Febr. S. Porphyrius Gazæ Epiſcopus, cui Eccleſiæ, Canonici Hieroſolymitani præfici ſolebant, utpote ſuffraganæ Patriarchæ Hieroſol. ut id ex Tyrio deducitur, relictâ patriâ, ſplendore generis, opibusque infinitis, divinus amor eum ſubiit, adorandi Sancta, & veneranda Dei loca. Cumque illic fuiſſet & adoraſſet, abiens in partes Jordanis, habitavit in ſpelunca, ubi verſatus quinque annos, cum multa afflictione, incidit in magnum morbum; & videns ſe adductum in extremum periculum, Dei providentia accerſit quendam ex ſuis notis, ut eum duceret Hieroſolymam; tabeſcente tamen corpore, non ceſſabat quotidie viſitare ſancta loca, & in baculo circumibat Sepulchrum Chriſti, etiam vim inferens

rens

rens suis doloribus, de quo ipso dat testimonium ejus Discipulus & inspector Sanctimoniæ & hujus virtutis, Marcus, Diaconus Gazensis, Scripteor ejus vitæ, inquiens: Accidit autem illo tempore, ut ego ex Asia navigarem ad adorandum loca veneranda. Cumque in eis essem, diu ibi sum versatus. Aspiciens vero S. Porphyrium, continenter vadentem ad Christi resurrectionem, & ad alia oratoria, mirabar, quod in tanta corporis imbecillitate, non dubitaret sic se cruciare. Quodam autem die cum ei occurrissem in gradibus Martyrii, quod fuerat conditum à Constantino Imperatore (nempe in Ecclesia S. Sepulchri) non valenti progredi: ei manum meam porrigens, rogavi, ut ei inniteretur, & gradus ascenderet; ille vero noluit dicens: Non est justum, ut ego, qui vado ad petendam veniam peccatorum, nitar manui alterius. Profectus ergo est, & ego cum eo, ut adorassemus loca Sancta, & venerandam Crucem &c. Et postquam ordinatus est in Presbyterum Ecclesiæ Hierosolymitanæ & ex revelatione Divina, accepisset custodiam ligni venerandæ Crucis, adeptus hunc honorem, non mutavit mores priores, sed mansit in illa afflictionis exercitatione, nempe in visitatione locorum sacrorum, etiam infirmo corpore. Et cum ab eodem officio ad Episcopatum Gazensem Hierosolymis abeundum illi esset, dixit eidem Marco Discipulo suo: Frater Marce, eamus & adoremus Sancta loca & venerandam Crucem, ibique multum esset precatus & lachrymatus, valedicens Episcopo Hierosolymitano, Deo se commendans, abiit & Gazam pervenit. Surius - - - Vixit anno 393.

S. Andronicus, in magna Urbe Antiochia oriundus, accersito socero suo, tradidit ei omnes facultates suas dicens: Ad Sancta loca proficiscimur, ad orandum. Accepta itaque benedictione exiit noctu ex Civitate ipse, & uxor ejus B. Athanasia, & sursum aspiciens in cælum dixit: Deus, qui dixisti Abrahæ & Saræ: egredere è terra tua, & è cognatione tua, & veni in terram, quam ostendam tibi, ipse nunc quoque deduc nos in timorem tuum; & flentes ambo, abierunt, & cum ad Sancta loca pervenissent, adorarunt, & venerunt ad S. Mennam Alexandriæ. Andronicus relicta ibidem B. Athanasia uxore sua, pervenit ad Scetem ad Danielem Abbatem, quem post duodecim annos eremiticæ vitæ, rogavit, ut se dimitteret ad Sancta loca. Ille verò bene precatus 27. Febr.

 eum

eum dimisit. Andronicus autem iter faciens per Ægyptum, sedit sub arbore, ut animam recrearet ab æstu. Ecce autem ex Dei dispositione, veniens in habitu virili ejus uxor, quæ ipsa quoque ibat ad Sancta loca. Cumque se invicem salutassent, Andronicus non agnovit uxorem suam, quæ jam nimis emarcuerat abstinentiâ, quamvis suum esse maritum B. Athanasia Consors agnosceret. Dicit ergo ei. Quo vadis Domine Abba? ille verò dicit ei: Ad Sancta loca. Ipsa autem dicit ei: Ego quoque volo illuc ire. Ipse verò rursus illi dicit: Si velis eamus ambo simul. Cum autem simul ingressi essent & adorassent loca Sancta, reversi sunt Alexandriam. Surius in vita ejus - - - Vixit anno 380.

Martius.

1. Mart. S. David Archiepiscopus Menevensis, circa annum 516. ivit Hierosolymam, apparuit enim Sancto David Angelus, & dixit ad eum: Surge & vade Hierosolymam, ut ibi Episcopus fias, accipe tecum duos dignos socios Paternum & Felionem. Arrepto statim itinere pervenit. Hierosolymam cum S. Eliud, sive Felione; & S. Paterno, ante quorum adventum, nocte Patriarchæ Hierosolymitano Joanni III. apparuit Angelus. Visitatis itaque locis sacris, idem Patriarcha S. Paterno dedit vestem Episcopalem, & pastorale ex ebore. Reversi ex Hierosolyma Britanniam, tres Episcopatus acceperunt. S. David Menevensem, S. Felion Laudavensem, S. Paternus Venetensem. Bollandus.

2. Mart. S. Carolus, Comes Flandriæ Martyr, annis pueritiæ transactis, postquam militiæ cingulum accepit, Hierusalem, Sanctum Sepulchrum Dominicum visitaturus, devotus adiit, ibique adversus Paganos, fidei nostræ inimicos arma ferens, Christo Domino strenue militavit; mox divina ordinante dispositione, ad avunculum suum Robertum juniorem Marchionem, in Flandriam revertitur. Hic est enim Robertus, ille Comes inclytus, Roberti Frisonis filius, qui audito illo Sancti, & omnium Sanctorum memoriâ recolendi Claromontensis Concilii Decreto, de venerabili scilicet Dominicæ passionis & Resurrectionis loco, à Paganorum manibus eruendo, & Christianæ fidei vindicando, continuo uxorem & liberos, postremo cuncta quæ in mundo possidebat, Christi Domini servitio postponenda Evangelicè doctus judicavit. Crucis ejus bajulan-

bajulando insignia cum aliis, quos inspiraverat fidei gratia, alacriter properavit. - - - Apud Surium. Vixit anno 1120.

S. Eusebius Abbas Cremonensis, cum S. Hieronymo media 5. Mart.
hyeme Hierosolymam venerunt, omnibus fere locis, Christi Sangvine vel miraculis decoratis, perquisitis. Franciscus Ferrarius Author.

In vita B. Oldegarii, sive Oltgarii Tarraconensis, Episcopi 6. Mart.
Barcinonensis; is Hierosolymam profectus, loca Sancta visitavit. Quanto cum lætitiæ sensu, Hierosolymitanus Patriarcha, Gvarimundus exceperit? ut habetur in Epistola Paschalis II. ad Clericos & Laicos in Regno Castellæ.

S. Coleta Virgo, loca sancta, quæ Christus suâ præsentiâ olim 6. Mart.
in terris degens mirificè sacravit & ornavit, cum multa reverentia & devotione habebat impressa cordi suo: speciatim verò locum & Urbem, in qua passus est. Et quamvis corpore debilis & tenera esset, multaque in mari occurrerent pericula, attamen summô ardebat desideriô arripiendi iter illud, locaque illa devotè visitandi, atque illic moriendi propter Deum: & certè eò profecta fuisset, si id ei permissum esset. Stephanus Juliacus in vita ejus apud Surium. Vixit anno 1430.

S. Macarius Episcopus Hierosolymitanus, dum & ipse Synodo 10. Mart.
Nicænæ interfuit, & pro Apostolicis dogmatibus acriter pugnavit, in vivifica cruce quærenda, Sepulchroque Divino investigando, ut omnis diligentia adhibeatur in eadem Synodo, ipsumque Imperatorem Constantinum seriò adhortabatur. Ad quod præclarum opus animatus Constantinus Magnus, misit Hierosolymam Alexand. Monach.
Helenam matrem suam, ut unà cum Macario Æliensi, id est Hierosolymitano Episcopo, vivificum lignum, & Sepulchrum Christi investigaret. Et hic primus S. Præsul, unà cum S. Helena Imperatrice, inventum Monumentum vidit & adoravit. Ejusdem nimio afflante divinô Spiritu, juxta literas directas à Constantino Magno, judicio sanctitatis dicti Præsulis commitente, famosissimum & mirificum illud opus supra adinventum Monumentum Christi, nempe Basilicam, exquisitissimô artificiô extruere demantavit. Quid tum non egit? quid non perpetravit solertia? & accurata S. Macarii prudentia? ut locus Sepulchri Christi splendore ornaretur? Ad cujus augmentum, dum nimis allaboravit S. Præsul, non modicum

dicum impendit ſtudium in cultu & honore tam celeberrimi illius loci, quem frequentisſimis adibat actibus, & prona demisſione devotè colebat. Baron. Annal. Eccl. anno 326.

10. Mart. De SS. Quadraginta Martyribus S. Gaudentius Epiſcopus Brixienſis, in Dedicatione Baſilicæ SS. Quadraginta Martyrum Serm. 17. enumeratis decem Sanctis Martyribus, quorum retinebat reliquias, ſic dicit: *Jam quid poſt illos decem de Quadraginta Martyribus dignum loquar, qui ſe itineri meo, cum per Urbes Cappadociæ Hieruſalem pergerem, fideles comites præbere dignati ſunt?* Ex quo colligitur, ſi non vivos, ſaltim glorioſos in ſua morte Sanctos Quadraginta Martyres in ſuis reliquiis, quas S. Gaudentius ſecum portabat, pretioſa morte, in conſpectu Calvariæ & Sepulchri, ſimul cum eodem, mortis ac reſurrectionis Chriſti adiiſſe locum.

Biblioth. Vet. PP. Tom. 4. fol. 827. Lit. G.

S. Sophronius Patriarcha Hieroſolymitanus, multiplici eruditione divinarum literarum, ſcientia & pietate inſignis, quòd viſitaverit S. Sepulchrum, res evidentiſſima patet; præter hoc, quòd fuerit Epiſcopus Hieroſolymitanus, tum ex eo, quòd prima die Exaltationis S. Crucis, nempe 13. Septembris, quo die celebratur Hieroſolymis Dedicatio Templi Reſurrectionis Chriſti, habuit Orationem, quæ extat in Bibliotheca Veterum Patrum Tom. 7. ubi in tota Oratione loquitur de illa reſurrectione, hoc eſt de Dedicatione Eccleſiæ S. Sepulchri, non autem de feſto Reſurrectionis ſeu Paſchæ, ut advertit Gretſer; adeoque in illis orationibus, quam & de Cruce habuit, ſicut ipſemet cauſam reddit, Crucem & Sepulchrum Chriſti, dum populo adorandum proponit, quomodo ab ipſo non adoraretur? Tum ex eo: quia hic Sanctus, locorum Sacrorum & Sepulchri, ab infidelibus occupationem multis lachrymis deplorabat; cujus ploratus lamentationes, habentur in Concione ejusdem in Natali Domini. In Bibliotheca Veterum Patrum Tom. 2. quam occupationem & ruinam propriis cernebat oculis. Vixit circa annum 633.

15. Mart. S. Longinus Martyr, ſignatò Monumentò Chriſti, usque ad tertiam diem, dum juſſiſſet Pilatus vitæ Sepulchrum tueri cuſtodia militari, & ille fecit id, quod erat imperatum, etſi non eſſet ejusdem ſententiæ cum Pilato. Quia cum eſſet Chriſtus in Cruce affixus, admirandus hic S. Longinus habebat cuſtodiam Crucis ſibi commiſſam cum ſuis militibus: videndo autem ſigna & prodigia,

quæ

quæ circa Crucem fuerant, omni metu excuſſo, liberè in Chriſtum credidit, & confeſſus in medio Synagogæ Judæorum, Chriſtum ipſum & Deum dicens: *Verè Filius Dei eſt hic!* Unde in hac fide exiſtens, & penes cuſtodiam S. Sepulchri, expectabat Reſurrectionem Chriſti, quam adeptus, vidit propriis oculis Chriſtum ex Sepulchro reſurgentem; quem locum vehementi amore adorans & exoſculans, recedens ab eodem, & ad Pilatum accedens, verax teſtis reſurrectionis, iniqua Judæorum cuſtodientium Sepulchrum, & aliorum, lingva & mente libera confutavit mendacia; & ſimiliter à Sepulchro Chriſti verum Deum prædicavit, eumque verè reſurrexiſſe de illo loco affirmavit. Et intercedente tempore, acceptis duobus militibus, cuſtodibus Sepulchri, qui eundem zelum habebant pro Chriſto & veritate reſurrectionis de Sepulchro, cum Deo ſolo verſans, adorato toties cum ſuis ſociis illo loco, relictis Hieroſolymis, venit in Cappadociam, & ibidem cum iisdem ſociis duobus pro Chriſto, Martyrium ſubiit. Surius ex Metaphraſte, & Stephanus Wielewieyski, in vita ejus. Vixit anno Chriſti 34.

B. Sanctia, Jacobi Aragoniæ Regis Filia, depoſitâ Regali perſonâ, nemini nota aut manifeſta, Hieroſolymam profecta, ad Sacroſanctum Domini Sepulchrum. Abrahamus Bzovius Annal. Eccl. Tom. 13. anno 1177.

S. Joſeph ab Arimathæa, ob Sepulturam & conceſſum Sepulchrum, tumulando Corpori Chriſti mortuo, evaſit virorum præſtantiſſimus. Sepulchrum ſuum ſatis glorioſum effecit, dum in illo propriis eum manibus ſepelivit; ſed adſcribendum ei eſt pro maxima gloria, quod poſt Sepulturam, Chriſtum cum Matre Dei in Sepulchro adoravit. Et in cella incluſus, & ab ipſis Principibus Sacerdotum cuſtoditus de cuſtodia abſolvente Angelo, reſtitutis parietibus, in locum ſuum liberatus, ita ſicut Chriſtus cuſtoditus in Sepulchro à militibus, territis Angelicis viſionibus, reſurgens, non eſt inventus in tumulo. Ex actis Tyberii ad Pilatum, refert Gregorius Turonenſis. Michaël Lochmaier in Promptuario Sermonum Feſtival. Serm. 43. profert, quòd ad illud cubiculum diligenter clauſum & ſigillatum, ubi fuerat Joſeph ab Arimathæa recluſus, in ipſa nocte Reſurrectionis Chriſtus ad eum intravit, & oſculum ei dedit; & inde ſalvis ſigillis eum educens, duxit

17. Mart.

duxit in locum Sepulturæ oſtendens ſindonem, quâ eum involverat. Simul ergo protunc exiſtens in Monumento, & Chriſtum reſurgentem, cum quo præſens in Sepulchro erat; & ipſum locum viſitavit. Ita reperitur in Theſauro novo, Dominica Paſchæ, Sermone 76to. his verbis: *Chriſtus poſt reſurrectionem, Joſepho ab Arimathæa apparuit, dicens: Noli timere Joſeph, reſpice in me & vide. In quem dum reſpexiſſem, dixi: Rabbi, Elias es tu? Et dixit: Non ſum ego Elias, ſed Chriſtus, cujus Corpus ſepeliſti. Et dixi: Domine, oſtende mihi Monumentum, ubi poſui te. Et tenens manum meam, duxit me in locum, ubi ſepelivi eum, & oſtendit mihi ſindonem & faſciale, in quo caput ejus involvi; & tunc cognovi, quia JESUS eſſet, & adoravi eum, & tenens manum meam, duxit me in Arimathæam in domum meam.* Quam viſitationem Sepulchri Chriſti, dum ſatis in vita ſua implevit, nec mortuus ab illius diſtantiâ ſeparari voluit Sepulchro. A Sepulchro enim Chriſti Domini ad occaſum ſolis, viginti quinque paſſibus, eſt Sepulchrum Joſephi ab Arimathæa, in petra exciſum; teſtis noviſſimus Peregrinus in ſua Deſcriptione; & R. P. Mlodzianowski Societatis Jeſu, Polonus, Viſitator Sancti Sepulchri, in Homilia, Polonicè edita, in deſcriptione ejusdem, Concion. 1. in Reſurrect. fol. 512. num. 9. teſtatur, quòd Joſeph ab Arimathæa & Nicodemus, ſunt ſepulti ad Sepulchrum Chriſti, in manu ſiniſtra.

17. Mart. S. Patritius, Archiepiſcopus & Apoſtolus Hyberniæ, poſt luſtratum purgatorium in proprio corpore, & expreſſos dolores ac tormenta purgatorii; his inquam ſibi divinitùs manifeſtatis & enumeratis omnibus, quæ viderat, pœnarum purgatorii cruciatibus, ſuſcepta Cruce velut peregrinus perrexit ad terram Sanctam, ut viſitaret Sepulchrum Domini, & alia loca Sancta, quibus viſitatis reverſus eſt in Angliam. P. Stephanus Wielewieyski, Soc. JESU, in Vitis Sanctorum Polonicè editis. Obiit anno 491.

18. Mart. S. Alexander Epiſcopus Hieroſolymitanus Martyr, divino quodam oraculo è Cappadocum regione Epiſcopus, dum Hieroſolym. tum voti, tum locorum viſendorum causâ contenderet, illius Eccleſiæ (nempe Hieroſolymitanæ) Fratres eum ſuſcipiunt benigniſſimè, & non amplius domum reverti permittunt; idque propter aliam revelationem ipſis itidem noctu viſam: quâ quidem voce evidentiſſima profuſa eis, qui erant inter illos ob virtutem

ſpecta-

ſpectatiſſimi, perſpicuè ſignificavit, ut extra portas Civitatis egreſſi, eum Epiſcopum admitterent, qui ipſis à Deo deſignatus erat. Et communi conſenſu Epiſcopus Hieroſolymitanus factus, vota ſua majori pietate reddebat in conſpectu Domini, in atriis Jeruſalem, viſitans crebrò loca Sancta, ubi præclarum teſtimonium fidei martyriô conſummavit. Adverte hîc, quòd Deus etiam temporalibus honoribus, præmiat viſitationem locorum Sanctorum. Advertit hîc referens ex Euſebio de hoc Sancto, Eminentiſſimus Cardinalis Baronius, quòd quantumvis loca Sancta Hieroſolymorum fuerint per Adrianum Imperatorem profanata, nempe locus Calvariæ & Sepulchri; tamen pietas Chriſtiana coarctari non potuit nec impediri (ut patet ex Sancto Alexandro) ut Sancta loca non viſitarentur; adeoque longe adhuc ante tempora Conſtantini Magni, viſitatio locorum Sacrorum, cœpta eſſe planè dignoſcitur, ex hoc ipſo facto Sancti Alexandri. Baronius anno 199.

S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, ſanctitatis gloriâ clarus, cujus intemeratæ fidei, Synodus Oecumenica Damaſo Papæ ſcribens, præclarum teſtimonium dedit, & eum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ reverendiſſimum & Sanctiſſimum Epiſcopum dicit. Theodoretus libro. 5to. capit 9. refert. S. Sophronius Hieroſolymitanus, Oratione 1ma in Natali Chriſti dicit: *Sapientiſſimus Cyrillus, magnus ille cæleſtis doctrinæ Præco*; hos digniſſimos Sermones ſuos frequenter in Sacra Eccleſia Golgothana prædicabat; ſicuti conſtat ex teſtimonio ejusdem Sancti Cyrilli Catecheſi 16 his verbis: *Ac maximè ſanè decebat, ſicut quæ Chriſtus egit in Golgotha, etiam in eodem Golgotha prædicamus.* Et Catecheſi 13. *Si enim nunc negarem, argueret me hic Golgotha, cui nunc omnes proxime aſſiſtimus.* Quæ ergo hic egit in Golgotha annuntiando Sanctus Præſul, aſſumit pro teſtimonio, confirmandæ doctrinæ ſuæ, ipſum locum; ita pariter prædicando in Eccleſia Reſurrectionis Chriſti, locum Sepulchri Chriſti, pro ſimili demonſtrabat teſte, patet ex Catecheſi 18. *Poſt Sanctum autem & ſalutarem Paſchatis diem, in reliquis hebdomadæ diebus, poſt Synaxim ad Sanctum Reſurrectionis Salvatoris locum, congregati Deo volente, alias Catecheſes audietis, in quibus rurſus diſcetis, atque tam ex novo, quàm veteri teſtamento demonſtrationes accipietis.* Has verò demonſtrationes in ſuis Cathecheſibus, ex 18. Mart.

veteri & novo testamento, proponit de Christi Sepultura & ejus Sepulchro, ac propheticis certitudinibus exactissime deducit. Dum ergo Sanctus Cyrillus pro gloria S. Sepulchri, in Ecclesia Resurrectionis solidissimè prædicavit, ibi extitit, juxta dictum ejusdem Cathechesi 14. de Resurrect. *Sanctam hanc Ecclesiam Resurrectionis Salvatoris, in qua nunc sumus*, colligitur clarissima assertio, eundem Sanctum Cyrillum visitasse Sepulchrum Christi. Vixit circa annum 340.

22. Mart. S. Catharina Vastanensis, Filia Sanctæ Birgittæ annis viginti & quinque cum Sanctissima Matre sua Birgitta, Romæ, & quocunque illa profecta fuisset, permansit, Sacra cum illa loca invisens, etiam diversis & longinquis regionibus, Dominicumque adiens Sepulchrum in Hierusalem. Fervens Christi amor, tantos labores facilè superavit. Surius in vita ejus. Breviarium Romanum sic habet: *Quocunque Mater profecta fuisset, venerabilis Virgo illi ubique adfuit. Sacra loca omnia, & Dominicum Sepulchrum Hierosolymis cum ea invisit.* Vixit anno 1360.

29. Mart. B. Bertholdus, qui Petro Eremitæ post mortem Haymeri Episcopi Podiensis, Germani sui adhæserat, & usque ad introitum Civitatis Hierusalem secutus fuerat, cùm loca Sancta à Christianis Principibus recuperarentur, inæstimabili gaudio replebatur: quapropter imbre multo lachrymarum, singula loca Sancta perlustrans, de tantis mysteriis magna cum devotione, immensas Deo gratias peragebat. Paulus Segerus.

Aprilis.

2. Aprilis. Martyrol. Rom. S. Maria Ægyptiaca, in illa sua etiam voluptatis petulantia, divino nutu, ad adorandum Hierosolymis Sacrosanctum lignum & Sepulchrum Christi excitata, in viam se dedit. Videns itaque ingentem multitudinem virorum ex Ægypto & Lybia, Hierosolymam omnes ascendentes ob Sanctæ Crucis Exaltationem, & adorandi Sepulchri Christi gratiâ, cum magna festinatione ascendit cum illis Hierosolymam. Verùm ubi venit S. Exaltationis festivitas adorandæ Crucis, & vidisset complures homines, undique ad templum currere, perrexit & illa, sperans se cum aliis Sacra ingredi loca. Sed cùm se Regiis Ecclesiæ atriis jungere vellet, per quæ ad Sacrum Domini Resurrectionis templum ingressus erat,

per quæ & ſalubris Domini noſtri JESU Chriſti Crux videnda erat, vix magno fletu cum labore appropinquare poterat. Cæteriſque ingredientibus, eam divina virtus prohibebat, non indulgens introitum. Et cùm iterato tentaret ingredi, iterum quaſi militaris multitudinis manibus, modo hinc, modo inde repulſa & rejecta, quater in atrio ſemper inveniebatur. Reducta igitur in cogitationem, ob quam cauſam ei prohibitum eſſet videre vivificum lignum & Sepulchrum Chriſti, cœpit Maria flere, pectus tundere, ut Chriſtum in vivifico ligno mortuum, & ex Sepulchro reſurgentem cernere poſſet. Conſpiciens itaque imaginem Dei Genitricis in atrio templi ejusdem depictam, compuncta in dolore ſummo cordis, imploravit ſuffragium à Beatiſſima Genitrice, ut ei tribueret, & daret licentiam ingrediendi in Eccleſiæ patefactum aditum, ac ut adoraret lignum Crucis & Sepulchrum Chriſti: quibus adoratis, renuntiaturam ſe ſæculo, & omnibus, quæ ſæculi ſunt, ſedulo promittit. Quæ dum in animo firmiter explere deſiderat, invocatione Beatiſſimæ meretur appropinquare Sancto loco, quem nec pedibus ante calcare potuit. Tunc & nimio gaudio apprehendit eam pavor, dum ſe videret locis adſtare Sanctis, ubi prius iniquitas ejus illuc adire eam prohibebat; namque ibi adoravit lignum Sanctæ Crucis & locum Sepulchri Chriſti cum innumerabilibus lachrymis, & ſenſit ibi odorem ſvavitatis, & meruit videre omnia Dei myſteria. Ex illis egreſſa, regreditur ad eandem imaginem Beatiſſimæ Virginis Mariæ, flectens genua, gratias agit Matri Dei, pro admiſſione ad loca Calvariæ & Monumenti Unigeniti Filii ſui, & petit, ut demonſtret ei viam pœnitentiæ & dirigat greſſus ejus in viam mandatorum & ſalutis æternæ. Et audivit vocem: Si Jordanem tranſieris, ibi invenies bonam requiem. Hæc audiens, credens eam propter ſe dictam vocem, cum lachrymis levavit manus & vocem, egreſſa atrium templi à conſpectu Sanctæ Crucis, Sepulchri, & imaginis Beatiſſimæ Virginis, videns eam quidam vir pius, obtulit ei tres aureos nummos pro eleemoſyna, in quibus triduanam Chriſti Sepulturam, & ſui reſurrectionem, ex his tribus Sacris locis, Crucis, Sepulchri & imaginis Beatiſſimæ, virtute Sanctiſſimæ Trinitatis, ſe ad meliorem vitam reſurrecturam agnoſceret. Et quadraginta ſeptem annis, ex quo Sancta egreſſa eſt Civitate, degebat in ſolitudine

in arctiſſima pœnitentia, & in famoſam pietatem & Sanctitatem ex occaſione adoratæ Crucis, Sepulchri, & Virginis Beatiſſimæ, evaſit. Surius. Bellovacenſis. Vixit circa annum 520.

5. April. Bollandus. S. Geraldus, in Sancti Petri Monaſterio, dum ante Crucem, quæ in medio Eccleſiæ eſt, conſiſtebat, & multitudo virorum & mulierum tanta convenerat, quod ſicut ſibi viſum fuerat, totam Eccleſiam compleverat: & ita Sancto Geraldo, ante Crucem conſiſtente omnique populo, imago Domini, quæ in Cruce erat, ad Geraldum, qui in medio populi erat, appropiavit, eumque blandè & leniter convocans ſuo nomine, caput ſuum manu ſua demulcere cœpit dicens: Confortare fili in Domino, & in potentia virtutis ejus. Et ſic diſcedens ab eo, videntibus omnibus, ſicut primùm fecerat, Crucem aſcendit. Quo facto Sanctus Geraldus evigilavit, (quia hoc videbatur illi per ſomnium) & multum anxius pro hoc, quod viderat, Deum, ut ſibi viſionem proſperam faceret obnixè deprecari cœpit. Venit autem ſibi in animo, quia loca Sanctorum, qui ultra mare requieſcunt, vellet viſitare, & ad Sepulchrum Domini eum in Hieruſalem adorare. Cumque hoc, quomodo adimpleri poſſet, in animo volveret, audivit quia in eadem, qua ipſe manebat, villa, quidam viri fideles, iter ſuum apparaverint, quatenus ad Sepulchrum Domini adorare potuiſſent. Quo cognito, lætus vehementer effectus, Omnipotenti Domino gratias reddidit, qui conſilium ad hoc, quod videbat neceſſarium miniſtravit. Acceptâ igitur licentiâ ab Abbate, obedientiam ſuſcepit, iter ſuum apparavit; Dei gratiâ loca Sanctorum multorum viſitavit, Sepulchrum Dominicum, quod ſuper omnia cupiebat, adoravit, ad propria, ſicut Abbati ſuo promiſerat repedavit. Ex Syncrono & Manuſcript. in Vita ejus capit. 3. Vixit anno 958.

7. April. Bollandus. B. Urſulina Parmenſis Virgo, poſt plurimos labores & ærumnas, decrevit Sacroſanctum Domini noſtri Sepulchrum, & cætera almiferæ Paſſionis loca viſitare; tandem ſecundis ſpirantibus ventis, cum matre venit Hieroſolymam, ubi per ſingula loca, quæ ibi geſta fuêre, placida mente, meditatione ſvavi, mellifluo guſtu intrinſecùs paſcebatur. Hîc felix illa anima, ſed modo felicior, hîc ſanum ipſius caput, hîc mellifluum, & penitus in lachrymis, atque gemitibus reſolutum cor illius voces ingeminat, lachrymas ubertim effundit, ſingultusque ab imo ipſius pectoris educit, per ſingula

ſingula Domini Noſtri JESU Chriſti Paſſionem & mortem diſſolvit, ruminat, & tali præmeditatione, omnes ſui corporis actus evertit. Singulis igitur viſitatis Sacro ſanctis illis locis, ſingulorumque ut diximus locorum deguſtatis myſteriis, ad Civitatem Venetiarum, unde diſceſſerat felici navigatione remeavit. Authore Simone de Zanachis Carthus in vita ejus capit. 4to.

S. Macarius, Patriarcha Antiochenus, adjunxit ſibi quatuor ejusdem devotionis fideles, Joannem, Petrum, Davidem, Conſtantinum, qui ab infantia ſub jugo religionis Chriſto militaverunt: Cum his igitur iter ingreſſus, ante omnia terram promiſſionis petiit, unde humani generis orta eſt redemptio, non invitus ipſam quoque pro redemptione ſubiturus mortem, ſi res poſcere videatur. Primò itaque adiit terram Domini Salvatoris præſentiâ quondam inſignitam, voluitque locum ligni S. Crucis exoſculari & lambere, Speluncam Salvatoris intrare, & in Sepulchro Domini tam diu deſiderato peccata tum ſua, tum totius orbis plangere. Antevertit autem fama venientem, & jam usque ad aures Patriarchæ Joannis (qui tunc Hieroſolymis Patriarcha erat) pervenerat. Ubi autem advenit Hieroſolymam, eum officiosè exceperunt & à Patriarcha honorificè retentus, aliquam diu illic moratus eſt. Delectabat enim eum Dormitorium Salvatoris & locus Calvariæ, ubi Dominus noſter crucifixus, ſalutaris occubuit victima pro omnium redemptione. Surius. 10. April. Martyrol. Rom.

Monachus Gandenſis juſſu Sigeri Abbatis, de eodem S. Macario, in vita ejus cap. 2. ſic ſcribit: Ibi cum Saracenis diſputat, à quibus acriter verberatur, carceri includitur, crudeliter torquetur. In carcere apparet ei pulchrum & grande ſpectaculum, ut qui Dominicæ Paſſionis locum venerat venerari, & trophæum ejusdem ſanctæ crucis experiretur & meritum. Carcernales namque tenebras, cæleſtis perluſtrat illuminatio, & ibi jacentem Macarium, Divina erigit miſeratio, & ab Angelo confortatus, educitur è carcere. Vixit anno 980.

De duobus fratribus Magni Eskili Primatis Daniæ avunculi, Author exordii magni, his verbis narrat: Duo fratres ex præclariſſimo Danorum ſangvine oriundi, inter terræ illius proceres, poſt Regem videbantur ſublimiores. Unus ex eis Eskilus nomine, alter nomine Sveno, ſanctæ vitæ vir perſpicuus, atque Epi- 10. April.

 ſcopus

ſcopus Vibergenſis erat, qui etiam præcelſi generis dignitatem, morum elegantia, atque prærogativa virtutum longe ſuperabat. Quadam die colloquentibus eis adinvicem, ſvadebat Eskilo venerabilis Præſul, ut accipiens ſignum Dominicæ Crucis, Hieroſolymam proficiſceretur. Ille verò reſpondit ſe hoc nullo modo facere poſſe, niſi ſecum pergeret ipſe, qui conſilium dabat. Impoſito itaque ſibi ſigno crucis, Hieroſolymam pariter abierunt. Quò proſperè pergentes, glorioſum Domini Sepulchrum, ipſumque vivificum lignum ſanctæ crucis, in qua ſalus mundi pependit, cum magno pietatis affectu adoraverunt. Angelus Manrique in Annal. Ord. Ciſterc. Tom. 2. fol. 152. ſub ann. 1150. cap. 3. num. 4. & 5.

14. April. B. Lidewigis Virgo in Hollandia nata, cum virgo ægrota in exercitiis Dominicæ paſſionis, quotidie ſerio ſeſe occuparet, quandoque ab angelo ſancto ad loca terræ ſanctæ rapiebatur, in quibus Salvator noſter naſcendo, converſando, & patiendo Sacramenta ſalutis humanæ operatus eſt; Cum igitur in Monte Calvariæ, ubi Dominus crucifixus eſt, vel ad alia ſancta loca, ad oſculum Dominicæ crucis aut vulnerum ejus eſſet admiſſa, & pro refocillatione tribulationum ſuarum ſugeret mel de petra, oleumque de ſaxo duriſſimo, perveniſſetque ad amplexum pedum crucifixorum, & ad expirationem Sponſi ſui ex amore crucifixi; tunc etiam exemplo illius quem quæſivit & amavit, in manus ejus Spiritum ſuum commendavit. Surius. Vixit anno 1380.

De eadem Sancta, ſub nomine Ludvinæ Joannes Brugman apud Godefridum Henſchennium, & Danielem Papebrochium in Actis Sanctorum Tom. 2. ſub eadem die ſic refert: B. Ludvina rapta in ſpiritu noctis ſub ſilentio, Angelicis adaucta ſolatiis, ad loca paſſionis Chriſti transferebatur, ibique qualiter Salvator noſter, myſteria noſtra redemptionis perfecerit, contemplata fuiſſe. Denique (ut verbis S. Hieronymi, quibus Paulam alloquitur utar) ſi per ſpeciem aliquam, arte aut in Spiritu, ſive in corpore ſive extra corpus neſcio, Deus ſcit, rapta, tamen loca, conceptionis Dominicæ in Nazareth, Nativitatis ejus in Bethleem, præſertim in, & circa Jeruſalem perluſtraſſe dignoſcitur. Non enim fuit famoſus illic terræ Sanctæ locus, quem non in ſpiritu, vel in ſpecie calcaverit pes ejus. Suo etenim confeſſori, qui ſuper hoc admi-

admirabatur, similem raptûs gratiam à Domino impetravit, ut etiam secluso confessionis sigillo, se fuisse cum illa in locis illis, non erubuerit confiteri. In ejusmodi raptibus tam ferventer spiritum flagitabat, ut si vidisses nunc ad præsepe lachrymantem, nunc in Cruce Crucifixo confixam, nunc autem ad Sepulturæ locum reviviscentem, alteram Paulam, beatis oculis videre te autumares. Cumque ab his locis sacris reverteretur, referebat in labiis pustulas, in membris fissuras, in juncturis puncturas, in carne spinarum & tribulorum particulas, ob quas etiam Angelus dicebat ei: Signa hæc visibilia & invisibilia, tecum ô Soror mea detulisti, ut scias te non per somnium, aut phantasticè, sed veraciter & experimentaliter in locis sacris extitisse. Audivi ab eis, qui teste sua conscientia multi dixerunt, quòd dum Virgo Sancta post hujuscemodi raptus ad se venire videbatur, non aliter, quàm electissimarum specierum apotheca redolebat.

B. Gervinus natione Flandrensis, secundus Abbas in Aldemburg, bis Hierosolymam, ad Sepulchrum Christi invisendum, ex ardore fidei, adiit. Vixit circa annum 1080. Molanus in Natal. Sanctor. Belg. 17. April.

B. Bernardus pœnitens, vinculis ferreis circa pectus, lumbos, collum, brachia & crura, Strictus, cilicio & loricâ sub vestibus, pœnitentiæ causâ, terram Sanctam tertiò lustravit. Obiit circa annum 1183. Molanus. Acta Sanct. 19. April.

S. Joannes Monachus, Divinis locuples donis, de quo Sanctissimus Dionysius Presbyter Sanctæ Ecclesiæ Ascolanitarum, & Sacrorum vasorum custos, ad summorum illius apud Deum meritorum commendationem, hoc narrat. Hic senex in sua spelunca Villæ distantis viginti ferè milliariis ab Hierusalem, habebat imaginem Immaculatæ Dei Genitricis MARIÆ. Quoties igitur volebat abire Hierosolymam ad adorandam sanctam crucem, & venerabilia loca, sive ad alia distantia ab Hierosolymis, multis prolixisque locis, accendebat candelam, ut sibi consvetudo erat, Deo suum iter, ut dirigeret, supplicans, intendens in imaginem B. Virginis dicebat: Sancta Domina nostra, Dei Genitrix, quia longum iturus sum iter, diebus multis perficiendum, candelæ tuæ tu curam habe, eamque ne extingvatur, juxta propositum meum serva; ego enim, adjutorio tuo comitante, iter arripio. Hisque di- 19. April.

ctis,

ctis, egrediebatur & permanebat in itinere, adorans crucem, Sepulchrum Christi, aliaque loca sacra tum Hierosolymis, tum alibi. Peracto itinere revertebatur aliquando post duos, tres vel sex menses, & ita reperiebat ardentem candelam coram imagine B. Virginis, à peregrinatione rediens, sicut eam dimiserat, dum iter arriperet. Id exemplum citatur in Prato Spirit. & in Act. 5. Synod. Nic. 21.

20. Aprilis. Act. Sanct. S. Agnes Virgo de monte Politiano, Ordinis S. Dominici; cùm magno affectu appeteret sancta visitare loca, in quibus Salvator noster conceptus, natus, conversatus & passus est, & de hoc Dominum diutiùs exorasset, ut si possibile esset, ei concederet, modo convenienti, quô sciret ad prædicta loca posse accedere: tandem videns Spiritu sapientiæ sibi dato, hoc dispositioni Divinæ, quæ eam in partibus Hetruriæ fructificare volebat, omnino non convenire; humiliter Deum exoravit, quatenus aliquod de terra illa, & rebus, quas sua majestas contigerat, sibi concedere dignaretur. Quam petitionem, dulcissimus Sponsus Virginum, Sanctæ Virgini denegare nolens, taliter consolatus est Sponsam suam: Dum ipsa oraret, & cum lachrymis peteret, subitò divinitus invenit manum suam, pulvere plenam. Quæ cùm admiraretur, cogitans quid hoc esset? fuit ei per Angelum revelatum, hanc terram inde fuisse acceptam, ubi Salvator mundi in cruce positus terram illam sangvine suo madefecit. Authore Raymundo de Capua Politiani Monasterii Confessario, postea Ordinis Prædicat. Generali apud Godefridum Henschennium, & Danielem Papebrochium in vita ejus. De eadem Sancta Agnete testatur, quod dum desideraret Sangvinolentas Hierosolymæ Christi vias lachrymis suis rigare, & Sepulchrum Domini visitare, Dominus JESUS, pro consolanda intentione ejus, misit ei per Angelum particulam Sanctæ Crucis sangvine conspersam.

Sieykowski Ord. Prædic. Polon. in Sanctuar. Dom. fol. 97.

20. Aprilis. Ferrariensis. In territorio Civitatis Coloniæ juxta Rhenum Sconaugiæ, fuit puella quædam progenie nobilis, sed fide nobilior, facie pulchra, sed pulchrior vita, nomine Hildegundis. Cujus parentes, cùm non habuerint liberos, essentque secundum sæculum nobiles, & rebus locupletes, cum prole carerent, pro ea obtinenda instant orationibus, eleemosynis, peregrinationibus, exemplo Annæ Matris Samuelis, voto se obstringunt Sanctum Sepulchrum visitandi.

tandi. Quô factô, mulier protinus concepit, & peperit non unum, sed gemellos, Agnetem & Hildegundim. Quæ cum fuissent ablactatæ, ambas in Monasterio Sanctimonialium, censent deponendas. Sed Pater, ut Deo debitas gratiarum actiones, pleniùs exsolveret pro collatis tantis beneficiis, mente concepit, ut Sepulchrum Domini visitaret. Sed antequam ad hoc propositum peragendum succingeretur, Mater filiarum febri correpta, feliciter migravit ad Dominum. Pater liberior factus, iter conceptum prosecuturus, Agnetem filiam Christo in Monasterio desponsat. Hildegundem filiam ex Monasterio extraxit, ut masculum totondit, habitu maris induit, nomen ei Joseph imposuit, ut sic securior iens, non fœminam, sed marem ducere videretur. Sic procedendo, sic pergendo ad Sepulchrum Christi, ad maris littora pervenerunt. Ubi dato nauclero navigii pretiô, miles Christi cum suo Joseph, id est Hildegunde, pontum conscendit, & aliquatenus prospere navigavit. Sed heu! Pater fidelis & devotus suum Joseph id est Hildegundem, in proximo derelicturus, langvere cœpit, & morbo gravi correptus moritur in mari. In mare projecto cadavere, quantas lachrymas, gemitus, suspiria, super Patris anima, Joseph, id est Hildegundis, utrôque parente orbatus ediderit? flere magis & dolere cum flente & dolente Joseph, quàm dicere. Joseph tamen id est Hildegundis, mare pertransiens Hierosolymam venit, ibique Sepulchrum Dominicum, aliaque loca sancta, ubi pedes Domini steterant, invisit. Authore Sacerdote ipsius B. Hildegundis familiari, ex manuscript. Codice Marci Velserii in vita ejus, cap. I. apud Godefridum Henschennium, & Danielem Papebrochium, in Act. Sanct. Obiit anno 1188.

Theodorus, Archimandrita in Galatia, & Episcopus Sycæorum in Asia, ter Hierosolymam adiit. De prima ejus profectione sic habetur: In omnibus Divinis Scripturis versabatur, & Sanctum Evangelium semper animo volvens, valde movebatur, præsertim, dum considerabat, quomodo Dominus & Salvator Noster JESUS Christus, sibi Hierusalem elegisset, in qua cruciatuum ferret acerbitatem, ageretur in Crucem, sepeliretur, & resurgeret. Hæc ille admirans, & terrâ sublimiora suspiciens, incensus est cupiditate visendi & adorandi loca illa Sanctissima, ubi Christi pedes stetissent, cum & Zacharias Propheta gentem & tribum omnem exe- *22. Aprilis. Martyrol. Rom. & Ferrariens.*

 cretur,

cretur, quæ non adeat & adoret ea. Cum igitur ad eum venisset Mater ejus cum sorore, communicatô cum illis consiliô, & invento ex providentia Dei itineris duce, iter suscepit, & præ animi desiderio videndi Crucem & Sepulchrum Christi, laborem itineris non sentiebat. Pervenit tandem ad optatam Sanctorum locorum Civitatem Hierusalem, & Crucem salutiferam, Sanctamque Resurrectionem, & almum præsepe atque gloriosam Ascensionem, & reliqua omnia salutaris mortis, & conversationis Magni Dei, Salvatoris nostri JESU Christi monumenta adoravit. De secunda ejus peregrinatione hæc annotantur: Eum rursus desiderium incessit, revisendi Sanctam Civitatem Hierusalem magnam. Quare cum duobus comitibus iter suscepit. Cum Sanctam igitur civitatem ingressus esset, & salutiferam crucem, & S. Christi Sepulchrum adorasset, à Patriarcha & Clero venerabundè recipitur. Et cùm protunc Hierusalem magna siccitate laboraret, videntes ejus præsentiam in Civitate, in adoratione S. Sepulchri, Patriarcha Hierosolymitanus & Clerici, accesserunt ad eum & rogârunt, ut precibus suis, Deum sibi propitium redderet, & pluviam impetraret. Erant enim illic quidam ex Galatiæ regione, qui venerant pariter ad adorandum Sepulchrum Christi, & ejus miracula cognoscebant, & de ipso in Sancta Civitate loquebantur. Cum igitur eum Patriarcha Hierosolymitano & Clero, supplicando procederent, & quodam loco, mandato ejus, præeundi gratiâ constitissent, sublatis in cælum manibus vir Sanctissimus Theodorus, & illo obsecrante, ingens cœpit pluvia descendere. De tertia ejusdem peregrinatione, hæc scribuntur: Cupiditate revisendi S. Civitatem accensus beatus vir, ibique tertiam obsecrationem absolvendi, Fratribus duobus assumptis, Joanne Archidiacono & Martino, à quo dæmonum legionem ejecerat, ad sancta loca profectus est, & crucem salutarem Christique Sepulchrum, & omnia, quæ illic Sancta sunt, adoravit. Vixit anno 580. Eleusius in ejus actis. Georgius Presbyter, ejus Discipulus.

22. Aprilis. Martyrol. Rom.

S. Milles, seu Milas, aut Milesius, Persicus miles, qui cum Clericis ducentis quinquaginta duobus qui à Persis captivi abducti fuerant innotuit, mutatoque vivendi more, Apostolicum secutus est institutum. Et in Perside Episcopus factus, sæpe multas gravesque sustinuit plagas. Et ex eo oppido discedens, solâ perâ, in

qua

qua Sacrum Evangeliorum librum servabat, acceptâ, Hierosolymam precationis ergo venit, & idem Sanctus interfuit Dedicationi Ecclesiæ S. Sepulchri, de quo Eusebius: *Aderat ex Persiæ Episcopis, divinum Monumentum,* (nempe veneraturus) *vir summus, & in Sacris scripturis exercitatissimus.* Subdit Baronius: *Milles hic nominatus erat, qui ad invisenda loca S. Hierosolymam se contulit.* Ann. 335. n. 42.

S. Ægidius, Socius S. Francisci, quodam tempore, interrogatus à S. Francisco, quid vellet facere? respondit S Ægidius: Vellem visitare Sepulchrum Domini, & alia loca Sancta. Datus est ei postea Socius à beato Francisco, & facta potestas invisendi Sepulchrum Domini. Igitur ad terram Sanctam profectus est, ut Sepulchrum Domini & alia loca Sancta visitaret, transmisso mari, cum multa animi pietate, visit Sepulchrum Domini, & alia loca Sancta. S. Antoninus titul. 24. Capitul. 7. §. 11. Wielewieyski in vitis Polonicè editis. Surius. Vixit anno 1200. 23. Aprilis. Ferraen. 2. Martii.

In vita S. Adalberti Episcopi Pragensis, postea Archiepiscopi Gnesnensis Regni Poloniæ. Uxor Othonis II. Imperatoris, ubi S. Virum adesse cognovit, Adalbertum nominatissimum Episcopum, & Hierosolymam properare audivit, clam ad se vocat, rogansque ut pro anima oraret, massam argenteam obtulit ingentem. Ubi accepit vir Dei onus argenti, suo itineri aut necessitati parum providens, omnia sequenti nocte pauperibus distribuit. Nec mora magnam Romam egressus, ad Sanctam Civitatem Hierusalem, præter spem imperfectum iter suscepit. Apud Surium de eodem: Erat ipsis diebus Imperatrix Augusta Theophania, Mater Othonis, cujus cura circa pauperes sincerissima fuit. Hæc compertô, quod S. Adalbertus gratiâ orationis exulans, usque Hierosolymam pergere vellet, clam venire illum fecit, & argenti tantùm, quantùm juvenis Gaudentius, vix levare posset, pro viatico accipere fecit, quod eadem nocte pauperibus fideliter divisit, & nihil sibi retinuit. Deinde pueris remissis in Patriam, mutat habitum, cum tribus numero fratribus socium iter assumpsit. Habens itaque animum Hierosolymis Sepulchrum Domini invisere &c. Ibidem apud Surium in 2da vita ejusdem S. Adalberti & membranis monasterii Vindeburgensis. De eodem S. Adalberto Baronius: *Itaque ad sanctam civitatem, ubi memoriale sanctum, ubi Sepulchrum Domini est, pedester venire affectans.* Vixit anno 960. 23. Aprilis. Martyrol. Rom. Tom. 10. fol. 851.

26. Aprilis. S. Peregrinus ex Syriæ Urbe Antiochena, & illustri prosapia natus, ex Patre Gvillelmo. Cumque adolescentiam excessisset, Divinô afflatus munere, pro sericis, vili veste contentus, & pro aurea zona, funiculo cinctus; pedes in voluntaria paupertate iter arripiens, Hierosolymam devenit. In cujus Sacratissimis locis visitandis, tanta afficiebatur devotione, tanta lachrymarum effusione, ut posset cum Psalmista dicere: *Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte.* Quoties autem Vir Sanctus, Sanctissimum Domini Sepulchrum intrabat, tanta, in contemplando Divina mysteria, dulcedine replebatur mens ejus, ut omnino absolveretur spiritu, & omnium terrenarum rerum, omnimoda eum caperet oblivio. Quare nihil eum delectabat, nisi contemplari, orare, Deo vacare, & saluti proximorum insistere. Unde in quoddam pauperum & infirmorum Hospitale se recipiens, ibidem eorum sanctis ac piis obsequiis, se omnino mancipavit. Pater Gvillelmus vir sanctus, videndi filium nimio angebatur affectu; decrevit & ipse Hierosolymam petere, quod in brevi perfecit. Ubi Sacrô Domini nostri Sepulchrô visitatô, ac aliis piis locis devotissime lustratis, dum ubilibet quæritat, & invenire non valet, magis animo torquebatur. Exinde valetudine incursa, ad hospitale casu declinat, in quo pius filius, pauperum obsequiis se dedicaverat, à quo ille jam fuisset à filio cognitus, filium tamen ipse nequaquam agnovit, licet quotidie haberet præsentem, servientem, blandientem, & multoties ægritudinis suæ causâ comperta, filii reditum, propediem promittentem. Cumque langvor ejus cresceret, imminentemque patris mortem filius cognosceret, patri se manifestavit. Pater ex invento filio, repentino affectus gaudio, in ejus amplexus ruens, illico lecto surrexit incolumis, omni langvore sublato. Ambo Antiochiam redeunt, patrimonium distrahunt, Hierosolymam revertuntur, & pia ad Sepulchrum Domini opera exercent. Ex Manuscriptis Ecclesiæ Foggiensis part. 1. apud Godefridum Henschennium, & Danielem Papebrochium in Actis Sanctorum, in vita ejus.

Majus.

1. Maii. S. Evermanus Martyr, ex nobili in Frisia stirpe, succrescentibus cum ætate meritorum virtutibus, ad sancta loca peregrinabatur. Molanus in Natal. Sanct. Belg. Vixit an. 680. S. Atha-

S. Athanasius Episcopus Alexandrinus anno 350. rediit in Palæstinam, quem Palæstini Episcopi exceperunt, & communionem ejus amplexi sunt, cujus negotii causam Maximus Episcopus Hierosolymitanus coëgit Hierosolymis Synodum, in qua Episcopi illi, qui olim sententiæ in Athanasium subscripserant, facti pœnitentes, illudque detestantes eidem communione consociari enixius postularunt. Baronius Tom. 3. sub anno 350. num. 12. Si ergo præsens fuit eidem Synodo Hierosolymitanæ S. Athanasius, cujus honoris causâ fuerat congregata, ut idem Baronius testatur, & meminit ipse S. Athanasius Apolog. 2. palam patet eam honoris causam, cum pro tunc esset, exhibuisse & locis sanctis, nimirum illa, & Sepulchrum Christi adiisse & honorasse. In vita ejusdem S. habetur, quod per Syriam & Palæstinam proficiscitur, & Hierosolymam pervenit, Maximumque Episcopum & Confessorem convenit. 2. Maii. Martyrol. Rom.

S. Ursius Confessor ex nobili Francorum genere, ab Adriano Pontifice adhibita pœnitentia, ut habitu peregrino visitet loca sancta, qui Româ cum Bullis remissionis recedens, tandem Sepulchro Domini, monte Sinai, & cæteris visitato &c. Petrus de Natal. in Catalog. SS. lib. 11. capitul. 8. 3. Maii.

S. Cyriacus Anconitanus Episcopus, hic cum Anna matre, Sanctissima fœmina, ut Sancta Hierosolymitana loca inviseret, paterna domo digressus, qui cum loca Sancta visitarent, sub Juliano Apostata per diversa tormenta ibidem, nobile consummarunt martyrium. Hic advertit Baronius in Martyrolog. Romano, frequentem ea tempestate, ex toto orbe fuisse peregrinationem Hierosolymas ad loca sancta. Cujus corpus cum Hierosolymis Anconam translatum esset, Hierosolymitani cognomen eò traxit, quò D. Damasus Papa S. Hieronymum, quamvis genere Dalmatam, ob longiorem ibi factam moram, Hierosolymitanum appellavit. Cujus sane plurima exempla eorum simillima, qui ob diuturniorem certo in loco commorationem; vel explicitum insigne facinus, sibi locorum nomina pepererunt, congeri cumularique posset. Quidni ergo Cyriacum, ob palmam martyrii obtentam, Hierosolymis, vel ob longiorem ibi ad loca sancta moram, cum post constantissime latum martyrium, ejus corpus ibi conquievit, donec Anconam perlatum est, Hierosolymitani nomen sibi conciliasse 4. Maii. Martyrol. Rom.

 assera-

afferamus. Ferdinandus Ughellus, Abbas Ordinis Ciftercien. in Italia Sacra Tom. 1. fol. 372. Vixit anno 363.

4. Maii. Ferrarienfis. S. Quiriacus Epifcopus Hierofolymitanus, de quo in Martyrologio Bedæ fit memoria his verbis: *Hierofolymis paffio S. Judæ five Quiriaci Epifcopi, cui revelatum eft lignum Dominicæ crucis.* Poftquam enim indicio illius, Crux & Sepulchrum Chrifti inventa fuerunt & vifis tantis miraculis, quæ penes inventionem Crucis & Sepulchri Chrifti contigerunt, ab illo, qui in cruce mortuus, ex Sepulchro revixit, gratia dono illuminatus, ad fidem converfus, ad S. Macarium, Epifcopum Hierofolymitanum fe contulit; à quo baptizatus, fumma devotione & cultu hæc loca Sacra, nimirum Crucem & Sepulchrum profequebatur, creatusque Epifcopus Hierofolymitanus, cum fumma reverentia & ardore pietatis, Sancta illa Crucis & Sepulchri perluftrans loca, Martyrio coronatus eft, fub Juliano Apoftata. S. Antoninus de Invent. Cruc. Gvillelmus Durandus. Et in vitis SS. Ord. Noftri editis à R. Floriano Buydecki S. Th. Doctore, Procuratore Generali ejusdem Ordinis fol. 76. Vixit anno 326.

5. Maii. S. Maximus Epifcopus Hierofolymitanus & Martyr, populo Hierofolymitano, ob præftantiam eximiarum virtutum, nimis fuit charus; cujus devotionis ratio nimium confiftebat, in adoratione & promotione cultûs Sanctiffimi Sepulchri. Quam primùm enim Ecclefiæ Hierofolymitanæ gubernacula fufcepit, ftatim Ecclefiam S. Sepulchri, quam Conftantinus Magnus erexit, dedicandam curavit. In vitis SS. Ordinis Noftri. Vixit circa annum 310.

5. Maii. S. Angeli Hierofolymitani Martyris, Parentes præmoniti à Btma Virgine Maria, & edocti de veritate, die Sancto Veneris, ut Patriarcham Hierofolymit. virum fpiritu prophetico infignem, & verum fidei zelatorem convenirent, & templum S. Sepulchri adirent. Ubi die Sabbati more folito, Antiftes hoftiam tenens, dum figno crucis calicem fignare voluiffet Jeffæus & Maria, parentes S. Angeli, Chriftum ea ætate & forma, quâ morti fubjici voluit, mortalibus oculis vident. Sumptâ Euchariftiâ, loca Calvariæ & Sepulchri Chrifti vifitant. Sancto item Angelo, Chriftus cum multitudine Angelorum apparuit, & juffit eum, ut fe Hierofolymam transferat. S. Angelus venit Hierofolymam, quem Joan-

Joannes Patriarcha Frater ejus, & ſimul Prior S. Sepulchri, & alii Fratres ejusdem Eccleſiæ orabant, ut ibidem remaneret; qui in locis Sanctis degens, revelationes habuit de civitate Sancta Hieruſalem, & ſexaginta fere millia hominum ad Chriſti fidem convertit. Thomas Belloroſius Canonicus Panormitanus, in vita ejus, per capita digeſta.

S. Joannes Damaſcenus, ſanctitate & doctrina celebris, bonis ſuis omnibus in pauperes diſtributis, & facultatibus ſuis Divinis templis conſecratis, neceſſariis indumentis exceptis, nudus è mundo exceſſit, ac Hieroſolymam profectus, in his venerandis locis, adorationis munere, ut par erat, fuit perfunctus. Quem S. Joannem Damaſcenum, Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus (qui & vitam ejus ex Arabicis literis conſcripſit) divinitùs accerſitum, Presbyterum ordinavit. Surius. Vixit anno 720. 6. Maii.

S. Cataldus, Epiſcopus Tarentinus, Chriſti devotus Confeſſor, poſtquam univerſam Rachau Provinciam, in qua Præſulatûs dignitate fulgebat, ad Chriſtum ſua mirabili prædicatione convertit, divinitùs inſpiratus, diſpoſuit Sepulchrum ſalutiferum Domini viſitare, in quo pro redemptione mundi jacuerat; & adorare loca, ubi ſteterunt Sanctiſſimi pedes ejus: conducta ſiquidem navi, viam aggreditur navigio, ſub habitu peregrini, & per multum laborem perveniens ad ſanctam civitatem Hieroſolymam, Sepulchrum Dominicum introivit, illudque labiis cordis & corporis fuit devotiſſimè oſculatus, immenſas gratias referens humani generis Redemptori, qui dignatus eſt ſibi concedere, ut tangeret ſuum pretioſiſſimum Monumentum, de quo ſurrexerat Victor mortis. Authore Berlengerio Tarentino apud Godefr. Henſchennium, & Daniel. Papebroch. in Act. SS. 10. Maii.

S. Maria Magdalena de Pazzis, rapta in ſpiritu, ad commemorationem humanitatis Chriſti, horis 40. conditæ in Sepulchro, totidem horis manſit ſublevata, ad cæleſtium magnalium contemplationem, revertens pro tempore non longiori, quàm opus erat recitando Divino Officio, & cibo pauciſſimè ad corporis reſtaurationem ſumendo. Cœpit autem in ejusmodi raptu, poſt breve ſilentium, ita ſermocinari: O Verbum æternum! quod ſub terra, in Sepulchro inquam tuo, horis quadraginta manſiſti, eodemque tempore verſabaris in ſinu Patris & in limbo, atque ſub terra, nunc 12. Maii.

te

te cum admiratione imitabor. In hac consideratione se posuit in genua, manibusque junctis, oculisque demissis, ostendens se videre præsentem JESUM è cruce depositum. Unde in Persona Beatæ Virginis dixit: Adoro Filium meum, & unigenitum tuum. Offero tibi Pater pro omni creatura sangvinem, quem effudit ipse unigenitus Filius tuus pro redemptione humana. Post aliquam horam, in hac devota contemplatione expandit brachia, & clarè ostendit se recipere JESUM Christum de cruce depositum, tam gestibus & actibus devotis, quos exercuit, quàm verbis, quæ proferebat dicens: Date mihi Filium meum & Sponsum meum. Dato autem signo, quòd eum accepisset, lento passu cœpit progredi, quasi cum aliis Mariis, Sanctoque Joanne Evangelista, procedens ad sepeliendum corpus sui benedicti JESU. Perveniens autem ad chorum, istic se demisit in genua, manuque protensa dixit: Date mihi adhuc semel JESUM meum, inter brachia priùs, quam deponatis intra Sepulchrum. Et ostendens, quòd eum recepisset, post aliquam moram, iterum in Persona Virginis Beatæ subjunxit: Eja accipe illum. Jam locus approbrii, efficitur paradisus. Cur non possem invitare creaturas omnes, ut veniant, facturæ exequias creatori suo? Invitabo Angelos: Venite ô Angeli, ad sepeliendum Filium meum & Deum vestrum! Inclinent se elementa omnia, laudent & cantent aves omnes cum jubilo. Paulò post tota mœsta & afflicta oculos defixit in terram, quasi Sepulchrum intro spiciens: deinde cum ardentissimo suspirio dixit: Quare huc non possum ingredi tecum ô Domine mi? quia autem hoc mihi non conceditur, tu saltim ingredere in me. Nunc dici poterit esse plus, quàm unum paradisum, quia ubicunque est essentia tua, ibi est paradisus. Paradisus igitur est Sepulchrum. O Sponse! o Fili mi! quantopere humiliare te voluisti, pro vili creatura! concludendo te primùm in ventre meo, & postea in Sepulchro! Euge occludite unigenitum meum. Interea in pedes sese erexit, & prosequens dixit: Quomodo potero hinc unquam recedere absque Sponso & Filio meo? Sed quid loquor? num deficiam in fide, non credens, quod idem in Sepulchro sit & mecum. Aliaque similia eructans loquebatur. Et tunc promisit ei Dominus dare cor suum, quemadmodum olim Catharinæ Senensi, sicut postea retulit. Deinde cum diu esset locuta de magno illo gaudio, quod descen-

descendente JESU ad limbum, perceperunt beatæ animæ ibidem detentæ, vidit venientes ad se S. Angelum Carmelitam, & S. Catharinam Senensem, speciales Patronos suos, & subito initium dedit cantando completorio, Sepulturæ Christi designativo. Authore Vincentio Puccini Part. 2. Capit. 7. Vixit anno 1585.

S. Gvalterus Abbas & Canonicus Stirpensis in Gallia, peregrinari satagebat Hierosolymam, ut quod spiritualiter de Christo sæpe canebat, re ipsa impleret, nempe: *Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus.* Ex amore itaque Christi, & ejus Sepulchri, ivit Hierosolymam. Stephanus Wielewieyski Soc. JESU in vita ejus. Vixit anno 1070. 12. Maii.

S. Epiphanius Episcopus Constantiæ, cuidam Diacono venienti Hierosolymis dixit: Age fili, eamus Hierosolymam, & cum adoraverimus, revertemur. Cum Cypro autem solvissemus, navigavimus Cæsaream Philippi, & illinc ascendimus Hierusalem. Cumque ingressi essemus & orassemus, ascendimus in Episcopatum. Viditque Joannes (Episcopus Hierosolymitanus) Epiphanium, & magno affectus fuit gaudio. Cùm ergo aliquot dies intercessissent, rursus erant in templo, ubi repositum est lignum salutare. Apud Surium. Vixit anno 360. 12. Maii.

S. Servatius Episcopus Trajectensis ad Mosam natus est in oppido Phestia ad austrum Armeniæ, temporibus S. Hieronymi & Ambrosii claruit. Qui adhuc existens infantulus, loca Sacra Hierosolymis visitavit, & in Sanctis perseverans operibus, ad Presbyteratus Ordinem ascendit. In Catalog. SS. Petr. de Natal. libr. 4. cap. 162. 13. Maii.

S. Joannes Silentiarius, Episcopus Coloniensis, cùm navem ascendisset, venit Hierosolymam, & ibi mansit in sancta civitate, penes Oratorium S. Georgii, cùm eo tempore esset Hierosolymitanæ Ecclesiæ Pontifex Salustius. Et ibi degens, vidit stellam lucis, quæ habebat crucis figuram, & audivit vocem ex illa luce dicentem: Si vis esse salvus, sequere hanc lucem: protinus egressus & illam lucem secutus, venit in eremum ad S. Sabam. Quem postea S. Sabas cum recepisset, duxit in sanctam civitatem anno 490. & adduxit ad Beatum Eliam Archiepiscopum Hierosolymitanum, & assumpsit eum ad ascensum sancti Golgotha. Surius. 13. Maii.

16. Maii. S. Simon Anglicus, mansit in terra Sancta per annos aliquot; teste Paulo Segero Colon. cap. 2. adeoque ex tam diuturna mansione, constat Hierosolymis visitasse S. Sepulchrum, ac alia loca sacra.

20. Maii. B. Columba Reatina, cúm diutiùs anxiè desiderasset contueri sancta loca & Hierusalem, & utinam Deus indulsisset, ardenter concupisceret; rapitur Spiritu, ac per quinque dies, quasi esset exanimis, omnino immobilis redditur, ita ut parentes jam eam flerent, velut mortuam. Quamobrem advocant medicos, qui non invenientes cordis pulsum, inter se disserebant: unus tandem supra caput palpans, judicavit eam viventem. Elapsis diebus quinque, cum rediisset ad actus sensuum, genitor assistens hortabatur illam, ut reficeretur cibo, quam recusantem adstringit præcepto, eique porrigit duo ova sorbilia. Quæ mandato annuens, inquit Patri: Sumatis vos unum, aliud porrigatis mihi. Qui statim fecit. Cum verò alterum pro ipsa fregissent, invenerunt vacuum. Illis stupentibus B. Columbo subridens dixit: Non expedit tentare Deum. Et confestim omnibus, qui aderant, audientibus, vox terribilis desuper intonuit dicens: Non sit tibi cura de ea; mea est. Ipsa postmodum Sponsa Christi, apud suos Sacros Patres noluit haberi occultum, qualiter sub eo tempore Hierusalem fuisset, sacraque loca perlustrasset. De peregrinatione autem, & singulis quibuslibet, ita distincte exposuit, quemadmodum est, & velut illi, qui corporaliter circuierunt, pariter affirmant. Authore Pemsino Confessario Beatæ, Ordinis Prædicat. S. Th. Magistro, in vita ejus cap. 5. Albertus apud Henschennium, & Papebrochium in Annot. super vitam Beatæ Columbæ, sacra loca distinctè enumerat, quæ tunc prædicta B. Columba viderit, necnon sollicite subducit, numeros milliarium in illo raptu decursorum. Sicut & illud, quod Turci B. Columbæ dixerint: (dum in Sepulchro Christi rapta fuerit) Si in Christianorum potestate esset Sepulchrum Machometis, sicut in nostra est Monumentum Christi, nulli parceremus sangvini, aut pretio ad illud recuperandum.

20. Maii. S. Thallelæus, Discipulus S. Gregorii Anachoretæ, præscivit obitum suum, oravitque senem nimirum S. Gregorium dicens: Duc me quæso Hierosolymam, ut adorem sanctam crucem, & sanctam Christi Domini & Dei mei resurrectionem; his enim diebus, Dominus assumit me. Senex autem eô sumptô, profectus est

eſt in Sanctam Civitatem. Itaque cum adoraſſent ſancta, & venerabilia loca, poſt tres dies ob dormivit in Domino Thallelæus. Ecce non prius ex hac vita migrat, quam adoret S. Crucem & Chriſti Sepulchrum. Sophronius in Prato Spirit. Cap. 91.

S. Bernardinus Senenſis, Hieroſolymam miſſus fuit. Apud Surium. Vixit anno 1400. 20. Maii.

S. Goldricus Anglus Hieroſolymam & Dominicum Sepulchrum devotiſſime viſitaverat. Cum enim deliberaret aliquando, quid de ſe voluntati Divinæ beneplacitum eſſet, vox lapſa de cælo dixit ei: Expedit ire tibi Hieroſolymam, & reverti. Sed & S. Confeſſor Huntbertus, ſive Cutbertus ei apparuit dicens: Vade Hieroſolymam cum Domino crucifigi, & ego tibi ſum futurus in omnibus adjutor & patronus. Obtemperans monitis huius viſionis, in toto illo itinere erat ei cibus, panis hordeaceus, aqua potus, non veſtes mutavit, nec abluit, nec calceamenta depoſuit, aut emendavit, antequam ad loca ſancta veniret. Ad Sepulchrum Domini & ad alia loca Sancta veniens, devotè oravit, lachrymas fudit, ſolo adhæſit, oſcula fixit, ita devotus exiſtens, ut vix cuilibet credibile videretur. Ita in terminis Matthæus Neubrigenſis Hiſtor. Anglic. libr. 2. cap. 20 Vixit circa annum 1170. 21. Maii. Ferrarienſis.

S. Conſtantinus Magnus Imperator, quanto zelo, charitate ineffabili, ferebatur in locum S. Sepulchri, teſtis eſt erga ejus honorem, munificentiſſimus eventus, de quo Euſebius teſtatur, quod ad illud ſalutare Chriſti Monumentum, nova Hieruſalem ædificata eſt, è regione veteris illius, quæ poſt cruentam cædem Domini, ad extremam vaſtitatem prolapſa eſt. Imperator itaque huic ex adverſo, ſalutare victoriæ Chriſti contra mortem comparatæ Monumentum, liberali & abundanti ſumptûs magnificentia, erigendum extruendumque curavit. Et primum illud omnium ſacrum antrum, Divinum illud videlicet Monumentum, ad quod olim Angelus fulgore enitens delapſus, ſpem regenerationis, quæ eſt à Salvatore nobis oſtentata, omnibus annuntiavit: primum inquam omnibus, Imperatoris magnificentia, iſtud velut totius ædificii caput, eximiis columnis illuſtrare, & ornatu ſplendido maximoque decorare, atque adeo variis cujusque generis inſignibus illuminare cœpit. Unde & Templum illud dictum reperitur ab aliis pluribus Baſilica Conſtantiniana. Hic ergo S. Imperator, pri-

21. Maii. Ferrarienſis.

Euſebius. Imperii Conſtantini ann. 21. Chriſti anno 326.

primum arbitrabatur opus Ssmum Hierosolymis, & Deo acceptabile offerre, tanto honore liberali, & cultu non impari venerari Christi tumulum.

22. Maii. S. Joannes, antequam factus Abbas Parmæ in Italia cum adhuc esset juvenis, dedit operam, ut patriam parentesque velut Abraham, relinqueret, & orationis causâ sanctorum loca perquireret, atque ad Sepulchrum Domini usque visendum Hierosolymas peragraret. Quod cùm vir Domini sedulè peregisset, nostræ non est facultatis evolvere, quantos ibi calores pro Christo sustinuerit, vel quanta lachrymarum flumina, in sanctis locis, ubertim fuderit. Cumque jam sexta peracta vice, idem Venerabilis vir suum desideratum fecisset iter, & in Monastico habitu, quem in sancta Hierosolymorum Urbe, à Sanctis Viris acceperat, in suam Urbem reversus esset, Sancta Parmensis Ecclesiæ Præsul Sigifredus, nomine eum fecit Abbatem S. Joannis Parmæ. Authore Monacho Synchrono, apud Godefridum Henschennium, & Danielem Papebrochium in vita ejus.

23. Maii. Martyrol. Rom. S. Mercurialis Episcopus Toroloviensis, Hierosolymis longissima peregrinatione Romam progressus. De illo inquit Eques Bernardinus Paulutius de Calbulensibus in annalibus Patriæ anno 422. *Mercurialis, cum summo Dominicum Sepulchrum adire flagraret desiderio, locaque illa Sancta, in quibus Dominus in carne vixit, perlustraret.*

25. Maii. S. Gerius ex Nobili prosapia Francigenarum, de Gente Comitum de Sunello oriundus. Hic germanum suum, nomine Effrendum, sive Effernandum Christi sectatorem, secutus est. Hi sancti facto proposito, de visitando Sepulchro Domini, ad partes Italiæ navigio pervenerunt. Cum autem Mare Tyrrhenum navigarent, contigit ex procella navem naufragio pene submergi, ita, ut de salute desperationis signa fecissent. Tunc Sancti Dei Gerius & Effrendus in oratione procidentes, salutem postulabant à Salvatore cunctorum. Cum sic naufragio perire timerent, ecce tunc in navis medio nubecula parva, ut vestigium hominis apparuit, & facta est salubris tranquillitas in mari, ita, ut nec apparerent signa alicujus procellæ. Authore Matthæo Masio Ord. Eremit. S. Augustini, apud Godefridum Henschennium & Danielem Papebrochium in vita ejus

S. Ger-

S. Germanus Episcopus Parisiensis, ad sancta loca Hierosolymam pergens, ibique Sepulchrum Domini visitans: inde reversus Justinianum Imperatorem adiit, eidem de Domini nostri corona Spinea, reliquias Innocentum, & S. Georgii Martyris pro magno munere contulit. Aimoinus de Gestis Franc. libr. 3. capit. 9. Vixit anno 530. 28. Maii. Martyrol. Rom.

B. Joachim Abbas Florensis, in adolescentia sua ad terram sanctam ad Sepulchrum Christi peregrinus abiit, per iter cum socio dira siti vexatus, divinitus refocillatur, tandem partibus in illis, loca ubi Christus Dominus noster, nasci, conversari, mori, resurgere, cæteraque humanæ salutis opera explere dignatus est, Summa devotione recoluit. Authore Jacobo Græco, Syllanao Monacho Florensi in vita ejus Cap. 2. 29. Maii.

Junius.

S. Valens martyr, Diaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ ipso aspectu senex gravissimus, Divinarum scripturarum, si quisquam alius in primis peritus, nam tantam memoriam in pectus suum incluserat, ut si quando aliquem locum citare vellet, perinde expeditè illud poterat absque scripto efficere, atque ex scripto legere, id est noverat eas expeditè citare memoriter. In tanta itaque scientia scripturarum, haud ignorare potuit & illud Isaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, aliaque Sepulturæ Christi, & ejus locorum sacrorum præsignativa mysteria, in Scripturis latentia. Quorum quâ pollebat clarâ notitiâ, non absimili ea visitare contendebat reverentiâ. Vixit anno 270. Surius. 1. Junii. Martyrol. Rom.

S. Simeon Trevirensis in Sicilia, Civitate Syracusana progenitus, nobilissimis & Christianis parentibus. Adultis incrementis virtutum in dies cœpit augmentari, vidensque quosdam ex nostris Partibus desiderio infatigabili currere ad Sepulchrum Domini, desiderabat & ipse pro Nomine Christi peregrinus fieri. Despectis ergo cunctis mundi vanitatibus, abjectis desideriis carnalibus, domum patriam, parentesque relinquens, & pauper pauperem Christum sequi cupiens, Sanctorum gratiâ visitandorum locorum Hierosolymam venit, ubi desiderio, quo venerat loca passionis, resurrectionis, atque ascensionis sæpius frequentando, aliquandiu mansit. In ejusdem vita habetur; ea tempestate contigit Richar- 1. Junii.

dum Abbatem viris imitabilem, piæ devotionis gratiâ Hierosolymæ velle videre loca. Interea Dominus Archiepiscopus Poppo Sanctæ Trevirensis Civitatis (ut habetur ibidem cap. 9.) strenuus Provisor, audiens Prophetam dicentem: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, gratiâ orationis Hierosolymam venit, huncque famulum Dei S. Simeonem eundo & redeundo, secum conviatorem habuit. Vixit anno 1010. Erevinus Abbas Monasterii Doliensis.

2. Junii. Ferrariensis. S. Joannes Confessor, cognomine Ortega Hispanus, sumpto consilio, Divinæ contemplationis, proficisci statuit Hierusalem. Sic itaque vir Dei insistens fidei, locum pacis Hierusalem visitavit; ut juxta Psalmistam adoraret, ubi steterunt pedes Domini. Livius Marineus Siculus, de rebus Hispaniæ de eodem Sancto. Vixit anno 1112.

5. Junii. B. Meinwercus, Episcopus Patherborgensis in Saxonia, audiens Prophetam de Christo dicentem: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, orationis causâ Hierosolymam venit. Vixit anno 1000. Broveras in vita ejus apud Surium.

De S. Norberto, Angelus Manrique in Annal. Cisterciensibus Tom. 1. fol. 160. cap. 2. sic scribit: Hierosolymitana profectio illis temporibus (nempe anno 1126.) multos etiam Sanctissimos Prælatos, quosdam ad tempus, alios facto divortio à suis Ecclesiis, separabat. Unus mihi pro mille S. Norbertus, deserta non una domo, aut paucis filiis, sed integra Præmonstratensi Religione, si non profectus, suspectus de profectione. De quo S. Bernardus ad Gaufridum Camotensem Epist. 56. his verbis scribit: *Quòd à me de Domino Norberto sciscitamini, si videlicet iturus sit Hierosolimam? ego nescio.*

7. Junii. S. Ulphlagius Presbyter, Curio Ruensis in Pontico Galliæ Regione, pœnitentiæ causâ peregrinatus Hierosolymam Henschennius in vita ejus.

14. Junii. S. Basilius, Episcopus Cæsareæ Cappadociæ, unà cum Eubulo Philosopho, Præceptore suo, quem ad veræ fidei, agnitionem perduxit, venditis facultatibus suis, Hierosolymam pergere animavit. Cumque Hierosolymam pervenissent, omnem locum Sacro sanctum, teste Amphilochio in vita ejusdem, adeoque & Sepulchrum Christi, fide & amore perlustrarunt; ut habet contextus: Apprehendentes autem Hierosolymam, & omnem locum sacrum, fide & amore requiren-

quirentes, & in ipsis locis, qui est super omnia Deum adorantes, S. Maximo Episcopo Hierosolymitano, protunc manifesti facti sunt, ad cujus pedes se abjicientes, rogabant sanctum, sibi conferri baptisma in Jordanis flumine. Quos intuens sanctus hic vir, Dei gratiâ plenus, adimplevit petitionem ipsorum. Admirans autem S. Episcopus Basilii amorem in Deum, orans, induit eum Resurrectionis Christi vestimentis. Idem S. Basilius cum Eubulo Hierosolymam causâ orationis se ituros proposuerunt, & miracula inspecturos ea videlicet, quæ fiebant ad Sepulchrum Christi. Vixit anno 362. Surius sub 1ma Januarii.

Didacus Nyssenus in vita S. Basilii ita habet: *Jamque hi duo* (id est S. Basilius & Eubulius Magister illius) *animis consentientes, & mutuæ amicitiæ dextris datis, sacræ Hierosolymorum urbis visitandæ propositum opere perficere studebant.* Et infra: *Hierosolymam cùm venissent, felicem suæ profectionis clausulam fecerunt. Facile autem est divinare quàm ardente affectu, quantisque perfusi lachrymis sese humi prostraverint, pronique & venerabundi oscula fixerint Sacrosanctis iis locis, in quibus amantissimorum pientissimus Rex noster, tanto sui sangvinis sumptu creaturas suas ab intrusi Principis tyrannide liberavit.* Libr. 2. Cap. 1.

In vita ejusdem S. Basilii Episcopi Cæsariensis, Philoromus Presbyter S. Basilii Discipulus, voti gratiâ bis propriis pedibus, ivit Hierosolymam ad veneranda loca sacra. Henschennius. Apud Palladium in historia Lausicana cap. 113. idem Philoromus de seipso inquit: Dignus autem sum habitus, qui voti gratiâ, bis propriis pedibus venirem Hierosolymam ad honoranda loca sancta, & ipse mihi suppeditavi expensas.

In Martyrologio Benedictino Beatus. Apud Rychardum Wassenburgensem & Trithemium, Sanctus Rychardus Ordinis S. Benedicti Abbas Wirdunensis, in Lotharingia circa annum Domini 1016. aut 1033. quia quosdam, qui Hierosolymam iverant, beatè in Christo accubuisse constabat, (inter quos quoque quemdam ex Augustodunensi territorio, sanum & vegetum, nullaque mortis signa habentem in loco, ubi novissimè steterant pedes Domini, cùm orasset, & se à Domino suscipi in pace postulasset, modico dolore mox tactum domi relatum, eodem in loco, quô oraverat Spiritum Deo reddidisse certa fama vulgaverat) tactus & ipse sancto simili bonæ devotionis desiderio, Sepulchrum Domini invisere 14. Junii.

re geſtiens, à Principe & Pontificibus obtentâ licentiâ, deſtinavit primo filiis providere, ut poſſet cùm bona omnium affectione peregrinationis officia ſancta ſuſcipere. Optabili ergo peregrinatione ſuſcepta in Domino Rychardus, ſeptingentos Peregrinos ſecum duxit, quibus ex propriis ſubſidia victûs ſufficienter adminiſtravit. Erant etiam in comitatu ejus, quàm plurimi alii, inter quos erant duo de Urbe Bajocenſium pater & filius, Humbertus & Ganfredus, qui ita comitatui ejus adhæſerunt. Erat Humbertus diuturnè langvore depreſſus, ita, ut per annum integrum, nec lectô ſurgere, nec in latus aliud absque ſuffragantis adminiculo ſe poſſet deflectere. Huic unâ dierum in cubiculo, quo jacebat, Angelus in Columbæ ſpecie apparens: Vade, inquit, para neceſſaria, & perge Hieruſalem, quia Dominus jubet. Cui cùm ille reſpondiſſet: quid faciam, quia nequeo ſurgere? ille iterato: para, inquit, neceſſaria, & vade quia Dominus vult. Acquievit homo, & manè facto, fratres & propinquos advocans, voluntatem Dei aperuit, ſuam quoque voluntatem in id eſſe, ut obediret, patefecit. Illi admirantes, & præ infirmitate, quam videbant, voluntati ejus contraire conantes, cùm avertere hominem à recta intentione molirentur, impoſſibile eſſe pronuntiabant, quod dicebatur. Cùm ille filium Gaufredum aſſiſtentem videns, vade, ait, præpara expenſas, & quæ ſunt tanto itineri neceſſaria, quia & ego ibo & tu mecum, Dei cooperante clementia. Acquievit filius, & paratis, quibus potuit, tanto itineri neceſſariis, Patrem de profectione admonuit. Ille propinquorum ſurgens adminiculô, pontem ante Monaſterium S. Mariæ Magdalenæ, in eadem Bajocenſium Civitate ſitum, quod erat vicinum domui ſuæ, à quatuor hinc & inde ſuſtentatus tranſiit, & mox, ut equo impoſitus eſt, ſanus factus & incolumis viæ ſe credidit, & comitante gratia Divina Virdunum veniens, cùm audiret & videret profectionem Viri Dei, tota Urbe accelerari, ſuſtinuit, & comitatui ejus adhærens, orationibus ejus ſe cum filio commiſit, quos Vir Dei familiarisſimos habuit. Profecti igitur per Illiricum, venerunt ad deſerta. Quæ cùm jam ferè pertranſiſſent, die quadam fontem eminus conſpicati clariſſimum & perlucidum, deſcenderunt Pater Richardus cum ſociis, ut acciperent gentaculum. Turbis quoque circa fontem diſcumbentibus, Venerabilis Pater loco competenti

pro

pro tempore resedit, & accitô famulô, ut de fonte sibi afferret, cujus perlucida claritate delectatus erat, admonuit. Ille vadens, & aquâ vase fontis impletô, Viro Dei propinavit. Sed ut vas ori admovit, aquam in vinum Dominus mirabili virtute convertit; & sic qui aquam desideraverat, vinum accepit. Stupefactus, à famulo requirit, ubi vinum acceperit? & evacuato vase, iterato eum pro aqua fontis misit. Ille admiratus, cunctis cernentibus, aquam hausit è fonte, & Viro Dei propinavit. Sed iterum Divinitate propitia, aqua fontis in vinum conversa est. Quod Vir Dei agnoscens, Deo gratias egit, & bibit: cunctis quoque ex eodem vase propinavit. Quid plura? biberunt & virtutem Domino benedixerunt, qui facit mirabilia solus, cujus regnum est æternum & potestas æterna, quæ non aufferetur. Biberunt inquam omnes de vino illo, & vinum imminutum non est; quia cùm omnes bibissent, solus ille scyphus abundanter cunctis adfuit, & postmodum Patri Richardo non defuit; & qui vidit testimonium perhibuit, prædictus scilicet Humbertus, & filius ejus Ganfredus, & scimus, quia verum est testimonium eorum; quia ipsi ex eo biberunt, qui sederunt eâ horâ prope latus hominis Dei. Et præterea virtutis hujus tot extant testes, quot erant viæ comites; quia nullus in comitatu illo inventus est, cui non Vir Dei ex hoc vino virtutis propinasset. Probatus igitur Vir & Servus Domini, viam carpens, & viæ Ducem Christum collaudans, terram Saracenorum ingressus est, & quotidie sacrificaturus, hostium Saracenorum manibus aram applicat, securus lapidum, qui jaciebantur, & cum multa desuper saxa, ab iisdem Saracenis aspicientibus, & illudentibus jacerentur, ita à Christo protegebatur, ut non altare non tabula altaris, non postremo illud quidquid est,' quod altari imponitur, non ipse denique qui altari adstabat intrepidus à lapidibus tangeretur, cùm tantus esset multoties in circuitu altaris ager lapidum desuper fluentium, ut Missâ dictâ, nonnisi viâ factâ inde extrahi posset. Optatæ itaque viæ, per multimoda pericula apprehendit Hierosolymæ loca desiderata; ingrediensque civitatis portam, responsorium illud de Dominica in Ramis Palmarum: Ingrediente Domino in sanctam civitatem, dulcissima cum sociis modulatione decantabat, Christum Crucifixum, qui est super omnia Deus, adorans, & locum Sepulchri ejus oculis fidei veneranter amplectens.

ctens. Omnia ergo Nativitatis, Paſſionis & Reſurrectionis loca fide circuiens dum non ſatiaretur oculis intuendo, mente paſcebatur. O quis ejus affectus in Deum! quanta contriti & humiliati ſpiritus exultatio! quanta cordis jubilatio! cùm videret ſe eſſe præſentialiter, ubi Chriſtus natus eſt, ubi paſſus, ubi ſteterunt noviſſime pedes ejus, quando aſcendit in cælum. Ubicunque incubuiſſet orationi, madebat petra lachrymis, clamor cordis aſcendebat ad Dominum, corpus alterebatur, ſpiritus elevabatur. Continuabat noctes vigiliis, attenuabat corpus jejuniis, nunquam ſine lachrymis, nunquam ſine precibus, cum totus exultavit in Domino, lætitiam mentis vultus ſerenitate proferebat. Jam verò quis referat, qualiter ſe die Paraſceves Chriſto cruci confixerit, totus in cordis compunctione, in contemplatione, in ſuimet abnegatione; maximè cum videret Sepulchrum JESU præ oculis & eſſet ei materia doloris, & compaſſionis. In orationibus aſſiduus, pernox in vigiliis, fatiſcentes jejuniis artus ſpiritui ſervire cogebat. Die illa cum nocte ſequenti à loco Sepulchri non receſſit, admirantibus omnibus inſtantiam illius, quòd, aliis recedentibus, ipſe non recedebat. Magnus venit dies ſancti Sabbathi, quô expectabatur ignis à Domino, & Gentiles armati, Chriſtianis intro incluſis, & beneplacitam voluntatem Domini de igne ſuſcipiendo præſtolantibus, totam obſeraverant Eccleſiam, ut ſi ignis non adveniret, omnes gladio perimerentur. Cùm ecce horâ circa nonâ omnibus orantibus, in una lampade ignis accenſus eſt à Domino, nullius mortalium ſuffragante adminiculo, & Gentiles omnes ſtupor apprehendit & pavor, Chriſtianos verò gaudium & exultatio, ut ab omnibus tota certatim caneretur Eccleſia: Magnus Dominus noſter, & magna virtus ejus, & ſapientiæ ejus non eſt numerus. Illico Vir beatus ſacris indutus veſtibus miſſa, Kyrie eleyſon ſolenne, clara in excelſum voce pronuntiavit, iam enim lectiones & cantica, ſeu quidquid eſt illud conſvetudinarii officii, usque ad averſionem luminis, in expectatione novæ lucernæ finierat: & ſic Gloria in excelſis Deo, cum lachrymis & jubilo cordis intonans, gaudium Chriſtianis, metum & admirationem Paganis incuſſit. Adſtabant in circuitu altaris undique frementes & furentes. Sed tanta erat reverentia Viri, tanta in virum protectio Chriſti Domini, ut omnes ſanctitatem ejus & religionem

gionem admirantes revererentur, & omni cum honore dignum ducerent ipsi etiam, qui inimicabantur. Noctem illam Pater hic sanctus, gratiâ Dei duxit insomnem, Dominum resurgentem adorans, & cum Maria Magdalene in horto mentis, ubi virebant per eum plantaria virtutum, hortulanum Jesum videre desiderans, ut vocaret eum proprio nomine, ut se Magistrum & Dominum doceret agnoscere, ut factus testis veræ resurrectionis ejus, in voce fidei annuntiaret fratribus: Resurrexit Dominus. Mane facto, Missam festinè circa horam tertiam celebravit. Semper locum Sepulchri Domini revisere gestiens, recolens & admirans sudarium capitis Domini, non cum linteaminibus positum, sed separatim involutum in unum locum. Diebus festis celebratis, cogitavit de reditu. Nec rediit vacuus à munere, quia arca cordis ejus repleta erat bona devotione. Quod autem fuit munus illud? Discurrentes Pagani per munitiora templi ipsâ hebdomadâ ante Pascha lapides in populum, sacra celebrantem jaciebant. Casu lapis veniens, intra Sepulchrum cecidit, quem Vir Domini pro magno munere sibi assumpsit, & totis illis diebus, quibus celebratur passio, vel resurrectio Jesu, intra Sepulchrum jacentem, vigiliis & orationibus Domini dedicavit. Hunc reversurus cum magna devotione sustulit, & exosculatô locô sanctô, quasi totum secum ferret, inter sancta reposuit. Graditur Pater Richardus gratiâ Dei aggere publico, oneratus onere nobili & dulcissimo. Videns Virum sæculis venerandum dum iret, sæpius cervice reflexa versùs sanctam Hierusalem humiliari suspirare, gemere, affectum cordis pandere, gaudere, quod sanctum locum Sepulchri vidisset, dolere, quòd non semper videret. Non cadebat passio Domini à memoria; quid enim fuit totus vitæ ejus excursus, nisi velle pati pro Christo; commori & sepeliri, ut claretur sibi per Christum in gloria resurgere cum illo. Author ex Chronico Virdunensi, Hugonis Abbatis Flaviniacensis cap. 6to.

S. Berthaldus, Scotiæ Regis filius, cum Amando sibi familiari duce leone invisit sacra Hierosolymis loca, quem leonem comitis loco, toto itinere habuisse narratur. Authore Gvilelmo Marlot. lib. 2. Hist. Remens. cap. 16. Apud Henschennium tom. 3. in vita eorum, nimirum Sanctorum Berthaldi & Amandi. 16. Junii.

S. Rainerius Bottacius nobilis Pisanæ civitatis, legatus ad Ba- 17. Junii.

 bylo-

bylonem visitavit S. Sepulchrum. Author. F. Benincaza coævo & familiari Ecclesiæ S. Mariæ Pisis Canonico, cap. 1. & sequent. Vixit anno 1160.

17. Junii. Acta Sanctor. Ferrarien. 11. Aprilis.

S. Rainerius Solitarius dictus Pisis in Hetruria natus, vidit quandam aquilam per revelationem, ferentem in rostro suo accensum lumen, sibi sic dicentem: Hierosolymis ego redeo, accipe hoc lumen ad illuminandas multas gentes & populos. Qui expergefactus odore Dominico totus est repletus. Unde statim cognovit, quod à Deo hæc visio fuerit; habebat enim pro certissimo signo, ut cum à Deo esset visio, totus respergeretur odore miro. Peregrinatus itaque Hierosolymam, & in Ecclesia S. Sepulchri, Sanctus Rainerius juxta Sepulchrum vigiliis & orationibus, nocte dieque semper erat assiduus; spernebat tamen, quia non intelligebat, armeniorum, quod ibi celebrabatur officium. Cumque diu hoc fecisset, Deus audiendi ei aurem aperuit, apertiusque eorum intellexit Officium, quam unquam fecerat Latinorum ab inde cum omni vigilantia & ipsorum sine intercapedine audiebat officia. Vinum tamen in cibo suo invitatus ad eleemosynam adhuc sumebat. Invitabatur frequenter ad prandendum cibum ab uno, qui in muris Hierusalem solitarius erat, & cum eo bibebat vinum. Quadam die cùm esset in ipsis muris Hierusalem, quoddam animal pravum volitans juxta eum in ore & brachio pepugit, & aculeum fixum in ore ejus reliquit, quo abstracto eum nullum videretur in ore & brachio vulnus, remansit in eo dolor auctus & ardor nimius. Demum hoc apud se dispofuit, ut ad S. Abrahamium supplicandi causa iret, volens & satagens ibi esse per aliquot dies, forsitan ibi ei Deus monstravit, unde sanari quiret; statimque aiens ei Dominus: Perge, inquit, securus, quia ego anteibo faciem tuam, est enim via cautibus incidentibus plena & asperrima, ut nullus sibi ausus incedere, sicut ipse erat discalceatus. Ad S. Abrahamium cum pervenisset, cœpit Dominum orare, quatenus responso ab eo accepto, suæ gratularetur pietatis immensitati. Mox Dominico perlustratus oraculo, audivit vocem dicentem: *Ad Sepulchrum meum concito regredere gradu, ibique quam exoptas percipies sanitatem.* Gratulabundus itaqua remeans, ad optatum, Deo gratias agens, gloriosum devenit Sepulchrum. Sanctus igitur Rainerius cum regressus sua sopori membra dedisset, quædam caldaria argentea, inæsti-

inæstimabilibus ornata gemmis, post visionem ante eum portata est, plena oleô pice, & naphta, quæ in caldaria exurebantur superaccensa flamma per maxima S. Rainerius caldariæ admirans pulchritudinem, perdolens tantum opus ita aduri, dicere cœpit clamans in ipsa visione: o ineffabile damnum! quis huic tam decoræ rei poterit apponere remedium? & multi ut caldariæ ignem extingverent, per plurima in eam projiciebant, quæ non leniebant ignem, sed magis ac magis accendebant. Continuo porrecta est B. Rainerio aquæ ampulla, ut in caldariam projiceret, de qua cum tres vel quatuor guttas in eam projecisset, subitò extincta est, ut nihil in ea caloris sentiri posset. Rainerius almus hoc inspiciens voce magna clamavit dicens: Domine Deus quid est hoc? Multi multa & diversa posuerunt, ut ignem tollerent & non valuerunt, & ecce quatuor aquæ guttæ omnem impetum ejus sedaverunt. Ad hæc vox ei facta est: Caldaria, tuum corpus est, diversa, quæ multi apposuerunt medicamina, tibi apposita sunt, quæ tibi non proderant, magis autem oberant. Aquam ex hinc bibe & omne corpus tuum cæno purgabitur, & igne luxuriæ (agitabatur enim corpus ejus adhuc incentivo libidinis, licet corpus domaret suum abstinentiis & nimiis vigiliis.) Accipiebat autem eleemosynam à quocunque ei in Sepulchro Domini dante. Unde verbum Patris factum est ad eum dicens: Eleemosynam cautè vide ne accipias, nisi à me: quicunque autem tibi aliquid dederit te non petente, nec in eum ut det respiciente, scito tu quod hoc accipies per me. Dum die quadam in Sepulchri Ecclesia foret, juxtaque Domini Sepulchrum oraret, reverentiæ causâ circuire illud satagens, quiddam ei mirabile accidit, quod homo purus nec angelus de cælo veniens posset ad liquidum explicare; cœpit ex eo tanta odoris abundantia ex halare, ut tota circumstans turba, ac si in stuporem versa repleretur, & de tam ineffabili odore, unde procederet, ab eis prorsus ignoraretur, ut ab ipso; siquidem cum hac inenarrabili gratia, ter Dominicum Mausoleum circuiretur. Tunc impletum est illud: Ecce odor filii mei, sicut agri pleni cui benedixit Dominus. Contigit quodam tempore ut B. Rainerius orationis causa moraretur in Domini templo, & ecce odorem incensi, qui consveverat de intrinsecus accidere, cœpit extrinsecus copiose sentire. Unde quid hoc esset, Deum positis in pavimento poplitibus cœpit exorare, levam

in partem ſpectans, nihilque videns, poſtremo in dexteram lumina vertit: & ecce columbam albiſſimam præ oculis habuit, quæ cum alas ante ejus oculos aperiret, incenſi fumum, quaſi globum, de ſub alis emittebat. Mox Dei ſervus in faciem procidens, de tam ſublimi viſione gratias magnas ipſi Deo agebat, intuensque parvulam columbam ad aurem ſuam dextram volitare, ſenſit ipſum Spiritum Sanctum in columbæ ſpecie in ſe intrare; continuo odor incenſi, quem in exterioribus ſenſerat, ab interioribus per nares ubertim emanabat. Alio quoque tempore, cùm in Domini eſſet Sepulchro, ab oculis ejus fulgor exiit nimius, ut per triduum quascunque inſpiceret literas, non viderentur atramento ſcriptæ, ſed auro omnes impreſſæ. Tunc illuminavit eum lux vera Chriſtus de infinitis, quæ usque ad mundi finem futura eſſent. Factum eſt autem tempore præcedente, ut Dei Servus Rainerius, in quo transfiguratus eſt Dominus, qui eſt Mons Thabor cuperet viſitare locum, & ibi per quadraginta dierum ſpatium fore. Igitur pantheras duas ſine noxa tranſit, & ibi videt Transfigurationis myſterium; ipſius vero cor ſemper erat in Sepulchro Domini. In Eccleſiam Sepulchri Domini reverſus, cum facto non modico temporis intervallo, iterum in quadragenam vel in Montem Thabor cuperet reverti; ecce Dominus per viſionem apparuit ei, tres ei candelas monſtrans, ad militaris menſuram haſtæ longas, media autem duarum, multò plus cæteris in altum ſe porrigebat. Cùm autem Rainerius à Domino perquireret, quid ſunt hæ candelæ, Domine mi? At ille: Tres, inquit, candelæ, tria mea loca ſacra ſunt; media, quæ duabus præeminet, Sepulchrum meum eſt, ubi de cætero te volo aſſiduum eſſe, nec alio, dum tibi dicam usquam longe tendere. Iſtæ aliæ duæ quadragena ſunt & Mons Thabor, ubi tu jam fuiſti. Ex ea hora tantus ei ardor in Sepulchro fuit permorandi, ut vix poſſet prandere vel cubare, & non ibi fore. Voluit Hieroſolymis S. Rainerius, quibusdam infirmantibus, ut curarentur, manus imponere, ſed prohibuit eum Deus, dicens illi: Vide ne feceris quia hunc ego in terris iſtis honorem, tantum meæ Matri ſervavi & donavi. B. noſter Rainerius, cum in auſterrima hyeme in Hieruſalem multum ninxiſſet, & àëris qualitas in frigiditatem intenſa foret, in Domini Sepulchro in marmoribus pedes tenens frigere cœpit. Tunc in cor ejus

ascendit quandam in eadem Civitate Ecclesiam, ut ibi oraret, invisere, cujus erat pavimentum stratum marmore, suggerebat ei sua caro ne illuc iret, quòd nix alta erat, & frigus maximum fuerat, & Ecclesia, ad quam ire volebat, strata marmore esset. Spiritus svadebat ei, qui præesse debebat: Beatus vir, qui suffert tentationem quoniam, cum probatus fuerit accipiet coronam vitæ. In hac lucta spiritus & carnis, Dominus obtinuit victoriam, nudis enim pedibus, sicut semper erat per mediam & altam nivem, ad Ecclesiam illam, quæ aliquantulum longe distabat confortatus perrexit. Ipso tangente pavimenti marmora pedibus, mirabile dictu sive auditu, propter hæsitationem, quam prius habuerat, ad eam coërcendam, Deus fecit ei istud. Ferbuerunt enim ei marmora sub pedibus, sicut ignis ardentis caminus. Authore Fratre Beninkaza, coævo & familiari, Ecclesiæ S. Mariæ Pisis Canonico in Cap. 1mo, 2do, 3tio, 4to & 5to. Obiit anno 1161.

Idem Frater Benincasa Ecclesiæ S. Mariæ Pisis Canonicus cap. 1mo apud Henschennium in vita S. Rainerii refert, quòd B. Albertus dictus Lingeus ad loca sacra peregrinatus est. 17. Junii.

B. Osanna Andreasia Virgo, Mantuæ tertii Ordinis S. Dominici Sabbatho Sancto Domini, face amoris Virginis animus incensus, ad quempiam luce conspicuum locum adducitur, ubi incredibili gaudio cælestes cives exultabundi incedebant. Videbatur sane deliciarum omnium amenissimus locus, quem dum contemplatur, fixisque luminibus inspectat, a quopiam excita, Christi adesse tumulum, de quo ipse, tanquam fulgidissimum sidus prodibat, advertit. Ad hunc Sepulchro egressum accurrens percita, tenerum mox & afflictum corpus demittit ad terram, magnaque contentione precatur, ut sui tandem misereatur, è fragilique corpore ereptam suis civibus annumeret. Visa quoque Cælorum Imperatrice, eam per suam immensam pietatem rogat, quo hanc desideratam gratiam, sibi a Filio extorqueat: Sed illa ad Osannam alludens, ire inquit filia, à Divino desciseas beneplacito: quippe intellexisti jam diu, quâ de causa, tot annos velit se hanc mutatam vitam vivere. Conspicata Osanna vanas suas esse preces, humo se tollens benedicta à Christo atque Maria Virgine, suas ad ædes redit. Cùm Christi passionem & eximia facta frequenti meditatione contemplaretur, spiritu sensibus digrediente, sancta Hieru- 18. Junii. Ferrariensis.

Hierusalem visitabat loca; die præsertim veneris, quo in quam die ad crucem euntem Christum comitabatur; perinde, acsi ibi corpore præsens extitisset. Cui rei augmento accedit, quod Religiosus quidam & integerrimus Vir de Ordine Minorum, sæpenumero se vidisse eam, in Hierusalem sancta loca visitantem astruxit. Authore Fr. Francisco Sylvestro.

18. Junii. S. Elisabeth Virgo, Magistra Sororum, Ordinis S. Benedicti, Schonaugiæ, in Diœcesi Trevirensi, habuit quasdam revelationes & visiones cælestes, in quibus inter alia, ista etiam sequentia se dicit vidisse: In die ad Missam dum orarem, positis in terram genibus, vidi in acie, quasi prope terram duos Viros splendidos, contra se sedentes, & in medio eorum lucidum quiddam, quasi formam habens Sepulchri: & ecce Mulier similis ei, quam in sero videram, accessit, & stabat diligenter inspiciens eandem Sepulchri speciem. Dum autem staret, accessit retro eam juvenis, candidissimo amictu circumdatus, nigram habens comam, & barbæ lanuginem, & faciem supra modum speciosam. Moxque illa conversa ad eum, ibat in occursum, & stabat, quasi interrogans aliquid ab eo. Tunc cœpi anxiè cogitare intra me, quisnam esset ille juvenis? Cumque magno desiderio sciendi hoc æstuarem, subitò in dextra ejus Crux aurea apparuit. Unde mox conjectabam, quod ipse esset is, qui surgens à mortuis, primo Mariæ apparuit. Ex vita ejus partim ab ipsamet dictata, partim ab Egberto Fratre scripta ex editione Coloniensi. Ex Trithemii Chronico Hirsaugiensi apud Godefridum Henschennium, & Danielem Papebrochium in actis Sanct. in vita ejus. Eadem sancta in extasi vidit S. Sepulchrum, ut ipsa de se testatur in vita sua, apud eosdem ut supra Authores cap. 4. & dicit: Ecce quidam Venerabiles Viri, accedentes ad Corpus Christi, solverunt corpus à cruce, & detulerunt illud cum veneratione in hortum quendam viridem & jucundum; & circumposita ei munda sindone, locaverunt illud in Monumento. Tunc ego querelam arripui: Recessit Pastor noster, fons aquæ vivæ. Et adjeci: Sepulto Domino, signatum est Monumentum. Post hæc in Sabbato apparuerunt mihi Venerabiles quædam Matronæ, quasi gestantes aromata. In die sancto Paschæ, vidi hortum, in quo erat Monumentum & lapidem ab ostio ejus sublatum, & Angelos assidentes. Et ecce Matrona quædam veniens

veniens accessit ad monumentum plorans, & introspexit, & non invento ibi corpore, quasi mœsta paululum recessit. Post hæc cum paululum respirassem, vidi duas matronas venientes ad Sepulchrum cum aromatibus, & ut viderent Angelos, substiterunt, quasi stupefactæ. Post hæc vidi duos Discipulos, properantes ad Sepulchrum quorum alter senior, alter videbatur junior. Et hic quidem, cum citius pervenisset ad Sepulchrum, non introivit: Senior verò, cùm pervenisset statim introivit, postea verò & alter. Idem ibidem. Vixit circa annum 1164.

B. Michelina Pisaurensis, peregrinata Hierosolymam visitandi omnia loca, ubi Redemptor noster aliquid mirum, pro salute nostra operatus est. Authore Fr. Mariano Florentino cap. 2. apud Henschennium in vita ejus. 19. Junii.

S. Christina Virgo longe prædixit sanctam Hierusalem in impiorum Saracenorum ditionem devenire, & eadem die, qua Saladinus cœpit Hierusalem cum Sepulchro & cruce Christi, illa in Castro Leoenensi constituta spiritu cognovit rem gestam; cumque multum exultaret, ab iis, qui aderant rogata, ut ejus lætitiæ causam exponeret. Jure (inquit) exulto, nam & Christus Dominus, cum angelis suis exultans occasionem præbuit, qua magna possit hominum copia salva fieri. Illis autem sciscitantibus, quænam esset hæc occasio? respondit: Noveritis terram sanctam hodie venisse in manus hominum impiorum, atque hac re magnam salutis oblatam occasionem; Christus enim pro illata ipsi contumelia, dignum censuit, ut terra illa hac ignominia afficiatur, quamvis ipsius passione sanctificata, attamen ipsius recuperandæ causa, animæ semper victuræ, ejusque sangvine redemptæ, ab iniquitate, ad justitiæ studium convertentur, fundentque homines sangvinem suum, & quandam morti Salvatoris vicem; cum multa devotione rependent. Hæc, quæ spiritu prævidit, manifeste evenisse hoc tempore adnotarunt. Cujus ut Spiritus Propheticus adnotatur, ita & præmitti non debet pia hæc creditio de sancta Christina, illam protunc ut prævidisse cladem illam sanctæ civitati cruci & Sepulchro Christi inferendam, ita super tali ignominia affectu pietatis nimis compassam, ac suis intimis humillimæ adorationis actibus rependisse vicem illatæ contumeliæ & abjectioni à Saracenis dictorum sacrorum locorum. Authore Fratre Thoma Cantipra- 23. Junii.

tensi Ordinis Prædicat: Ibidem habetur: Dum vir quidam nobilis ad Sepulchrum Christi visitandum peregre profectus est, ejus uxor oravit Sanctam Christinam, ut eum suis precibus salvum & incolumem ad suos reduceret. S. Christina multas pro ejus marito preces Domino obtulit, multos labores suscepit, effecitque ut ille sanus domum rediret.

23. Junii. B. Lietbertus Cameracensis & Attrebatensis Episcopus, Nobili familia exortus in Brachatensi Provincia, mortuo Gerardo, eum Cameracensis Ecclesia Episcopum elegit. Cumque vix impetrata dimissione Hierosolymam tenderet, comites habuit ferè ad tria millia, tanta coëunte copia populi, ut exercitus Domini diceretur. Ductus tamen per varia loca & reductus, spe videndi Sepulchrum Domini frustratus est, fraude nautarum declinantium insidias paganorum. Cæterum reversus, ex consvetudine nudis pedibus noctu Ecclesias & cæmeteria circuibat, pro se, suis, & defunctis Dominum exorans. Inter quæ loca erat oratoriolum Dominici Sepulchri. Cùm enim fames Cameraci multos enecaret, ut urbis cæmeteria non sufficerent, Gerardus Lietberti antecessor extra muros cæmeterium & Ecclesiam, in honorem Dominici Sepulchri, pro sepultura pauperum & peregrinorum consecravit. Ex historia in Monasterio Dominici Sepulchri manuscripta, apud Joannem Molanum in Natal. Sanct. Belg. Vixit anno 1076.

25. Junii. Martyrol. Rom. S. Gvilielmus Vercellis natus, annum 14 agens, relictô sæculô, ac ferrô interiùs accinctus, unica ac humili veste indutus, cùm aliquandiu peregrinatus, loca sancta celebriora visitasset, Melphim in Apulia in proximum oppidum recedens, cœco lumen restituit. Quo miraculo, ut nominis celebritatem vitaret, se ad peregrinationem Hierosolymitanam accingit. Aubertus Miræus de Orig. Ord. S. Benedicti cap. 14. Vixit anno 1100.

26. Junii. S. Joannes Episcopus Gotthiæ, peregrinatus Hierosolymam, & omnia sacrosancta, ac divinis pedibus calcata loca, religiosè veneratus. E Codice Vatican. apud Henschennium in Vit. ejus, tomo 5.

28. Junii. S. Heimeradus Presbyter, Hierosolymam petiit, ubi pedes JESU lachrymis rigavit, ubi caput ipsius recumbentis, cordis contriti & spiritûs contribulati ungvento, cum Evangelica Ungventaria perfundens, domum, in qua recubuit, psalmodiæ & oratio-

num bono odore implevit, quin etiam peractis suæ devotionis aromatibus Sepulchrum Domini sui invisere, cum devotis juravit mulieribus. Sic oliva fructifera in domo Domini, cognatum subiit montem, in quo Deo placitum erat habitare in eo. Authore Egberto Monacho Hersfeldensi cap. 1.

B. Salome Virgo, ex familia Regis Angliæ, nimirum Regis 29. Junii. Anglorum sororis filia: & B. Judith vidua, filia Regis, peregrinatæ Hierosolymam ad invisenda loca sacra. Authore Monacho Altaichensi, & Joanne Gamans S. J. apud Henschen. in Act. Sanct. in Vit. earum.

S. Theobaldus Eremita, Romam profectus & inde regressus, 30. Junii. desiderio videndi Sepulchrum Filii Dei, Venetiam, quasi mare transiturus, expetiit. Apud Henschennium tom. 5. in vita ejus, in Actis Sanct. ex pervetustis quatuor codicibus.

Julius.

De S. Simeone, Salus dicto, in vita ejus sic habetur: Tempore 1. Julii. Justiniani Imperatoris, cum accederent ii, qui Christi erant Martyrol. amantes, & pro more sancta Christi loca, cupiebant adorare, Rom. quæ sunt in sancta civitate, in Festo Exaltationis pretiosæ & vivificæ crucis, accidit, ut in hoc venerabili Festo duo quidam Juvenes, qui erant ex Syria Dei providentia se invicem convenirent: uni verò nomen erat Joannes, & alteri nomen Simeon. Peracto autem Sancto Dei Festo, recessit deinceps unusquisque in suam civitatem. Postquam autem Dei clementis voluntate iterum simul convenerunt, & se mutuâ complexi sunt benevolentiâ, non sunt ampliùs invicem à se separati. Contigit autem dum se invenirent in via, quæ ducit ad S. Jordanem, ambo constiterunt. Joannes ergo pius Religiosus ac virtute egregius dicit S. Simeoni: Ecce via, quæ ducit ad vitam, & ecce via, quæ ducit ad mortem, ostendens ei viam sanctam, & viam publicam per quam eorum parentes præcesserant; oremus itaque & stemus quilibet nostrum in una ex ipsis, & sortiamur, & quæ sorte evenerit, illam viam ingrediamur. Cumque sortiti essent, sortes ceciderunt S. Simeoni super viam, quæ ducit ad S. Jordanem. Tunc magna affecti lætitiâ omnium suarum facultatum & parentum velut in somnis obliti, complexi se sunt deosculantes. Eis ergo viam ingredien-

gredientibus, quæ verè ducit ad vitam, licebat eos videre exultantes & currentes, quemadmodum Petrum & Joannem ad vivificum Sepulchrum Domini, promptoque & alacri animo se invicem excitantes & animum addentes. Peractis ambo multis diebus in vitæ altioris instituto, dum S. Simeon recessurus erat dispositione Dei ad Emesam civitatem, valedicens Joanni recto cursu idem S. Simeon Salus contendit in sanctam Christi civitatem nempe Hierosolymam. Valde enim, ut dicebat, sitiebat, & vehementi ardebat desiderio, jam longo tempore fruendi sacris locis. Cumque pervenisset ad sanctum & vivificum Christi Monumentum, sanctumque & salutare, & victoria insigne cranium (id est calvariæ locum) suum implevit desiderium; mansit autem tres dies residens in sancta civitate ingrediens & adorans ex omni parte veneranda loca Domini & orans. Tota autem ejus erat oratio, ut legerentur ejus vitæ miraculosæ & absconditæ operationes, donec migraret ex hac vita, & gloriam hominum effugeret. Eum ergo ad sanctum Sepulchrum & locum calvariæ exaudivit Dominus; etenim cum tot fecit miracula, totque res admirabiles, quæ sunt præter opinionem, & non fuit in vita manifestata hominibus ejus operatio. Cum ergo tres dies versatus esset in sanctis locis, ad Emesinorum pervenit civitatem, & mire ibi texit suam sanctitatem; de quo narrarunt Abbati Joanni, fratri S. Simeonis Sali, Emeseni cives, qui Paschali tempore venerunt in sanctam civitatem ut festum celebrarent. Leontius Episcopus Neapolis Insulæ Cypri apud Metaphrastem. Vixit anno 540.

2. Julii. S. Petrus de Luxemburgo S. R. E. Cardinalis, Episcopus Ecclesiæ Metensis, ex Imperiali & Regali stirpe genealogiam ducens, Sepulchrum Christi videre desiderabat. Authore Marleto Monacho Cælestino, Monasterii Arenanensis cap. 9. Obiit anno 1387.

4. Julii. S. Petrocus Abbas in cornubia Britanniæ Provincia, post trigesimum annum ætatis suæ Hierusalem usque proficiscitur. Cumque ad Sepulchrum Domini pias preces & lachrymas fudisset, versus Indiam iter maturare cœpit, & per plurima tandem latronum fluminumque pericula, orientalem usque perveniens Oceanum, multa confectus lassitudine solus dormivit in littore. Evigilans autem à somno, vidit vas per mare ad se advectum, intus lucidum, unius solummodo capax hominis. Et intuens vas confidenter in illud ingressus est, & solo maris impetu sine remo transvectus

vectus & remige Insulæ cuidam latus applicuit, ubi septem annis contemplativam egit vitam. Authore Joanne Tinmouthensi, apud Godefridum Henschennium & Danielem Papebrochium in vita ejus tomo I.

S. Elias Episcopus Hierosolymitanus & Martyr, quem prædixit S. Euthymius futurum Pastorem & Præfectum sanctæ civitatis. 4. Julii. Post cujus S. Euthymii sepulturam, Anastasius Patriarcha, revertens in sanctam civitatem, assumpsit secum S. Eliam, & eum ibi ordinavit Presbyterum, & in Catalogum Canonicorum Regularium S. Sepulchri retulit. Ex quo facto infer hunc S. Eliam Sepulchri Christi addictum esse cultorem, dum pariter in vita S. Anastasii Persæ habetur, quod hic Sanctus, ad verum Dei & Christi cultum volens reduci per susceptionem baptismi, adductus est Hierosolymam ad Eliam Sanctæ Resurrectionis Sanctissimum Presbyterum, habetur in vita ejusdem S. Anastasii. Tantæ proinde sanctitati ejus correspondebat visitare & venerari Sepulchrum Christi. Ubi factus Episcopus Hierosolymitanus, statim omni studio contendebat, ut circa Ecclesiam S. Resurrectionis congregaret bonos monachos, & monasterium construit apud Episcopatum, non alio fine, nisi ut hic sanctus una cum Canonicis dictæ Ecclesiæ, etiam piissimi ex monasteriis viri famulentur in augmento laudis Divinæ ad Christi monumentum. Ex Vitis Ordinis nostri. Baronius.

S. Athanasius Martyr, Diaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ, à 5. Julii. Juvenali Patriarcha ordinatus, & in catalogum ministrantium Sepulchro Christi refectus. Concitata quorundam monachorum furente contra Synodum Chalcedonensem commotione, turbæ illius seditiosæ dux Theodosius monachus, dum Juvenale absente, sedem Hierosolymitanam fraudulenter occupat, magnam movit persecutionem in civitate sancta adversùs eos, qui cum eo communicare nolebant. Excruciatis itaque multis Canonicis S. Ecclesiæ Resurrectionis variis tormentis, ex eorum etiam numero, S. Athanasius in Diaconorum ordinem cooptatus in media Ecclesia Hierosolymis, cum multa dicendi libertate, iniquitatis abominatione throno sanctissimo insidente, multis Theodosium arguebat verbis. Quæ cum diceret, arreptus à Satellitibus Theodosii, & extra Ecclesiam tractus, post plurima petulantis turbæ tormenta, vitam ferrô finivit. Sangvis innocentis Diaconi, aliorumque tot ibi

Martyrum pro fide S. Romanæ Ecclesiæ effusus, testatur eundem S. Diaconum & consocios Martyres, sicut veræ fidei in Christum, ita & supremæ venerationis Monumenti Christi, veros & indubitatos fuisse cultores. Nicephorus hist. Eccl. libr. 15. cap. 9. Ex illo Baronius. Surius. Vide Vitas Ord. nostri hac die. Vixit anno 440.

6. Julii. S. Angela Virgo, Filia Vladislaii II. Regis Bohemiæ, cum illam Parens ad monasterium, eruditionis causâ dedisset, ibi animo concepit, ob Dei amorem, videre terram sanctam. Ad hoc desiderium complendum fuit ad monita à B. Virgine ut Hierosolymam iret. Post longum & valde laboriosum iter, Hierosolymam tandem pervenit, ac cum sacra omnia loca eximia pietate perlustrasset, ibi 25. annis degebat. Cui B. Virgo apparuit dicens: *Citius demigra hinc, nam appropinquat tempus, quo Deus terram hanc sanctam, exigentibus Christianorum peccatis, daturus est Ethnicis & Saracenis.* Acta Sanct. Specul. Carmel. part. 4.

7. Julii. S. Willibaldus primus Episcopus Eistetensis è Saxonia ortus, totus in amore Dei conversus, ut oblectantes mundi divitias, mulcentesque sæculi pompas declinaret, patrios deserere fines & peregrinandi ad loca sacra ardet desiderio. Itaque volvente temporum climate, cum cœtu commeantium collegarum rite dispositis athleta Dei fortissimus Willibaldus, Romam visitaturus advenerat. Cum ad sublimioris ac rigidioris vitæ fastigium scandere anhelaret sedulus, virtutes in se quotidie virtutibus cumulans, cœpit jam peregrinus sæculo, iterum peregrinari velle, ut Hierosolymam Christo favente, ipsum ibidem adoraturus pergeret, mente tractare. Cujus sancta & pia cogitatio, sicut à Deo initium sumpsit, ita per ipsum effecti finem accepit. Cœpit itaque ambulare confidens, Divina protegente ubique virtute, & quantò in labore extitit promptior, tantò in charitate firmior, & in fide fuit constantior. Peragratis ergo haud absque nimio labore, nativitatis, educationis, baptismi, passionis, resurrectionis, in cælum ascensionis Dominicæ, sed & multis aliis locis: cum iterum sanctus, sanctam civitatem Hierusalem videre conaretur, Christum natum, passum, resurgentem in ea cupiens adorare, B. Mathiæ Apostoli Ecclesiam petiit, ibique se ejus orationibus communivit. Tum subito inter sacros Missarum concentus luminis privatus est digni-

dignitate, quod beato viro non ad injuriam superna contulit pietas, verùm ad solidæ probationis emolumentum, & ad fidei constantissimæ donum. Licet igitur corpore, sed non mente cœcus loca sacra circumiens; Cumque à Sepulchro Christi Basilicam, in qua vivificæ crucis vexillum fuerat inventum, cœcus intraret, illicò lucem recepit. Igitur beatus virtutem cœlestem, in restituto sibi visu agnoscens, vocem extulit laudis, & Christum regnantem adoravit in sanctis locis. Henricus Canisius in vita ejus apud Surium. Vixit anno 750.

In Itinerario S. Willibaldi Episcopi Eistetensis à consangvinea ipsius Sanctimoniali Heidenheimensi scripto sic habetur: Cumque transactis Dominicæ Paschalis solennitatibus, cum suis sociis pergere cœperunt, S. Willibaldus, cum quo erant septem contribules ipsius, & ille fuit octavus. Peragratis igitur omnibus ferè locis sanctis, venerunt ad Hierusalem, in illum locum, ubi inventa fuerat S. Crux Domini. Ibi nunc est Ecclesia in illo loco, qui dicitur Calvariæ locus. Et hæc fuit prius extra Hierusalem. Sed beata Helena quando invenit, collocavit illum locum intus intra Hierusalem. Et ibi secus est ille hortus, in quo fuit Sepulchrum Salvatoris. Illud Sepulchrum fuerat in petra excisum, & illa petra stat super terram, & est quadrans in imo, & in summo subtilis. Et stat nunc in summitate illius Sepulchri crux; & ibi desuper ædificata est mirabilis domus, & in orientali plaga in illa petra Sepulchri est janua, per quam intrant homines in Sepulchrum orare. Et ibi est intùs lectus, in quo Corpus Domini jacebat. Et ibi stant in lecto quindecim crateres aurei cum oleo, ardentes die nocteque. Ille lectus, in quo Corpus Domini jacebat, stat in latere aquilonis intus in petra Sepulchri, & est homini in dextra manu, quando intrat in Sepulchrum orare. Et ibi ante januam Sepulchri jacet lapis ille magnus quadrans in similitudinem prioris lapidis, quem angelus amovit ab ostio monumenti. Et illuc veniebat in festivitate S. Martini, Episcopus noster, nempe S. Willibaldus. Moxque ut illuc venit, cœpit ægrotare, & jacebat infirmus usque ad hebdomadam ante nativitatem Domini. Et tunc, quando aliquantùlum recreatus fuit, & de infirmitate melius habebat, surgit, & abiit ad illam Ecclesiam, quæ vocatur sancta Sion, illa stat in medio Hierusalem. Et ulterius describit ibidem

dem, omnia loca Sancta, tam intra Urbem Hierusalem, quam extra, quæ S. Willibaldus devotissimè obibat, ex cujus ore hæc refert vera, genuina, & non apocrypha, ut hæc sancta Monialis testatur in præfatione vitæ ejus. Et venit ad civitatem Gazam cum sociis, & illic orantes ibant ad Sanctum Mathiam, ibi est magna gloria in Dominica. Cumque sacra Missarum solennia fuissent celebrata, Episcopus noster Sanctus Willibaldus, stans ibi ad Missam lumen oculorum amisit, & fuit cœcus duobus mensibus, & inde venit iterum in Hierusalem & introiens in Ecclesiam, ubi S. Crux Domini inventa fuerat, aperti sunt oculi ejus & visionem recepit. Et ibi aliquantum temporis manens pergebat iterum ad alia loca, nempe Tyrum, Sidonem, Damascum. Et inde venit Cæsariam, & venit tertia vice ad Hierusalem, & ibi erat totam hyemem, loca, ubi Dominus noster nascendo, patiendo ac resurgendo nobis apparuit, robustus omnia visitando reperiebat atque videbat. Post quam locorum sacrorum visitationem, iterum redit Romam, & accersitus à Gregorio III. itineris sui ordinem cœpit investigare ab illo, quomodo septem annorum calculum in externis terrarum finibus peragraret, & S. Willibaldus piis verborum vicissitudinibus, humillime seriem sui itineris, ex ordine intimavit, quomodo almam altissimi ætherum Plasmatoris natalem, adventus sui locum in Bethleem adorando, lustrandoque perambulabat. Sed & in Hierusalem, sicque in sancta Sion, ubi sacer sæculorum Salvator in cruce suspensus, peremptus est, atque sepultus, supremo devotionis affectu, lachrymis & humillimis genuflexionibus adoravit. Ista omnia summo Pontifici, intimando explanavit.

De eodem S. Willibaldo, Author Anonymus ex editione Canisii apud Conradum Janingum, hæc refert: S. Willibaldus, amore cælestis Hierusalem, cœpit terrestrem inspirare & loca vestigiis Christi insignia videre. Pergit itaque Hierosolymam, & vix expectatam ingreditur Hierosolymam, quod ibi altare lachrymis & gemitibus non profudit? quanta ibi devotione jacuit ante Dominicam crucem, mundo crucifixus? quàm torrido lachrymarum fluvio profudit lapidem, quem ab ostio monumenti amovit Angelus? Sex ibi hebdomadibus, gravissimo irretitus langvore, cruciabatur: sancta tamen circuire loca, studio laborem fallente non

grava-

gravabatur. Hic ſanctus, ſecundò, tertiò, & quartò Hieroſolymam repetiit.

S. Udalricus confeſſor, Ordinis S. Benedicti, collectâ non modicâ pecunia, Jeruſalem Dominicæ paſſionis triumpho inſignitam, diſponebat adire anxietates ac labores, quos in hac via protulit, videlicet in aſperitatibus itinerum, in periculis hominum, in procellis fluminum prætereundo. Verùm hoc minimè tacere debeo, quòd omni die, priusquam dorſum equi ſederit, Davidici carminis dulcedinem, ex ordine recitaverit. Confecto igitur itinere, ubi ſanctæ civitatis portam attigit, tanquam ſibi, velut alteri Moyſi, Dominum dicentem audivit: *Solve calceamentum tuum, locus, in quo ſtas, ſanctus eſt.* Quæ ibi lachrymarum flumina, quas preces, quæ ſuſpiria, dilectiſſima Deo anima, ex intimo profuderit corde? cujus facundia valeret edicere, num ſe à fletûs continere poſſet effuſione, cùm Dominicæ dormitionis Sepulchrum, humiliter diſcalceatus adiret? ac loca ſacra veſtigiis Chriſti conſecrata, ſignis ac virtutibus illuſtrata, paſſione glorificata, oculis conſpiceret, pedibus calcaret, mente delectabiliter conſideraret? Ibi quippe ſinceriſſimo lachrymarum fonte, maculas ſuæ mentis ſatagebat abluere, de præſentibus ac præteritis delictis veniam, de futuris poſcens cautelam; ibi inquam orationum ſuarum aromatibus, vulnera Salvatoris noſtri flebiliter inunxit, non diſſimili devotione ſanctarum mulierum, quarum fides, comparatîs ungventîs, Corpus Domini JESU in Sepulchro requiſivit. Authore Anonymo Monaſterii de cella, in ſylva nigra monacho, apud Joannem Baptiſtam Sollerium in Actis Sanctorum, Tom. 3tio. in vita ejus. 10. Julii.

S. Golinducha, ortu Babylonica, propter fidem Chriſti variis modis à Perſis excruciata; de qua Theophylactus Simocrates libr. 5to Hiſtor. cap. 12. Poſtquam recenſuiſſet, quomodo operâ Angeli ex carcere evaſerit, ſubdit: Romanorum Provinciam ingrediens, apud Hieroſolymam inſignem, & inenarrabilem magnificentiam Dei divulgat; ſacrisque precationibus, ad Sepulchrum magni Dei, & Salvatoris noſtri JESU Chriſti effuſis, crucemque, in qua Chriſtus paſſus eſt, adoratione & cultu ſuo venerata. A qua veneratione reverſa Hierapolim, multa Chosròé prædixit, ac vitam exemplo Angelico traducens, coronâ ſempiternâ redimita eſt. In Faſtis Marianis & in anno cæleſti. 11. Julii.

B. Hrosnata, (Rege Premisl, qui & Ottocarus cognominatus fuit, Regnum Bohemiæ feliciter gubernante) inter alios Regni Magnates, Hrosnata de Principum sangvine oriundus crucis Dominicæ signaculo insignitus, & æstuans interiùs amore Dominicæ passionis, ad terram sanctam Hierusalem proficisci anhelat, ut impleat Psalmistæ verba dicentis: *Mihi autem adhærere Deo, bonum est, ponere in Domino Deo spem meam.* In quo proposito constanter perseverans, cumulatis expensis, suisque sequacibus comitatus, dulce solum Patriæ deserens, destinatum arripit iter. Verùm ad littus maris perductus, pelagi latitudinem, fluctuumque commotionem transitus difficultatem anxius suspicatur, & periculo territus, pedem retrahit, ac Romam discedit, & à Cælestino Papa, à voto Hierosolymitano solutus, pro quo voto Hierosolymitano, à Pontifice dispensatus, ut ad honorem Virginis Mariæ, fundet claustrum sub observantia Præmonstratensis ordinis. Authore Synchrono, Religioso Teplensi, apud Joannem Baptistam Sollerium Tom. 3tio, in vita ejus.

Hic Beatus Hrosnata postquam ædificasset Monasterium Teplense, solus ingressus ordinem Præmonstratensem, postea martyr occubuit. Antequam autem ingrederetur hunc ordinem, & votô factô, cum vellet proficisci Hierosolymam, testamentum tale fecit, quod habet Crugerius in hæc verba: *In nomine sanctæ & Individuæ Trinitatis. Ego Hrosnata Dei gratiâ de primatû Bohemiæ claro stemmate descendens, universis Christi fidelibus, tam futuri, quàm moderni temporis. Ego Dei nutu Signatorum S. Crucis vestigia sequens, & Sepulchrum Domini Salvatoris invisere cupiens, notum fieri volo omnibus, tam futuris quam præsentibus, quod usibus Fratrum, qui Deo & B. MARIÆ in Tepla servituri sunt, locum eundem cum omnibus appendiciis, quæ ibi sunt, sive revertar, sive non, perpetualiter contradidi.* Idem ibidem.

15. Julii. Hac die in natalibus Belgii Molanus ponit liberationem civitatis Hierusalem, de manibus Turcorum. Festum olim duplex cum octava. Sicut enim Judæi annuè celebrare solent luctum eversæ Jerusalem, juxta S. Hieronymum in 1mum Sophoniæ; ita majores nostri memoriam ereptæ à Turcis Urbis sacræ celebrarunt. Adeoque eodem die consequenter celebranda est liberatio sanctissimi Sepulchri; quia vox hæc solemnitatis, maximè audita

est

eſt à Victoribus ad ſanctum Sepulchrum, ut ſtatim dicetur: Eratque principium Officii Divini: *Ecce nomen Domini venit de longinquo.* Jſaiæ 30. Convenienter autem tale exordium canebatur; quia Nomen Domini potiſſimum ad Sepulchrum Chriſti venit de longinquo, dum illæ variæ & innumeræ gentes, & de longinquis finibus Nationes, potiſſimum hac die Nomen Domini laudabant ad S. Sepulchrum. Dum enim hac die, ipſo Feſto Diviſionis ſanctorum Apoſtolorum, Feriâ ſextâ, horâ nonâ, recepta eſt civitas ſancta Jeruſalem, & recuperatum Sepulchrum Chriſti, dicebant equidem diem illam ſolennem, & Jubileum celebrarunt, juxta illud Machab. 15. *Itaque omnes communi conſilio decreverunt, nullô, modô diem iſtum absque celebritate præterire.* De illa Raymundus de Agiles refert: *Capta autem Urbe, operæ pretium erat videre devotionem peregrinorum ad Sepulchrum Domini, quomodo plaudebant exultantes, & cantantes canticum novum Domino. Etenim mens eorum Deo Victori & triumphanti, vota laudum afferebat, explicare non poterant. Hæc dies celebris in omni ſæculo venturo, dies totius Chriſtianitatis confirmatio & Paganitatis exinanitio, & fidei noſtræ renovatio. Hæc dies, quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea; quia in illa huc illuxit, & benedixit Dominus populo ſuo. Hæc dies celebratur Idus Julii, ad laudem & gloriam Nominis Chriſti, qui dedit precibus Eccleſiæ ſuæ Urbem & Patriam, quam juravit patribus, & reddidit in fide & benedictione Filiis. In hac die officium de Reſurrectione cantavimus, quia in hac ille, qui ſua virtute à mortuis ſurrexit, per gratiam ſuam nos reſuſcitavit.* Et ad Sepulchrum ſuum currentes cum fidelibus diſcipulis & matronis, viſitare & adorare permiſit. In hac die diviſi Apoſtoli, ab Hieroſolymis, viſitatô Sepulchrô, abierunt per univerſum mundum diſperſi. In hac eadem die Apoſtolorum filii diſperſi, congregati ſunt in unum, Dominum JESUM Chriſtum fidelibus cordibus adoraverunt. De eadem Fulcherius Camotenſis: *Tunc autem ad Sepulchrum & templum ejus glorioſum euntes clerici ſimul & laici, exultationis voce altiſona canticum novum Domino decantando, loca ſancta, tam diu deſiderata, cum oblationibus faciendis, ſupplicationibusque humillimis, lætabundè omnes viſitaverunt.* Dies inquam hæc apud omnes ſolemnis, & inter celebres celebrior habetur perpetuò, in qua ad laudem & gloriam, fidei Chriſtianæ, exhibendo ſervitio ſalvatori eſt reſtituta.

ta. Et in qua à tot millionibus hominum, præclarissimæ stirpis & sanctitatis, solennissimo cultu, & celeberrimo apparatu, visitatum fuit Monumentum Christi; prout fatetur Gvibertus Abbas, Histor. Hierosolymit. libr. 9. *Sepulchrum ergo Dominicum adeunt, & de quæsita beatorum locorum libertate, illi summoperè gratulantur. Deus omnipotens, quid ibi viscerum, quid lætitiæ, quid doloris fuit, dum post inauditas, & cunctis à sæculo exercitibus inexpertas, quasi partuum torsiones, ad nova visionis adeo desideratæ gaudia, acsi nati filii, sese pervenire conspiciunt! Mœrent igitur, & tamen fusis lachrymis, omni sibi dulcioribus pane conjubilant, JESUMque piissimum, suorum laborum ac dolorum causam, acsi cruci appensum, acsi adhuc Sepulchri tegumento detentum, per singula memoriarum momenta, uberrimis complectuntur affectibus.*

B. Petrus Eremita, de Regno Franciæ, apud Molanum hac die ponitur, in Catalogo Sanctor. Belgii, cui Deus ex misericordia sua inspiravit, quatenus Sepulchrum Dominicum, & loca religiosa & veneranda visitaturus, cum multo labore & periculo Hierosolymam adiret. Cùm autem quadam die in Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, in orationibus, Domino supplicans, pernoctaret, longo vigiliarum labore fatigatus, supra pavimentum Ecclesiæ, somno humanitùs irruente, cœpit paululum dormitare; Dominus JESVS apparuit ei in somnis, sic illum alloquens: *Petre, dilectissime Fili Christianorum, surgens, visitabis Patriarcham nostrum* (qui erat protunc Simeon) *& ab eo sumes, cum sigillo Sanctæ crucis, literas legationis nostræ, & in terram cognationis tuæ, iter quantocyùs accelerabis, calumnias & injurias populo nostro, & loco sancto,* (id est Sepulchro) *illatas reserabis, & suscitabis corda fidelium, ad purganda loca sacta Hierusalem, & ad restauranda officia sanctorum. Per pericula enim & tentationes varias, paradisi portæ nunc aperientur vocatis & electis.* Hac revelatione confortatus, & zelo charitatis succensus, valedicens Sepulchro Christi, variis exhortationibus, multorum animos permovit ad viam S. Sepulchri; ut felicissimus eventus declaravit. Jacobus de Vitriaco Cardinalis libr. 16. Albertus Aquensis libr. 1mo. Vide hîc, etiam Hierosolymâ obsessâ, visitatum fuisse Sepulchrum Christi: tum quòd ipse Christus Sepulchrum suum, locum sanctum dicit; tum quod via ad Sepulchrum Christi visitandum, in puro amore, paradisi portas aperit. Vixit anno 1090.

S. Raynel-

S. Rayneldis Virgo ex Patre Wigero nata, qui totius Lotharingiæ Ducatûs officium gerebat, & inter Palatinos Principes primatum tenebat. Hæc ſancta volens majoris certaminis curſum aggredi, Urbem Hieruſalem, unius tantum ſervi & ancillæ comitatu contenta adiit, ut ibi Redemptoris ſui crucem bajularet, ubi eum pro ſua, omniumque ſalute paſſum credebat: ibique per biennium ſingula loca, per quæ Dominus abierat, devotè viſitavit, quaſi Chriſtum Dominum præſentem in corpore haberet. Delectabatur ſanè eo labore, & tanquam uberrimis refecta epulis, corpus ſuum, quantum humana imbecillitas ferre poterat, excruciabat. Reverſa ad patriam, ita vixit, ut humanum modum excedere videretur; & teſtimonii Chriſti particeps, per Martyrium efficitur. Surius. Joannes Sollerius, Tom. 4. Vixit circa annum 660. 16. Julii.

S. Arnulphus Martyr, in ſancta peregrinatione ſub laicali habitu, decem & ſeptem annis procurrens, primò Romam adiit, deinde Conſtantinopolim, ubi omnium Apoſtolorum doctrina effloruit. Tandem inſtinctu redemptionis noſtræ, ac venerabilis ſanctæ crucis honore, Hieroſolymam abiit ad Sepulchrum Domini, ibique longo tempore, donec pro redeunto divinitùs eſt admonitus, jejuniis & orationibus vacare procuravit. Apud Joannem Baptiſtam Sollerium in Actis Sanctor. Tom. 4to. 18. Julii.

Hæc eadem viſitatio Sancti Sepulchri, ejusdem S. Arnulphi colligitur ex vita Metrica ipſius, de quo ſic refert Author Letſelinus: *Tum jacuiſſe Sacrum Corpus| Domini Dominorum. Noſtra fides teſtatur, ubi proſtratus adoras Æternum Regem, tibi poſcens dona ſalutis.*

S. Philaſtrius Epiſcopus Brixiæ in Italia, ex immenſo amore, quem ad Chriſti paſſionem gerebat, de licentia Summi Pontificis, usque in Hieruſalem pervenit viſitaturus loca, in quibus Dominus Noſter JESUS Chriſtus, noſtram operatus eſt ſalutem, circa annum 387. Ex Breviario, quod extat apud Moniales S. Catharinæ Ordinis Prædicator: apud Joannem Baptiſt. Sollerium, in vita ejusdem Sancti. 18. Julii.

B. Simon de Lipnica Polonus, Hieroſolymam peregrinationis causâ petiit. Franciſcus Gonzaga, Epiſcopus Mantuanus, part. 2. fol. 464. De eodem Ludovicus Strobkovicius Polonus, capit. 4. in vita ejus: Hieroſolymam ſuſcipiens peregrinationem, Vir 18. Julii.

Vir Dei, similis factus est negotiatori, quærenti bonas margaritas, & in una plus pretiosa subsistenti, quoad scientiam Salvatoris, & resurrectionis arcanum, ingeniosè refert S. Hieronymus. Ex amoris igitur vehementia, rerum cælestium consideratione, desiderio Martyrii properavit ad locum, ubi Christus animam posuit, & depositus fuit in Sepulchro: perlustratis itaque tenero affectu locis sacris, locorum tamen calvariæ & Sepulchri, sensibili dulcedine delibata & degustata, mirabiliter tunc in ipso, cælestis incendii effectus excitarunt. Vixit anno 1482.

19. Julii. D. Gregorius Nissenus, in vita Sanctæ Macrinæ Virginis ad Olympium Monachum scribit: Omnino consvetudinis illius oblitus esse non debes, cum ad Urbem Antiochi ingressi sumus, quo tempore petebas Hierosolymam, ut Monumenta Christi peregrinationis, dum in carne esset, inviseres. Apud Surium. De eodem Baronius Tom. 4. anno 378. Olympium sanctissimum Monachum, dum Antiochiæ S. Gregorius Nissenus moraretur cognovit illac transeuntem, Hierosolymam, ad sancta loca visenda peregrinantem. Vixit anno 360.

21. Julii. B. Oddinus Barottus, Præpositus Ecclesiæ Fossanensis circa annum 1376. rudi se habitu induit, eâ planè formâ, quali procedunt, qui tertiam S. Francisci regulam profitentur. Cùm singulari fervore ferretur in contemplandam Salvatoris Nostri JESU Christi passionem, inde tanto affectu incensus est, ut diutius contineri non posset, quin sacra ea loca inviseret; ubi prædictæ passionis Dominicæ & theatrum fuit, & vestigia supersunt. Ut itaque propiùs communicaret Redemptoris sui doloribus, eodem anno peregrinationem Hierosolymitanam suscepit votorùm suorum compos effectus, non sine Martyrii desiderio. Authore Joanne Nigro apud Joannem Baptistam Sollerium in vita ejus.

22. Julii. S. Mariæ Magdalenæ visitatio Sancti Sepulchri constat, tum ex ipso Evangelio, tum ex dictis supra, de visitatione Sanctarum Mulierum, tum sparsim in Libro 1mo. Tum de illa prieratus in Rosa aurea dicit: *Si quis viderit Magdalenam contemplari Sepulchrum, & ungventa parare; si hac viderit vacuo Sepulchro colligatam, videbit pariter Divinam pietatem hanc ab extremo in extremum, nonnisi per opportuna media deduxisse.* Tum sanctæ Mariæ Magdalenæ admiranda visitatio S. Sepulchri Hierosolymitani constat ex miraculo,

quod refert Jacobus de Voragine in Legenda XC. de sancta Maria Magdalena fusè deductum, à me breviter compilatum: Fuit Princeps Marsiliæ cum uxore sua, ubi Maria Magdalena Christum constantissimè prædicabat: hic Princeps divitiis abundans, pro habenda prole idolis immolabat. Tantum facinus disvasit S. Magdalena, promittens habituros prolem, si in verum DEUM & JESUM Christum crediderint. Cui Princeps cum conjuge dixit: Ecce dictis tuis per omnia obtemperare parati sumus, si à Deo, quem prædicas, nobis filium impetrabis. Tunc Beata Maria Magdalena, pro ipsis Dominum exoravit, cujus preces Dominus exaudivit, & Matrona illa concepit. Vir itaque ejus cœpit velle proficisci ad Sanctum Petrum Romam, ut probaret, si, ut Maria Magdalena asseruerat, prædicationem suam miraculis & veritate Magistri Petri, qui Romæ præsidet roboratam, sic veritas se haberet. Proficiscente viro, cùm uxor cum eo simul proficisci vellet, retrahebat eam variis modis Princeps, dicens: Domina cùm sis gravida, & in mari sint infinita pericula, de facili periclitari posses. Domi igitur quiescas, & possessionibus nostris curam impendes. Verùm cùm sollicitè & lachrymis instaret, obtinuit, quod petebat. Maria Magdalena humeris eorum signum crucis imposuit, ne eos antiquus hostis in aliquo impediret. Navem igitur omnibus necessariis copiosè onerantes, reliquam fortunam, & quæ habebant, domi in Mariæ Magdalenæ custodia relinquentes, proficisci cœperunt. Consummato unius diei & noctis cursu, sæva inundatione fluctuum maris quassati, urgentibus angustiis, subitò dolor partûs in matrem irruit, & filium parturiens Mater simul expiravit. Natus est infans vivus, sed matri mortem attulit. Natus parvulus quærens lamentabiliter solatia maternorum uberum, dabat vagitus. Verùm Princeps Pater, peregrinus, lamentabatur plurimum, videns uxorem suam mortuam, & puerum vagientem, & cum nemo sit, qui ei tribuat vitæ alimentum. Torquebat cor Patris & vox nautarum acclamantium, ut in mare corpus projiciatur, ne simul omnes pereant; vix prece & pretio extorsit a nautis ut ad quendam collem non procul navi apparentem illic applicarent: in cujus collis parte, clamyde supposita, corpus uxoris mortuum collocavit, & puerulum natum, vivum mortuæ matris uberibus apponens cum lachrymis ait: o Maria Magdalena, cur

ad

ad perditionis & miseriæ meæ cumulum, Marsiliæ partibus applicuisti! Cur infelix admonitione tua hoc iter arripui! petisti Deum, ut mulier mea hac de causa conciperet & pareret, ut sic mortem subiret! Ecce quod prece tua obtinui, tibi, cui omnia mea commendavi, Deoque tuo commendo, si potens est, memor sit animæ matris, & prece tua misereatur ne pereat natus. Tunc chlamyde sua corpus cum puerulo circumquaque operuit, & postmodùm navem conscendit. Cumque Romam ad S. Petrum venisset, S. Petrus obvius ei fuit, qui visô signo crucis humeris ejus affixô, quis esset, & unde venisset, sciscitatus est, qui omnia sibi per ordinem narravit. Cui S. Petrus: Pax tibi fiat, benè venisti & utili consilio credidisti, nec moleste feras, si mulier tua dormit, si parvulus cum ea quiescit; potens est enim Dominus, cui vult dona dare, & mœrorem tuum in gaudium commutare. S. Petrus autem ipsum Hierosolymam duxit, & omnia loca, in quibus Christus prædicavit, miracula fecit, locum etiam, in quo passus est, resurrexit, & in quo cælos ascendit, eidem ostendit. Cumque in fide à S. Petro diligenter instructus fuisset, biennii spatiô jam elapsô navem ascendit repatriare curans. Cum igitur navigaret Domino disponente juxta collem, in quo corpus uxoris cum puero positum ab eodem Principe fuerat, pervenerunt. Qui iterum prece & pretio, ut ibi applicarent, nautas conduxit; volens perquirere, num puerulus Beatæ Magdalenæ precibus commissus, conservetur incolumis. Cùm ergo applicuisset ad eundem collem, vidit puerulum, more solito cum lapillis ludentem, & quidnam esset, admirari non desinens, de navi exiliens. Quem videns puerulus, cùm nunquam tale quid vidisset, expavit & ad solita matris recurrens ubera, occulte sub chlamyde latitabat. Peregrinus verò Princeps, ut manifestiùs videret, illuc accessit, & puerulum pulcherrimum, matris ubera sugentem invenit, & accipiens puerum ait: O Beata Maria Magdalena! quam felix essem, si mulier respirasset, & mecum repatriare valeret! Scio equidem scio, & procul dubio credo, quòd tu, quæ puerum dedisti, & in hac rupe per biennium pavisti, poteris matrem ejus prece tua, pristinæ restituere Sanitati. Ad hæc verba mulier respiravit, & quasi à somno evigilans, ait: Magni meriti est Beata Maria Magdalena & gloriosa, quæ per hoc tempus obstetricis munus explevit. Quô

auditô

auditô peregrinus Princeps admirans ait: Vivisnè uxor mea dilecta? Cui illa: Vivo equidem, & nunc primò de peregrinatione, de qua tu venisti, venio: & sicut Beatus Petrus te Hierosolymam duxit, & omnia loca, in quibus passus, mortuus & sepultus Christus, & plura alia loca ostendit tibi, sic & ego unà cum Beata Maria Magdalena, Duce & comite vobiscum fui, & singula loca conspexi, & conspecta memoriæ commendavi. Et incipiens omnia loca & miracula, quæ vir viderat, adeo plenè explicuit, ut nec in uno articulo deviaret. Hucusque Legenda Sanctorum, quæ Lombardica nuncupatur. Et Petrus de Natalibus, Episcopus Æquilinus, in Catalogo Sanctor. Mense Julio. Ex hoc præclaro miraculo constat primò portandæ Crucis in humeris fuisse usum, temporibus adhuc Sanctorum Apostolorum. Constat 2dò tale signum appositum à Sancta Maria Magdalena, & agnitum Romæ à Sancto Petro in vestimento præfati Principis Marsiliæ, esse proprium peregrinorum Hierosolymam ad S. Sepulchrum & loca Sancta. Constat 3tiò Sanctum Petrum existentem Romæ, per replicationem Hierosolymis cum dicto Principe transportato divinitùs visitasse Sanctum Sepulchrum & alia loca sacra, ea illi ibidem monstrando. Constat 4to. Præfatam uxorem Principis Marsiliæ in extasi raptam, cum sancta Maria Magdalena pariter per replicationem, sive transportationem ex Marsilia divinitùs translatam, visitasse Sanctum Sepulchrum, & alia loca sacra Hierosolymis.

Sophia Hollandiæ Comitis Theodorici uxor mulier Sancta, 25. Julii.
& in Christi amore devotissima, orationibus, jejuniis, vigiliis, & eleemosynis continuè intenta, quæ miraculis tam in vita, quàm post mortem claruisse perhibetur. Post multa opera pietatis, cum jam tertiò ad visitandum Sanctum Sepulchrum Christi, Hierosolymam esset profecta sacris locis devotissime perlustratis, sexto Calendas Octobris, anno 1176. feliciter in Domino quievit, & in Hospitali Teutonicorum in Hierusalem sepulta est. Trithemius in Chronico Hirsaugiensi. Joannes de Beka in Chronico Ultrajectino pagin. 53. apud Joannem Baptistam Sollerium Tom. 6to.

S. Gregorius Monachus & Martyr ex Bethleem ortus. Hic 27. Julii.
inquam vir Sanctus, ultra maria procreatus ab adolescentia servitute Dei oblectatur, & in sanctorum locorum Hierosolymis crebra devota lustratione, & eorum intima veneratione: viginti & septem

ptem annos apud Monasterium Sancti Sabæ, quod ab Hierosolymis in parte australi octo milliaribus distat, cum quingentis sub regulari magisterio deguit. Sanctus Eulogius scriptor ejus vitæ libr. 2. memor. Sanctor. cap. 10.

28. Julii. S. Raymundus Placentinus, cruce ab Episcopo, benedictioneque percepta, Hierosolymam profectus, loca sancta summa religione animique voluptate perlustravit. Obiit anno 1200. Ex Placentinæ Ecclesiæ Breviarii Lectionibus. Odericus Raynald. Tarvisin. in Annal. Eccles. Tom. 13. fol. 63. num. 51.

31. Julii. S. Helena Vidua & Martyr in Svecia ad videndum Sepulchrum, & locum passionis Domini, ut quondam gloriosa Constantini Mater Helena, Hierosolymam petiit. Authore S. Brynolpho Episcopo Scarensi, apud Joannem Baptistam Sollerium, in Actis Sanctor. Tom. 7. De eadem Breviarium Romanum in Offic. Propr. SS. Regni Svec. sub die 31. Julii in 2do Noct. Lect. V. *Ierosolymam ad Sepulchrum Domini contuendum & adorandum, in illis locis in quibus pedes ejus steterunt, maximo devotionis studio, religiosè profecta est.*

31. Julii. Venerabilis Arnaldus Morimundi, Abbas Cisterciensis, eodem anno 1125. deserit monasterium, quæsitus tamen discessui honestus color, peregrinatio ad Sepulchrum Salvatoris, exemplo Pontii, qui hoc ipso motivo, non multò ante Cluniacum deseruerat. Ab eodem Arnaldo plures alii consociati itineris, Adamus, Everardus, Henricus Conradusque, duo pariter Bernardo Patri affines, posteriores ab eo commendati, utrique Nobiles, utrique religiosi. His comitatus Arnaldus post multas animas ad Christum conversas, post dilatatum Cistercium, inter Germanos unus ex quatuor Ordinis Cisterciensis Patriarchis, magna illius columna à Bernardo dictus, Sponsam & ordinem deservit, Hierosolymam & nostræ Redemptionis loca visitaturus. Angelus Manrique in Annalibus Cisterciens. Tom. 1mo. fol. 160. capit. 2.

31. Julii. S. Ignatius Lojola, Fundator Societatis JESU, annô ætatis suæ trigesimô in arce Pampelonensi, cum Gallis acriter pro Patriæ defensione pugnavit, & acceptis mortiferis vulneribus, usque singulari ope Dei curatis, incensus desideriò adeundi loca sancta Urbis Hierosolymorum, dedit se in viam, voto castitatis obstrictus, & relictis armis, quæ tanquam miles secum portabat, iisque in Æde Beatæ Virginis Montisferrati suspensis, saccô vestitus, ac

pene

pene nudus, cœpit ut novus Christi miles, inediâ lachrymis, & oratione superioris vitæ peccata deflere. Et quoniam Deus eum ad majora destinarat, adeundi Hierosolymam ei mentem injecit. Minoresâ itaque discessit, solo Deo comitatus, totus à Paterna Dei providentia & nutu pendere, tametsi complures, hujus itineris comites, illi sese obtulissent, nulla in hominibus spe posita, peroptabat. In hac via ad Sanctum Sepulchrum Hierosolymam pergens, his miraculis clarus à Deo fuit: Primò in Barcinonensi Templo, Elisabetha Rosella, nobilis mulier, ut Ignatium, Peregrinum adspexit, nimio fulgore os ejus collucere, sibi visa est intueri. Deinde Romæ, cum ad dies quindecim subsisteret, multi Hierosolymitanam ei peregrinationem dehortari conati sunt, objiciendo navigationis longæ & infestæ pericula, sed obfirmatus ejus animus, omnes illorum conatus elusit. Incredibile dictu est, quanta, quàm gravia pertulerit, in tam longinqua peregrinatione, incommoda. Verùm Christus ei apparens, in quadam agri planitie adesse visus, juxta illud Josue 1mo: *Non dimittam, neque derelinquam te*, svavitate præsentiæ suæ S. Ignatium recreavit; atque ad toleranda, pro amore suo, multo duriora erexit. Et rursus novis exurgentibus Venetiis difficultatibus, & cum febri fuisset afflictus S. Ignatius; his tamen omnibus minimè vinci, aut debilitari, quin Hierosolymam ipse, Deo duce, trajiceret. Interea de more victum ostiatim quærebat, in areis noctes exigebat. Cujus Deus humilitatem & tantam mortificationem Senatori Veneto è prima nobilitate revelavit, qui ingenti metu perculsus, S. quærit Peregrinum, deprehensumque in area cubantem domum deduxit, ac per honorificè tractavit. Solvit igitur pridie Idus Julii anno 1523. quo die medicinam hauserat, & medicus manifestum ei discrimen vitæ denuntiaret; sed superioris Medici ductum secutus, brevi, inter navigandum, sanitatem recuperavit. In hac navigatione, Deus suæ præsentiæ svavitatem ei sæpiùs impertivit, ejus animum spe roboravit, & in credibili gaudio confirmavit. Tandem Hierosolymam ante diem 18. Kalend. Octobr. salvum & in columem perduxit. Magis est cogitare, quam dicere, quanta voluptate Deus eum perfudit, quamprimum sanctam illam civitatem vidit, quantâ gratiâ, in ea commorantem affecerit, quantam alacritatem attulerit, cum ea loca venerabundus adiret, quæ Deus suâ præ-

ſentiâ conſecravit, quanta conſolatione permulſerit, illius divini beneficii memoria, quod nulla mens aut cogitatio capere poſſit. Conſtituit Hieroſolymis reliquum vitæ ſuæ tempus degere, verum Deus eum ad majora vocavit. Cum deſiderii compos abſceſſiſſet à locis ſacris ſuper modum recreatus, omnem cum gaudio moleſtiam ſuperabat. Hucusque Petrus Ribadeneira in vita S. Ignatii cap. 4. Inſuper cap. 16. de eodem S. Ignatio teſtatur, quod Hieroſolymis oraret in locis ſanctis frequentius & diutius, oculis ſacram humanitatem Chriſti Salvatoris vidit, nonnumquam Sanctiſſimam Virginem ejus Matrem.

Joannes Petrus Maffæus in vita S. Ignatii cap. 14. fol. 472. Ubi verò ad loca Chriſti acerbiſſimis pœnis inſignia, & morientis in cruce Chriſti ſangvine conſecrata, atque ad defuncti Sepulchrum accederet, effuſus in lachrymas, humo pia oſcula imprimere, immortales agere Domino gratias, incredibili quadam Spiritûs dulcedine & ſvavitate compleri.

Auguſtus.

1. Auguſti. S. Peregrinus Confeſſor, apud Alpes Mutinam inter & Lucam in Italia, omnia viſitavit loca ſancta, in quibus Dominus noſter JESUS Chriſtus fuit annuntiatus, natus, baptiſatus, mortuus & ſepultus. Apud Joannem Bapt. Sollerium in Act. SS. tom. 1.

3. Auguſti. Lucianus Vir ſanctus à S. Hieronymo & Gennadio appellatus, Presbyter Eccleſiæ Dei, quæ eſt in Villa Caphar, in territorio Hieroſolymorum, die paraſceves, hoc eſt feriâ ſextâ, adveniente nocte, vidit virum ſenem, dignum ſacerdotem, albâ ſtolâ indutum, habentem ſignum ſanctæ crucis. Et hic fuit S. Gamaliel, qui S. Paulum Apoſtolum nutrivit, & legem docuit in Hieruſalem. Hic S. Gamaliel virgâ aureâ pulſavit, & dixit trina vice: Luciane, vade in civitatem, quæ dicitur Elia (id eſt Hieruſalem) ad Joannem Epiſcopum Hieroſolymitanum, & ulteriori ſermone admonuit eum, trina vice apparendo ei idem S. Gamaliel, ut vadat Hieroſolymam, & ibi inveſtiget Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus Sepulchrum Sancti Stephani Prothomartyris, Nicodemi, & Gamalielis. Lucianus igitur divinitùs admonitus, perrexit ad ſanctam civitatem & ibi adoratis locis ſacris, omnia narravit Epiſcopo Hieroſolymitano Joanni; qui aſſumptis duobus Epiſcopis Eleu-

therio de Sebaſte, & Euthonio de Jericho, venerunt ad locum revelatum Luciano, magna populi multitudine, inventis reliquiis beati Stephani, cum pſalmis & hymnis portaverunt in Sanctam Eccleſiam Sion, ubi & Archidiaconus fuerat ordinatus. Ex hac hiſtorica inventione S. Stephani conſtat Avitum Presbyterum, hominem Hiſpanum viſitaſſe Sepulchrum Chriſti; ſcribit enim in ſua Epiſtola ad Balchonium Epiſcopum Bracharenſem de hac revelatione Luciani, hoc contextu: *Et pro diſſidio Patriæ noſtræ* (nempe Hiſpaniæ) *in locis ſanctis* (nempe Hieroſolymæ) *inceſſabiles lachrymas fundens, ut vobis Dominus reſtituat libertatem & tribuat modeſtiam.* Conſtat item in eadem relatione Paulum Oroſium, vigilem ingenio, flagrantem ſtudio, utile vas in Domo Dei deſiderantem; de illo ſcribit S. Auguſt. Epiſtol. 12. profectum in Palæſtinam ad S. Hieronymum, & protunc fuiſſe Hieroſolymis, & adorata Cruce & Sepulchro Chriſti, aliis locis viſitatis, ab Avito ſacra ſancti Stephani pignora, ſecum in occidentem detuliſſe. Baronius anno 415. Ex eadem relatione Translationis Corporis S. Stephani, quæ habetur apud Surium, conſtat Alexandrum quendam Senatorem Imperatoris Conſtantini Auguſti, viſitaſſe Sepulchrum Chriſti, qui ibi ædificavit Oratorium S. Stephani, & ipſe una cum Joanne Epiſcopo recondivit reliquias S. Stephani, ibi Corpus ejus poſt obitum ſepultum fuit ab Epiſcopo Hieroſolymitano juxta S. Stephanum. Et Juliana ejus uxor, dum profecta eſt ad Cyrillum Epiſcopum Hieroſolymitanum, & accepit Corpus S. Stephani loco ſui mariti, quod & Conſtantinopolim transtulit, exiſtens protunc Hieroſolymæ hæc devota mulier, non impigrè ſanctum adiit, & viſitavit Sepulchrum Chriſti.

S. Marana, & Cyra, fœminæ rigidiſſimam vitam ducentes, 3. Auguſti.
deſiderantes contemplari ſalutaria loca Chriſti, paſſionis & reſurrectionis, venerunt Hieroſolymam: & cum in via nihil cibi ſumpſiſſent, poſtquam in Urbem venirent, & locum Calvariæ ac Sepulchri Chriſti viſitaſſent, modoprimum cibum ſumpſerunt, & reverſæ jejunè iter confecerunt: erat autem iter viginti dierum. Oſtendentes, qui jejuni accedunt, ſatiantur à Chriſti Sepulchro, & jejuni à vitiis iter viæ conficere debent. Theodoretus cap. 29.

S. Petrus Epiſcopus Anagniæ, cum Boamundi exercitu naviga- 3. Auguſti.
vit in orientem, ibi ſuper mel & favum percipiens Spiritûs conſo-

lationem, ex visitatione S. Sepulchri; ibidem permanere usque ad mortem statuit. Sed a beato Magno Ecclesiæ ejusdem Patrono, admonitus fuit, ut impletis votis suæ peregrinationis, ad suam regrederetur Ecclesiam. S. Bruno Signiæ Episcopus in vita ejus.

3. Augusti. S. Nicodemus, de quo sic Ægidius Carlerius, Decanus Ecclesiæ Cameracensis, Orat. in concil. Basilæens. apud Binium tom. 4. fol. 321. *Venit peregre visitare Sepulchrum Domini, cum mixtura myrrhæ & aloës, quasi librarum centum.*

8. Augusti. S. Quardus, Famianus dictus, Coloniæ Agrippinæ, Gothscalco patre, matre Gvimerâ natus, Gallesii patrocinio, & fama crebrescentium miraculorum celebris; expletô tyrociniô monasticæ vitæ, atque altero annô peractô à professione. *Cum duos* (inquit Author vitæ ejus) *annos, in Sancti Laurentii Ecclesia complevisset in vita regulari, atque maxima observantiæ illius perfectione, & de abbatis licentia, Hierosolymam iterum profectus est, Sepulchrum Domini gloriosum, humiliter & devotè visitaturus. Et annis tribus in sanctorum locorum peregrinatione consumptis, ab omnibus semper charitativè & benignè susceptus est.* Angelus Manrique anno 1149. cap. 7. num. 9. De eodem Sancto, Aubertus Miræus de Orig. Ord. S. Benedicti ita scribit: *Inde Syriam profectus, Sepulchrum Domini nostri JESU Christi, aliaque Palæstinæ loca summo devotionis affectu perlustravit.*

12. Augusti. Mater S. Claræ, nomine Hortulana, fructi feram in horto Ecclesiæ plantam paritura, perrexit ad hortum Monumenti Christi, & fructibus bonis & ipsa non mediocriter abundabat, dum se cultricem Sepulchri Christi Hortulana exhibuit. Vacabat divinis obsequiis, insistebat operibus pietatis. Ultra mare siquidem cum peregrinantibus, devota transivit, & loca illa perlustrans, quæ Deus Homo sacris vestigiis consecraverat, tandem cum gaudio remeavit. Apud Surium in vita S. Claræ. Vixit anno 1220.

15. Augusti. S. Arnulphus Svessionensis Episcopus, habuit sororem Odam, quæ ab infantia sacris eruditionibus instituta, in virginitate voluit permanere. Ea jam grandæva, & Deo sacrata permanens, magnô Hierosolymæ, toties in scripturis memoratæ, pia devotione invisendæ desideriô accensa est. Cumque eo pervenisset, obsecravit fratrem suum Arnulphum, ut à Domino impetraret, ne priùs alter eorum moreretur, quàm mutuo conspectu potirentur. Lisiardus

ſiardus Epiſc. Sveſſionenſis in vita ejus, cap. 43. Vixit anno 1050.

S. Joannes (poſtea Eliæ junioris nomine appellatus) Hieroſolymis peregrinus, ab Elia Patriarcha in cænobio ad cæleſtia eruditus, vaticiniis clarus, & magnus virtutis magiſter factus; ſub tanti Magiſtri exiſtens diſciplina Hieroſolymis, ſine dubio S. Sepulchrum viſitavit. Annus Cæleſtis, Nadaſi. 17. Auguſti.

S. Mammetem Martyrem, ſeu Mamnatem viſitaſſe Sepulchrum Chriſti, conſtat ex eo; quia Corpus hujus S. Martyris Hieroſolymis quievit: patet id ex vita S. Radegundis Reginæ apud Surium, 13. Auguſti, in qua ſic legitur: Perlatum eſt ad eam S. Mammetis Martyris, ſacros artus Hieroſolymis quieſcere. Itaque virum venerabilem Reculum Presbyterum ad Patriarcham Hieroſolymitanum transmiſit, petens Beati Mammetis pignora ſibi donari. Patriarcha cum populo veniens ad Sepulchrum S. Martyris, leni attractu digitus è manu amotus eſt. Cum eum digitum Vir Apoſtolicus, eo, quo poterat honore Beatæ Radegundi miſit. Ab Hieroſolymis verò Pietavos usque in ejus honorem ſemper divinæ laudes promebantur. Fortunatus Epiſcopus, & Bandomina Abbatiſſa Dydimia cap. 13. 17. Auguſti.

S. Helena Conſtantini Mater, piæ mentis & affectionis erga Deum munus impertiri volens, & pro filio ſuo, pro Imperio, pro ſuis chariſſimis nepotibus, gratias agendas pataret, ſingulari conſilio, & animi cogitatione verè Regia & Sancta, ingraveſcente ætate, itineris moleſtias & labores, ſuſcipere non recuſavit, propere inſtar adoleſcentulæ Hieroſolymam venit, ſacroſanctam terram oculis conſpectura, quam Incarnationis, Paſſionis Reſurrectionis & Aſcenſionis Sacramentis Dominus Redemptor impleverat; illisque locis debitam venerationem adhibuerat convenienter prophetico ſermoni: Adorabimus in loco, ubi ſteterunt pedes ejus. Nicephorus. Euſebius. Socrates, & alii plurimi. In Orat. in Exaltatione S. Crucis, Authoris incerti ſic refertur: *S. Helena beatiſſima & ſanctiſſima Mater Conſtantini, pervenit in ſanctam civitatem Hieruſalem, ſtudiô viſendi ibi veneranda & ſancta loca, & adorandi venerandum ac Divinum Sepulchrum.* 18. Auguſti. Martyrol. Rom.

S. Bernardus Claravallenſis Abbas, in Concilio Carnotenſi pro decernenda expeditione liberationis terræ ſanctæ & Ssmmi Sepulchri, 20. Auguſti.

chri, omnium consensu, totius Belli Dux, & Princeps militiæ electus. Tuba tamen vocali principem egit hujus sacræ militiæ, dum verbis docens, concionibus, sive scriptis literis, sequentibus tamen, iisque multiplicibus cælestibus signis, confirmantibus sermonem ejus; oratorem terræ sanctæ, & thaumaturgi Sepulchri Salvatoris, agit efficacissimum, dum populum orientalium Franciæ & Bajoariæ, Brixienses ad eandem sacram expeditionem animat, & propositâ, inter alia motiva, ignominiâ, quæ fit S. Sepulchro, Ludovicum Regem Francorum, Henricum Blesensem; item Conradum Regem Romanorum, cum cæteris Germaniæ Principibus, authoritate Eugenii Papæ, ad sacrum bellum pro Christi Sepulchro, cruce signat; cœcum illuminat in testimonium prædicatæ jussu Dei expeditionis sacræ. Galli prædicatione S. Bernardi adeo commoti, ut pene omnes, militiæ sacræ se dederint & feliciter in Palæstinam & Hierusalem ad S. Sepulchrum devenerunt. Baronius anno 1146. num. 2.

25. Augusti. Gvillelmus de Nangis in Vit. S. Ludovici.

Temporibus S. Ludovici, Regis Franciæ, post Concilium Lugdunense, sub Innocentio IV. anno Domini 1245. Odo Episcopus Tusculanus, Legatus Sedis Apostolicæ, dum per totam Franciam prædicabat, ut Nobiles Franci bellatores, pro liberatione Dominici Sepulchri, & Urbis Sanctissimæ Hierusalem, signum crucis acciperent sacrosanctæ, Mater S. Ludovici Blanchia examis ferè, imò vix non ex animato corpori, dum sanctam crucem in Franciam delatam, applicari jussit; mira res statim oscitavit, halitus faciens & suspirans, signo se crucis signari postulans, vovit se terram sanctam adituram & S. Sepulchrum visitaturam. Quod & factum est; refert Matthæus Wesimonasteriensis. S. vero Ludovicus coram suis Baronibus & Principibus Regni sic respondebat. Quod ad Sepulchrum Domini se voverat, & propter hoc specialiter crucem assumpserat. Author verò, qui vitam sancti Regis conscripsit, testatur: *Sanctum Domini nostri JESU Christi Sepulchrum cum magna devotione visitavit, & reverenter ardentissimoque fervore complexus & deosculatus fuit.*

29. Augusti.

De Inventione capitis S. Joannis Baptistæ, apud Metaphrast. Duo Monachi ex Oriente profecti, cum eos teneret desiderium conspectu sacrorum locorum Christi passionum, veniunt Hierosolymam. Vel ut Marcellinus habet ob adorandam apud Hierosoly-

ſolymam Chriſti Domini reſurrectionem introeuntibus. Alteri eorum dormienti, apparens S. Joannes Baptiſta, indicavit ubi lateret caput ejus.

B. Avilus Vicecomes Aurelianenſis, rebus ſuis in alimenta pauperum, & locorum ſacrorum ædificationem piè diſtractis, ut nudum Chriſtum nudus ſequeretur, cupidine religionis Romam ad limina Apoſtolorum Petri & Pauli, hinc Hieroſolymam ad Sepulchrum Domini profectus eſt, quo in itinere omnia Sanctorum monumenta perluſtravit. Sauſſeſſius ex manuſcriptis codicibus Eccleſiæ Aurelianenſis apud Surium. Vixit anno 590. 30. Auguſti.

S. Bononius Abbas Lodecenſis, captos in Ægypto Chriſtianos, inter quos fuit & Petrus Epiſcopus Vercellenſis, navi impoſitos, poſtquam mare tranſiſſent Hieroſolymam perduxit. Petrus Vercellenſis in ſuam Patriam reverſus. Sanctus verò Bononius magnarum virtutum ſignis ita inclaruit, ut gratiſſimo ſanctiſſimæ vitæ ſuæ opinionis odore, Hieroſolymam, & vicina Hieroſolymis loca impleret. Ex Codicibus Eccleſiæ Cathedralis Vercellenſis apud Surium. Vixit anno 1000. 30. Auguſti.

September.

S. Adamannus Presbyter, Abbas Huenſis, commentarium de locis ſanctis contexuit; de quo hæc Beda libr. 5. cap. 16. Scripſit idem vir (Adamannus) de locis ſanctis librum, legentibus multum utiliſſimum, cujus auctor erat docendo ac dictando Galliarum Epiſcopus Arculphus, qui locorum gratiâ ſanctorum, venerat Hieroſolymam, & luſtratâ omni terrâ promiſſionis, ac poſt multa ad memoratum Chriſti famulum S. Adamannum perveniens, ubi doctus in ſcripturis, ſanctorumque locorum gnarus eſſe compertus eſt, libentiſſime eſt ab illo ſuſceptus, libentius auditus, ut quæque ille ſe, in locis ſanctis memoranda, digna vidiſſe teſtabatur, cuncta mox ille literis mandare curaverit. Fecit opus multis utile. Porrexit autem hunc librum S. Adamannus Alfrido Regi, & ſcriptor multis ab eo muneribus donatus in patriam remiſſus eſt. Quam relationem Bedæ citans Baronius anno 609. ſubjungit: *Accidit namque Dei beneficio, ut Eccleſia Anglicana ſicut & rerum, ita & locorum ſanctorum*, (adeoque & Sepulchri Chriſti) *ſcientia pariter imbueretur.* 2. Septembr. Ferrarienſis.

3. Septembr. S. Brocardus, natione Hierosolymitanus, præcipua Sanctitate conspicuus, Hierosolymis visitans loca sancta, in iis, & pro illis ita orabat: O piissime Deus etsi omni miseratione tua sumus indigni, tamen parce nomini tuo magno, parce obsecro locis sacris, ecce jam multæ Ecclesiæ sunt, te permittente, destructæ, ut ubi paulo ante Christiana religio viguit, nunc sacrilega Machometi figmenta coluntur. Vita ejus in Oratione Parænetica Thomæ Bradley, Episcopi Dromorensis Capit. 1mo.

11. Septembr. S. Paphnutius Abbas, in Palæstinæ partes veniens, Hierosolymam venit, ad adorandum Crucem & Sepulchrum Christi. Protinus Monasterium expetivit, quod non longe fuit à spelæo in quo Dominus Jesus ex Virgine nasci dignatus est. Joan. Cassianus lib. 5. cap. 31.

12. Septembr. S. Gwido seu Wido Confessor Anderlacensis Bruxellæ, nec diu post pro viribus, ad iter rebus necessariis comparatis Romam profectus est, atque inde Hierosolymam loca sacra aditurus, ac deinceps per septennium sanctorum Ecclesias, toto pene orbe invisit. Cumque Deo duce Romam revertisset, Virum venerabilem Wonedulphum in pago Brabantensi Decanum, cum aliis itineris ejus comitibus Hierosolymam petituris invenit, quos ille agnovit jam olim notos, sed non est agnitus ab eis. Tandem agnitum eum, in terram prostrati adorant, & submissè admodum, his cum verbis deprecantur: Quandoquidem Pater Sanctissime, te sola huc, ut credimus, gratia adduxit, & adhuc peregrinationes suscipere, & multa pro Deo perpeti paratus es, obsecramus te ut nobiscum Hierosolymam proficiscaris. Audiens autem S. Gwido, ut erat pientissimus, inquit: Charissimi Fratres mei, vobiscum, non solum ire Hierosolymam, sed & ipsam amittere vitam, vestri causa, si res postulat, paratus sum: Adepti Viri Sancti consortium, post multas itinerum fatigationes & labores, tandem Hierosolymam ad loca sancta perveniunt. Surius in vita ejus. Vixit anno 1080.

13. Septembr. Hac die ponitur in Menologio Dedicatio Ecclesiæ S. Sepulchri his verbis: *Encænia Sanctæ Christi Dei nostri Resurrectionis.* Quamvis hæc Dedicatio ejusmodi Ecclesiæ fuerat 14. Septembris in Festo Exaltationis S. Crucis, ut Nicephorus testatur: *Erat is decimus quartus, Mensis Septembris dies, qui ab eo tempore in Ecclesia Hierosolymitana quotannis publicè ab omnibus festus & celebris agitatus est,*

octo

octo ex ordine diebus conventibus celebrandis. Sed ne duo tam solennia Festa in eandem diem incidant, præponitur anniversaria Dedicationis dies Ecclesiæ S. Sepulchri. De hoc Festo testatur S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, in sua Oration. in Sanct. Resurrect. his verbis: *Resurrectionis Encænia sunt, quis fidelium non renovabitur, omni illa morte, quam passiones, & immoderatæ cupiditates afferunt, repulsâ; animæque immortalitate & in corruptione indutâ?* Et infrà: *Hodie Resurrectio expanditur, cras Crux in edito loco.* Item: *Olim Crux Resurrectionem antecedebat, nunc verò Resurrectio dux, & velut anteambulo Crucis est. Si igitur resurrectionem colimus* (nempe in Dedicatione Ecclesiæ idem veneramur) *& hujus festum feriamur, vitam quoque novam diligamus.* In hac igitur primaria Dedicatione templi, hac die, quæ contigit anno 335 anno trigesimo Constantini, ut hoc tempus accommodatissimum videatur triduanæ Sepulturæ Christi, tantum recense catalogum visitantium Sepulchrum Christi, quantus fuerit magni nominis Orthodoxorum, & Sanctorum Metropolitanorum Episcoporum, ad Dedicationem Basilicæ convocatus cætus. Ex Macedonia Alexander Antistes Thessalonicensis, Miles ex Persia, post Martyres: ex Syria, Mesopotamia, Phœnitia, Arabia, Palæstina, Ægypto, Africa, & gente Thebana; omnes hos recense Episcopos, qui genuinam fidem Romanæ Ecclesiæ profiterentur, & Monumentum Christi adorarent. Recense ipsum S. Constantinum Imperatorem, cujus jussu, dum idem templum consecratum est, sentiendum hunc Imperatorem, regali protunc pietatis affectu, in sanctum propendisse Sepulchrum: *In quo Imperator Martyrium* (id est Ecclesiam Resurrectionis) *consecrans* (seu demandans consecrari) *circa ipsum Salvatoris Monumentum, quasi donum quoddam pacis, omnium bonorum largitori offerre visus est.* Donum nempe pacis, reconciliationis suæ intimæ cum Deo, per pacem Ecclesiæ Sanctæ factam, & suæ religionis erga Ecclesiam Catholicam & Apostolicam. Recense in illa anniversaria templi Dedicatione, Christianæ religionis numerosissimam visitationem S. Sepulchri: de qua sic testatur Nicephorus libr. 8. cap. 50. *Quibus diebus ex omni terrarum orbe, homines conveniunt, & ad festos conventus concurrunt, arcana sacra peracturi, & loca sancta cognituri & veneraturi.* Sozomenus addit: *Ex quo tempore Hierosolymitana Ecclesia, quotannis diem fe-*

stum splendide admodum celebrat, adeo, ut in eo initiationes Sacrorum peragantur, & dies octo deinceps fiant: compluresque ex omnibus totius orbis terræ partibus, qui undique ad sacra loca visenda confluerent, tempore quo dies festus celebrabatur, eò convenerunt. Recense demum agmen illud visitantium S. Sepulchrum, eo jam tempore, quo singulis expost annis Ecclesia Hierosolymitana, hac die encænia obibat: de quo concursu testatur S. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus, Orat. in Crucem & S. Resurrect. *Arbitramur autem, nobisque, conjecturâ ducti persvademus, eos, qui ex finibus terræ ad utriusque adorationem* (nempe Sepulchri & Crucis) *sese conferunt, hujus subsecutionis & antegressionis causam fuisse, ut obito prius & celebrato, lætissimo & splendidissimo Resurrectionis Festo* (hoc est Dedicationis S. Sepulchri, de illa enim totus Sermo hujus Præsulis est) *post hoc autem statim Crucis Exaltatione conspecta, potentissimum ejus comitatum, quasi egregium & salutare viaticum secum asportent.* Considera in his verbis, adorationem Sepulchri & crucis esse salutare viaticum. Et ex inferiori contextu Sermonis S. Sophronii, eo tempore habiti, patet, virtutem adorationis Crucis & Sepulchri, proficiscentium esse omnium incommodorum profligatricem, quod immensa hæc virtus venerandæ Crucis & Sepulchri, omnes fines terræ complexa sit, quod eripiat fideles ex cunctis difficultatibus, salutemque piis conciliet, & omnium hostium consilia irrita reddat. De eadem multitudine confluente, Theophaneus Cærameus eloquentissimo ore profert: *Video hodie magni hujus templi venerandam domum cælestes orbes imitari, & Sanctissimum hoc pavimentum, floriferi instar prati varietate congregati populi picturatum & exornatum. Sacri hujus Cleri cœtum, qui in medio stipat Sepulchrum & Crucem Dominicam.* Quia nimirum die Dedicationis Ecclesiæ S. Sepulchri, tam multi sancti & devoti populi adibant ad S. Sepulchrum & Crucem, ut ferme diceres, cælestem orbem protunc ad illa confluxisse, & pavimentum illud floriferi in horto monumenti Christi, tanta exornabat & depingebat multitudo, varii congregati populi, velut flores adornant prata. Tantus fuit sacer Cleri cœtus, qui stipabat undique Sepulchrum Christi, & varietate virtutum decorabat. Anniversaria igitur hæc dies Dedicationis Ecclesiæ S. Sepulchri, ad vitalem resurrectionem, quæ gloriam nobis peperit, à finibus orbis audivit exultationem, pronuntiante

tiante Macario Archiepiscopo Philadelphiensi, in Festo eodem, dum lætantium conventus, à finibus terræ collectus, & ex omnis conditionis hominibus constitutus, adorationis causa Crucis & Sepulchri, Hierosolymam divertebat.

Exaltatio S. Crucis, quæ alioqui licet alibi terrarum, specialiter tamen in Ecclesia Hierosolymitana celebrabatur. Unde huic ordini celebrationis, subserviunt verba illa S. Hieronymi: *Cùm de Anastasi pergeretis ad Crucem*; hoc est, cum absolvimus visitationem Templi S. Sepulchri, recurrimus ad Templum S. Crucis. Hac die in loco *Hieratheon* dicto, è Cathedra sublimi, quam Andreas Cretensis Archiepiscopus vocat *Speculam*, à Patriarcha Hierosolymitano, sive ab Episcopo, aut Prælato digniore & sanctiore Ecclesiæ S. Sepulchri (sub quorum Canonicorum custodia erat lignum sanctæ crucis) eadem crux Christi, in qua pependit demonstrabatur publicè honoranda. Festi hujus rei est Author ille, qui vitam S. Theodosii, de quo supra in Catalogo 11. Januarii, scripsit, dum inquit: *Hieratheon, locus est Cathedræ, quam fama est excitasse Constantinum Magnum, in qua mos est, qui perpetuo servatur, ut Crux quotannis exaltetur veneranda.* Ad istam exaltationem, Græci Macedones, & Thessali, Præones & Illyrici, Athenienses & Argivi, Lacones, Parthi, Medi, Elamitæ, & qui habitabant Mesopotamiam, Ponthum & Asiam, Egyptum & partes Lybiæ, circa Cirenen Getes & Arabes, Indi & Æthiopes, & Homeritæ, & cæteræ nationes, quascunque sol intuetur, spretis propriis erroribus, crucis signaculô receptô, Crucem adorabant, fugientes implicatas & sinuosas diaboli catenas; habetur in Authore incerto, in adorationem venerandæ Crucis, hac die apud Gretser de Exaltatione Sanctæ Crucis. Certissima tamen omnibus hæc res est, quòd præter ingentem populi diversi turbam, iverunt multi Sancti & Sanctæ ac piissimæ vitæ homines innumeri; ut habetur in vita Sancti Simeonis Sali Abbatis, apud Surium 1ma Julii: *Norunt autem omnes, qui illic adesse consvevêre, in hoc sancto & omnibus laudibus celebrando Festo, quòd ex universo fere orbe terrarum concurrit multitudo populorum, quæ Crucem, Sepulchrum, & Christum diligit.* Sic huic Festo præsentes aderant, S. Euthymius, Anastasius, Porphyrius, Simeon, Maria Ægyptiaca, Cosmas Cappadox vir sanctissimæ vitæ, aliique tot innumeri visitato- 14. Septembr.

 tato-

tatores S. Sepulchri, qui eadem die veniebant Hierosolymam ad adorandam sanctam crucem in Festo Exaltationis ejusdem. Qui enim veniebant adoraturi crucem, iidem quoque Sepulchrum Christi adorabant. Cui consonat id, quod S. Chrysostomus, Orat. in venerandam crucem ait: *Nos verò sincerè adoremus vivificas Christi passiones, Crucifixionem, Sepulturam, ex mortuis post triduum Resurrectionem, ut simul cum ipso resurgamus, & glorificemur, si compatimur, quemadmodum divinus Paulus prædixit.*

22. Septemb. S. Mauricius in legione Thebæorum Princeps & Signifer, Exuperius & Candidus Senator, quæ legio Thebæorum sex millia sexcentos sexaginta sex viros, validis armis, maxime nobilitate fidei, & armis justitiæ Christianæ, habebat exemplo. Hi igitur milites dum Christianæ religionis ritum Orientali traditione, à Hierosolymitanæ Urbis Episcopo susceperant, fidemque sacram virtuti & armis omnibus præponebant; ut Eucherius Lugdunensis Episcopus in vita S. Mauricii scribit, & hunc ritum virtuti eorum & fidei militantem suscepisse haud dubium, quòd in documentum Christianæ religionis, Hierosolymæ Sacrum Sepulchrum & alia loca, illa militia Christiana, penitus invisere non prætermisit.

22. Septemb. S. Silvanus Episcopus Nazarenus, claruit tempore Honorii Imperatoris. D. Hieronymi auditor fuit, ejusdemque moribus ac sanctitate vitæ adeo imbutus, ut post ejus obitum, Hieronymus novus diceretur. Adeoque & ea imbutus fuerat sanctitate, ut & loca sancta Hierosolymis sæpius inviseret, præsertim in vicinitate existens eorundem. Et ad Bethleem, locum videlicet Magistri Hieronymi, ad tempus mansurum se transtulit; ut apud Petrum de Natalibus habetur. Statuto die cum Cyrillo Hierosolymitano Episcopo, contra Sabinianum & alios hæreticos, ad disputandum convenerat. Hæc familiaritas sancta ac pium studium S. Hieronymi in Palæstina degentis, argumentum evidens est visitationis locorum sacrorum; adeoque & Sancti Sepulchri; ejusdem S. Silvani; de quo idem Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctor. Libr. 8. Capit. CIII. 10. Calendas Octobr.

24. Septemb. S. Gerardus Episcopus Canadiensis, de quo Baronius ad annum Christi 1042. Hic nobilis Venetus, ab ineunte ætate Monasticum amplexus institutum, pergens Hierosolymam, rediens, in Hungaria à S. Stephano Rege detentus, illic consistere cogitur.

Petrus

Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctorum Libr. 3. Cap. 145. hoc habet vitæ ejus compendium: *Gerardus Episcopus & Martyr, Venetiarum Civitate oriundus, à pueritia Deo devotus. Ecclesiæ S. Marci Canonicus fuit. Sed ad vitam arctiorem anhelans, Religionis habitu suscepto, dum ad Sepulchrum Dominicum pergeret visitandum, Pannoniam devenit, ubi à S. Stephano Christianissimo Rege Hungariæ, qui eum servum Christi cognovit, retentus est, dimissisque sociis, cum quibus pergebat, ibidem mansit.* Laurentius Surius de eodem sancto in vita ejus ad diem 24. Septembris: *Lumen lucis per Venetos parentes sortitus, Dei gratia illum præveniente, ab ipsa pueritia cœpit Domino Nostro JESU Christo esse devotus. Cum sic igitur sincerô animô sanctam vitam duceret, cupido ei incessit, Dominicum Sepulchrum invisendi, ut Christum, qui cum dives esset, propter nos egenus factus est, inops ipse & pauper sequeretur. Egressus itaque de terra, & de cognatione sua, tendebat ad Orientem.*

S. Thyemon, sive Theodomarus, Archiepiscopus Salisburgensis, Martyr in terra sancta, eo tempore, quo Deus initium misericordiæ suæ instillavit, ut civitas sancta Hierusalem & Sepulchrum Christi, de jugo gentium liberaretur sub Duce Godefrido, qui cum aliis, quos idem spiritus repleverat, primoribus, septuaginta millia expeditorum adduxerat, acceptâ victoriâ, & recuperatâ Hierosolymâ ac Sepulchro Christi, Rex Hierusalem creatus. Iterum opus adjuvare pro nomine Christi conflagraverunt ex Almannia Bavari, Svevi, tam proceres nonnulli, quam populares. Caput horum & sidus, ut ita dicam, quo cuncti regerentur per mare, Sanctus Thyemon factus, simul cum Duce Welfone Hierosolymitanæ peregrinationis iter invadit. Veniens igitur cum omnibus constante corde, dum Sepulchrum Christi, locaque sacra pristinæ restituta libertati, piissimè adorasset S. Præsul, ibidem Saraceni, recenti amissione Hierusalem & victoria Christi, nimium virus odii vix continent, dum in peregrinos Sepulchri Christi sæviunt, hac etiam rabie efferati, tyrannicè cruciant Sanctum Thyemonem, cutem corporis detrahunt. Venerabilis Episcopus passionum Christi ab adoratione crucis exemplum factus, & à spectato Monumento, immortalitatis coronâ per Martyrium decoratus. Ex vetusto Codice Salisburgensis Monasterii, ex Henrico Canisio antiquæ lectionis. Vixit anno 1090. 28. Septemb.

S. Eusto-

28. Septemb. Martyrol. Rom. S. Euſtochium, Divæ Paulæ Matronæ ex Gracchorum & Scipionum Nobiliſſima & antiqua familia prognata matre, ſanctiſſima filia, ad imitationem ſuæ genitricis, ſingularibus virtutibus & ſtudiis plurimùm inſignita, ut ſuo tempore ſanctimoniæ & honeſtatis prodigioſa appellaretur. Sanctæ Paulæ matris ſuæ propoſiti & navigationis ad ſacratiſſima Domini Noſtri JESU Chriſti loca comes fuit. Sumptis itaque fidei alis, Hieroſolymam & ſancta loca videre cupiebat; teſte S. Hieronymo in Epiſtola ad Euſtochium virginem. Quæ adhuc adoleſcentula, nobilisque & delicata, cùm primum eunuchorum portaretur manibus, quodam incredibili ardore ſuccenſa, & ipſa aſello humili ſedens, univerſa ſacra Domini noſtri loca, cum reliquis virginibus peragravit, inviſitque ac perluſtravit, ut meritò hoc à S. Hieronymo titulo nominetur: *Euſtochium, quæ nunc in ſanctis locis, virginitatis & Eccleſiæ monile pretioſum eſt.* Sancta hæc virgo clariſſima genere, ſanctitate celeberrima, tertia filia S. Paulæ, triginta quinque annos exegit in Bethleemitica manſione; perpende, quantis illa vicibus corporaliter & ſpiritualiter viſitabat Sepulchrum Chriſti! S. Hieronymus. Bergomenſis. Vixit anno 430.

29. Septemb. S. Quiriacus Anachoreta, cùm divinis deditus eſſet ſcripturis, & eas aſſiduè verſans, apud ſemetipſum mirabatur, quomodo Verbum, cùm Deus eſſet, factus Homo ſine mutatione, quomodo & ſepultus & reſurrexit, divinô zelo inflammabatur, & ei veniebat in mentem valedicere mundo, & iis, quæ ſunt in eo, & ad ſanctam civitatem venire, & ſanctè vivere in ſancto loco. Quodam itaque die Dominico, cùm Divinam audiiſſet vocem in Evangelio: *Si quis vult poſt me venire, tollat crucem ſuam, & ſequatur me;* rem minimè diſtulit, neque parvo tempore ſubſtitit, aut conſideravit; ſed ſuam ſententiam ſtatim deduxit ad effectum. Itaque tacitè egreſſus ex Eccleſia, & aſcendens navem, quæ veniebat in Palæſtinam, ſummô ſtudiô accedit Hieroſolymam, jam decem & octo annos natus; nonô quidem annô Imperii Magni Leonis, octavô autem Anaſtaſii Hieroſolymorum Pontificatus. Cùm illinc veniſſet in ſanctam civitatem, omne ponebat ſtudium in viſitandis locis ſanctis, & hiemavit apud inſigne Monaſterium, prope ſanctam civitatem Sion conſtructum. Vixit anno 470. Metaphraſtes in vita ejus.

S. Hiero-

S. Hieronymus, Ecclesiæ Doctor, relictis, ut ipse testatur in Epist. ad Eustoch. domo, parente, sorore, & cognatis circa annum 371. Hierosolymam, religionis causâ militaturus accessit, ibique aliquandiu in sanctis locis Hierosolymæ mansit. Ordinatus Presbyter à S. Paulino, Antiochiæ Præsule, non semper Antiochiæ mansit, sed etiam Hierosolymæ, & ibi revisebat loca Christi. Antiochiâ cum S. Paulino Antiocheno, & Epiphanio Salaminæ Cypri Episcopo, ad Damasum Papam venit Romam, & eo instante, secundùm Hierosolymitanæ Ecclesiæ consvetudinem, Romæ cantari cœptum est Alleluia; sunt S. Gregorii verba: *Ut Alleluia hîc diceretur, de Hierosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione, tempore beatæ memoriæ Damasi Papæ traditur tractum.* Quod etiam intelligentes potestates, è Calvaria ad Sepulchrum, usque venientes, cum pretiosis muneribus, invisibiliter acclamabant hymnum Cherubicum Alleluia; teste S. Germano in Contemplat. Rer. Eccl. Mortuo Damaso Papa, Hierosolymam iterum navigavit; quam profectionem suam sic describit idem S. Hieronymus, in Apolog. adversùs Ruff: *Vis nosse profectionis meæ de Urbe ordinem? narrabo breviter: Mense Augusto, flantibus Ethesiis, cum S. Vincentio Presbytero, & adolescente fratre* (nimirum Pauliniano, ultimo loco natum, Romæ dum esset, ut veniret accersivit) *& aliis Monachis, qui nunc Hierosolymis commorantur, navem in Romano portu securus ascendi, maxima me Sanctorum frequentia prosequente &c. media hieme & frigore gravissima, intravi Hierosolymam.* Et subdit, quænam ibi, visitando loca sacra, viderit miracula: *Vidi multa miracula, & quæ priùs ad me fama pertulerat, oculorum judicio comprobavi.* Nimirum illa fore existimo, quæ ipse in ante enumeravit, quæ ad Sepulchrum Christi fieri solebant; variis dæmones cruciatibus torqueri, & tremere velut coram Judice; energumenorum varios prodigiosos reddere actus, & cætera, quæ ordinariè in sanctis fieri solent locis. Quantam ergo pietatem, exhibuit in loco S. Sepulchri, & aliis locis, S. Hieronymus, testantur ipsa scripta ejus, vita & claritas sanctitatis: Testantur pia opera exhibita peregrinis Hierosolymam venientibus, ad adorandum Sepulchrum Christi, quorum gratiâ, quod adhuc supererat patrimonium in Dalmatia, missô illuc fratre Pauliniano, distraxit. Si peregrinis Sepulchri Christi id exhibuit, quantùm intensissimus

30. Septemb.

fuit in ſedulo officio viſitandi Sepulchri Chriſti. Patet ejus pietas ex contextu literæ ad Pammachium, de Joanne Epiſcopo Hieroſolymitano: Tuæ verò Sanctimoniæ, pro optima valetudine, quaſi ad finem perducta ſit, deprecamur in ſanctis locis nocte ac die, ut ei reddat perfectam mercedem, & coronam vitæ largiatur. Tanta fuit devotio in locis ſanctis S. Hieronymi, adeoque & penes Sepulchrum Chriſti, ad quod ſæpiſſimè orabat, & animo perſiſtendi ad illud, eum inveteratum ſemper tenebat deſiderium. *Nos in Oriente tenuerunt jam fixæ ſedes, & inveteratum locorum ſanctorum deſiderium*; ſcribit in Epiſt. ad Oceanum. Eundemque usque ad decrepitam ætatem, in locis vixiſſe ſanctis, ſcribit S. Auguſtinus, Epiſt. 113. Propter quam diuturnam Hieroſolymæ ad loca ſancta commorationem S. Hieronymi, placuit Adriano Papæ, in calce Epiſtolæ ad Conſtantinum & Irenem, Hieronymum Presbyterum Hieroſolymitanum nuncupare. Advertit Simon Majolus, Epiſcopus Aſtenſis Centuria 5ta.

October.

4. Octobris. De S. Franciſco Confeſſore, Piſanus libr. 2. Conformitat. Tract. 7. hæc habet: *Sæcularis exiſtens, ob reverentiam Apoſtolorum Romam ivit. Factus autem Frater, viſitavit pluries limina Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Jacobum de Gallicia, & Domini Sepulchrum.* Hieronymus Manipetus, in ſuo Heroico Pôémate in vitam S. Franciſci, approbato à Clemente VII. ſic canit: *Sancti ſimul intravere Sepulchri. Eximias illas Ædes, quod nobile Magnæ. Quondam Helenes opus, aſſiduis confluxibus orbis. Terrarum colitur &c.* Quareſmius pag. 159. Tom 1. *Franciscus pro Chriſto pati ſperabat, extra Jeruſalem, prius in ſanctam profectus fuerit civitatem, Deo ſe commendaturus, ac denique ut ſacratiſſima loca veneraretur. Ad quæ virum piiſſimum toto ſpiritu anhelaſſe, quis dubitabit?* Didacus de Cea in Theſaur. Terr. ſanct. libr. 1. cap. 5. fol. 44. *Aſcendit Franciscus terram ſanctam, ſacræque Palæſtinæ regionem. Ibi Sepulchrum Salvatoris Noſtri incredibili affectu inviſit. Nec inviſiſſe ſemel tantæ devotioni ſatis fuit, viſitationem repetivit,* & fol. 103. Bina vice illuc iter inſtituiſſe S. Franciscum aſſerit, diutiusque immorari placuit, quoniam Redemptoris quondam viventis, operantis & morientis amore tenebatur; quod ipſum & Mirandulanus ſentit. Hinc S. Franciscus

ciscus ſicut conformavit ſe Chriſto in paſſione, in monte ſtigmata Chriſti, corpori ſuo impreſſa recipiens, ita & Sepulturæ Chriſti; dum ſepeliri non alibi voluit, niſi in loco latronum ſub patibulo extra civitatem Aſſiſii, in Sepulchro pariter novo, in quo nondum quisquam poſitus erat, ex lapide excavato, ad memoriam ſimilis ſitûs, & qualitatis Sepulchri Domini; refert Ludovicus Elbing Conventus Cracovienſis Ordinis Minor. Conventual. Exprovincialis in relat. Baſilicæ Aſſiſien. num. 6. & 8.

S. Petronius, Epiſcopus Bononienſis, Cive Conſtantinopolitano, viro clariſſimo natus. Omni cura & cogitatione defixus in ſanctiſſimæ Chriſtianæ fidei inſtitutis, quo magis in die contemplatione accenderetur, Hieroſolymam peregrinari ſtatuit, ubi peractæ redemptionis noſtræ veſtigia Chriſtus impreſſa reliquit, verus Deus & Homo. Itaque cum ad eam Urbem venit, totus meditationis ſtudio exardescens, Domini Sepulchrum in primis, & reliqua illius ſacra rerum geſtarum monimenta, ac ſingula loca, quæ abſens intima animi pietate coluerat, præſens veneratus eſt ſanctè & religiosè. Cumque omnia tandem perluſtraſſet, incredibili quodam mentis ardore, quo tamen magis ad contemplationem fixa in animo illa hærerent, ſingulari etiam diligentia, eorum ſitum ac rationem notavit. Quamobrem Theodoſii Minoris Imperatoris, religioſiſſimi Principis, gratiam & amorem ſibi conciliavit. Vixit anno 400. Gelaſinius in vita ejus apud Surium. Idem S. Petronius, Arianâ perfidiâ violata ac diſturbata templa, & alia nova ſummo ſtudio ædificavit, & magnis rerum divinarum ſignificationibus, quæ Hieroſolymis viderat, dedicavit, in quibus repræſentabantur multa loca terræ ſanctæ. Unam Eccleſiam S. Joannis Evangeliſtæ, in qua ex tumulo terræ, de induſtria aggeſto, conſtruxit & religiosè effinxit montem Oliveti, ubi Chriſtus Dominus, poſtquam reſurrexit à mortuis, Discipulis videntibus, aſcendit in cælum. Alteram Eccleſiam S. Stephano dedicatam, cum Eccleſia SS. Petri & Pauli, à B. Ambroſio conſecrata conjunxit, & diligenter expreſſit montis effigiem, ubi in ara crucis, Dominus ſangvinem pro generis humani ſalute effudit. Et effigiem Sepulchri, in quo idem mortuus conditus eſt; ut vehementius excitaret ad ardentem Chriſti paſſionis & Sepulturæ charitatem; propoſuit in hac Eccleſia ſacras imagines, ad ſimilitudinem eorum lo-

4. Octobris.

corum, quæ jam ipse præsens Hierosolymis veneratus est. Extat hucusque in eadem Ecclesia S. Stephani (quam ille Hierosolymæ nomine appellavit) RR. PP. Cælestinorum Capella, cum effigie S. Sepulchri Christi intrinsecus, ubi Angelus sedet in Sepulchro a parte dextra, inspiciendo Sepulchrum; à cornu Epistolæ sunt milites Sepulchri custodes; ex altera parte sunt Mariæ, portantes aromata ad Sepulchrum. Ante ipsam effigiem Sepulchri, sunt versus sequentes inscripti: *Populus à Christi voluit pendere Sepulchro. A te qui pendet, quomodo Christe cadat?* Penes Sepulchrum Christi est Sepulchrum S. Petronii, ut qui idem Hierosolymis videre meruit, singulari devotione & extructione effigiei, ad cultum S. Sepulchri populum devotum adduxit, ipsemet eidem Sepulchro, in dicta Ecclesia, consepeliri post mortem voluit.

4. Octobris. S. Magdalveus, Episcopus Wirdunensis, tempore Pipini Francorum Regis, sanctis operibus insistens, & miraculis æquè refulgens, Sepulchrum Domini in Jerusalem devotissimè visitavit. Cùm supra mare in navi cum pluribus periclitaretur, tempestate suborta, rogatus à sociis, subito tranquillitatem à Domino precibus impetravit. Cumque venisset Hierosolymam, & sancta loca devote visitaret, intellexit Eusebius Patriarcha Hierosolymitanus adesse Virum Dei, quem ad se accitum cum magno suscepit honore. Qui cùm sanctitatem ejus conversationis miraretur, & eum secum retinere cogitaret, quamdiu maneret in vivis, revelatione Divina est admonitus, ne detineret peregrinum. Dimisit ergo eum Patriarcha Hierosolymitanus, dans ei calicem crystallinum, opere mirifico sculptum, in mutui pignus amoris, unà cum multis aliis reliquiis. Vixit anno 400. Surius hac die.

8. Octobris. S. Birgitta, in Regno Sveciæ orta parentibus nobilibus. Omnis cognatio ejus & stirps, legem Dei ferventer inquirentes, peregrinationes suscipiunt: Avus enim & Proavus, atque Abavus Patris ejus, exemplo Abrahæ, & aliorum priscorum Patrum, peregrini esse voluerunt in hoc mundo, tametsi erant divites, in virtute pulchritudinis studium habentes; nam Sacramenta Dominicæ passionis ad memoriam revocantes, peregre profecti sunt in civitatem sanctam Hierusalem, & alia loca, quæ Christus JESUS corporali sua præsentia illustravit, idque non sine multo sumptu & labore. Sed & Pater S. Birgittæ Birgerus, in illorum vestigiis insistens, multa

multa loca ſanctorum devotiſſimè inviſit, paratus etiam ulterius proficiſci ad terram ſanctam, niſi Apoſtolicæ ſedis conſilio, propter cauſas rationi conſentaneas, retardatus fuiſſet. Poſt annos multos, cùm S. Birgitta Romæ ſolito frequentius Sanctorum limina viſitaſſet, Unigenitus Dei Filius præcepit, ut iret Hieroſolymam. Prætexente illa incommodam valetudinem & ætatem, Dominus reſpondit: Ecquid eſt naturæ conditor? Ego addam tibi vires, ego proſpiciam de itinere, ego te ducam & reducam in locum hunc, denique ego ero cuſtos tuus quocunque perrexeris, nec dimittam, donec complevero univerſa, quæ dixi. Veniens Hieroſolymam, mira audivit à Domino, de ſtatu Regnorum, de nativitate & paſſione ejus, de vocatione gentium. Porro loca omnia in quibus pro peccatoribus pati voluit Dominus JESUS, ipſa devotiſſimè viſitavit, & quaſi columba nidificans in foraminibus petræ, ſvavitatem vulnerum ejus meruit deguſtare, & divinis intrinſecus viſitationibus crebrius illuſtrari. Surius in vita ejus: Bellovacenſis cap. 138. de eadem S. Birgitta ſic refert: Chriſti amore ſuccenſa, ſanctam Hieruſalem, ſanctaque loca cum multo comitatu inviſere voluit. Parcere noluit aut laboribus, aut ætati jam provectæ & teneritudini, quominus ſpretis pelagi periculis, ſanctum Domini peteret Sepulchrum; credo etiam tum Deo optimo ſic deliberante, ut etiam atque etiam Chriſti diſciplinam & Spiritum ab ipſo fonte, loca illa petendo, viſendo, relegendo ſuſceperit: Eò itaque dum perveniſſet S. Birgitta, plurimi utriusque ſexus religioſi geſtientes occurrere moxque eam primò in Speluncam Domini perduxêre. Inde, adorato cum ingenti fletu Salvatore, in Sepulchrum Domini intrans, cum Matre ejus atque ſorore flevit amariſſimè.

S. Pelagia Antiochiæ nata, ob ornatum nimium & ſplendidum, 8. Octobris.
à Civibus Antiochenis Margarita dicta, baptiſata à S. Nonno Epiſcopo Heliopoleos; pœnitentiæ inſignis ſpeculum, ex meretrice facta: optimam portionem elegit. Abiit Hieroſolymam, & conſtruxit ſibi cellulam in monte Oliveti, ubi Dominus oravit vivens, ſub virili nomine Pelagii; poſt triennium aut quadriennium temporis, deſideravi ego Jacobus Diaconus (nempe Antiochenus, ſcriptor vitæ & coævus S. Pelagiæ) proficiſci Hieroſolymam, ut ibi adorarem Reſurrectionem Domini noſtri JESU Chriſti, & pe-

tii Episcopum meum, ut me permitteret ire. Dum me permisisset ire, dicit ad me: Tibi dico frater Diacone, dum perveneris Hierosolymam, require ibi quendam fratrem Pelagium Monachum, qui multos annos habitat clausus. Hæc autem omnia dicebat de ancilla Dei Pelagia. Perveni ergo Hierosolymam, & adoravi Sanctam Resurrectionem Domini nostri JESU Christi. Et accessi & inveni servum Dei Pelagium in monte Oliveti, ubi Dominus oravit, in modica cella undique circumclusa, & parvam fenestrellam habuerat in pariete. In alia ejusdem S. Pelagiæ vita habetur: Concedit Hierosolymam, & venit in montem Oliveti, qui erat idem quoque mons virtutum. Cùm autem Episcopi, qui erant Antiochiæ, inter quos erat S. Nonnus, in suas rediissent Ecclesias, & illa ignota in locis sanctis sic resideret, & jam triennium in illis transegisset, quendam Jacobum nomine, ex illis Diaconis, qui fuerat cum S. Nonno, divinum incessit desiderium, & capitur amore sacrorum locorum, volens illorum simul fieri spectator & adorator. Itaque accedens ad Pontificem S. Nonnum, postulat, ut sibi liceat ire Hierosolymam. Sanctus autem Nonnus, vir propheticus & plenus spiritu: Ibis, inquit, si quæsieris, aut invenies quendam Pelagium Monachum (Beatam sic vocans Pelagiam) ad eum accede, & cum eo versare, & magnam spiritualem percipies utilitatem. Atque Jacobus quidem quàm potuit celerrimè contendit ad loca sacra, & cùm illa adorasset, accessit ad cellam Pelagiæ, & stetit attonitus ad spectaculum ejus abstinentiæ, atque rigidæ pœnitentiæ, quam nec ullus alius, ex iis, qui erant Hierosolymis, hanc aspiciens, se putabat mulierem aspicere. Vixit anno 400. Surius.

9. Octobris. S. Dionysius Areopagita, Episcopus Atheniensis, cùm illud templum, quod à Christo multis nominibus illustratum fuerat, adhuc staret, è Græcia in Syriam navigavit, ac Hierosolymam accessit, ut loca passionis, crucis ac Resurrectionis Domini, sangvine consecrata coram videret. Ita Dubliulius in Prologo ad Lectorem. In Epistola Hincmari Rhemensis Archiepiscopi, de S. Dionysio Areopagita dicitur, quòd Hierosolymæ existens, Sanctum Petrum & Paulum viderat ad Sepulchrum Domini; sic enim habetur: *Sanctus Areopagites Dionysius, egregia Pauli Apostoli prædicatione, fidei veritate illuminatus, baptisatus, & cælestium mysteriorum*

rum arcanis sufficienter instructus. Procedente tempore Magistri desiderio & Petri amore, quem unà cum Præceptore suo Paulo ad Sepulchrum vitæ Principis viderat & docentem audierat, per revelationem Romam venit &c. Tum quia ad obitum & funus Sanctissimæ Dei paræ, cum cæteris Apostolis adfuit & S. Dionysius, quo tempore eum etiam visitasse & Sepulchrum Domini, unà cum sanctis Apostolis, constat ex Paragrapho Libr. 3tii, de visitatione Sanctorum Apostolorum. Vixit anno 60.

Ex Legione Thebæorum militum, S. Gereon, Victor, & ejus socii Martyres hac die, S. Thyrsus Martyr cum sociis, 5ta Octobris, dum Sacramentis veræ fidei, & salutari baptismate, per S. Zambdam Hierosolymitanum Antistitem initiati fuerunt, singuli cum suis sociis & hunc christianæ militiæ religionis professi actum, fide firmissima protunc armati, Sepulchrum Domini, ac sacra loca visitarunt. 10. Octobris.

S. Colomannus Scotus, ex stirpe Regia, Martyr Austriaci, iterum atque iterum peregrinatus est Hierosolymam pietatis ergo ad Sepulchrum Domini; de quo Joannes Stabius, in vita Saphico carmine descripta apud Surium: 13. Octobris.

Ille dum Sanctam Solymorum ad Urbem
Transiit, dulcem patriam relinquens,
Regios fastus, trabeam coronam,
Sceptraque tempsit.

Et infra: *Ille terrenam Solymam requirit*
Tu sed æternam tribuis supremo
Martyri Olympo.

S. Cosmas Confessor, in omni ferme humana doctrina eruditissimus, Præceptor S. Joannis Damasceni; juxta Joannem Patriarcham Hierosolymitanum, in vita ejusdem S. Joannis Damasceni, apud Surium; Hierosolymitani itineris socius, & ibidem venerandorum locorum sacrorum, & Sanctissimi Sepulchri, simul comes. 14. Octobris. Ferrariensis.

In vita S. Bercharii Abbatis & Martyris, Asso Abbas Deroensis qui vitam ejusdem S. Bercharii scripsit, cùm Hildvinum Comitem, Arcejacensis Campaniæ, militari audacia multa crudelia facinora committentem, verbis sanctæ prædicationis, ad se reversurum cogeret cuncta relinquere, & profiteri laborem Hierosolymitani 16. Octobris.

mitani itineris, ad sancta loca sese dans comitem, subeundi tanti laboris, gratiâ piissimæ consolationis. Et pro exemplo incitamenti ad hanc viam ad Sepulchrum Christi, idem Asso retulit dicto Comiti Hildvino exemplum S. Bercharii Abbatis & Martyris, qui adiens Hierosolymam, fertur duxisse secum Wamierum, tormentorum S. Leodegarii reum. Itaque hujuscemodi opinionis promulgatione, scilicet profectionis ad S. Sepulchrum, multis viris illustribus excitis, determinat Asso diem, loca cunctis congrua ordinantur subsequendi. Igitur anno Verbi Incarnati 992. pius Pater Asso, valedicens charissimis filiis & fratribus Abbatiæ Deroensis, ob hoc inibi plurimis congregatis, cunctorum prosecutus fletu & gemitu, iter ingreditur viæ Jerusalem terrenæ, jam sibi pactis valvis Matris nostræ Sion cælestis. Vide hîc eos, qui iter arripiunt ad S. Sepulchrum in integritate vitæ apertas habent valvas ad cælestem Sion. Surius in vita S. Bercharii Abb. & Martyris, qui vixit anno 660.

20. Octobris. S. Aderardus Trecensis Ecclesiæ Archidiaconus, pio fervore succensus Hierosolymam perrexit, visendi gratiâ Christi adorandum Sepulchrum. Martyrolog. Gallic. part. posteriore, Authore Andrea de Saussay Parisien. fol. 771. Decimo Calendas Novembris.

21. Octobris. S. Hilarion cum Palæstinus esset, & in Palæstina viveret, uno tantum die vidit Hierosolymam, ut non contemneret loca sancta propter viciniam, nec rursus Dominum, loco claudere videretur. S. Hieronymus ad Paulinum.

23. Octobris. In vita S. Macarii Ægyptii, Theophilus Sergius & Hyginus, misericordiâ Dei abdicato mundo, venit illis in mentem ire Hierosolymam. Post hæc igitur ambulantes, conjunximus Hierosolymam, & sanctam Resurrectionem JESU Christi & crucem adoravimus. Et post divino ductu progressi ad S. Macarium, eum invenientes penes paradisum, ac de ejus mira vita, ab eodem S. Macario notificati, iterum venerunt Hierosolymam, & ad Sepulchrum Domini nostri JESU Christi, & in aliis sanctuariis locorum sacrorum orantes, gratias Salvatori JESU retulerunt, qui illos ex tantis periculis viarum reduxit & de sanctitate vitæ S. Macarii notos reddere voluit. Palladius in historia & vita S. Macarii apud Surium.

S. Aber-

S. Abercius Episcopus Hierapolitanus, dum versabatur in Syria, omni studio contendebat Hierosolymæ sancta loca visitare. Vixit anno 848. 23. Octobris.

B. Joannes Cantius, Compatronus Regni Poloniæ, Almæ Universitatis Cracoviensis Doctor & Professor, sanctitatis & doctrinæ decus, amore Dominicæ passionis accensus, in primis terram sacrosanctam adire statuit, illudque desiderium in se impleri optavit: Adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. Singula ex ordine vivifica loca, imbre lachrymarum irrigatus visitabat adorans & osculans præcipuè montem Calvariæ, Christi sangvine respersum, & victoriâ crucis celeberrimum, ipsumque omnium sepulchrorum sanctissimum, & triumpho Resurrectionis gloriosissimum Sepulchrum, gemebundus veneratus est. Adamus Opatovius S. Th. Professor, ad S. Annam Decanus. Ex Vitis R. P. Skargæ Soc. JESU, qui de eodem servo Dei fol. 1162. refert: Proposuit in animo illud, pia via ad terram sanctam, & Sepulchrum Domini coërcere, ferventi erga Dominum Salvatorem nostrum amore accensus, acquisitis sociis ejusdem mentis, contulit se Hierosolymam. Illicque ductus ab Angelo Dei sanus, superato itinere, adorabat Christum Deum suum, terram, in qua steterunt vestigia pedum ejus, & opus admirabile salutis nostræ, & afflictionis, & passionis, & crucis, ac mortis ejus memoriam exosculando, & lachrymis irrigando, implebatur gaudio spirituali. Sepulchrumque illud gloriosissimum oculis perlustrando, gratias agebat pro tam gravi & humili altissimi Filii Dei, propter nos demissione animi, & severæ mortis susceptione, ex qua peccata sua abluebat, & Resurrectione gloriosa sese recreando, ad vitam spiritualem & justificationem auxilia sumebat. Item ex libro cujusdam devoti, edito anno 1648. Vitam B. Joannis Cantii continente: Tandem animum ad peregrinationes convertit; quippe facultatem devotionis causâ peregrinandi, legibus Academicis concedentibus, relictô in suum locum substitutô, viam ad Sacrum Christi Sepulchrum, terræ, in cujus medio opus salutis nostræ, est peractum, venerandæ, exosculandæ lachrymis uberrimis, & jugi meditatione passionis Dominicæ exuperantibus perfundendæ ardore suscepit; nihil habens pensi incommoda, periculorum discrimina, quibus terra & mare est obnoxium. Fortis est dilectio ut mors &c. In Pro- 25. Octobris.

cessu Canonizationis B. Joannis Cantii edito Romæ anno 1675. fol. 106. & 130. Continuavit idem B. Joannes Cantius in vita sua hanc devotionem erga Sepulchrum Christi. Dum enim silentium noctis profundum esset, adibat imaginem in ingressu Collegii majoris dictæ universitatis, tanquam in larario affixam, quæ Christum denudatum, & parte media è Sepulchro prominentem repræsentat; quæ imago hucusque in eodem loco consistit, & habetur in veneratione. Idem Opatovius fol. 17.

25. Octobris. S. Gaudentius Episcopus Brixiensis, fatetur multo longiùs, quam ante mille annos sese Hierosolymam, ut Christum ibi adoraret, voti causâ profectum.

28. Octobris. S. Joannes Chozebita, (in Mænelogio Græcorum refertur,) Thebis natus, magnis & illustribus parentibus: rejiciebat autem Synodum Chalcedonensem, seque ipsum ab Ecclesia Catholica segregavit. Profectus àd loca sancta, ut crucem & Sepulchrum Domini adoraret, prohibitus accedere vocem sibi audire visus est, eos, qui Ecclesiæ Catholicæ non communicant, non esse dignos, ut Crucem & Sepulchrum adorent, quod ei per somnium objectum est. Experrectus ergo, revocato errore, factus Catholicus ad Ecclesiam se contulit, statimque in eremum cedens, mansit in loco, cui nomen Chozeba, ubi vita monastica & virtutibus mirifice claruit.

29. Octobris. S. Narcissus Episcopus Hierosolymitanus, erga Sepulchrum Domini devotissimus, & ejus frequens visitator, ac talis miraculi patrator. Cum enim in Ecclesia, in solenni Paschatis vigilia, oleum luminaribus defuisset, Sanctus Narcissus infundi aquam præcepit; tunc repente miro & sæculis inaudito genere virtutis, natura aquæ in olei pingvedinem versa, splendorem luminum, reddidit clariorem. S. Antoninus Tit. 7. capitul. 6. §. 15.

November.

1. Novemb. S. Licinius seu Licerius Turonensis Episcopus, octavus post S. Martinum, ipsam adivit Hierosolymam, ac loca Dominicæ passionis ac resurrectionis sæpius visitavit. Gregorius Turonensis histor. Francor. libr. 2.

4. Novemb. S. Carolus Borromæus, Cardinalis & Archiepiscopus Mediolanensis, inter tot præclara virtutis suæ, mira documenta, quanto propen-

propendebat animo, erga passionis Christi loca, & instrumenta, adeoque & erga Sepulchrum ejus, hujus ardentis amoris indicium exemplis sanctissimis demonstravit. Primò, quando fundavit Collegium Mediolani ad Ecclesiam S. Sepulchri. Secundò, à tempore pestis Mediolani, magno desiderio tenebatur instituere peregrinationem Taurinum, ad sindonem illam, quâ sacratissimum Corpus JESU Christi, in Sepulchro fuit involutum, stipante amplissimo & nobilissimo comitatu, qui omnes, juxta ordinem in peregrinatione observandum, ab ipso Sancto Carolo præscriptum, acceptâ sanctissimâ Eucharistiâ, cum baculis & indumentis, quibus solent peregrinantes uti, pergebant: ipse verò S. Carolus iter pedibus facere constituit, quod est passuum octoginta millium, & ab hoc itineris labore, pedum debilitate ita laborabat, ut tuberculaarum incisione opus erat, nihilominus tamen sine ulla sui requie, dum sanctam illam sindonem summa animi delectatione vidit & veneratus est, mox ante illam sindonem collocatam in altari, quadraginta horarum supplicationem S. Carolus instituit, nempè ad memoriam quiescentis Christi in Sepulchro. Et hanc peregrinationem cum Cardinalibus & Ducibus ad sacrosanctam sindonem, iterum aliquoties instituit. Tertiò, visitatio S. Sepulchri Christi Domini patuit ejusdem S. Caroli Borromæi ex hoc ejus facto, quod refertur in vita ejusdem libr. 5. cap. 7. apud Surium. In Varalli vico inter Novariam & Vercellam, est mons sub alpibus, ex piorum hominum etiam longinquorum votis, & omnino religionis causâ frequenter visitatur. Nam religiosus ex Mediolanensi nobili familia, ante annos ferè centum, cum ex Judæa, sanctissimo Christi Domini Sepulchro religiosè inspecto, rediisset, ejus imaginem aliquo loco ponere constituit, quæ piis hominibus, cum Judæam petere non possent, ad pietatem venerationemque erga Sepulchrum, sanctaque Hierosolymæ loca exercendam, aliquomodo valeret: in eo itaque loco ac monte delecto, extructa Ecclusia, Sepulchri speciem decore collocavit. Ea res adeo feliciter evenit, ut locus maxime celebris evaserit. Eò itaque ante mortem S. Carolus Boromæus se contulit, & ibi austeris exercitiis corpus incommodè & severè tractare cœpit, somnus ejus fuit in tabula nuda, alimenta panis consvetus & aqua, corpus flagellis duriùs, quàm ante cædebat, horis octo in contemplatione sanctæ

passionis locorum & Sepulchri perseverabat flexis genibus, totaque mente penitus conjungebatur Deo, quibus rebus nihil ad propinquam mortem erat accommodatius S. Carolo, quàm ea delectatio, quam ex sermonibus, meditationibus, de morte & Sepultura Domini, & ex ejus Sepulchri imagine in primis visenda contemplandaque capiebat: Cui rei satis consensit etiam sindon ejusdem Sepulchri visa prius. Et dum in febrim incidit, iterum ægrotus, rursus sese in locum Dominici Sepulchri abdidit, ut se per memoriam passionis & sepulturæ Christi ad instantem mortem, vi ô Sepulchro Christi præpararet. Dum jam graviori correptus febre Mediolani esset, & medicis sese curandum traderet, penes cubiculum suum sepulturæ Domini imaginem, seu Sepulchri Christi effigiem, similem ut vidit, super conopei fulcra statui jussit, ut quotiescunque oculos tolleret, eam effigiem S. Sepulchri posset contemplari, & non dissimilem illi, quæ Hierosolymis cernitur, & alias imagines Christi passionis eisdem fulcris appendi mandavit, quam directo videret obtutu, ut priora illa signa continuari facile quisque cognosceret. Quanquam ejusmodi imagines, quotiescunque ægrotaret, ad solatium suum requirebat. Hucusque in vita ejus edita ab Episcopo Novariensi. Ex hac relatione infer, quamvis S. Carolus Borromæus corpore non visitavit S. Sepulchrum Hierosolymis, mente tamen & affectu firmiter credendum eum visitasse, quando tali affectus erat devotione erga effigiem & locum Sancti Sepulchri.

8. Novemb. S. Matrona in Pamphylia in civitate Perge educata, mutato nomine, Babylam se vocavit, statuit proficisci Hierosolymam. Cum ergo habens animum peregre proficiscendi, multis ante diebus relicto marito suo Domitiano, proficiscitur Hierosolymam, nihil aliud induta, quam pannum ex pilis contextum, & modicum panis fragmentum secum ferens. Vir autem ejus, vehementiori cordis dolore sauciatus, non cessat curiose perscrutari, donec venisset Hierosolymam. Sancta igitur Matrona, adoratis locis sanctis & Sepulchro Domini Hierosolymæ, recessit in montem Sinam, & latuit in quodam delubro, Deum assiduè orans. Per eam multitudo innumerabilis accessit ad pietatem, Athanasia quædam fæmina nobilis ad imitationem ejus se componit, hortatu & exemplo S. Matronæ omnes suas facultates in ornamentum locorum

corum sacrorum Hierosolymis tradidit. Vixit anno 450. Simeon Metaphrastes.

In vita S. Godefridi Episcopi Ambianensis, matrona quædam, Viveta nomine, apud Flandros, nobili prosapia orta, spretis mundi hujus pompis, & carnis illecebris, tota se S. Godefridi moderamini subjecerat, ad Ecclesiam se contulit Beatissimæ Matris Dei, quæ apud Svessiones recens exstructa, hodieque pene inauditis miraculis, toto orbe celebris habetur. Ubi cum simplici & sincera animi devotione sponsa immortali juncta, permultis annis in corporis & animi vixit castitate, ibidem annis triginta in precibus, lachrymis, sacris meditationibus, cilicio asperrimo domans carnem, pane & aqua, diversisque modis carnem affligens vixit. Tandem iter Hierosolymitanum, quod tum fervebat ingressa, ubi venit Hierosolymam, loca, quæ Salvator suâ præsentiâ insignifit nudis invisens pedibus, tum corporis adversa valetudine, tum itineris longitudine adeo laborabat, ut è pedibus ejus sangvis manare videretur. Vixit anno 1080. 8. Novemb.

S. Theodorus studita ad Patriarcham Hierosolymitanum (Baronius tom 9. anno 1126.) desiderium suum spirituale visitandi loca sacra Hierosolymis, exponit his verbis: *Itaque velut absens corpore, præsens autem spiritu. Primum quidem ejus pedes secundùm Dominum ambulantes amplector, hinc enim benedictio & sanctificatio, deinde tanquam ab eo jussus ad sancta loca proficiscor, adveneror sacrum solum, quod divina vestigia calcarunt, vivificum Monumentum, in quo sanctissimum Dei, & salvatoris nostri JESU Christi Corpus depositum fuit, sacrum Calvariæ locum, ubi Dominus gloriæ crucifixus, &c.* 10. Novemb.

In vita S. Abbonis Floriacensis Martyris, Bemandus ex procerum Aquitaniæ ortus loco, Ordinis S. Benedicti, Abbas Bellilocensis, bonorum hujus vitæ pertæsus, videns multorum frigescere charitatem, & ideo superabundare iniquitatem, relictis omnibus, quæ possidebat, Hierosolymam ad sancta loca & Sepulchrum Christi visendum properavit. Quod iter à Patre ejus, pœnitentiæ voto ante omnes ferè in hoc tempore Galliæ habitatores, cœptum ac arreptum fuerat. Aymonius Floriacensis ibidem cap. 10. 15. Novemb.

S. Gregorius Episcopus Agrigentinus, in Agrigento Urbe Siciliæ oriundus, Divinis scriptis, disciplinis ac moribus illuminatus, totum Deo seipsum dedit. Igitur illum, Sacrum Sepulchrum Hierosoly- 23. Novemb.

rosolymis invisendi & alia loca, eorumque sanctitudinis esse participem cogitatio incessit. Cumque magnô hujusce rei desideriô flagraret, vigesimum secundum ætatis annum tunc agebat, quadam nocte templum ingressus, Deum, ut ejusmodi propositum, ad exitum optatum perduceret, precibus obtestabatur, ac mox humi procumbens somno se dedit, propè a lecto Donati Archidiaconi Agrigentensis, Præceptoris sui. Assistens autem quidam, proprio nomine, Gregori, appellavit. Is verò confestim respondit: Ecce ego Domine & stans coram Archidiacono dixit: Quid me (inquit) Domine vocasti? Cui Archidiaconus ait: Fili, non te vocavi. Cumque ille rursus lecto stratus recumberet, iterum ab assistente quodam, vocatur eodem nomine, Gregori! rursus venit ad Archidiaconum, dicens: Ego Domine! ad quid me vocasti? Cui Archidiaconus: Neque nunc te vocavi, fili mi: Verùm si vocatus fueris, responde: Quid me vis Domine? quid præcipis servo tuo? Postquam igitur tertiò Gregorium advocans adstitisset, ita, ut edoctus fuerat, respondit. Porro statim ille, qui vocaverat S. Gregorium angelus Dei erat, & dixit ad S. Gregorium: Exaudita est precatio tua. Quo circa ad littus concedas oportet, ut ad loca sancta tendentibus obvius fias. Hoc audito S. Gregorius, Deo gratias egit, atque ejusmodi verbis dans fidem, egreditur, & Archidiaconum, necdum somno solutum reliquit, navigioque occurrens, quo navigaturi essent, percunctabatur. Carthaginem itaque Hierosolymam ad Sepulchrum Christi profecturus, venit. Nauclerus vero Juvenem S. Gregorium observans, inter primos ac præcipuos Dei ministros numerandum esse, divino ferè instinctu judicavit, atque lachrymis virum sanctum sibi propitium reddere studebat. Porro non multis diebus, cùm in sacro illustris martyris templo sederet ac legeret, tres quidam viri tum moribus venerandi, tum decenti atque ornatu quodam corporis habitu animi præ se speciem ac pulchritudinem ferentes illi apparuere, quos S. Gregorius intuitus, mirificè hilaris factus est. Cùm verò Deum adorassent, unus illorum sedit, duo cum timore & reverentia assistebant S Gregorio juveni. Ille autem vir, qui sederat, inquit ad eum: Gregori serve Dei, qui bonam partem elegisti, quæ abs te non auferetur. Hoc admiratus, pedibus ejus cum lachrymis advolvitur Gregorius. Illi vero erigentes S. Gregorium

gorium, dicunt ei: Scito, inquit, fili, consilia tua nobis omnia à Deo esse prodita: verùm lætus nos lætos sequere, quandoquidem horum index Deus, te quoque in comitatu nostro ad se adducere, & sacrosanctum nobiscum Sepulchrum, & loca sacra Hierosolymis, ad quæ nos jam pridem navigatione contendimus, conspicere præcepit (vide hîc profectionem ad S. Sepulchrum esse bonam partem electionis, item divinitùs revelari à Deo viam ad S. Sepulchrum) ob hæc S. Gregorius admiratione ac gaudio perfusus, sese continere nequibat. Quatuor igitur mensibus cum peregrinati fuissent, Hierosolymam pervenerunt. Visitatoque Sepulchro Christi, locisque ibidem omnibus perlustratis, cum illustrioribus virtute viris consvetudinem habuit. Cùm verò dies illa, dierum omnium ac celebritatum facile princeps, qua Christus ex Sepulchro resurrexit, & humano generi vitam dedit, advenisset; confestim S. Gregorius cum tribus illis sanctis viris, comitibus in sanctam civitatem ascenderunt. Porro cùm illum locum, ubi Christus à morte suscitatus est, introissent, cæteraque loca perlustrassent ac adorassent, D. Gregorius animo gloriabatur, ac tum admiratione, tum voluptate plenus, summum illum in hymnis, ac divinis cantibus ordinem, atque concentum intuitus, nihil illum ab Angelis discrepare credidit, (hic autem concentus & hymni, à Canonicis Ecclesiæ S. Sepulchri promebantur). Proinde cum Macarii, Episcopi Hierosolymitani congressum atque colloquium venissent, apud illum diversantur. Cumque summo mane, ut perpetuus mos erat, Deum in loco Sepulchri laude cumulassent, Macarius Episcopus aliique Episcopi ac Clerici, accersitis illis monachis viris, qui S. Gregorium ad sacrum Sepulchrum adduxerunt, divina quadam inspiratus cognitione & notitia illorum, dixit ad illum virum primum, ex illis tribus, qui S. Gregorium adduxerunt: Marce pater, undenam tecum ad nos Gregorius Dei servus ivit, qui loca isthæc salutaria nuper adivit? Ille vir monachus respondit Macario: Non nos, sed Christus ô Pater, tuaque advexit precatio. Verùm S. Gregorius timore perculsus, ob sui ac Marci monachi appellationem (necdum enim cuipiam sanctæ civitatis innotuerant) rubore quodam animi suffusus, nihil ausus loqui, stupefactus manebat. Deinde Macarius Patriarcha, spiritu prophetico illos alios duos nomine proprio Seraphionis ac Leontii appellans, inquit:

Gratias

Gratias ago Deo, qui veſtros animos illuminavit, talem virum ad ſancta hæc loca vobiscum aſſumere, ſpiritu ferventem, vitæ innocentiæ ſedulò ſtudentem. Cum autem inſtaret tempus, ut Divinum & arcanum miſſæ ſacrificium, in Eccleſia S. Sepulchri, die Reſurrectionis, Macarius celebraret, templum ſacrum, rem divinam facturus, S. Pontifex petit. Cui in dextro altaris latere adſtabat S. Gregorius, & magna animi conturbatione miniſtrabat, flumina interim lachrymarum ab oculis effundens. Cumque ita ſeſe S. Gregorius haberet, ingentis humilitatis ſpiritu inflammatus, omnia Patriarchæ Macarii conſilia habuit explorata, & Spiritus Sancti gratiam, Macarium adumbrantem, evidenter vidit, ut plerisque ſecutis temporibus enarravit S. Gregorius. Cum igitur illi ſancti viri monachi recesſiſſent ad monaſterium, iterum ad ſancta loca redituri, S. Gregorius tum in precibus ad S. Sepulchrum, tum in ſacris cœtibus (nempe Canonicorum S. Sepulchri) adhæreſcebat Macario, cernensque ejus vitam, ſedulò ac diligenter obſervabat. Cum verò dies Domini iterum adveniſſet proximus, monachi illi, qui loca ſancta circum adjacentia viſitarunt, & comites fuerunt itineris S. Gregorii, reverſi venerunt ad ſanctam civitatem, quos ut vidit D. Gregorius, omni voluptate refertus eſt. Adorato itaque illi viri, Sancto Sepulchro, ſummo mane adeunt Macarium Archiepiſcopum, & ejus pedibus provoluti, orant, ut ſuis ſe precibus tanquam viatico quodam benè inſtructo, communitos redderet. Macarius vero impoſita ſingulis manu, ac ſublatis in cælum oculis, dixit: DEUS, qui cœlum, mare, terram, & quidquid in eis eſt condidiſti &c. ipſe hos ſervos tuos, qui ſacroſancti nominis tui causâ, ſancta hæc loca inviſerunt, fructumque tua dignum majeſtate, Gregorium inquam, qui præſens nobis adeſt, ſervum tuum attulerunt, conſerva, ac in via illorum dirige, ſiquidem ſanctus es in ſæcula. Ac cùm omnes, Amen, reſpondiſſent, complexatus eos in pace dimiſit. Quos abeuntes S. Gregorius conſpicatus acri animo doluit, veluti ſocios ſui itineris ad S. Sepulchrum. At primus ex illis viris Marcus nomine, dixit ad S. Gregorium: Fili mi, quando Chriſtus ſua ſancta vocatione, dignatus te in patrum chorum cooptari (intellige hîc Eccleſiæ S. Sepulchri Collegium) atque huic te communi ac optimo Patri (nimirum Macario Epiſcopo) quæ ad te ſpectant, rectè adminiſtrabit,

bit, & quàm fieri poteſt, ipſe ſuſcipiet; ipſe commendo. Et apprehendens manum S. Gregorii, ſic commendatum ſtatuit ad pedes Macarii, Patriarchæ Hieroſolymitani, dicens: Pater veneran-de, hic eſt ex grege Chriſti, iſque fide Eccleſiam fundaturus, ac eam doctrinæ cæleſtis prædicatione gubernaturus. Quamobrem ejus animæ curam habeas, illamque tuâ ſuſtentes doctrinâ oporteet &c. Sanctus interim Gregorius lachrymas abundantiores effundebat, & præſentes cernentes condoleſcebant. Patriarcha Macarius, dixit ad S. Gregorium: Video te fili, horum virorum ſeparatione graviter affectum; quare ſi placet, ut hac noſtra utaris conſvetudine, nobiscum eſto, tuaque omnia Chriſtus, ut velle ipſe videris, conſtituet: At verò ſi diſcedere magis lubet, in pace cum illis, abi. Ad hæc S. Gregorius Patriarchæ dixit: Non hoc quidem Domine accidat, averſeturque Deus, ut hæc loca, quæ videre precatus ſum, & pro quibus longam peregrinationem ſuscepi, derelinquam. Dum itaque Hieroſolymis permanſiſſet S. Gregorius, quantis vicibus, quanto adorationis & viſitationis affectu, Sepulchrum Chriſti, & veneranda loca illa ſacro ardore obibat, quis comprehendere valet, & operoſam imitatus apem, virtutum flores ex petra Sepulchri, diligenter excerpſit. Tres vero illi viri, revertentes ad Agrigentum, venerunt ad Archidiaconum Donatum, Præceptorem olim S. Gregorii agrigentini, ſic divinitus ordinati, & omnia hæc narrarunt illi Archidiacono, quibus ille etiam narravit illam viſionem S. Gregorii, quæ fuit in ſomnis, dum ad lectum ejus decumberet, & viciſſim viri illi narrarunt, quòd cùm eſſent Romæ in templo Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli, duo formidabiles viri aſtiterunt, qui dixerunt illis: Surgite, & Carthaginem navigatione contendite, ibique Gregorium quendam Siculum, ab Agrigenti Eccleſia illuc advectum inquirite. Hunc vobiscum aſſumentes, Hieroſolymam usque perducatis, quò appulſi, Patriarchæ, cui, quæ ibi tacere oporteat, injunximus, illum ſiſtite. Perpende Macarium inſtructum fuiſſe de S. Gregorio à Sancto Petro & Paulo. Interim S Gregorius, multo tempore commoratus Hieroſolymis, apud Macarium Epiſcopum Hieroſolymitanum, variis piis exercitiis, & viſitationi crebræ S. Sepulchri inſiſtens, Diaconus à Patriarcha deligitur. Auctus igitur & enutritus virtutibus, ex ſacrorum locorum viſitatione, in quibus per

annum vixit, proficiscitur in suam patriam, & fit Episcopus Agrigentinus, cum summa laude Dei, gloriâ miraculorum variorum insignis. Surius. Fuit hic Macarius nominis secundus, Hierof. Episcopus.

26. Novemb. S. Silvester, Canonicus Cathedralis Ecclesiæ Auximanæ, natus in Italia non longè ab Urbe Laureta, Beatissimæ Virginis domicilio toto orbe celebri, ex familia Guzolina, summa quadam pietate ac ardore animi, Christi liberatoris nostri actiones, & singularia in nos merita dies noctesque recolebat. Cumque illius verbera, spinas, clavos, crucemque contemplaretur, magnam vim lachrymarum profundere solitus erat. Ergo in pervigilio Christi Domini reviviscentis, hoc est Feriâ sextâ majoris hebdomadæ, cum versiculus ille decantaretur: *O! inæstimabilis dilectio charitatis, ut servum redimeres, Filium tradidisti*, in altissima divinæ charitatis cogitatione defixus, tanta spiritûs dulcedine perfundi consveverat, ut non modo fleret ipse, sed fletum cæteris quoque moveret. Contigitque ut ejus mens ita in Patris æterni charitatem raperetur, qui Filium nobis idcirco tradiderit, ut cruciatus acerbissimos, cum summa ignominia nostri causâ perferret, ut abalienatus à sensibus, aliquamdiu in altissimo quodam mentis sopore perstiterit, in eoque sibi Hierosolymam delatus, & hortum quendam ingressus esse videretur, in quo augustissimum Christi Domini Sepulchrum, ibidemque tres honestissimas fœminas, candentibus vestibus ornatas, & in genua provolutas ante Sepulchrum venerabundas cernere sibi videretur. Enimvero rei novitate permotus, cupivit se scire, quid visionis suæ tam illustria symbola sibi vellent? & Sepulchrum adhuc attentiùs contemplatus, inscriptionem, quam antea nusquam legerat audierat, se planè legisse narrabat: *Victorem mortis istæ venerantur in hortis.* Tum demum agnovit illud Dominicum esse Sepulchrum, & ingenti partim mœrore, partim animi voluptate perfusus, in genua corruens, religiosè admodum Sepulchrum Domini veneratus est; mox ubi oculos circumflexit, tres illas fœminas nusquam vidit. Ergo ad se reversus, & de tanto accepto beneficio, Deo gratias egit, & passionum Christi mysteria, cœpit assidua quadam contemplatione recolere. Vixit anno 1200. Jacobus Fabrianensis, Abbas in vita illius cap. 16.

S. Conra-

S. Conradus, vigesimus quartus Episcopus Constantiensis, ex nobili Alemannorum stirpe exortus. Cupiens hic vir sanctus cum Apostolo corpus suum efficaciter castigare, tribus vicibus transfretans, Hierusalem civitatem sanctam adiit, in qua locum passionis Christi, Resurrectionis, & Ascensionis, in devotione maxima visitavit. In vita ejusdem S. Conradi. Vixit anno 935. 26. Novemb.

S. Zosimus Abbas, Episcopus Babylonis à S. Apollinari Episcopo Alexandrino ordinatus, dum esset Abbas, missus fuit à Gregorio Abbate ad Patriarcham Hierosolymitanum Petrum, vitæ sanctitate commendatum, & ibi adoratis locis sanctis, Calvariæ & Resurrectionis, recessit ad montem Sinai. Sophronius Hierosolymitanus, in Prato Spirituali. Baronius anno 546. & 570. 30. Novemb. Martyrol. Rom.

December.

S. Sabas in Cappadocia, sita sub Metropoli Cæsareensi natus parentibus claro genere & pietate, secedens in monasterium Flavianæ dictum, dum in corde suo agitaret, ac divino æstuaret desiderio, in animo habebat ire in sanctam civitatem, & contemplari loca sancta, atque inter hæc Sepulchrum JESU Christi summopere venerari. Accedit itaque ad Præfectum monasterii, animum aperit, & ab eo petit, ut liceat ei secedere ad sanctam civitatem, ad Christi adorandam Crucem, tumulum, & reliqua sancta loca. Præfectus monasterii, volens imperare juventuti tam moderatæ, non audiebat obsecrantem, & peregrè proficiscentem non dimittebat. Verum cum ad eundem Præfectum è Superis divina quædam, advenisset visio, mandans, ut S. Sabam dimittat, nec prohibeatur quominus peregrè proficiscatur ad invisenda loca sacra. Persvasus itaque Præfectus hac visione, S. Sabam dimisit. Ille autem id, quod desiderabat, consecutus, & cum precibus illinc dimissus, Deo duce pulchri illius itineris tendit Hierosolymam, ut Crucem & Sepulchrum adoret. Agebat tunc annum decimum octavum S. Sabas. A hyeme venit Hierosolymam. Post quam visitationem S. Euthymius (cujus præsentiam cernerat S. Sabas) dixit de eodem S. Saba, videre in eo infusam copiosam gratiam Spiritus Sancti, & eum non multo interjecto tempore suâ gloria esse impleturum universum orbem terræ. Ibidem ulterius constat etiam parentes S. Sabæ fuisse visitatos Sepulchrum Christi. Cum 5. Decemb.

autem advenisset dies festus Dedicationis (nempe Ecclesiæ Resurrectionis) venit, ut solebat divinus Sabas in sanctam civitatem, cum quibusdam aliis fratribus monasterii Nicopoli, & ibi sanctam Crucem & Sepulchrum, eximiâ visitavit contemplatione. Quem cum vidisset S. Elias Episcopus Hierosolymitanus, magno gaudio repletus est. Contextus Epistolæ ejusdem S. Sabæ ad Imperatorem Anastasium, qui est hic: *Cùm ab hac Ecclesia* (nempe Hierosolymitana) *cœpisset vere magnum verè religionis mysterium* (passionis videlicet & resurrectionis) *pervasit usque ad fines orbis terræ, quod quidem nos horum locorum divinorum habitatores, ab alto â sacrosanctis accepta Apostolis sanum & magnum in hodiernum usque diem conservavimus & in æternum Christi gratiâ conservabimus.* Manifestè probat Sanctum Sabam visitasse Sepulchrum Christi. Si enim habitator locorum divinorum, conservator ac propugnator mysteriorum Christi passionis & resurrectionis in locis sanctis, quomodo non adorator? Et ibi de se dicit: *Quomodo enim nos, qui sumus Hierosolymitani &c.* quamobrem si se dicit S. Sabas Hierosolymitanum, prædicat se visitatorem S. Sepulchri. Et jam habens annos octoginta sex, venit ad Joannem Patriarcham Hierosolymitanum, & postquam adoravit S. Crucem & Sepulchrum, vocatus est ad convivium, ubi aderat Amonius Episcopus Ascalonitanus, & divinus Theodosius. Et iterum aliquoties eum fuisse Hierosolymis, constat ex ulteriori vita ejus, eum ergo ibi toties adorasse Sepulchrum Christi, quoties adventus ejus ibidem exprimi videtur. Imò jam ante ipsam mortem perrexit Hierosolymam, & adoratis sanctis locis, & iis dictis, quæ quodammodo dici solent, in exitu venit ad maximam suam Lauram. Vixit anno 439. Cyrillus Monachus & Metaphrastes.

6. Decemb. S. Nicolaus, Episcopus Myrorum Lyciæ, eô processit in virtutes adhuc adolescens; & tantâ dignatus est gratiâ, ut ei patruus ejus, eodem nomine quoque Nicolaus Myrensium Pontifex demandaret divini templi curam, quod ille prius ædificaverat, in nomine sanctæ Sion, adhibuit quoque quoscunque sciebat esse virtutis ejus socios. Atque cum aliquando profectus esset Hierosolymam admirandus Nicolaus, ut vivificum Christi Sepulchrum, & salutare lignum crucis in ea adoraret, impleverunt isti locum illius, & ea, quæ ad templum pertinebant, ita administrabant, acsi

ipse

ipſe adfuiſſet. Poſt obitum parentum ſuorum, diſtributis facultatibus, volens majorem apud Deum conjunctionem aſſequi, ſtatuit in locis ſanctis, perfectiori amore Chriſto ſe velle conjungere. Viſum eſt ei itaque in Palæſtinam venire, ut omnia loca videret, in quibus, qui pro nobis paſſus eſt, Dominus in mundo eſt converſatus. In ea navigatione magnas ſtruxit inſidias malignus Spiritus, ut ab hoc ſancto deſiderio, cæleſtem impediret Nicolai intentionem. Videbat enim hunc malignum, navem aſcendere, veli & clavi rudentes diſſecare gladio, & totam navim circumagendo, volendo cum viris ipſis ſubmergere. Vehementem inſuper concitavit procellam, turbinem in graviſſimum adducens periculum. Ecæquàm diabolus impedire conatur viam ad S. Sepulchrum! Verum S. Nicolaus, dum nautam ex alto cadentem, & nihil ſpirantem ac mortuum ad vitam ſuſcitavit, cæco lumen in eadem navi reſtituit, & omnes illos, qui aliquo morbo & ægritudine in navi laborabant, ab eo facilè curabantur. Cumque profectus eſſet ad Chriſti Sepulchrum, rurſus etiam venit ad venerandum Golgotha, ubi etiam pro nobis fixa eſt Crux ſalutaris. Deinde etiam noctu accedit divinum ſignum Crucis. Et ei quidem ſua ſponte aperiuntur ſacroſancti loci portæ. Cùm autem ferventes preces, & multam adoraſſet illic ad orationem, conſequitur etiam majorem boni Spiritus operationem. Poſtquam autem ſatis verſatus eſſet in Palæſtina, rurſus revertitur in patriam, cum hoc divina ei juſſiſſet viſio, Et iterum rediens, multis coruſcat miraculis, ſedans tempeſtatem in mari, & divinitùs declaratus Epiſcopus Myrenſis. Ita Simeon Metaphraſtes in vita ejus. Vixit anno 290. Ex quo vitæ ejus tempore perpende, etiam ante Conſtantini Magni tempora fuiſſe viſitationem ad S. Crucem & ſacrum Sepulchrum. Petrus de Natalibus in Catalogo Sanctor. libr. 5. cap. 65. de translatione Corporis ejusdem S. Nicolai, ſcribit: quòd cum eodem & palma, quam beatus Nicolaus de Hieroſolymis apportaverat, ſepulta fuerat, quæ circa ſanctum Corpus virides ramos & frondes pullulaverat. Perpende hîc, quam ab antiquo palmas ſecum ferre ſolebant, regredientes Hieroſolymis in patriam, in dogma aditi Sepulchri Dominici.

S. Proculus Epiſcopus & Confeſſor, quartus Epiſcopus Veronenſis, claruit tempore Maximini Imperatoris. Perſecutione ſedata, 9. Decemb.

 data,

data, loca terræ ſanctæ viſitavit, curâ Eccleſiæ ſuæ Presbyteris commiſsâ, ſignis & miraculis clarus. Petrus de Natalibus in Catal. Sanct. 5to Idus Decembris.

11. Decemb. S. Daniel Stylita, in Meſopotamia, in vico vicino Urbi Samoſatorum, ex patre Eliu, & matre Martha ſterili, prodigioſè ortus, lumine cæleſti indice ſuper matrem progenitus. Cor ejus accendit amor divinus, & in eo vehemens excitat deſiderium videndi loca illa, in quibus Chriſtus pro nobis paſſus eſt, & ubi eſt ſepultus, & unde ſurrexit & aſcendit in cælos. Cùm verò iter eſſet ingreſſus, ei in via occurrit quidam vir, cui erat ætas ſenis, cana autem erat coma, & qui erat in omnibus ſimilis Simeoni Stylitæ, qui erat in columna. Et Syra lingva allocutus Danielem, & eum rogavit: quonam iter ſuum dirigeret? Ille autem reſpondit: Si Deo videtur, vado ad loca ſancta. Is vero ſenex inquit: Recte dixiſti, ſi Deo videtur; id, quod eſt tibi propoſitum, non eſſe à Dei ſententia, ob ſeditionem & tumultum, qui eſt in Palæſtina. Ad hoc S. Daniel reſpondit: Confido, Deum mihi fore adjutorem; & ſi aliquid tale accidat, ſive vivamus, ſive moriamur, ſumus Domini. Rurſus dixit ille ſenex ad Danielem: Si ita tibi videtur, nihil moror reditum, non conſulo tibi, ut ab hoc cæpto animo deſiſtas (nempe à viſitando S. Sepulchro). Stultus enim eſſem; verùm vade Byzantium, quæ, quod attinet ad ſanctificationem, eſt ſecunda Hieruſalem. Licet ergo eum divina moveret revelatio, ut veniret Byzantium, & ibi arctiſſimam vitam, longo tempore ſtans in columna, exerceret, & magnis ibi inſignis fieret miraculis; Deus tamen ſuſcepit deſiderium ſanctum ejus. Vixit anno 450. Aloyſius Lipomanus.

12. Decemb. In vita S. Spiridionis, Archiepiſcopi Trimmythuntis, fit mentio S. Tryphilli, qui fuerat diſcipulus ejusdem S. Spiridionis, & poſt in Cypro Callinicenſium Civitatis (ut viſum fuerat in ſomnis Imperatori Conſtantio) factus erat Antiſtes, peregrinatus eſt Hieroſolymam cum matre, antequam factus eſſet Epiſcopus. Vixit anno 290. Henschennius in vita ejus, 13. Junii, ex Manuſcripto Synaxario Collegii Pariſienſis.

17. Decemb. S. Bacchus Junior, antea Gelaſius dictus, è Palæſtina oriundus, ſub Irene & Conſtantini Principatu, Hieroſolymam petiit, viſitatisque locis ſanctis, ad ſancti Sabæ Monaſterium ſe contulit,

&

& Monachus effectus, Bacchus nominatur, & post Martyr effectus sub Aaron Saracenorum Principe. Baronius annó 784. num. 17. ex Menologio Basilii Cæsaris.

S. Modestus, Patriarcha Hierosolymitanus, eximiæ sanctitatis vir, & in devotione visitationis Sepulchri Christi sedulus proclamatur à S. Antiocho in Epistola ad Eustachium: *Modestus sanctitatis eximiæ vir: Gratiâ etenim plenus Spiritus Sancti, templa Salvatoris nostri JESU Christi, quæ quidem barbarico igni conflagrarunt, in sublime erigit, omni prorsùs digna veneratione, puta Ædes S. Calvariæ, ac Sanctæ Resurrectionis Domum, insuper dignam omni honore, venerandæ crucis Ecclesiam; idque vel ob eos maximè, qui hanc sperantur venturi, ab extremis regionibus, sancta hæc loca, ut adorent.* Biblioth. Vet. Patr. Tom. 1. fol. 1024. 18. Decemb.

S. Atherius Archiepiscopatûs honorem consecutus, ex regione Asiæ cùm venisset Hierosolymam, & loca veneranda cum vivifico ligno Crucis & S. Sepulchro adorasset, & multas distribuisset pecunias pauperibus & Monasteriis, egressus est è sancta civitate, properans redire in patriam. Cumque post duos dies vellet rursus navigare, ei in somnis apparet Angelus Domini dicens: Non licet tibi navigare, nisi reversus in sanctam civitatem, iveris in Lauram sancti Sabæ, & conveneris Joannem Silentiarium, virum justum & virtute præditum. Cùm ergo à somno surrexisset S. Atherius, & esse visionem judicasset, revertitur in sanctam civitatem, & adoratis locis sanctis, diligentissimè inquisivit S. Joannem Silentiarium. Cyrillus Monachus, in vita S. Joannis Silentiarii. Simon Majolus Centuria 6. fol. 153. 24. Decemb.

S. Theodorus Martyr. Eum tulit Palæstina, civitas autem Hierusalem, cui quidem sufficiet ad laudem, etiamsi nihil haberet aliud laudabile, quod illic Christus passus, mortuus, sepultus, resurrexit. Versabatur frequenter Theodorus in templis venerandis, adeoque & in templo Calvariæ & Sepulchri Christi. Traditus fuit monasterio sancti Sabæ S. Theophanes, frater S. Theodori, vitæ sanctitate ei persimilis, & simul Martyrio. Leo Imperator adversùs divinas imagines, & earum adorationem tyrannus; hæc videns divinus ille Antistes, & Pastor Hierosolymitanæ Ecclesiæ, quod despectui habetur & aboletur adoratio imaginum, excitatur protinus ad zelum. Ad hoc ergo admodùm aptum sanctum invenit 26. Decemb.

nit

nit Theodorum, ut qui & virtute esset celebratus, & in dicendo exercitatus, & zelum spiraret acrem. Ille autem: Ecce mi, dicit Pontifici, mitte me, & proficiscar, & tuis adjutus precibus, pudore afficiam impietatem. Ipsum ergo mittit Patriarcha, cùm precibus eum undique munisset, & spe in Christum totum corroborasset. Itaque adoratis templis locisque sanctis, ivit ad Imperatorem, quem dum liberrimè arguit, unà cum fratre expost Martyres fiunt. Vixit anno 818. Metaphrastes in vita ejus.

26. Decemb. S. Stephanus Protomartyr, quòd visitavit Sepulchrum Christi, constat ex eo: quia illud visitavit Beatissima Virgo, Sancti Apostoli, Discipuli, & quare non visitaret & S. Stephanus, qui eorum temporibus vixit, & ab ipsis Ordine Diaconatûs insignitus est, & plenus fuit gratiâ Spiritûs Sancti, magnanima fortitudine, adeoque adoratione Sancti Sepulchri & aliorum locorum, quibus fidem suam & doctrinam de Christo confirmabat, qui gloriam resurrectionis Christi & Sepulchri summopere promovit; adeoque etiam oculatum testem se ostendebat, ea loca visibiliter devote spectando, in quibus Christus passus & sepultus est. Et teste S. Hilario: facies Stephani assumpsit speciem resurgentis Christi, nonne se oculatum testem resurrectionis Christi ostendere in hoc satagebat, ut locum eundem veneraretur? Tum ex eo, quia fuit Archidiaconus Ecclesiæ Hierosolymitanæ; & ut scribit B. Ignatius ad Heronem Diaconum Epist. 3. *Tu verò eis ministras, sicut S. Stephanus Jacobo, & cæteris Presbyteris in Hierosolymis.* Eum itaque ministrasse & in obsequio exhibito Sepulchro Christi, sancti hujus ministerii declarat ratio. Præsertim cum juxta relationem Mariæ de Agreda, part 3. libr. cap. 1. num. marg. 198. post novem menses à morte & passione Christi, martyrium subiit S. Stephanus, intra quos menses visitasse Sepulchrum S. Stephanum, si non certissima, probabilissima tamen ex dictis suffragatur conjectura, quarum plures petantur ex vita ejusdem S. Stephani in Vitis Ordinis Nostri fol. 156. & 160.

27. Decemb. S. Joannes Evangelista & Apostolus, una cum Beatissima Virgine visitavit Sepulchrum, constat id ex Paragrapho de Visitatione Beatissimæ & Sanctorum Apostolorum fol. & inferius patebit.

27. Decemb. S. Petrus nomine, genere Ponticus, Monachus, multis præclarisque virtutibus ornatus, cum Sancto Mena usque in sanctam civita-

civitatem venerunt, cum nihil gustasset senior in via. Cum verò in Sancta Christi Dei nostri Resurrectione percepisset divina mysteria, & adorasset Sepulchrum Christi, tunc demum accepit & cibum. Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus in Prato Spirituali fol. 100.

S. Fabiola, ex illustri excelsaque Fabiorum familia oriunda, matronarum Romanarum singulare decus, in fervore & ardore Christi, ad videndum & colendum ejus Sepulchrum Hierosolymam adnavigavit; de qua testatur S. Hieronymus, in Epistola ad Oceanum, in Epitaphio Fabiolæ: *Unde repentè & contra opinionem omnium Hierosolymam navigavit, ubi multorum recepta concursu, nostro parumper usa est hospitio, cujus societatis recordans videor mihi adhuc videre, quam vidi.* Multo itaque tempore commorata in locis sanctis Hierosolymis, propter Hunnorum irruptionem, qui Syriam universam cædibus & terroribus complebant, cum summa tristitia & divulsione, à Sanctissimo Sepulchro, locisque tam gloriosis, Romam regredi compulsa est. Quantis illa protunc præcordiis, multiplicatis affectibus, Sacratæ Sepulchri Christi adhæsit petræ cæterisque locis, se avelli ab illis minimè unquam sperans, licet conjuncto semper in eis manebat animo. Secessit enim Hierosolymam, ut ibi reliquum vitæ ageret, eòque sanctiorem, quò sæpius venerando Sepulchro propiorem se videret. Cujus discessum dolens S. Hieronymus, ibidem scribit: *Nos hoc tantùm dolemus, quòd pretiosissimum de sanctis locis monile perdidimus.* S. Fabiola Sepulchri Christi gemma ac monile, incomparabili pretio, probatissimæ visitationis Sepulchri Christi præpollens. 27. Decemb.

S. Petrus, Abbas Cluniacensis, peregre proficiscens Hierosolymam, in locis sanctis commoratus est anno 1120. In Histor. Eccl. Oderici, litera C. Et Patriarcham Hierosolymitanum rogat, ut cum sacra Sepulturæ & Resurrectionis loca visitaret, Cluniacensem Conventum Spirituali affectu duceret, & pro illo ad illa loca supplicare dignaretur; dum sic ad eundem scribit: *Cùmque devotione vel officio protrahente vel provocante, salutifera Nativitatis, Sepulturæ vel Resurrectionis loca visitatis, spirituali affectu vos nobiscum ubique ducite, & pro vestris Cluniacensibus Salvatori piissimo supplicate.* 29. Decemb.

S. Melania junior ex genere clarissimo, cujus parentes primi Senatûs Romanorum erant. Cum igitur septem annos in obse- 31. Decemb.

quiis Dei & proximorum, ſtudio vitæ ſanctæ, honeſtis exercitasſet ſe ſervitiis, eam ſubit cogitatio longioris peregrinationis. Dicebat enim oportere ad ſacra etiam loca accedere, & etiam videre Hieruſalem, & obire & adorare omnia, quæ illic ſunt, miracula. Cumque ita ei viſum fuiſſet anno 416. mare eam ſuſcepit cum ſimul adeſſet mater Albina & Pinianus maritus & filius Albinus: Et cum eis proſpera eſſet navigatio, pervenerunt Alexandriam, in qua Pontificali munere fungebatur magnus inter Sacerdotes Cyrillus. Cum eo congreſſi, & cum alio viro prophetico Theodoro, & in tranſitu ex eorum ſermone magnam accepiſſent utilitatem, navem rurſus aſcenderunt ad ſacra loca Hieroſolymam feſtinantes; nihil autem ſecum adferentes, præterquam, ſi quid erat neceſſarium ad victum, volentes ipſi quoque eſſe cum mendicantibus. Poſtquam autem in terram deſcenderunt, contigit beatam Melaniam in morbum incidere. Deinde cum convaluiſſet à corporis infirmitate, & Dominico Sepulchro recuperatam ſanitatem primò obtuliſſet, & ad id primò acceſſiſſet, idque adoraſſet, de cætero oculos & animum paſcebat aliis ſpectaculis. Verſabatur autem cum iis, qui ex Sacerdotibus maximè erant inſignes, & maximè cum iis, qui in dicendo erant ſapientiſſimi, ut etiam ex eis utilitatem perciperet. Cum adventaſſet autem veſpera, ingrediebatur quidem in ſalutare Sepulchrum reſurrectionis, clauſo verò templo, manebat intus, & oratio noctu tam diu ab ea producebatur, donec ingreſſi eſſent, matutina cantaturi cantica. Relicta interim Hieroſolymis matre, ſenio gravata, petendo ut ea illic pararet in monte Oliveti tabernaculum. Illa unà cum Piniano marito, ivit in Ægyptum, ut ſanctos videret, qui erant in ea, & ex viris virtutis ſtudioſis ea pietatis ſugeret mella. Ambo igitur pleni bonis redierunt Hieroſolymam, & iterum adorant Sepulchrum Chriſti. Cum fauſtum autem accepiſſent principium, diem luminum, S. Melania ſeipſam includit in domuncula Oliveti, & ibi laborioſiſſimam ducit vitam, ad annos quatuordecim. Egreſſa Hieroſolymis beata Melania, venit Chalcedonem, & in templo beatæ Euphemiæ Martyris, circa mediam noctem ſvaviſſimi odoris repleta voluptate ineffabili. Mox perrexit Conſtantinopolim, & ibi ſuum patruum Voluſianum, Romæ Præfectum, morbo correptum, abjurata gentilium opinione, ſuis etiam illiciis ſanctis traduxit ad Chriſtum, lætum ac bona

Baronius Tom 5. num. 103.

ſpe præditum transmittit ad vitam, quæ ducit ad Chriſtum, cum pulcherrimo Corporis & Sangvinis Chriſti inſtructo viatico. Cum hæc illa pulchrè & piè perfeciſſet, egreditur è Civitate Byzantio; ſacra enim loca Hieroſolymis, veniebant ei in mentem, & tenebatur magno amore videndi Sepulchrum Chriſti, & manendi in monte Oliveti. Contenta igitur quodam viæ curſu, ſalutaris paſſionis diem feſtum volens celebrare Hieroſolymis; quod ei etiam ſucceſſit. Cum ergo ſic unà cum eis, feſtum celebraſſet paſſionis Hieroſolymis, & indiviſim Sepulchrum Chriſti adoraſſet, ad priorem locum ſe contulit. Cum autem ei veniſſet in mentem, alterum ædificare Oratorium in eo loco, in quo dicitur ſtetiſſe Chriſtus, Dominus noſter crucem aſcenſurus, & ſalutarem ſubiiſſet paſſionem, ejus propoſito contulit Deus opem, ædificat Oratorium & monaſterium viris ſanctis, congregatis ad Deum laudandum & glorificandum. Interim dum hæc fierent, Imperatrix Eudoxia paruerat Melaniæ monitis, dum eſſet Conſtantinopoli, ſvadendo eidem Imperatrici, ut hanc ſuſciperet peregrinationem, & veniret Hieroſolymam, ut videret ſancta loca, & quæ ex eis percipitur, fieret particeps ſanctificationis. Venienti itaque Imperatrici Hieroſolymam, proceſſit obviam S. Melania, magno honore affecta eſt ab Imperatrice, & agebat gratias Imperatrix divinæ providentiæ, de duabus cauſis, primò, quòd usque adeo celebratam Hieruſalem, Crucem & Sepulchrum Chriſti, aliaque loca ſancta, quæ videret digna ſit habita, & quod Imperatrix talis matris, nempe S. Melaniæ, facta ſit filia ſecundùm ſpiritum. Signum autem magni amoris Imperatricis in Melaniam, quòd non dubitaverit tantum iter ingredi, & accedere ad S. Crucem & Sepulchrum venerandum. Porro cùm celebraretur novi templi (id eſt S. Sepulchri, quod conſtruxit S. Helena) dedicatio, aderat & Imperatrix, & feſtum celebrabat in devota S Sepulchri prona adoratione. Multis itaque dum celebraretur S. Melania, Hieroſolymis degens, miraculis, cum adeſſet finis vitæ ejus, & is eſſet præcognitus S. Melaniæ, rurſus inviſit S. Crucem Sepulchrum & alia loca Hieroſolymis & Bethleem, & quæcunque circuibat ea tanquam animam ſalutabat in peregrinatione. Cum adveniſſet autem dies Natalis Salvatoris accurrit ad præſepe & Speluncam Salvatoris & conſobrinæ dicit, ſe non amplius eſſe feſtum cum eis celebraturam. Cum

 ergo

ergo tota nocte vigilasset in spelunca Bethleem, die sequenti vadit ad ædem S. Stephani primi Martyris, cum ibi pernoctasset, accepit librum & legit mortem primi Martyris. Et consolata verbis spiritualibus suas sodales, in sanctis illis sermonibus coram Pontifice Eleutheropolis, qui ad eam cum toto Clero venerat, sacram illam satiatam plena visione S. Sepulchri animam enixa ad cælestem Hierusalem. Metaphrastes in vita ejus. Vixit anno 400. De eadem S. Melania Juniore in anno cælesti sub hac die P. Nadasi: *tandem cum Matre & conjuge Piniano, Hierosolymis magna virginum Deo dedicatarum Magistra vixisti multisque patratis miraculis &c.* Hæc igitur sancta ibi degens, una cum consortio Sacratarum DEO Virginum, quantis frequenter affectibus, loca sancta & Sepulchrum Christi est prosecuta.

Quantum igitur ex probatis Authoribus lectis & versatis, desumere sive extrahere potuimus, propositam visitationem Sancti Sepulchri & aliorum locorum sacrorum, expressorum Sanctorum & Sanctarum, dies suos assignatos habentium, tantum protulimus. Non claudimus tamen hoc agmen Sanctorum & Sanctarum, in expressis supra, majorem ad huc illorum reperiri numerum non dubitamus; cum post adimpletum in carne mysterium & Dominicæ redemptionis consummatum opus, nihil antiquiùs fuit, quam sancta frequenter adire ac venerari Hierosolymorum loca, ibique pio ac fervido mentis ardore, passionis mortis, ac resurrectionis memoriam, supplicibus votis recolere.

Ad hunc Catalogum Sanctorum & Sanctarum, vix uno pollice à me indigitatum, adnecto eorum hìc nomina, qui spectabili clarebant vita, & qui vel non sunt in Catalogo Sanctorum vel Sanctarum positi, & de certo in aliis calendariis non constat eorum loco: ante quorum computum.

Numera 1mò, in generali omnes sanctos Apostolos, quorum visitatio S. Sepulchri, & si expresso testimonio, temporum à me hìc deducendorum non sit exarata; non enim omnia scripta esse, quæ gesta sunt ab eis, multi scriptores digni affirmant: vero similis tamen & certa conjectura in amore erga Christum, ac pietate erga loca sancta firmata, ad dicendum compellit, eos multis vicibus visitasse Sepulchrum Christi. Tum statim post resurrectionem Christi ex illo, dum jussi sunt Apostoli manere Hierosolymis, donec

donec acciperent Spiritum Sanctum. Cùm enim cognovissent Christum verè resurrexisse à mortuis, plurimis sibi apparentibus ejusdem manifestationibus, ac testimoniis Scripturarum, à Magistro redivivo, deductam haberent veritatem, prudenter existimo, eo tempore eos adiisse Sepulchrum Christi, ut in eo laudarent magnalia Dei, quæ fecit per suam resurrectionem, & locum, qui recenti adhuc splendore & odore repletus erat ex corpore Christi, devotè inviserent. Quid verò censendum est de iis, aliisque centum viginti fratribus, postquam repleti sunt Spiritu Sancto, & jam cum fiducia loquebantur verbum Dei? Inter quos S. Petrus præcipuus fidei assertor doctrinalis cathechista, & zelosus extitit verbi concionator, & primus coegit Ecclesiam, non solum ex Hierosolymitanis, sed ex omnibus nationibus. Qui omnes eo erudiente, dum afflatu Spiritûs Sancti prædicabant Christi passionem, sepulturam & resurrectionem, eodem animati Spiritus Sancti instinctu & impulsu, prædicabant hæc mysteria Christi, exhibito cultu in locis illis novissimis, ubi hæc immediate acta sunt. Consequenter dum ad prædicationem Petri viginti quinque millia ad Christi fidem conversa essent, & magis in dies augebatur credentium in Christum multitudo virorum ac mulierum, ut & quos recensent Acta Apostolorum; has omnes primævæ illius Ecclesiæ plantas novellas, misso Spiritu Sancto, & prædicatione S. Petri instructas, piè computa pro visitatoribus S. Sepulchri. Cum enim ab ipso nascentis Ecclesiæ exordio, cœpta sit peregrinatio ad loca sancta, assentientibus omnibus Orthodoxis Authoribus, omnia ergo illa germina, quæ protulit nascens Ecclesia, ab Apostolis salubriter instituta, id exercere debuerunt, conformiter ad suam fidelem in Christum, primam professionem, ut ejus loca passionis & resurrectionis Christiano officio ac religione, verorum fidelium venerationis, & orationis obsequio, prosequerentur. Quamvis verò à morte S. Stephani Diaconi Ecclesiæ Hierosolymitanæ, facta est persecutio in Ecclesia, quæ erat Hierosolymis; hæc tamen non impediebat eos, à visitatione Sacri Golgothæ & Sepulchri: tum ex eo; quia sicut non sunt deterriti à prædicatione Evangelii, & publica testificatione S. Resurrectionis Christi; ita nec illô perculsi furore, à visitatione sacrorum locorum: tum, quia sicut credentes in Christum JESUM religiosi Christiani, sepelierunt occulte

S. Joan. Chrysost. homil. 4. in Acta Apostol.

Baron. Tom. I. fol. 298.

S. Stephanum in hac persecutione, & hoc exercuerunt sepulturæ opus; ita saltim occultè potuerunt visitare Sepulchrum Christi. Etenim & Judæis in usu erat ad Sepulchrorum accedere loca, & ibi orare. Deinde post necem S. Stephani, cum pulsi & ejecti erant ex Hierosolymis omnes illi Christiani, quorum multa millia fuerunt exturbata, & dispersa in varias partes, cum quibus abscesserunt hoc tempore Lazarus, Maria Magdalena, Martha, Marcellas, Josephus ab Arimathæa, colligere possumus in hoc à locis sanctis abscessu, valedixisse loco crucis & Sepulturæ Christi, neque eos sine tali actu visitationis dictorum locorum abscessisse, qui se ad fructum prædicationis accingebant. Pro eo autem tempore, Hierosolymis tantùm relicti Apostoli Sancti, neque in immani illa Judæorum persecutione territi fuerunt, ab intensa & extensa (si licuit & libuit commeari ad illa) devotione ad locum Christi Sepulti. Eô enim etiam tempore ab exteris nationibus veniebant potentissimi Hierosolymam religionis ergo, ad templum illud Salomonis, uti Eunuchus Candacis Reginæ Æthiopum, Vitellius Syriæ Præses, multoque genere externorum hominum frequentata; cur id non spectaret etiam ad religionem Sanctorum Apostolorum, in JESUM Christum credentium, ut ad solennitates passionis & Sepulturæ ejus, non venirent ad ea loca Salvatoris, quæ illorum conspectui erant præsentissima.

Baron. Tom. I. fol. 327.

Deinde S. Paulum, post suam conversionem, venientem Hierosolymam, accessisse ad eadem loca, constat vel ex eo; si enim ea de causa fuit impulsus S. Paulus venire Hierosolymam, ut ipsum Petrum principem omnium Apostolorum inviseret, cui Christus delegaverat curam Ecclesiarum; tanti ergo honoris priori Apostolo deferendi causâ eò advenerat; tribuit hunc honorem Apostolorum principi, post suam conversionem, S. Paulus; tribuendus est & conversioni ejusdem S. Pauli, hic gratiæ Dei effectus, quòd hunc honorem detulerit & locis illis sanctis, quibus nimis affectus erat jam protunc; quod Calvariæ & Sepulchri locum, primò fidelis honoravit, & reverentiæ illis tribuit honorem; cum sciret benè ibi Christum passum, mortuum, sepultum resurrexisse. Et qui olim erat persecutor nominis Christi, & ejus discipulorum, fieret tunc testis verax, prædicator nominis JESU, & adoraret in locis conspectis, repræsentantiva mysteria. Cumque simul cum S. Pe-

tro & Jacobo, Fratre Domini (quos solos Hierosolymis viderat) erat intrans & exiens in Hierusalem, & fiducialiter agens in nomine Domini; hac fiduciâ fretus, intra illos permansionis suæ dies, cum iisdem etiam spectasse & visitasse locum Calvariæ & Sepulchrum Christi, haud quidquam videtur alienum à veritate.

Præterea eosdem S. Apostolos, unà cum aliis discipulis visitasse locum Calvariæ & Sepulchri Christi, illis etiam temporibus, quando morabantur Hierosolymæ, & in cænaculo orabant; cùm locus cænaculi mille passibus nonnisi distat à Sepulchro Christi; Adrichomius. virtus enim & fortitudo Divina, quæ tunc per Apostolos faciebat signa & prodigia in populo, hoc idem efficere potuit in iisdem sanctis Apostolis & Discipulis, ut forti & constanti animo, etiam non videntibus Judæis, loca illa tam sacrosancta concederet illis frequentiùs colere, qui orationi & meditationi eorundem incumbebant.

Insuper eo tempore, quo Apostoli sancti congregati in cænaculum, abituri erant in universas mundi regiones, & præcipuos fidei Canones, & tesseram Christianitatis firmarunt ac stabiliverunt, nempe Symbolum Apostolorum; peculiari pariter affectu visitasse loca sancta cænaculi, Calvariæ, Sepulchri, aliaque. Ut ibidem id ipsum tam profiterentur palam, quod ad prædicandum fidei suæ indicium posuerunt. Quin imo cum singulorum ordinationes, nonnisi specialibus admonitionibus Spiritûs S. ita & illorum itineraria dirigebantur; numquid in tanto, & tam magnæ molis negotio expediendo, non direxerunt primò cursum suum ad locùm Calvariæ & Sepulchri, benedictionem à loco illo sancto, viæ suæ accepturi? numquid cum ad totius mundi salutem mittendi erant Apostoli, quò singuli profecturi essent, Divini Spiritus moderante instinctu, ad ea loca Calvariæ & Sepulchri non venirent, ubi salus totius mundi, per Christum facta est. Amandandi in universum orbem Apostoli omnium lingvarum scientia & agnitione donati sunt, primum itaque fidei initium exorsuri, à loco Sancto Calvariæ & Sepulchri, expetebant benedictionis crucem, & salvum conductum, ut discedentibus Apostolis, Sepulchrum Domini magis revereri & conspicere liceret. Primum itaque itinerarium, in vias abituri Sancti Apostoli, persolvunt ad S. Calvariæ, Sepulchri, & Oliveti montem, in quibus Christus exultavit

velut

velut gigas ad currendam viam, in quibus viator & comprehensor Salvator, venit saliens in montibus & transiliens colles, & peregrinationis terrenæ absolvit cursum.

Insuper eosdem Sanctos Apostolos & Discipulos visitasse Sepulchrum Christi, eo etiam tempore, quo celebrarunt Concilium Hierosolymis. Tam optata igitur & opportuna statuta dijudicantes, decidentes & approbantes Sancti Apostoli, quorum primus Judex & arbiter erat S. Petrus, quomodo hanc piam apud se non deciderent & non decernerent sententiam, etiam legalibus observationibus consonam, loca sacra Sepulturæ, obsequiô venerari Christianô, ex quibus sanctificatio & lex nova (ut supra dictum est) promulgata.

Maria de Agreda Part. 3. cap. 19.

Tandem S. Sepulchrum visitasse Sanctos Apostolos, cæterosque Discipulos, eô etiam tempore, quô venerunt, & Angelorum ministerio ante triduum translati sunt Hierosolymam, ut interessent sepulturæ B. Virginis MARIÆ. Quod ministerium gloriosissimæ Matri persolverunt, & ejus Sepulchrum visitaverunt, quis tunc non intelliget eos, etiam Salvatoris Nostri JESU Christi Sepulchrum propensissimo affectu visitasse. Si enim dum Hierosolymâ egressuri erant, primùm existimarunt obire stationes, sacrorum locorum, uti horti Gethsemani, montis Calvariæ, sanctissimi Sepulchri, locum ascensionis, Bethaniæ & alia. Et hæc loca omnes nimis venerabantur, nec sine lachrymis, terram Domini contactu sacratam, cernentes. Eôdem etiam venerationis cultu & lachrymis, dicta loca prosecuti sunt, dum virtute Divina, ad officium Sepulturæ B. Virginis omnes convenere. Dumque juxta Juvenalem Episcopum Hierosolymitanum, tres totos dies permanserunt Apostoli ad Sepulchrum B. Virginis MARIÆ, omnino tolerare non poterant, ut Sepulchrum etiam Filii ejus, JESU Christi non adirent, à quo iterum erant recessuri. Id sentit in magno Theatro vitæ, Laurentius Bejerlinck, titulo: *Peregrinatio*; & refutando hanc adversam objectionem, cui absurdum videtur, Apostolos per orbem dispersos, eô advenientes tempore Hierosolymam, visitasse Sepulchrum Domini, toties antea à se visum; respondet: quod sicut visio rei delectabilis, decies repetita placet, cur ni & visio augustissimi Sepulchri Domini, adeo delectabilis amatoribus Apostolis, multoties repetita non placeret? De multis

tis proditum legimus, bis, ter, & ſæpiùs locum Sepulchri Chriſti adiiſſe & cætera, neque tamen conſpectu toties iterato, ſatiari potuiſſe. Nec ſatiabantur Apoſtoli ſuis diebus, Sepulchrum Chriſti cernere, eô etiam tempore. Sacer Ordo Apoſtolorum, pium eſſe judicavit, ut dum virtute divina comparuit ad Sepulturam & Sepulchrum Virginis; vivificum quoque Sepulchrum JESU Chriſti, videret & amplecteretur; qui pietatis erat nimis ſtudioſus, quique res ad Chriſtum pertinentes, diligenter exquirebat.

Accedit & hæc ratio pro viſitatione Sacri Sepulchri, & aliorum locorum, facta ab Apoſtolis eorumque diſcipulis. Prima; quia S. Hieronymus dicit, ab Aſcenſione Domini, inchoatam eſſe viſitationem S. Sepulchri & cæterorum locorum ſacrorum. Secunda; quia Eccleſia cœpit Hieroſolymæ; unde ipſa eſt origine mater omnium Eccleſiarum ut probat Tyrini, ex his verbis Pſalmi 49. *Species decoris ejus ex Sion veniet*; ſeu plena gloria & majeſtas decoris Eccleſiæ, prodibit ex Sion terreſtri, quæ eſt Hieroſolymis. Adeoque ibi cœpit prima à Sanctis Apoſtolis & diſcipulis, adoratio locorum ſacrorum. Et Eccleſia Hieroſolymitana juxta Innocentium III. Pontificem eſt mater fidei; quoniam ab ea Sacramenta fidei proceſſerunt. Juxta Baronium Cardinalem, Hieroſolymorum Eccleſia, prima omnium origine temporis, & nobilitate rerum in ea conſummatarum. Proinde & primatus venerationis locorum, Chriſti contactu glorificatorum, & cultus fidei in eis exhibitus, nobilitasque præſtita locis ſacris, per eorum viſitationem; ibi per Sanctos Apoſtolos & diſcipulos conſummata & perfecta, debet iisdem tribui; ut magnificentiſſimè præ cæteris longè fuerit Calvaria, Sepulchrum & cætera, devotione ac reverentia nobilitata. Deinde trina annuatim vice, cuncti Judææ accolæ, celeberrimum Templum Salomonis, viſitatum illud adibant, atque ob ejus devotionem vel ob feſta & ſolemnitates, quas ſuo ritu plebs colebat, ſæpiùs ab ea viſitabantur. Ex quo uſu erit id perfacile cuique judicare, Divos Apoſtolos ſive eorum etiam diſcipulos, quos naſcentes fide ſua erudiebant, celeberrima loca ſancta Hieroſolymis, longè ſacratiora templo Salomonico, ad eorum devotionem & ſolennitatem myſteriorum, ritu cultuque Chriſto grato, adiiſſe & perſæpe viſitaſſe.

Eſto enim vallis Calvariæ, egeſtis ac exoneratis civitatis ſor-
Adrichomius dibus oppleta fuit, atque ſub illo ſordium acervo, ſepulta fuit unà
num. 242. cum cruce, & aliis inſtrumentis paſſionis; Sepulchrum verò Domini, vehementi injecto aggere prorſus obruerunt. Non latebat tamen uterque locus notitiam Sanctorum Apoſtolorum & diſcipulorum, & omnem ejus rei habuerunt ſcientiam (ſi præſertim illorum temporibus, hæc clades illis locis contigit) quæ bene perſpecta, quò ad facta myſteria & ſitum eorundem dum habuerunt, incredibile eſt, eadem devotiſſimè non viſitaſſe. Tantòque glorioſiori honore à Sanctis Apoſtolis & diſcipulis, primitiis Chriſtiani nominis extollebantur, profundiſſima veneratione, quantò majori ignominia ab inimicis ſuis, Sanctiſſima Calvariæ & Sepulchri loca, fuerunt contempta & dishonorata. Si enim futuris temporibus, non obſtante tali adverſitate, irrogata Calvariæ & Sepulchro Chriſti, eadem viſitabantur, cur & illis temporibus, tam vivax & recentiſſima virtus redemptionis noſtræ, in locis Calvariæ & Sepulchri, non attraheret ad ſui viſitationem Sanctos Apoſtolos & diſcipulos, plenos divinis charismatibus & ſupernaturalibus auxiliis communitos?

His de cauſis dico audacter, omnes etiam illos fideles, qui erant Hieroſolymis, cum S. Simeone Epiſcopo Hieroſolymitano, ante illam devaſtationem & deſolationem urbis & templi Hieroſolymitani, viſitaſſe Sepulchrum Chriſti, antequam obſtructus & interceptus penitùs fuiſſet exitus egrediendi. Et præmoniti ab Angelo de ſuo ex urbe egreſſu, eò vehementiori & intenſiori affectu, Sepulchrum Chriſti & alia loca viſitarunt, eisque valedixerunt, quò triſtiori afflicti erant exitu, de ſua ab illis ſeparatione & abſceſſu. Baronius refert S. Simeonem & alios, quibus præerat, liberos fuiſſe foras egreſſos; adeoque & ea fuiſſe libertate donatos, ut eis licitum foret viſitaſſe dicta loca, hoc illis permittente & dictante religioſa devotione. Quamvis enim ſcirent ſubvertendam ex oraculo Chriſti Hieroſolymam, præſcii tamen erant, inviolata fore loca Calvariæ & Sepulchri, quibus locis aſſecuratis, intemeratam fidem & venerationem, exhibere judicavit & perſvaſit Salvatoris & ſalutis amor.

Et poſt devaſtationem, reverſi Urbe Pellâ Hieroſolymam, ad
Libr. de Men- Eccleſiam cænaculi & montis Sion, quæ juxta S. Epiphanium
ſur. intacta

intacta manebat, quanto iterum gaudio, ſuſpirio, lachrymis, ſancta illa loca proſecuti ſunt? Illi enim diſcipuli, diſcipulorum ipſorum Apoſtolorum, florentes fide, & magna ſigna operantes ſanationum, & aliorum miraculorum, reverſi jam poſt devaſtationem Jeruſalem, ut teſtatur expreſsè de illis S. Epiphanius loco citato, hac etiam floruerunt fide, quam ex Sanctis Apoſtolis didicerunt, verbo & exemplo, quod ſummæ venerationis & devotionis habuerunt loca paſſionis & reſurrectionis, & à priſtino ſuo ſancto habitu, in viſitandis dictis locis non ceſſaverunt, usque dum adeo cognitionem Chriſti ingenuè vereque amplexati, revera officio & miniſterio præſtandæ religionis, Sepulchro Chriſti ſummopere addicti. Adeoque hìc numera omnes illos Sanctos Epiſcopos Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, poſt S. Jacobum Minorem Succeſſores; qui ex Hebræis fidelibus Eccleſiam illam rexerunt, & omnes illos viros Apoſtolicos, quibus præerant, plenos Spiritu, fervore Apoſtolico, usque ad Adriani Imperatoris annum 19. JESU Chriſti annum 138. Hos omnes absque omni dubitatione, veneratos eſſe Calvariam & Sepulchrum, tam interno, quam externo vel à longe affectu, dirigendo ſpiritum ſuum orationis, non ad ea, quæ deſuper impoſita erant ab Adriano delubra, ſed ad illa loca, quæ veri DEI & Hominis coruſcabant præſentiâ. Ratio horum eſt hæc; quia ſicut olim Judæi, in contumeliam Chriſti, ſacrorum locorum, Crucis & Sepulchri fæces & ſtercora injecerunt, & pariter in contemptum Apoſtolorum & diſcipulorum, à quibus viderunt ea nimis coli & venerari; ita & Adrianus Imperator more ſuo Gentili, illa loca, quæ etiam Gentilibus, & à fide alienis, fama & nomine celebri circumferebantur, in odium Chriſtianorum Hieroſolymis degentium, quæ ſanctiſſima habebantur, polluit ſimulacris. Quomodo ergo loca illa, ſanctiſſima haberentur, à Chriſtianis Hieroſolymis degentibus, ſi in iisdem Chriſto non redderent cultum, quantùm eum ibi expedire poterant? Et ſi teſtante S. Paulino, Hieronymo & aliis non alia cauſa fuit, ut tam Judæi, quam Adrianus, in paſſionis ac Sepulturæ loca, adeo ſævirent; niſi ut tali objectu Chriſtianos, ab illis locis amovere tentarent, ab aditu cultuque prohiberent & averterent, & à vera fide eos deterrerent. Ergo bene ſupponendum eſt, Chriſtianos illos, Calvariam & Sepulchrum Chriſti, frequenti eorum accurſu fuiſſe ce-

lebrata, obſervantia honorata. Sua clade ingenti expulſi Judæi, ſaltem à longè proſpexerunt acceptabilem ſibi locum Templi everſi; in hac perſecutione Chriſtianorum & Diſcipulorum, ac locorum Calvariæ & Sepulchri, feliciores cenſeri primævos Chriſtianos, dum propiùs exiſtentia ea loca, quamvis dire exagitata, tamen affectuosè proſpexerunt, venerati ſunt.

Numera 2dò ad Catalogum viſitantium Sepulchrum, & eos omnes ſanctos viros, quorum hæ pietates non defuerunt, & ex ſemine doctrinæ Apoſtolicæ prodierunt, ut etiam ſtante illa abominatione in loco ſancto Bethleem, Calvariæ & Sepulchri, eadem venerarentur. Non eſt enim ſapientia, non eſt prudentia, non eſt conſilium contra Dominum, qui hujusmodi tam Judæorum quàm Gentilium ſtante immanitate, paſſionis & reſurrectionis ſuæ trophæa (inquit Adrichomius) ad ſui nominis & redemptionis cultum non eveheret. Ut ubi nomen deferebatur à gentilitate ſtatuis mortuorum, ibi Deo ipſi vivorum, qui & reſurrectio mortuorum eſt, non ſolum locus crucifixi, ſed & mortui à Chriſtianitate profiteretur & inveſtigaretur recognitionis actu. Nec ea perſecutio, claudere potuit mentis oculos, ſanctis illis viris Hieroſolymæ degentibus, ut loca Calvariæ & Sepulchri non ſpectarent, licet arcebat palpebras corporis, nunquam viſu digna tanta ignominia. Sub Adriano itaque Imperatore numera viſitatores S. Calvariæ & Sepulchri, aliorumque ſacrorum locorum; S. Marcum Epiſcopum Hieroſolymitanum, primum ex Gentibus, ſimul cum Alexandro & ſociis, quos habuit decem millia & qui cum eo pro Chriſto Martyres facti.

Vitæ SS. Ordinis noſtri ex Tabul. Hieroſol.

Numera 3tiò, eam multitudinem Sanctorum Epiſcoporum, qui interfuerunt Concilio Palæſtinæ, celebrato anno 198. auctoritate Victoris, Romani Pontificis, de Paſchate in die Dominico celebrando, ob memoriam reſurrectionis Chriſti, non ſolùm de Cæſarea Palæſtinæ, ſed de diverſis regionibus evocati. Nam cum eo tempore, Eccleſiæ omnes Syriæ & Palæſtinæ pacem tutam atque ſecuram quietem haberent, cum eſſet facultas Concilia publicè celebrandi, cui & S. Narciſſus Epiſcopus Hieroſolymitanus interfuit; non defuiſſe & eam facultatem, ut Hieroſolymam ad inviſenda loca pergerent, qui ſingularis Divinæ Sapientiæ, & virtutis amore erga loca ſancta flagrabant. Si enim eo tempore ex Cappado-

padocum regione, ad invisenda loca sacra, venerat S. Alexander, ubi in Episcopatûs gradu erat locatus; cur & alii sancti & devoti viri in propinquioribus regionibus degentes, ad ea visenda non venirent? Ea loca Calvariæ & Sepulchri, per Adrianum prophanata, adhuc sua pietate movebant corda, ad subeundam peregrinationem Hierosolymam, ad illa invisenda, non est ratio cur ad ea etiam Palæstinæ & Syriæ Sancti, Phœniciæ, Antiochiæ Martyres & pii viri, post S. Alexandrum, cultûs gratiâ, eo non venerint, ubi repræsentatio mortis & resurrectionis Christi, magna veneratione celebrabatur? Et quamvis Bethleem ab Adriano prosanata, erectô templo Adonidis, tamen à fidelibus cultu celebri frequentata. Idem dicendum de locis Calvariæ & Sepulchri Christi, quod quamvis idolis Veneris & Jovis fuerint dishonorata, celebritate tamen festiva sanctorum, piè honorata. Baron. Tom 2 in Indice, verbo Bethleem.

Numera 4to Sanctos illos Martyres, qui sacris fastis adscripti in Cæsarea Palæstinæ, Martyrium subierunt. Cum enim Urbs Hierosolymæ, sit præcipuè terra sancta, & Palæstinæ Urbs insignior, omnem eximit scrupulum, non asserendi hos sanctos, quantum licuit, adire loca sancta Hierosolymis, qua durante persecutione, & ad quintum annum continuata, S. Theodosia, Nobilis Virgo Tyri, annos decem & octo nata, unà cum vinctis quibusdam, ad quartum diem nonas Aprilis, Cæsareæ passa est, ipso die Dominico, & Festo Resurrectionis Salvatoris nostri, anno 306. Hos plures Martyres in Palæstina, & ipsa Urbe Elia, nempe Hierosolyma, collige ex Baronio sub anno 310. Quomodo enim hi sancti non visitassent loca sancta, quando in ea regione sive civitate Elia, id est Hierosolyma, tunc fuerunt nati, & in fide Christi educati, ac pro ea, certamen cum morte subierunt? Eusebius libr. 8. cap. 7.

Hujus ratio est à S. Hieronymo, quam superius innui; quia ab Ascensione Domini, pietatis causâ, Hierosolymam petiisse Episcopos Martyres, aliosque religione & doctrina præstantes viros, & quidem tam multos, ut longum sit singulorum nomina, speciatim referre. Adeoque illis ætatibus, quæ Constantini Imperium antecesserunt, numerandi sunt ii saltim, præter alios, Sancti Episcopi & Martyres, qui in Palæstina, Syria, aliisque finitimis Provinciis & civitatibus vixerunt, & sanctitate ac fide in Christum claruerunt. Qui enim Christiani fuerunt & Hierosolymam petierunt,

runt, quis eos dubitet, non hoc fine venisse, ut sacra loca visitarent? Sic S. Firmilianus, Cæsareæ Cappadocum Episcopus, vir præclarus, & utriusque generis literarum summè doctus, & sanctitate morum, nulli propemodum illorum temporum, videbatur esse secundus, teste Baronio, communioni Catholicæ restitutus, ac in Ecclesiæ pace, piè sanctèque defunctus, ejus natalis dies in Menologio Græcorum, consignatur die 28. Octobris; hic inquam S. Firmilianus, venit in Palæstinam, desiderio lustrandi loca sancta; de quo S. Hieronymus: *Sub occasione sanctorum locorum, Palæstinam veniens, diu Cæsareæ in Sacris Scripturis eruditus est.* Et hoc utique ex communi more sui ævi; qui vixit circa annum 257. Adeoque & illis temporibus, morem hunc practicatum à sanctis, ut adirent Hierosolymam visitatum loca sacra.

Tom 2. fol. 666.

Numera 5to quàm plurimos Sanctos Episcopos, Alexandrum Episcopum Alexandrinorum; Heraclæ in Ægypto Potamonem & Paphnutium Thebaidis superioris; Mesopotamiæ Jacobum; Cæsareæ in Cappadocia Leontium, totque alios præmultos Sanctos Episcopos, Catholicæ fidei Coryphæos, qui Synodo Nicenæ, quæ est Metropolis Bythiniæ, interfuerunt, & supervixerunt eo tempore, quô loca sancta Hierosolymis, per Helenam inventa, & ab idolis expurgata fuerunt. Cum enim Concilium Nicenum celebratum esset anno. 325. & anno immediate sequenti 326. operâ Constantini & Helenæ loca sancta Hierosolymis, nempe Calvariæ & Sepulchri aliaque reserarentur; hoc asseri nequit, ut ad illa superstites illi Orthodoxi Sancti Episcopi, Martyres & fidei Confessores strenuissimi, ex propinquis imò dissitis Regnis, Provinciis, ea tunc magno animi conatu, ac piissima auscultatione ad visitandum exposita, non venerint. De omni proinde eô tractu annorum, ac serie protunc illustrium virorum Catholicorum, pro certo existimandum est, Crucem & Sepulchrum Christi, illustrissimè promanata, virtute sua attractiva, tot ad se protrahere sanctos ad sui cultum. Cum & postmodum jussione Constantini Magni, omnes illi Sancti Episcopi, qui relicti fuerant ad dedicationem Ecclesiæ S. Sepulchri, Hierosolymam profecti sunt. Non enim consonum est sentire, ut Ecclesia tam præclara, magnifica & præcipuis Christi mysteriis nobilissima, ab Arianis, Episcopis, tunc consecraretur. Hi ergo Orthodoxi san-

ſancti Epiſcopi, qui huic conſecrationi ſolenniſſimæ aderant, omnes ii, in numerum viſitantium Sepulchrum Chriſti, computandi ſunt.

Numera 6to omnes eos ſanctos viros, qui ſive præerant, ſive manebant penes Eccleſias illas, quas Helena erexit Hieroſolymis, & ipſe Conſtantinus ſex Eccleſias Hieroſolymis fundavit. Item in Monte Oliveti, in Bethleem, aliisque locis ſanctis. Cum enim Eccleſiæ ſtatus, florentiſſimus erat ſub Conſtantino Imperatore, & Eccleſia Hieroſolymitana refloruit tanta venuſtate prodeuntium locorum ſacrorum, & excitatione Baſilicarum, omnes ii, qui tunc inſigni penes illas florebant pietate, & tam multa & præclara cernebant miracula ibidem facta ab exordio, nimio præcipites currebant affectu, ut ea loca piè cernerent.

Numera 7mò Sanctos Martyres Conſtantiæ, Gazæ, Majumæ, ut Euſebium, Neſtabonem, Zenonem fratres, plurimoſque Martyres Gazenſes, qui à ſuis civibus, in perſecutione Juliani ſub anno 362. pro Chriſto paſſi ſunt. Item Aſcalone; item apud Sebaſten Palæſtinæ Urbem; item Cyrilli Diaconi Heliopoleos; in contiguis quoque Hieroſolymæ Provinciis, Juliani perſecutione, eo tempore, in Sanctos Chriſtianos potiſſimum ſæviente, in Syria, Palæſtina, Phœnicia, aliisque confiniis. Hos enim ſanctos viſitatos fuiſſe Hieroſolymis loca ſancta, ipſa ſvadere conatur propinquitas; Cùm Majuma ſive Gaza, juxta Ferrarienſem, ſub die 14. Octobris; 50. milliaribus diſtet ab Hieroſolyma, reliquæ verò civitates pariter ab Hieroſolymis, quod non adeo nimis ſint disſitæ, ex eo probatur; quia earum Epiſcopales Sedes Patriarchatui ſive Epiſcopatui Hieroſolymitano ſubjectæ erant. Juxta Miræum. Tyrium. Baronium. Et quamvis eſſent disſitæ, propinquum tamen ad locum S. Sepulchri adeo celeberrimum, ſvadebant illis ſanctis acceſſum; ut ex illo loco pasſionis, mortis & reſurrectionis Chriſti, Sancti Martyres induerent decorem & fortitudinem, ad ſubeundas pro Chriſto mortes, pasſiones, & futuram gloriæ capesſendam coronam.

Licet enim Julianus ſæviret in Chriſtianos, & cultum idolorum nefariè reſuſcitaret, aboletum à Conſtantino; loca tamen ſacra Crucis & Sepulchri, illis minimè prophanavit; adeoque urgente hac etiam ejus perſecutione, ſua gaudebant ad viſitandum libertate cum teſte Baronio, idem Imperator ſub anno 363. reſcriptum

ptum dedit de non violandis Sepulchris; neque igitur & Sepulchrum Christi violari potuit, neque à suo deterreri aditu, quamvis si persecutio Tyranni mortem pararet, advenientibus ad illud, hanc resoluto animo pro Christi fide & amore undequaque suscipere prompti & parati erant, hanc subiit S. Cyriacus Episcopus, qui ex more sancta invisens loca Hierosolymis, urgente tali persecutione, peremptus est, ut dictum, die 4. Maji, & cur id alii sancti Martyres, juxta usitatum morem suum accurrentes ad loca sancta, eandem mortem pro Christo non appetiissent & subiissent?

Numera 8vo illam multitudinem credentium, qui anno 363. sub eodem Juliano Apostata, miraculosum illud crucis prodigium, Hierosolymis in cælo & in vestibus apparens, viderunt & prædicarunt. Hujusque miraculi spectatores & discipuli extiterunt. Multi enim Gentilium eodem ipso tempore, quô hæc acciderunt, Christianorum DEUM invocaverunt, & ad Sacerdotes nostros (nempe Canonicos Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ) accurrerunt, multum obsecrantes, ut in Ecclesiam admitti, mysteriis imbui, & sacro baptismate purificari possint. Multi ex Judæis relicta obstinatione, pravitate, Christi gloriam confessi, ad Ecclesiam se transferunt, initiantur mysteriis, hymnis & precibus Christum, pro suis improbis factis, placarunt. O quantis protunc, poplite venerabundi lachrymis, impleverunt loca Crucis & Sepulchri Christi, novi fidei Confessores!

S.Gregor. Nazianzen. Orat. 2. in Julian.

Sozomenus apud Baronium.

Numera 9nò Sanctum Phillorhonium Presbyterum de regione Galatiæ, imperante Juliano, postquam spiritualia certamina vicerat, per annos sex intra mortuorum Sepulchra se conclusit, ut sic ex aspectu mortuorum, dæmonem superaret. Ex quibus egrediens Sepulchrum Christi mortui adit, dum ex labore manuum suarum conductoribus solvens, Hierosolymam ac plura alia loca sacra, peregrinationis gratiâ, pedester visitavit. Heraclides in paradiso apud Petrum de Natal. libr. 11. cap. 49.

Numera 10mò congeriem Sanctorum Martyrum, ad quos excruciandos Hierosolymis, præcepit Julianus amplissimum ædificari theatrum ex illa materia, quam cælum ipsum diruit, ex qua intendebat extruere templum Judæis, ut in eodem theatro Hierosolymis, Episcopi, Monachi, omnesque sancti, bestiis etiam arte severioribus, objicerentur, spectaretque Tyrannus laniandos; & ibi

Paulus Orosius lib. 7. cap. 30.

ibi fieret Christianorum carnificina, ubi primum theatrum religionis, & fidei in Christum erectum est. Hi profecto omnes Deum ad loca Crucis & Sepulchri, assiduis precibus interpellabant, non tam pro morte sua avertenda, quam sibi felicissimam reputarunt, sed ne per necem omnem populi Christiani, & violationem locorum sanctorum, quam per collocationem simulacrorum minabatur Julianus, aditus & confessio Christi nominis, eis in locis penitus aboleatur. Eô enim tempore persecutionis Juliani, sicut Christiani Antiocheni, Sepulchra Martyrum, preces ad Deum directuri, frequentabant; ita Sancti Christiani Hierosolymis, ad sanctiora illa loca Crucis, & Sepulchri, vehementiori precum voce, Deum implorabant. Numera Silviam Ruffini Exprædecti Sororem magni nominis & sanctitatis Virginem quæ juxta Baronium numer. 25. & 27. dum vixit Hierosolymis anno 395. quis non asseret eam, utpote præditam multis virtutibus, etiam in sanctorum locorum ac S. Sepulchri crebra visitatione frequenter perstitisse.

Numera IImò Macarios, Arsenios, Seraphiones, & reliqua columnarum Christi nomina, de quibus S Hieronymus Epistol. 27. quos S. Paula cum multis virginibus & filiâ, Hierosolymis abiens visitavit. In hoc circuitu, cum plurimos inviseret sanctos, protunc repertos, eos pariter confitendum est visitasse Sepulchrum Christi. De quibus sic scribit, suis temporibus S. Hieronymus, Epist. ad Paulam: *Asseramus vel maximè eos, qui in toto orbe sunt primi, huc* (nempe Hierosolymam ad Sepulchrum Christi) *pariter congregari, ad quæ nos loca* (de se ipso loquitur S. Hieronymus) *non ut primi, sed ut extremi venimus, ut primos in eis omnium gentium cerneremus. Certe flos quidam & pretiosissimus lapis, inter Ecclesiastica ornamenta Monachorum & virginum chorus est. Quicunque in Gallia fuerit primus, huc,* (id est ad invisendam Crucem & Sepulchrum Christi) *properat. Divisus ab orbe nostro Britannus, si in religione processerit, occiduo sole dimisso, quærit locum fama sibi tantum & scripturarum revelatione cognitum* (quòd est Sepulchrum Christi gloriosum). *Quid referamus Armenos? quid Persas? quid Indiæ? quid Æthiopum populos? ipsamque juxta Egyptum fertilem Monachorum, Pontum, Capodociam, Syriam, Cælem, & Mesopotamiam, cunctaque orientis examina? quæ juxta Salvatoris eloquium dicentis: Ubicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur aquilæ.* (De tali sanctorum

ctorum congregatione ad Sepulchrum Christi, hic scribit S. Hieronymus, quia ibi fuit Corpus Christi.) *Concurrunt ad hæc loca, & diversarum nobis virtutum specimen ostendunt.* Et enumerat hæc virtutum specimina, quæ sancti visitatores Crucis & Sepulchri Christi Hierosolymis portendebant, dicens: *Vox quidem dissona sed una religio. Tot pene psallentium chori, quot gentium diversitates. Humilitatis inter omnes contentio est;* (nempe quilibet quantocyus contendit, humiliari ante Sepulchrum Christi.) *Quicunque novissimus fuerit, hic primus reputatur. In veste multa discretio, nulla admiratio* (hoc est, in vario vestium genere, eoque abjecto ac vili Sepulchro Christi præsentantur). *Jejunia quoque neminem sublevant, nec defertur inediæ, nec moderata sanctitas condemnatur. Suo Domino stat unusquisque, aut cadit* (pronus ad Sepulchrum Christi). *Procul luxuria, procul voluptas. Tanta in Urbe* (id est Hierosolyma) *orationum loca, ut ad ea peragranda dies sufficere non possit.* Hucusque S. Hieronymus, sui temporis describit visitationem S. Sepulchri, quam pro tunc primos gentium, Ecclesiæ sanctitatis flores cum præclaris exemplis virtutum, eidem sancto loco, aliisque præstitisse fatetur. Et quòd de loco sancti Sepulchri loquatur, patet vel ex ipso contextu Epistolæ; tum ex antecedaneis dictis ejusdem S. Doctoris. Descripta enim pro priori sanctitate civitatis Jerusalem, positoque asserto, quod Jerusalem quantum ad locum pertinet, per profectus temporum, multò nunc augustior sit, quàm ante fuit, idque ob sanctitatem locorum, in ea existentium; statim expressè loquitur ibidem de Sepulchro Christi, & allegata dicta immediate subjungit; deductaque visitatione S. Sepulchri, ulterius præsepe Christi in Bethleem describit & laudat. Ex qua doctrina præsupposita S. Hieronymi.

Numera 12mò visitatores S. Sepulchri, omnes familiares S. Hieronymi, de quibus in Epistola ad S. Augustinum scribit: *Nonnulli familiares mei, & vasa Christi, quorum Hierosolymis, & in sanctis locis magna copia est.* Omnes eos, quos S. Hieronymus ad visitationem S. Sepulchri, Hierosolymam literis suis evocabat, prout & ad Apronium scribit: *Optimum autem facies, si cunctis rebus omissis, orientem & præcipuè loca sancta petas.* In Epist. 46. ad Rusticum, qui voverat peregrinari ad loca sancta Hierosolymæ, inquit: *Redde, quod præsente Deo spopondisti.* Epist. 154. hortatur Desiderium

ſiderium, ut veniat ad loca ſancta. Omnes illos laudabiles virtutis viros, qui veniebant ad S. Hieronymum ex Hedibia, Algaſia, ultimis Galliarum finibus. Apodemium ex Suria Tretella. Ii enim omnes, qui doctrinæ causâ adibant S. Hieronymum, pietatis ergo veniebant Hieroſolymam, ut S. Sepulchrum aliaque loca, prono cultu ſpectarent. Ipſe S. Auguſtinus quia propter locorum diſtantiam, & animarum curam, proficiſci ad diſcendum in Bethleem ad S. Hieronymum non poterat, miſit per Cyprianum Diaconum, aliosque, epiſtolas multas, vehementerque dolebat, ſe eò proficiſci non poſſe. Si tantum detulit S. Hieronymo S. Auguſtinus, quantum impendiſſet honorem ſanctis illis locis æternæ ſapientiæ, quorum deſiderio videndi & adorandi majori flagrabat affectu? Adeoque proficiſcentem Cyprianum, ablegatum S. Auguſtini ad S. Hieronymum Bethleem, puto non præteriiſſe contiguam Hieroſolymam, ubi tam ſuo, quàm S. Auguſtini nomine, reverentiæ actum, ad S. Sepulchrum exhibuiſſe, dictum Cyprianum, res eſt certiſſima. Patet id & in Alipio, Tagaſtenſi Epiſcopo, S. Auguſtini in vitæ inſtituto collega, qui anno 393. Hieroſolymam profectus, dum primò S. Sepulchrum ibidem adiit, poſt inviſit & S. Hieronymum. Dubitare nequeo S. Auguſtinum, dicto Collegæ ſuo Alipio recommendaſſe, ſuas etiam preces & orationes in loca S. Sepulchri, quæ nomine tantæ ſanctitatis & doctrinæ Præſulis Auguſtini, ibi perſolverentur. Numera Poſthumianum, qui venit in Palæſtinam ad S. Hieronymum; deinde Hieroſolymam profecturus, viſendorum causâ locorum ſacratorum; adeoque & ad tumulum Chriſti viſendum perrexit. Syſinnium Monachum, integerrimis vitæ moribus præditum, quem S. Exuperius, Epiſcopus Toloſanus, cum magnis largitionibus, Hieroſolymam miſit; ut habet S. Hieronymus in præfat. in libr. 1. Zachar. his verbis: *Ultimo jam autumni tempore, frater noſter, filius tuus Siſinius Monachus, tuæ mihi dignationis epiſtolam reddidit, quâ lectâ gaviſus ſum, te ſoſpitem & memorem mei, omniumque fratrum, qui in ſanctis locis Domino ſerviunt, in quorum refrigeriis facis tibi amicos &c.* Ex quo contextu patet clarè, tot ſanctos viſitatores S. Sepulchri, quot fratres in ſervitio Domini in ſanctis locis, ætas illa S. Hieronymi memorabat. Patet item S. Exuperium Epiſcopum Toloſanum, tantæ liberalitatis

Epiſtol. 94. & 86.

Baronius An. 399.

extitisse, ut eâ non solum Gallias, sed & ipsas impleret Hierosolymas; ac si non per se, per alium tamen à se missum Sysinnium vi-
anno 397. n. 19. sitasset loca sancta & Sepulchrum Christi Hierosolymis. Eo enim tempore juxta Baronium, Hierosolyma erat tanquam spiritualis quædam Academia, ubi veram excolebant sapientiam. Talem verò sapientiam in perfectione, omnibus numeris absoluta, Christianè exercuerunt, quando Sanctissimum Sepulchrum, aliaque visitantes loca, spiritu intelligentiæ, & amore mysteriorum Dei,
Idem. anno. 419 numer. 97. nimium replebantur. Numera Innocentium, Legatum ab Africanis Episcopis missum pro Canonibus Nicenis, qui Alexandriâ profectus est Hierosolymam; ibi visitatô S. Sepulchro, reddidit S. Hieronymo literas S. Augustini. Recense demum hîc, omnes illos celebres virtute viros, quos S. Hieronymus in suis Epistolis Hierosolymam profectos scribit, & fertilissimum contexes indicem visitantium Sanctissimum Sepulchrum.

Numera 1 ;tiò novellam illam multitudinem credentium in Domino vicinarum Gentium, utriusque sexus Nationem, quæ an-
Marcellinus. no 419. magno terræ motu in Palæstina durante, commota internè miro illo aspectu Domini JESU Christi, visibiliter Hierosolymis, super montem Oliveti apparente, in eundem credidit, & sacro fonte in Ecclesia S. Sepulchri abluta fuit, in quorum omnium baptisatorum tunicis, Crux Christi Salvatoris, Divinitatis nutu statim expressa. Hi ergo omnes, vestes habentes cælitus Cruce Christi signatas, processerunt ad locum Crucis & Sepulchri Christi visitandum, ut se professos veræ fidei, taliter demonstrarent.

Numera 14tò S. Petrum Aspebetum dictum, Saracenorum Antistitem, egregiæ sanctitatis virum, quem S. Euthymius ex Principe & Duce Saracenorum, transformavit in Christianum, & ad fidem Christianam conversum, Juvenalis Episcopus Hierosolymi-
Cyrill. Monach. in reb. gest. S. Euthymii. tanus, ordinavit in Episcopum Saracenorum, quorum tanta fuit multitudo, non secus, ac fluviorum fluenta: & hi omnes signati signaculo, dum connumerabantur cum grege Christiano, numerabantur simul plenissimè Christianæ fidei, eruditi dogmatibus, pro visitatoribus Sepulchri Christi, tum ex eo; quia S. Euthymius, qui dictos Saracenos erudivit in fide vera, & baptisavit, erat in solitudine, distante ab Hierosolymis decem millibus, id est passibus, & Petrus ille Dux, præ excellentia meritorum, gentis

suæ

ſuæ primus ordinatus Epiſcopus, ab Antiſtite Hieroſolymitano. Videtur igitur patens aſſertio dicendi, hunc Sanctum Præſulem, unà cum novo militiæ Chriſti ad ſcito exercitu, loca ſancta Hieroſolymis, unà cum Sepulchro Chriſti colere, viſitaſſe, cujus loci clareſcere ſanctitatem optimè noverat.

Conſtat iis annis, nimirum ab anno 417. numeroſiſſima fidelium & piiſſimorum S. Sepulchri viſitatio; tum ex eo, quia ille ab Eccleſia ſancta, Romana & Catholica; damnatus Hæreſiarcha Pelagius, Hieroſolymis tandem habitare elegerit, ob rationem, quam dat Cardinalis Baronius, ſub hoc anno num. 2. *ut ibi moraretur, quo ex toto orbe Chriſtiano concurrerent gentes, ut ibi errores docens, univerſam ſimul totius orbis Eccleſiam macularet.* Proinde illud tempus, ſi concurſu totius orbis Chriſtiani Hieroſolymam notatur, is numerus ad Sepulchri Chriſti viſitationem attendi debet. Tum ex eo, quia ſub annum 431. Juvenalis Episcopus Hieroſolymitanus, in Concilio Epheſino, primatum totius Syriæ ſibi & Succeſſoribus ſuis tentabat evincere, ex hac ratione, ob frequentem videlicet ex toto Chriſtiano orbe Hieroſolymam peregrinationem. Ergo protunc frequentisſimum cultum exhibuiſſe S. Sepulchro, hæc ipſa adeo numeroſa, teſtatur peregrinatio. Baron. n. 102

Numera 15tò Eudociam Imperatricem, Auguſtam, quæ voti perſolvendi causâ, & viſitandi S. Sepulchrum, ad quod ut pro beneficiis à Deo acceptis gratias ageret, Chriſtique nomen obeundo hoc munere adorationis S. Sepulchri, eximiis honoribus decorare vellet, ex perſvaſione S. Melaniæ Junioris anno 439. profectam fuiſſe ad ſanctam civitatem Jeruſalem, ubi orationes ad S. Sepulchrum maximè perſolvit, cùm interfuit Feſto Dedicationis ejusdem Eccleſiæ Reſurrectionis. Et ibi per annum fermè integrum adire ſolita eſt, & multas res in ſancta civitate, ad Dei Salvatoris honorem, ejusque illuſtrandum tumulum geſſit. Ædificavit monaſteria, Hieroſolymorum refecit mœnia, eaque pulchriora reddidit. Unde ei propheticum vaticinium aptarunt: *Benignè fac Domine, in bona voluntate tua, ut ædificentur muri Jeruſalem.* Templum S. Stephani, primi Diaconi Hieroſolymitani & Martyris, quod quidem non ſtadio Hieroſolymâ diſtat, ſplendore ac pulchritudine eximia extruit. His pluribusque Hieroſolymis patratis bonis, inſigniter reddita præcipua viſitatione S. Sepulchri, à Juvenali pro-

tunc Episcopo Hierosolymitano, beatissimas fascias Salvatoris nostri JESU Christi, item duas catenas illas, quibus ab Herode S. Petrus vinctus fuit donata. Socrates. Evagrius. Nicephorus. Baronius. Post obitum Theodosii, Junioris, iterum profecta Hierosolymam, adeo protracta cultu & devotione sacri Sepulchri aliorumque locorum, diutius ibidem permanens, quis recensere poterit tot ejus sæpius iteratas S. Sepulchri visitationes, quæ Hierosolymis undecim annos transegit, & approbans Synodi Chalcedonensis Acta, & restituta communioni Ecclesiæ Catholicæ, persvasione S. Euthymii, & in templo Hierosolymitano (videlicet S. Resurrectionis) stipata Canonicis & Clericis illius Ecclesiæ, & innumeris Religiosis, ob ejus conversionem, cor manusque ad cælum attollentibus, in manibus Episcopi Juvenalis, hæresim Eutychianam abjuravit, & juxta fidei Catholicæ normam se dirigens, ibidem Hierosolymis desiit vivere, & in templo S. Stephani, à se extructo condita est anno 460. quam, beatam nominat, Cyrillus Monachus, in vita S. Euthymii, die 20. Januarii.

Caussinus Soc. Jes. de piet. Aul. fol. 198. & 236.

Numera 16tò eximios illos viros, Chrysippum, Gabrielium, Phidium, Cosmam, aliosque Custodes Sanctæ Crucis & Sacrorum ornamentorum Ecclesiæ Resurrectionis; quorum fidei dum credita erat custodia dictorum sanctorum locorum, adhibita fuit ab illis & humillima demissio.

Numera 17mo celebrem famâ & virtutibus Quiriacum Anæchoretam, qui anno 465. Hierosolymam petens, dum S. Sepulchrum vidit & veneratus est, ad eremum S. Euthymii se contulit, ad magnam virtutum molem construendam, fundamentum primum humilitatis jecit, submittendo se S. Sepulchri loco.

Baron. n. 17.

Numera 18vò insignem virtute & liberalitate Eudociam Juniorem, filiam Valentiniani & Eudoxiæ, quæ à Genserico capta fuerat, Hunerico filio desponsata, fugam arripiens, venit Hierosolymam anno 471. de qua Nicephorus libr. 15. cap. 12. *Cùm parum grata esset ei viri conjunctio, qui Arianam profitebatur religionem, arte manus ejus dilapsa, & Aviam Eudociam imitata, ad sancta loca concessit, & Sepulchrum illius, longè post exosculata est: Ubi & ipsa non diu vixit, sed somno beato sopita, juxta aviæ tumulum, in præclaro posita est monumento. Quidquid autem ei erat facultatum, id pauperibus & Sanctæ Christi Resurrectioni consecravit.*

Numera

Numera 19nò Quiriacum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, virtutis amatorem ardentissimum, qui patrocinium gerebat S. Sabæ apud Episcopum Hierosolymitanum, à calumniatoribus quibusdam Monachis. Hic Quiriacus anno 492. dum in Ecclesia Hierosolymitana floruit, visitatione etiam S. Sepulchri enituit.

Numera 20mò Divinos illos Patres, Hierosolymis in amplissimo templo congregatos anno 513. coram quibus Hypatius, consobrinus Imperatoris Anastasii, fidem Catholicam suam declaravit & juramento affirmavit se non venisse, ut communicaret malæ Severi hæretici opinioni, sed ut loca adoraret, veneranda nempe Calvariæ, Sepulchri, cæteraque, seque velle potius, eorum communicare sanctitati. In Vit. S. Sabæ cap. 80.

Numera 21mò Marcianum, relatum in numerum Sacerdotum divinæ Resurrectionis, qui præerat S. Sion, & qui provectus est ad excelsam Sedem Sebastes; Antonium primum filiorum S. Sabæ creatum Episcopum Ascalonitarum; Cratiam insigerrem Episcopum; Abraamium, Anthimium ex Bethania ortum, multis pro Deo sudoribus vitam suam ornantem; Gerontium, quem cum invasissent quædam infirmitates in sancta civitate, omnium jucundissimam desiderabat profectionem, ut veniret in montem Oliveti, & illic oraret, aliosque sanctos discipulos S. Sabæ, qui dum in sancta vel fuerunt vel ordinabantur civitate Hierusalem, visitaverunt S. Sepulchrum Christi. Ibid. cap. 51.

Numera 22dò Petrum Diaconum, qui contendebat Hierosolymam circa annum 517. non ex alio fine, nisi ut Sepulchrum Christi visitaret, ad quem S. Fulgentius, Episcopus Ruspensis, sibi amicum & familiarem de fide in prologo scribit: *Epistolam mi Petre tuæ charitatis accepi, in qua significasti, velle Hierosolymam pergere.*

Numera 23tiò ingentem numerum orthodoxorum, visitantium S. Sepulchrum, dum anno 518. cessavit persecutio Anastasii Imperatoris, ad impertitam pacem Ecclesiæ, omnes quasi respirare cœperunt, & in latebris pressurarum latentes, in apricum prodierunt solem, & jam intrepidi, ac in robore constantes, cum publica professione veræ fidei, sanctissima Hierosolymis adierunt loca. Et sacer ille Hierosolymis Conventus Synodalis Concilii, cui interfuerunt Episcopi triginta tres, dum fidem Orthodoxam Concilii

lii Chalcedonensis probavit, & confessione publica ratificavit, collectio illa veneranda, majestatis Divinæ thronum Sepulchrum, videlicet Salvatoris, omni honore etiam visitavit. Quod constat ex Synodali Epistola, Episcopi Hierosolymitani sub hoc titulo scripta: *Joannes Dei miseratione Episcopus Hierosolymorum, & Sancta Synodus Trium Palæstinarum, existens sub sanctis locis, Christi Dei omnium &c.* ubi in fine subdit propheticum illud eloquium: *Celebra Juda festivitates tuas, redde Domino vota tua.* Nempe celebrarunt hanc festivitatem Orthodoxæ fidei cultores, sanctissimi illi Episcopi, in Ecclesia resurrectionis, & reddiderunt vota ante S. Sepulchrum gratiarum actoria, veluti trophæa de profligata hæresi, & stabilita fide Apostolico-Romana.

Numer. 1.

Numera 24tò Anastasiam uxorem Pompeii, quæ post obitum viri sui abdicatô sæculô, recessit in Palæstinam circa annum 527. ibique in monte Oliveti vitam austeram antequam exerceret, tenendum est eam visitasse Sepulchrum Christi, cùm mons Oliveti juxta Adrichomium, quinque stadiis nonnisi distat ab Hierosolyma, in quo loco egregia enituit sanctitate.

Numera 25tò sub Imperatore Justiniano, & sub Petro Episcopo Hierosolymitano, visitatores S. Sepulchri, & aliorum locorum sanctorum, eo tempore, videlicet anno 536. quô ex toto orbe Christiano conveniebant; prout id cognosces ex constitutione ejusdem Imperatoris Justiniani, quæ sic habet: *Quando autem, conducentis, omnibus Ecclesiis, boni, providentiam agere convenit, præcipuè autem S. Resurrectionis, & loci, in quo mundi creator dignatus est in humana constitui generatione: propter hoc existimavimus præsentem scribere legem &c. Omnibus enim est hominibus manifestum hoc, Sanctissimam Resurrectionem, eos, qui ex omni orbe eò confluunt, (quorum multitudinem infinitam est dicere) & suscipere, & alere, & facere sumptus immensos & insperatos, his, qui illic coacervati sunt, sufficientes, secundum miraculorum operationem magni Dei, & Salvatoris nostri JESU Christi in dies suscipientem &c.* Et infrà: *Multis namque confluentibus & accedentibus ad prædictam Hierosolymorum Civitatem, desiderio depositorum & dicatorum Deo locorum &c.* Audi ex verbis Imperatoris, ipsius & fidelium pietatem erga S. Sepulchrum & alia loca sancta Hierosolymis: *Indicet autem nostram voluntatem, quam pro sanctissima, & meritò ab omni hominum genere adoranda Resurrectione,*

Baronius Tom. 7. fol. 383.

ctione, nostrum habet Imperium, & Domino dedicat Deo &c. Ecce locus S. Sepulchri, judicio Justiniani, ab omni hominum genere adorandus. Hoc insuper tempore Mensis Septembris die 19. numera Sanctissimos Episcopos trium Palæstinarum sub sanctis locis, qui venerabilissimæ Synodo Hierosolymitanæ, sub eodem Patriarcha Petro, numero quadraginta quinque Episcopi interfuerunt, & hereticorum ejus temporis condemnationem conclamarunt.

Numera 26tò Abbatem Georgium, miræ virtutis & abstinentiæ virum, qui veneranda mysteria, in sancta Christi Dei nostri Resurrectione percepit. Abbatem Stephanum Cappadocem, magnum illum virum Abbatem Zosimum, & Abbatem Dulcitium Romanum, quos misit Gregorius ad Petrum Hierosolymorum Patriarcham, cum literis obitum ejusdem prænuntiantibus. Adolium genere Tharsensem, qui cum venisset Hierosolymam, adoraretque loca sancta, adeo austeram exercuit vitam, ut etiam ipsi dæmones horrerent summam ejus austeritatem & vigiliam. Cosmam Abbatem; Eunuchum, Lauræ Pharan, virum singularis religionis & fidei rectorumque dogmatum valde tenacem & zelatorem, qui Hierosolymis Sepulchrum Christi visitavit. Sophronius in Prat. Spirit. Palladius c. 104. Sophronius c. 40.

Numera 27mò Vinnocum Britonem, qui in summa abstinentia à Britannis circa annum 580. Hierosolymam ad Sepulchrum Christi accedere cupiens, nullum aliud vestimentum, nisi de pellibus lana privatis habens. Gregor. Turon. Libr. 5. Cap. 21.

Numera 28vò Galbium & Candidum duos fratres germanos genere & virtute, qui à Divina gratia illuminati, operibus misericordiæ in pauperes exercendæ, excelsum dantes animum. Eorum Deus volens in hac vita, ea opera charitativa, præmio etiam temporali recompensare, immittit eis desiderium, adorandi loca sancta Hierosolymis. Quod plane & ab illis factum est; nam hi fratres germani, patricia & bonitatis dignitate præditi, Hierosolymam profecti, omnia illa loca, adeoque & Sepulchrum Christi perlustrarunt & osculati sunt; atque etiam inde in Galilææ partes venerunt, ubi apud quendam Judæum, vestem B. Virginis MARIÆ asservatam repererunt, & consilium ejus auferendi ceperunt. Et Hierosolymorum urbe peragrata, & sanctô quoque locô (videlicet Sepulchro Christi) adorato, cùm preces ibi fudissent, paupe-

ribus & egentibus, liberaliori dextera eleemosynam erogassent, à muliere illius Judæi, constructa arca simili & figura, quam viderant in qua asservabatur vestis Immaculatæ B. Virginis, supponentes similem mulieri dictæ, clam secum asportarunt illam, in qua fuerat vestis B. Virginis, & Constantinopolim sub Leone Imperante detulerunt. Et beati quidem reputantur Galbius & Candidus, qui ab adoratione S. Sepulchri, tale ministerium & donum tribuerunt, & publicis honoribus honorantur. Nicephorus libr. 16. cap. 24. Mataphrastes in Assumpt. B. Virg. sub die 31. Aug. ex Menæis Græcorum.

Dubliulius in præfat. Numera 29nò Theodorum Antiochenum, qui illustrissimæ pietatis exemplo, mirum in modum claruit. Qui cùm mediæ esset ætatis, Antiochiâ non semel, sed sæpius Hierosolymam religionis causâ venerat; tandem è Syria Romam veniens, & iterum in Syriam navigaturus, multis, ut Hierosolymam religiosè secum accederent, persvasit. Iter Hierosolymitanum aggrediens, navim non pane & alia alimoniâ sed Augustini, Thomæ Aquinatis, Tostati, Abulensis libris, qui in Asia & Græcia desiderabantur, implevit, ac itinere de iis, quæ ad Christianam religionem pertinent, ut suorum animos confirmaret, divinitus multa disseruit; & de sanctis locis Hierosolymæ, in quibus is sæpius fuerat, plenè erudivit. De Sepulchro Domini, quod sedulò & reverenter inspexerat, cùm narraret, quòd omnibus nationibus sit venerabile, subdit: *Cujus* (nempe resurrectionis) *loci memoria, cùm mihi venit* Idem fol. 18. *in mentem, non solùm animo, verum etiam corpore contremisco.* Et infrà dicit: *Nunc quoque Dei beneficiô saxea corda, hoc tam admirabili spectaculo* (nempe Crucis & Sepulchri) *permoventur, & quorum animos antiqua peccata, omni adamante duriora non moverunt, ii subitò in his locis, Christi morientis ac sepulti contemplatione mollescunt. Ego Dei beneficiô, vos aliquid tale brevi experturos esse confido.* Taliter ergo edisserens, notitiam Calvariæ & Sepulchri, quæ jam plùries affectuosè perlustravit, & fructum suis consociis exposuit, cum quibus ad dicta loca pervenit.

Numera 30mò, Rusticianam Patriciam, ex nobilibus illis civibus Romanis progenitam, ipsi S. Gregorio sangvine conjunctam, Constantinopoli degentem, remorantem nimis profectionem suam ad terram sanctam ad visitandum S. Sepulchrum, quam S. Gregorius,

rius,

rius, datis ad ipsam literis, sic compellit: *Valde autem miratus sum, cur deliberatæ viæ, eundi ad loca sancta intentionem & votum boni operis deflexistis, dum si quando bonum aliquod, dono Conditoris, in corde concipitur, celeri necesse est devotione compleri. Unde necesse est excellentiam vestram, omnibus impedimentis piis causis obviantibus anteire &c.* Quanti faciat peregrinationem ad S. Sepulchrum S. Gregorius, dum stimulum celerem addit ad loca sancta obeunda? Baronius anno 592. Libr. 2. Epist. 21.

Numera 31mò ex pia Mauritii familia, Damianam clarissimam fœminam & maxime piam, atque sororem Imperatoris Hierosolymis vitam degentem, unà cum nepte sua atque Mauritii, quæ die sancto Parasceves, & reliquis temporibus S. Sepulchrum aliaque loca sancta Hierosolymis, devoto obibat affectu, ut de seipsa testatur: *Die igitur quadam neptis mea, & fidelissimi Imperatoris Mauritii, veniens ad sanctam civitatem, orationis gratiâ, egit ibi annum integrum.* Sophronius in Prato Spirit. cap. 127. ubi meminit & cujusdam viduæ, sanctæ, & magnæ virtutis, annorum quasi octoginta, quæ ex Galatia Phrygiæ venit Hierosolymam, & ad S. Sepulchrum in Ecclesia Resurrectionis sedulæ intenta orationi, dabat omnibus, qui in templo erant, duo minuta, quæ oblata & dictæ Damianæ ac Nepti Mauritii, ex humilitate acceperunt, scientes ejus viduæ sanctitatem, & aliis pauperibus distribuerunt.

Numera 32dò Probum religiosissimum Abbatem, quem S. Gregorius Papa, cum multis pecuniis Hierosolymam destinavit, cujus instantiâ venerabile Xenodochium constituit. S. Antonin. Tit. 12. cap. 3. §. 9.

Numera 33tiò nonaginta novem millia hominum Christianorum, qui anno 614. ab exercitu Chosroë Regis Persarum, devastante sacrosanctam Hierosolymitanam civitatem, per manus Judæorum ibidem in odium fidei Christianæ, dirè trucidati. Dum enim hic exercitus tyrannicus vastasset, & depopulatus esset veneranda loca Hierosolymorum, omnes illorum cultores, & Sancti Christiani visitatores in occisione gladii mortui sunt, quorum spes immortalitate plena. Consequenter numera & eos omnes sanctos, præter eos, qui ibi occisi sunt, qui cum Patriarcha Zacharia unà cum cruce in Persidem captivi abducti sunt; de quibus S. Antoni- Theophanes in Annal.

 nus

1. Part. Histor. Tit. 6. cap. 6. §. 9.

nus, Archiep. Florent. *Zacharias Patriarcha Hierosolymitanus, qui cum multis aliis sanctis, fuerat ductus captivus in Persidem per Chosròën.* Item Sanctos Patres in Laura S. Sabæ, quos tyrannica sustulit oppressio, numero quadraginta quatuor, quorum memoria 16. Maji celebratur.

Numera 34tò Antiochum Monachum Palæstinum, vitæ sanctitate mirificum, & doctrinâ celebrem, qui in Epistol. ad Eustachium scribit, quòd confugerat ad Monasterium civitati propinquum, quod quidem ab Hierosolymis distat stadiis viginti, cui nomen Abbatis Anastasii. Justinum Abbatem, sapientissimum Dei cultorem, & ad illud Monasterium, gratia præduce Christi, confluentem congregationem; cujus Patris in omni circum regione, splendor virtutis manabat. In tanta itaque contiguitate Urbis Hierosolymæ, loca sancta à barbarico furore devastata, & per S. Modestum restaurata, ac reductam ex Perside crucem sanctam, novo iterum salutasse cultu, quis negabit? Cùm Christiana religio, ex accepta cruce & restituta in locum suum, ac resarcitis ædificiis locorum sacrorum, fuit iterum mirificè illustrata, per visitationem ejusdem S. Crucis & Sepulchri Christi, cæterorumque locorum.

Numera 35tò, copiosam turbam Christi servorum ac Sepulchri ejus visitatorum, quam prima illa Saracenica, ad Sepulchrum Christi & Hierosolymis, totaque terra sancta, clades prostravit, quorum pretiosa fuerat mors in conspectu Domini. Et quò magis invalescebat sævitia & crudelitas Machometana, in Christianæ religionis opprobrium, eò magis transibat ad Deum oblatio Christianorum, totque victimæ sacræ Deo in holocaustum ad Aram Crucis & Sepulchri immolabantur, quot veri crucifixi & Sepulti Christi publicè confessores, gladio ac nece cruenta infidelium mactabantur. Sed illud crucis & Sepulchri Christi virtute mirandum accidit, quòd cum tot fuerint insignia Hierosolymis templa, nullum eorum vendicare sibi sint ausi, dominantes impii Saraceni, sed libera omnia prioribus usibus fuerint residuis Christianis relicta, nempe templa Calvariæ, Resurrectionis, quæ ut antea frequentata, à totius orbis terrarum fidelibus; Baronius sub anno 643 num. 3. adeoque tantus fidelium perseverabat audax affectus, ad visitandam S. Crucem, Sepulchrum, aliaque loca sacra Hierosolymis, ut nec timore Saracenorum, eandem incolentium terram, deter-

feri potuerunt, quin adeo periculosam peregrinationem animo læto susciperent, eâque susceptâ, veluti summâ pace quæsitum Sepulchrum Christi, religiosissimo animo lustrarent. Et quamvis locum illum mirabilem, aliaque debita pietate colerent, luminibus, sacrificiis atque reliquo omni cultu; nihil tamen negotii factum est à Saracenis, talibus visitatoribus, ac S. Sepulchri peregrinis, teste eodem Baronio sub anno 699. Hos igitur fortissimos in fide & pietate computa visitatores S. Sepulchri, quos impellebat sancta audacia, & decernebat fortiter etiam inter hostes, non abstinendum à visitatione S. Sepulchri, nec ab ea deterrendus est animus, auxiliô Christi, & clypeô fortitudinis ejus præmunitus.

Numera 36tò Zachariam Presbyterum, quem Carolus Magnus anno 799. Hierosolymam misit ad deferenda dona Sancto Sepulchro. Baronius num. 12. ejusdem anni.

Numera 37mò sub annum 812. omnes eos visitatores, qui ab Arabis percepto Martyrio, interfecti sunt, dum ab iisdem in alma Dei nostri civitate colenda loca sanctæ Dei Genitricis, & Resurrectionis ac Calvariæ profanarentur.

Numera 38vò singularis virtutis & devotionis viros, qui in puro Christi amore sub annum 869. visitarunt Sepulchrum Christi; quo tempore Ecclesia sub Saracenorum jugo posita, pace fruebatur, & multam benevolentiam & compassionem ostendebant in Christianos & peregrinos, præbentes licentiam ædificandi Ecclesias nostras, & tenendi sine prohibitione mores & ritus nostros; prout Theodosius Hierosolymorum Patriarcha ad S. Ignatium Patriarcham Constantinop. literis suis enarrat. Baronius Tom. 10. fol. 421.

Numera 39nò Matrem Divi Geronis Archiepiscopi Coloniensis, nomine Hiddam, quæ peregrinata Jerusalem, illic clara virtutibus & præcipuâ visitatione S. Sepulchri, sancto fine quievit. Idem Tom. 10. an. 965. num. 10.

Numera 40mò fideles visitatores S. Sepulchri, singularia erga Christum fidei & amoris exhibendo testimonia, qui anno 1002. peregrinationem Hierosolymitanam instituerunt, illis temporibus frequentissimam, ex partibus potissimum borealibus. Auctor est Glaber, & alii Scriptores.

Numera 41mò sacrum illum cætum Monachorum, visitantium S. Sepulchrum, quibus anno 1002. S. Stephanus Rex Hungariæ extru- Chartuitius Episcop. in

vit. S. Steph. cap. II.

extruxit cœnobium in ipſa Hieroſolyma, ubi Dominus noſter JESUS Chriſtus in carne verſatus eſt.

Numera 42dò auſteritate præditos duos Monachos, qui anno 1014. ab Hieroſolymis à Sepulchri Domini, & ſacrorum locorum viſitatione venientes, particulam lintei, quô pedes diſcipulorum Salvator exterſit, ſecum ad Monaſterium Caſſinenſe detulerunt. Leo Oſtienſis Chronic. Caſſinen. libr. 2. cap. 31.

Brevíar. Chronolog. Francisci Coriolani.

Numera 43tiò virum valde pium Stephanum nomine, patriâ Lucanum, qui religionis causâ, unà cum aliis anno 1098. peregrinationem ſuſceperat ad terram ſanctam, & à viſitatione S. Sepulchri rediens, venerandam imaginem Salvatoris Noſtri JESU Chriſti Crucifixi, ſchemate regio antiquitus pictam, quam acceperat à quodam Gregorio Syro homine, in Lucanam civitatem Tuſciæ deportavit, ubi hactenus religioſiſſime conſervatur.

Serm. 121. de S. Cathar. lit. E.

Numera 44tò S. Sabinum Epiſcopum & Martyrem Mediolanenſem, qui cum Theodoro Abbate Caſſinenſi, viſitatô Domini Sepulchrô, à ſæviſſimo Turcarum Duce capitur, ejus familia trucidata. S. Sabini & Theodori membra mutilantur. Petrus de Natalib. in Catalog. Sanctor. libr. 2. capitul. 24. Meſret de ſanctis: *Sabinus Antiſtes Mediolanenſis, cùm ultra mare navigaret cum Abbate Theodorico, de Monte Caſſino, & duobus Capellanis, ſex millibus & famulis tridenis, Sepulchrum Domini viſitarunt.*

Numera 45tò B. Lanfranchinum Januenſem ex Ordine D. Dominici, qui tantô deſideriô tenebatur contemplandæ paſſionis Dominicæ, neque ſolatium aliquod admittebat, donec à ſuperioribus pia contentione extorſiſſet permiſſionem, Terram Sanctam Chriſti cruore inſperſam viſitandi. Bzovius Tom. 13. Annal. Eccl. anno 1137. num. 11.

Sieylowski Polon. fol. 137.

Numera item ex eodem Ordine Nicolaum Voſmerium Peruſinum, Hieroſolymitanam inſtituentem peregrinationem, qui loca ſancta, veſtigiis Chriſti conſecrata, lachrymis profuſiſſimis irrigavit. Michael Pius libr. 1. de viris illuſtr. Ord. Prædicat: Numera item B. Margaritham Fernandez in Regno Portugaliæ ſororem Ords Prædic. de qua ſic habetur in Sanctuario Templi S. Trinitatis & Srum Ord. Prædicator: *Viſitavit Hieroſolymis Sepulchrum Domini, ad quod proceſſit nudis pedibus mendicando, ad quod pervenit cum magno ſuo Spirituali oblectamento, & abundanti lachrymarum effuſione,*

omnia

omnia loca sancta in quibus Salvator salutem nostram operatus est invisendo. Numera B. Antonium Viterbiensem Ordinis S. Mariæ Servorum, qui in Syriam & Palæstinam profectus, ut loca vestigiis Redemptoris Nostri calcata, piâ devotione inviseret. Bzovius anno 1309. fol. 138. Annal. Eccl.

Numera 46tò B. Petrum Olaum, Ordinis Cisterciensium in Ostrogotia Priorem, virum eximii spiritûs, multæque in rebus Divinis meditationis, qui Divam Birgittam Svecam secutus, peregrinationum ejus comes Romæ, Hierosolymis, pariterque cum eadem Sepulchrum Christi visitavit. Ex Joanne Vastovio Bzovius Tom. 15. anno 1378. num. 14.

Numera 47mò Svenonem Danorum Episcopum, concionatorem admirabilem, & Dei cultorem; domestica sanctitate non contentus, ejus incrementum laboriosa peregrinatione quæsivit, Hierosolymam proficiscens, Sepulchrum Christi spectavit. Joannes Bonifacius de vit. B. Virginis fol. 162.

Numera 48vò Notarium quendam Episcopi Podiensis qui unà cum Episcopo Hierosolymam profectus, ex visitatione sanctorum locorum, facibus amoris divini incensus, Saracenorum impietatem redarguens, variis tormentis excarnificatus, Martyr decessit: quod Martyrium ibidem prædixit illi S. Antonius Padvanus. In vita ejusdem S. Antonii apud Bzovium anno 1231. num. 2.

Numera 49nò Franciscum à Cruce, natione Hispanum, patriâ Toletanum, Ordine Carmelitam, venerabilem servum Dei. Perpendens, quòd Christus pro redemptione humana, bajulaverit crucem, postea plantatam in Monte Calvariæ, ubi ipse cruci affixus, judicavit Deo gratissimum, taliter peregrinandi ad eum locum, ubi Christus redemptionis nostra mysteria complevit. Modo igitur peregrinandi, nunquam hactenus attentato utitur; nempe cruce lignea fabricata & super humeros portata, ad eum modum, quo Christus portavit, pericula quoque & adversas difficultates, Divinâ fretus misericordiâ & protectione, nec non invictâ patientiâ & humilitate superans; inter infideles crucis Christi hostes, ad Terram Sanctam, quam Deus Homo pedibus calcavit & sanctificavit, intrans Hierosolymam, ad montem Calvariæ, ubi Christus pro hominibus mortuus est, & ad Sepulchrum, in quo conditum fuit corpus ejus, tali onustus pondere, devotissimè pervenit.

venit. In Bibliotheca Hiſpana, edita anno 1672. in vita ejus. Madriti apud Didacum Diaz de la Carera. Sebaſtianus Munnoz. Suares Presbyter.

Numera 50mò quendam virum fidelem & bonum de Oppido Dynantheo, qui terram ſanctam ingreſſus, loca ſingula, in quibus pedes Domini ſtetiſſe, quibusdam indiciis ferebatur, multa devotione & lachrymis viſitavit. Cumque ab adoratione S. Sepulchri veniſſet in montem Calvariæ, gravisſimis ſuspiriis ingemiſcens, cum valido clamore & lachrymis, prætermisſis aliis, inter ſingultus ſermonibus, hoc dixit: Et tum dua loca ob amorem & reverentiam tui, ſincero corde complexus ſum, hunc verò locum pasſionis & mortis tuæ, æquo animo videre non poſſum, ubi clavis crucifigi, & animam pro nobis tradere voluiſti. Hæc ut beatus peroravit, ruptis vitalibus cordis venis, ſpiritum exhalavit. O mortem optabilem! ô finem vitæ felicisſimum! utinam ſic liceret commori S. Sepulchro & monti Calvariæ. Ex Cantipratano libr. 1. cap. 25. Rodericus Raynaldus Tarviſinus anno 1216. num. 24.

Numera demum omnes ſanctos, & pietate inſigni Orthodoxos Patriarchas Hieroſolymitanos, totque cum illis reſidentes Hieroſolymis Canonicos, Cuſtodes S. Sepulchri, qui virtute ornati, in cuſtodia ejusdem ſancti monumenti adſtantes, illud ſummô ſtudiô ardoris frequentiſſime, utpote domeſticum ſibi locum, conſpicuîs honoribus extollebant.

Numera præterea omnes illos peregrinos ad S. Sepulchrum, qui illud, aliaque loca armis vindicando adeuntes, in puro ac caſto Dei amore ac ferventi deſiderio, viſitandi S. Sepulchrum & per hoc Chriſto in ſuis locis ſanctis, charitatis obſequium exhibituri, varii generis ſupplicio mortem à Paganis & Infidelibus ſuſtinuerunt. Eos enim habituros poſt obitum felicis Martyrii commercium, dixit Pontifex Urbanus II. in Synodo Claromontana, & Innocentius III. Pontifex ad Alexium Imperat. Conſtantinopol. *Chriſtum, aſſumptô ſalutiferæ crucis ſignô, ſequentes, in defenſione terræ ipſius Martyrio coronari aſſerit.* S. Bernardus ad Templarios: *Quàm glorioſi, ſi revertuntur de prælio victores, quàm beati, ſi moriuntur Martyres in prælio.* Quanta igitur multitudo fuerat, quæ illa die liberationis terræ ſanctæ, pro Chriſto Martyrium recepit, tantam

tantam numera multitudinem visitatorum Sanctissimi Sepulchri Christi, in Catalogo Martyrum ponendam, qui intimis desideriis visitare sanctum ejus Sepulchrum, & cætera loca exoptabant.

Numera insuper sex millia Christianorum, qui in templo & circa ipsum Dominicum Sepulchrum anno Domini 1245. fuerunt cæsa, magno religionis Christianæ sacrilegio, à gente quadam Chorasminorum dicta, quæ Saracenorum nequitiam excedens, hi enim licet terram sanctam sæpius occupassent, loca tamen sacra, ut Christi monumentum, utcunque veneranter conservabant. De profanato, innumeris Christianorum cædibus, Sepulchro Dominico, à Chorasminis, Gvillelmus Nangius in Gestis S. Ludovici, & Albertus Stradensis in Chronico eodem anno: *O vera Christi ante ejus Sepulchrum, visitatorum victima! Impletum est tunc illud Prophetæ:* Deus venerunt gentes in hæreditatem tuam, posuerunt morticinia servorum tuorum (in conspectu Sepulchri) carnes sanctorum tuorum, *visitantium Sepulchrum*, bestiis terræ; diffuderunt sanguinem eorum, tanquam aquam in circuitu Jerusalem, & non erat, qui sepeliret. Inter alia enim, quæ in illa captivitate à Saladino videri potuit, mirabilia spectacula, hoc dolorosum Catastrophe cernendum erat, nempe ut scribit Archiep. Tyrensis in continuatione belli Sacr: *Præcipua tamen ad Sepulchrum Domini, in loco sanctæ Resurrectionis species doloris ac publicæ fortunæ apparebat, cum locum Calvariæ, Sepulchri, osculantes ac valedicentes, sacrosancta loca morsibus appetebant, & quomodonam illa, si possibile foret, efferre possent, cogitabundi præsumebant.*

Bossius libr. 9.

Psalm. 78.

Libr. 1. cap. 7. fol. 18.

Numera præterea viros nobiles, & illustres multos valde, heroicis virtutibus religionis Christianæ præditos & instructos, qui occubuerunt sub Ludovico Rege Francorum, in liberatione civitatis Hierosolymæ, quorum S. Antoninus nomina scripta in libro vitæ esse, dubitare neminem dicit. Populus enimiste, (juxta eundem sanctum) tam devotus, Christi Sepulchrum, & venerabilia loca, quæ corporali sua consecravit præsentia, visitare volebat.

1. Part. Hist. tit. 17. cap. 8. §. 4.

Numera tandem omnes sanctitate & integritate vitæ conspicuos viros, Alexandrinæ & Antiochenæ Civitatis, Patriarchas & alios, quos protulerunt hæ civitates beatos; quoniam juxta Tyrensem Archiep. prædicta Dei cultrix Civitas Hierosolyma, quasi in limi-

Libr. 24. cap. 12.

te Alexandrini & Antiocheni, Patriarcharum erat. Item ex quinque Palæſtinæ Urbibus, Gaza, Aſcalone, Geth, Accaron, Azoto, Idumæa quoque, quæ juxta S. Hieronymum ad Dardanum, vix ſeptuaginta quinque millibus ab Hieroſolyma ſeparantur; aliisque vicinis & contiguis civitatibus. Item Samaria, Bethſaida, Nazareth, Bethania, Bethleem, quorum juſtorum nomina habentur in Martyrologio Rom. aliosque pios ac religioni Chriſtianæ & Catholicæ addictisſimos. Neque enim credibile eſt, in tanta Urbis Hieruſalem vicinitate, nec remotisſima diſtantia, S. Sepulchrum Chriſti, eos non fuiſſe religioſe viſitatos, cum ſancta loca cupidisſime luſtrarent, qui ea ſanctitate floruerunt, & quos ſacræ civitatis Hieroſolymitanæ vicinitas fortunabat.

Numera ultimò ſtellas, ſi potes, arenam maris, ſi dinumerare velis, æque à me innumerabilem unquam, ac inveſtigabilem computum reducendum ad paginæ calculum, multitudinem ac pluralitatem ſanctorum viſitatorum Sanctiſſimi Sepulchri Chriſti; quis enim talia fando & ſcribendo explicare valet? Tempus me deficeret nec volumina caperent, ſi vellem univerſa recitare, vel tranſcribere nomina, viſitantium S. Sepulchrum. Si omne ſtudium ad hoc verterem, ſi totum conatum laboris impenderem, vix paucos, è multis viſitatoribus S. Sepulchri (prout id ſentiendum de enumeratis à me) attingerem, cum numerus eorum tantus ſit, ut fidem narrationis meæ excedat. In tantam enim à Domino fuerat elevatus gloriam, ſanctiſſimus Sepulchri ejus locus, & tanta Urbis Hieroſolymitanæ apud omnes religio, ob decorem & aſpectum locorum ſacrorum, ut parum ſibi pius videretur, qui Hieroſolymis non fuiſſet, habetur in vita S. Hieronymi, & idem S. Hieronymus, ab aſcenſu Domini ad ſuam usque ætatem pronuntiavit: *putantes ſe minus religionis, minus habere ſcientiæ, nec ſummam, ut dicitur, manum accepiſſe virtutum, niſi in illis Chriſtum adorarent locis.* Horum omnium & ſi à nobis nomina ignorentur, tamen in æterna memoria ſunt. Numerum viſitantium Sepulchrum Chriſti, ſolius Dei ſcientia colligit, dicendo: Deus, cui ſoli cognitus eſt numerus, in æterna felicitate locatorum, qui te ante S. Sepulchrum adorarunt, & locum tuâ Sepultura & reſurrectione præſtantiſſimum, plena fide & ferventi amore viſitarunt. Quis demum enarrabit actus illos viſitationis, quanta cum devotione!

Epiſt. 17. ad Paulam & Euſtochium.

tione! quanta cum reverentia! quot ibi gemitus fuerunt! quot ſuſpiria! quot lachrymarum flumina! ante petram illam venerandam! Nunquam fuerunt, ut reor, tot peccamina, quæ tunc non mererentur æterna remedia. Quod ſi aliquid labiis promebant, nihil aliud crederes, niſi heroicarum virtutum, aliorumque exercitiorum, laudem Divinam ſpirantia corda. Ecce quam bene verificatum eſt protunc, Propheticum illud dictum: *Erit Sepulchrum ejus glorioſum.*

Eorum tantum hîc ſupra in Menſium Catalogo Divorum & Beatorum deduxi numerum, quorum ſanctitas in Eccleſia Dei magis divulgata habetur, & quorum in Martyrologio Romano, item in Catalogo Sanctorum Ferrarienſis, aliorumque vitam & Acta Sanctorum ſcribentium fit mentio ſanctitatis, & ſimul relatio viſitationis S. Sepulchri ſive locorum ſanctorum Hieroſolymis. Quosque Sanctos vel Beatos, ſive pios viros hîc retuli, eos non de meo, ſed de Authorum ſenſu & judicio protuli, pro viſitatoribus S. Sepulchri. Si enim hi ſupra nominati ſancti, Beati vel Beatæ, aut ſanctitate aliqua conſpicui viri, peregrinati ſunt Hieroſolymam, viſitarunt terram ſanctam, loca ſancta in civitate Jeruſalem, infallibiliter ſequitur ex innegabili conſequentia, in figura & modo pietatis conſtructa eos viſitaſſe S. Sepulchrum, cùm hic locus, inter alia loca ſancta Hieroſolymæ eminenter continetur. Ubi vero dixi, viſitaſſe eosdem S. Sepulchrum, nolo excludere & alia loca ſancta; imò unum ex alio infero, reciproca ſequela, hac nimirum: Viſitarunt loca ſancta Hieroſolymis, Ergo viſitarunt & Sepulchrum Chriſti. Item viſitarunt Sepulchrum Chriſti, Ergo viſitarunt & alia loca ſancta ibi exiſtentia, quæ Chriſtus ſalutarium myſteriorum ſuorum, ſacravit dignitate.

Juxta Decretum Urbani Papæ VIII. anno 1634. & Anno 1631. Die 5. Julii.

Nec dubito plures adhuc, imo innumeros in diverſis Authoribus reperiri & adinveniri ſanctos, religioſosque viros, qui, loca ſancta, & Sanctum Sepulchrum viſitarunt; horum enim planè infinitus eſt numerus, quorum nomina tum in cælis, tum in antiquis ſive Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, ſive aliorum doctorum hominum conſcripta ſunt voluminibus, & adnotata ſcriptis, quæ vel hoſtilis gladius, vel vorax flamma conſumpſit, vel de quibus non conſignarunt Authores, memoriam talis viſitationis, ſive à me non ſunt ob carentiam librorum indagata; non enim totius mundi Bibliothecas mihi verſari conceſſa facultas, quodve longum

gum visum est numerare D. Hieronymo, mihi peccatori idiotæ, id perfacile eveniat? Sed quæ evolvere tantisper potui & collegi, id tibi saltim in documentum, quantumcunque probandæ gloriæ Sepulchri Christi, ex sui visitatione adfero & exhibeo; plura & majora solertiori indagini & studio tuo pro gloria S. Sepulchri elaborando, committendo; illud hic profitendo, quod Thomas Waldensis in doctrinali fidei asserit: *Quòd verò sancti illuc, adhuc inter frementes gentes, ad Sepulchrum Christi adorandum accedant, quis ex omnibus terrarum finibus, potest populos numerare? cùm plurimi Sancti, Sanctos & Sanctas, illuc Deo vocante, ad eum in loco Crucis, & Sepulchri adorandum, ivisse mirantur & scribunt.*

Tom. 2. Tit. 14. fol. 240.

§. II.

Recensentur Dignitates Spirituales, visitantes Sanctum Sepulchrum.

In Dignitate spirituali Visitatorum S. Sepulchri, primum pono locum, Legatorum Romanorum Pontificum, & Vicariorum Apostolicæ sedis, qui tum tali à sancta sede in orientem, sive Syriam aut Palæstinam, functi sunt legationis ministerio, & ad regendam Ecclesiam Hierosolymitanam à Summis Pontificibus Romanis, universalis Ecclesiæ supremis capitibus, ac Gubernatoribus, dirigebantur, & in locis sanctis fixam habuerunt sedem, planum est, eosdem S. Sepulchrum cæteraque loca visitasse. Ad deducendum itaque catalogum visitatorum Sepulchri Christi, Legatorum S. Sedis, sufficiet mihi hic enumerare, dignissima saltem aliquot nomina Legatorum, eorundem summorum Pontificum, qui Hierosolymis præsentes fuere, ex quorum jurisdictionali actu, aliisque exercitiis, patebit perspicuè, eos fuisse supremos Sepulchri Christi veneratores. Quia verò fuerunt aliqui Summi Pontifices, qui antequam ad Pontificatûs honorem assumerentur, in ministerio Legationis suæ, profunda reverentia & amore coluerunt S. Sepulchrum, propterea hos primò pono.

Urbanus IV. de quo vaticinium fuit Malachiæ: *Hierusalem Campaniæ;* Campaniæ Galliarum natus, ab Alexandro IV. in Syriam mittitur Legatus, & ibidem Patriarcha Hierosolymitanus electus;

electus; Gregorius Decanus, apud Augustinum Oldoini consignat his verbis: *Quod Hierosolymitanæ, Trecensis, Beato Jacobo Fratri Domini, in tam eximio Patriarchatu successit.* Si itaque fuit Successor S. Jacobi Minoris in Cathedra Hierosolymitana, fuit & visitator ac custos Monumenti Christi. Idem JacobusPanthaleon Trecensis, Patriarcha Hierosolymitanus, pergens ad Sedem Apostolicam, & visitans limina Sanctorum Apostolorum, negotia Ecclesiæ Hierosolymitanæ, felici consilio promovens & procurans, mortuo protunc Alexandro IV. eligitur à Cardinalibus, & Urbanus IV. nominatur; ut ipse dicit in sua Bulla, inserta Bullæ Gregorii XI. apud nostrum Nakielscium, *de regimine Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ad Apostolicæ dignitatis fastigium se evocatum.* In regimine verò Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ existentem, quis non diceret eum visitasse S. Sepulchrum? imo in S. Petri existens Cathedra, contractum illum piissimum erga S. Sepulchrum ostendit affectum, dum hic Pontifex eidem Ordini S. Sepulchri, plurima concessit privilegia.

Promptuar. Miechovie. fol. 185. 295.

Gregorius X. antequam ejusdem supremæ in terris dignitatis, obtineret culmen, fuit Archidiaconus Leodiensis, & comitatus est ipsum Edvardum, Anglorum Regem, ut urbem Hierosolymam, ac illius sacra monumenta, ac Sepulchrum Christi præsens cerneret & visitaret. Augustinus Oldoini de eodem habet. In cujus elogio in Gestis Pontificum: *Ubi cum Anglo Rege, reponebat à Mauris Christi Sepulchrum.* Cui Pontifici tam fixus hæsit in corde amor S. Sepulchri, ut in Synodi Lugdunensis dimissione, affirmaverit, cogitare se rursus in Palæstinam perrecturum, ut profunderet ibi sangvinem & vitam, ubi Christus pro salute animarum sangvinem fudit; atque hæc dicenti, manarunt ubertim ex oculis lachrymæ, quibus contestatus est, quàm ferventi amore, prosecutus est Golgotham & Sepulchrum Christi.

Tom. 3. fol. 50.

Aug. Oldoinus in Addit. nov. ad Ciacon. fol. 169.

Stephanus Dorensis Episcopus, functus legatione vice Sedis Apostolicæ in Palæstinam, & factus Vicarius Apostolicus, à Theodoro Papa in illis partibus, anno 643. testatus est in Concilio Romano sub Martino Pontifice: *Zelo autem Dei & fiducia repletus, duxit me* (nempe beatæ memoriæ Sophronius, quondam Patriarcha Sanctæ Christi Dei civitatis, sub cujus diœcesi sacerdotali fungebatur officio, ut ibidem habetur) *& statuit in sancto Calvariæ loco, ubi*

Baronius an. 633. num. 37. & 38.

ubi propter nos ipſe, qui ſuper nos, ſecundum naturam Deus eſt, Dominus noſter JESUS Chriſtus, ſponte crucifigi ſecundum carnem dignatus eſt. Dum viſitavit montem Calvariæ, viſitavit procul dubio & S. Sepulchrum.

Bernardus Beneventanus, Cardinalis Præneſtinus, ab Urbano II. in Orientem in S. Jeruſalem Legatione functus Sanctæ Sedis. Alphonſus Salernitanus Archiep. in ejus elogio.

Ciaconius in Vit. Cardinal.

Mauritius S. R. E. Cardinalis, Episcopus Portuenſis, nomine Paſchalis II. & S. Sedis Apoſtolicæ, legationis munere, apud Hieroſolymorum Regem dum fungeretur, in Hieroſolymitano templo S. Sepulchri, unà cum Dagoberto Patriarcha effuſus in preces ante Dominicum Sepulchrum, impetravit à Deo, ut ignis delaberetur de cælo, quô lampades extinctæ arderent repentè.

Ægidius Cardinalis Tuſculanus, ſub Honorio II. functus eſt Legatione Hieroſolymitana, teſtantur Literæ Honorii, ad Gvarimundum Hieroſolymitanum Patriarcham datæ.

Baron. Tom. 12.

Albericus Bellovacenſis, S. R. E. Cardinalis, ſub Innocentio II. Legatus in Orientem anno 1136. ſoluta Synodo Antiochena, celeberrimum Hieroſolymis S. Sepulchri Chriſti Salvatoris excitatum Templum, ſolenni ritu conſecravit ac dedicavit, tertia poſt Sanctum Paſcha die, cum D. Patriarcha Conrado, & Episcoporum nonnullis. Affuerunt ibi dedicationis die, multi tàm de partibus ultra montanis, quàm de cismarinis regionibus, magni & nobiles viri. Et ibi idem Legatus cum Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis & D. Patriarcha, Concilium celebravit in primitiva & Eccleſiarum Matre Sion. Cui Synodo interfuit Maximus, Armeniorum Pontifex, imo omnium Epiſcoporum Cappadociæ, Mediæ, Perſidis, & utriusque Armeniæ princeps & Doctor eximius, qui Catholicus dicitur.

Raymund. Odoricus Ann. Eccl. an. 1136.

Ugellius in Ital. ſacr. Tom. I.

Germanus S. R. E. Cardinalis, Epiſcopus Portuenſis, pro parte Eugenii III. in Syria cum Vidone Sellagio Cardinali, functus eſt legatione, ac ſecutus Imperatorem Conradum, pervenit Hieroſolymam,

Conradus Bavarus S. R. E. Cardinalis, cum Conrado III. Imperatore, conſangvineo ſuo, in terram ſanctam profectus, expeditioni ſacræ, utili ſuâ operâ, cum maximo fidelium emolumento,

to, annis prope duobus interfuit. In purpura docta Georgius Eggs. Libr. I.

Robertus Cartonus S. R. E. Cardinalis, ex Anglia in Syriam sub Innocentio III. ad deferendum fidelibus auxilium missus, nec multo post ex vulnere saucius pro liberatione S. Sepulchri, in suburbio Damiatæ decessit anno 1218.

Chunradus Bavarus S. R. E Cardinalis, Comes Palatinus Rheni, à Cælestino III. Pontifice ad terram sanctam Legatus, legationem cum fructu, quem ex sanctis locis percepit explevit, anno 1159.

Soffredus Pisanus, quem Ughellius Galfredum de Cajetanis nominat, Henrici Comitis filius, S. R. E. Cardinalis, vir multæ eruditionis & virtutis, Eugenii III. Pontificis affinis, cui Innocentius III. collato propriis manibus crucis signaculo, defensorem terræ sanctæ constituit, atque una cum Petro Capuano, Legatum in Syriam expedivit. In expeditione Hierosolymitana, veniens Hierosolymam & Sepulchrum Christi visitans, designatus Patriarcha Hierosolymitanus, honorem ultra delatum à Canonicis S. Sepulchri ex humilitate rejecit; ut patebit infra. Ad quem Innocentius III. sic scribit: *Nunquid ergo tuo te Factori negabis, ut recuses onus Ecclesiæ Hierosolymitanæ subire, quam ipse suo Sanguine consecravit? Si te sibi dignatus est quodammodo eligere successorem, nunquid non adibis hæreditatem ipsius, nec suscitabis semen fratri defuncto, qui per te disposuit, forsitan peregrinationis & prædicationis semen, Evangelium prædicare?* Ex quo fragmento epistolæ Pontificis patet, Patriarchas Hierosolymitanos eligi, in successionem locorum sacrorum Hierosolymis, adeoque, & ad successionem Sepulchri Christi pertinere; penes quod, ceteraque loca peregrinationis Christi Corporis, semen Evangelii spargere debent. Ad quam hæreditatem Christi defuncti, nempe ad S. Sepulchrum custodiendum, & manutenendum, dum præsens invitabatur à Summo Pontifice, Cardinalis Soffredus, eum apertè constat, visitasse multoties S. Sepulchrum, ad cujus regimen aliorumque sacrorum locorum, dignitate alliciebatur.

Petrus Capuanus S. R. E. Cardinalis sub Cælestino III. anno 1191. cum cruce signatis in Syriam Legatus, electus Patriarcha Hierosolymitanus.

Sige-

Sigefridus Eppensteinius S. R. E. Cardinalis, illustri prosapia Baronum, sub Innocentio III. Patriarcha Hierosolymitanus electus, dignitatem humilitatis causâ recusavit.

Theobertus Pisanus S. R. E. Cardinalis, Apostolicæ Sedis Legatus, Patriarcha Hierosolymitanus à Gregorio X. designatus.

Joannes Columna S. R. E. Cardinalis, sub Honorio III. ejus elogium a Panvinio: *Legatus in expeditione Hierosolymitana fuit anno 1220. Martyrium ferè passus*, & columnam Christi Domini, penes quam flagellatus fuit, Hierosolymis Romam asportavit.

Conradus de Urach S. R. E. Cardinalis, in Calendario Ordinis Cisterciensis, pro sancto miraculis claro, adnotatur die 30. 7bris, à Gregorio legatione insignitus, in Palæstinam contra Saracenos cum cruce signatis trajecit, & Hierosolymæ sacra loca invisens, ibi sanctè moritur.

Jacobus de Vitriaco Canonicus Regularis S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Hierosolymitanus, Legatus à latere Sedis Apostolicæ Hierosolymis Sepulchrum Christi personaliter visitans, & Canonicos ejusdem S. Sepulchri oculatè cernens, locum illum monumenti Christi, ac eorum prærogativas, in libro de terra sancta eruditissimè descripsit.

Petrus Burgundus, Archiepiscopus Lugdunensis missus ab Innocentio Papa, ex quo Syriam ingressus, Hierosolymam orationis gratia profectus est, & ibi in Sancto Sepulchro, aliisque locis Deum exoravit.

Archiep. Tyren. libr. 15. cap. 15.

In his aliisque Sanctæ Sedis Apostolicæ Legatis, S. R. E. Cardinalibus & Patriarchis Hierosolymitanis adductis breviter, patet eos in Ecclesia S. Resurrectionis orasse, preces fudisse, Sacrumque Sepulchrum Hierosolymis prono poplite adorasse. In exhibita illorum inflexione, tanquam vicem gerentium summorum Pontificum, & Triregia & Cardinalitii Galeri, Dominico sese substernebant Sepulchro.

Quoad alias verò dignitates spirituales inducendas in Catalogum S. Sepulchri visitatorum, has breviter præter copiosissimum numerum investigabilem, ejusmodi brevi enarratione refero: Numera hic omnes Episcopos & Patriarchas Hierosolymitanæ Ecclesiæ, ac aliorum, Episcoporum, & Suffraganeorum ad eam spectantium, quarum Catalogum, vide in Antiquitatibus Ordinis Nostri

Nostri Samuelis Nakielski, Canonici ejusdem Ordinis fol. 63. quorum eò Sanctior & Deo acceptabilior fuit cultus in Sancto Sepulchro exhibitus, quò firmior ac stabilior in fide Romanæ Ecclesiæ, ac ejus primatûs cognitione confessio. Numera item ex tot partibus diversis, venientes insignes Præsules & Antistites, sive ex vicinis Urbibus Palæstinæ ac aliorum. Numera quicunque in Ecclesia Hierosolymitana consecrabantur Antistites, fuerunt Prælati dignissimi, & ab ea processerunt. Numera omnes illos & tot Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, visitantes S. Sepulchrum, qui præsentes interfuerunt, tot expeditionibus sacris, & eam peregrinationem susceperunt. Walterum Archiepiscopum Rotomagiensem; Baldvinum Archiepiscopum Cantuariensem; Conradum Archiepiscopum Moguntinum; Jubellum Archiepiscopum Rhemorum; Philippum Archiepiscopum Bituricensem; Hauricum Archiepiscopum Bremensem; Archiepiscopum Anxiensem; Archiepiscopum Tharentesianum. Episcopos; Podiensem; Mediolanensem, Leodiensem, Bambergensem, Salisburgensem, Aurelianensem, Cameracensem, & cæteros, quos amor Christi, absque ullo detrimento, & damno suarum Diœcesum & Ecclesiarum, Hierosolymam proficisci compulit, eô videlicet animô, ut Christum in locis sanctis, fervore fidei & ardore charitatis, adorarent, & Crucem ac Sepulchrum ejus deoscularentur. Numera nomina, cælo magis nota, Prælatorum & Canonicorum Ordinis nostri, qui Sanctissimo adstabant Sepulchro. Numera tot variorum Ordinum & Religionum, virtute & eruditione spectatos Patres, qui devotionis fervore succensi, Hierosolymam proficiscebantur, & ibi Sanctissimum Domini nostri JESU Christi Sepulchrum, aliaque pia ac sancta loca, visitare summopere cupiebant, & visitabant. Numera eos, de quibus Burchardus de Monte Sion in libello suæ peregrinationis testatur: *Quis enarrare sufficiat, quot Monachi de Armenia, Chaldæa, India, Nubia, Syria, Æthiopia, turmatim veniant centeni, ducenteni plus vel minus discurrentes per loca singula (nempe Hierosolymæ) in spiritu vehementi exosculantur terram, amplectuntur locum S. Sepulchri, pectus tundunt, nunc fletus & gemitus emittentes.* Cassianus libr. 4. de institutis renuntiantium cap. 31. meminit Monachorum, qui orationis causâ ad S. Sepulchrum Hierosolymam & alia loca sancta pergebant. Numera tot Deo dicatas

tas Virgines & Viduas, quæ in Monasteriis Hierosolymæ, Sanctissimo Sepulchro & sacris locis contiguis, sua habuerunt domicilia. Brevissimam his generalibus numeris adfero Synopsim dignissimorum Præsulum, de quibus habetur ab Authoribus expressa mentio, visitationis S. Sepulchri.

Anno Domini 1064. celebris instituta est peregrinatio Hierosolymam, septem millium virorum, & amplius; ut tradit Marianus Scotus, primoresque horum Duces fuisse Germanicos Antistites, Sigefridum Archiepiscopum Moguntinum; Wilhelmum Trajectensem; Guntherum Bambergensem; atque Ottonem Ratisbonensem Episcopos, eosdemque profectos autumnali tempore. De qua sic Ingulphus, patriâ Londoniensis, Notarius Wilhelmi Comitis Northmannorum, postea Regis Anglorum, in Commentar. Hist. hæc habet: *Nuntiatur per universam Northmanniam, plurimos Archiepiscopos Imperii, cum nonnullis aliis terræ Principibus, velle pro merito animarum suarum, more peregrinorum, cum debita devotione, Hierosolymam proficisci. De familia ergo Domini nostri plurimi, tam Clerici quàm milites, quorum primus & præcipuus ego eram, in dictum iter nos omnes accinximus. Tandem desideratissimam Civitatem Hierosolymorum, læto intuitu tenebamus. Ab ipso tunc Patriarcha, Sophronio nomine, viro veneranda canitie, honestissimo ac sanctissimo, grandi cymbalorum sonitu, & luminarium immenso fulgore suscepti sumus. Ibi quot preces inoravimus! quot lachrymas effievimus! quot suspiria suspiravimus! solus ejus inhabitator novit Dominus noster JESUS Christus. Ab ipso itaque gloriosissimo Sepulchro Christi, ad alia sanctuaria Civitatis invisenda circumducti, infinitam summam Sanctarum Ecclesiarum & Oratoriorum, quæ Achim Soldanus dudum destruxerat, oculis lachrymosis vidimus, - - ad quorum restaurationem datis non paucis pecuniis, redire in patriam intendimus &c.*

Otto Archiepiscopus Trevirensis, pio devotionis igne inflammatus, mare cum patientia & humilitate multa transivit, & Sanctum Domini Sepulchrum visitavit, deferens secum pretiosa ornamenta suis armis insignia, quæ pro honore Divini cultûs, ad S. Sepulchrum, in perpetuam suæ peregrinationis memoriam, alacri devotione contulit. Hujus causa peregrinationis sola devotio fuit. Chronicon. Trithemii anno 1425. fol. 348.

Quidam Anglorum antiſtes, peregrinationis ergo, terram ſanctam inviſit. Bzovius anno 1433. fol. 313.

Joannes Hensbergius, Epiſcopus Leodienſis, peregrinationem Hieroſolymitanam ad S. Sepulchrum ſuſcepit. Suffridus Petri de Epiſcop. Leodien.

De Gaufrido Epiſcopo Camotenſi, ſcribit S. Bernardus Epiſt. 52. ad Aimericum: *Amicus veſter & noſter, Dominus Carnotenſis Epiſcopus, voluit vos etiam per me certum fieri, quia id, quod de ipſo à quibusdam Domino Papæ perſvaſum fuiſſe cognovimus, ut eum videlicet Hieroſolymam permitteret proficiſci.*

Urſo Archiepiſcopus Barenſis, Ducis Roberti conſiliorum intimus, Hieroſolymam causâ orationis ad Sepulchrum Domini profectus eſt. Baronius Tom 11. anno 1091.

Emmanuel Malaxus Conſtantinopol. de Patriarch. cap. 19. de Hieremia ſcribit: *Statuit autem adire Hieroſolymam ad Sepulchrum, in quo vitæ fons, jacuerat Dominus noſter JESUS Chriſtus, rebusque profectioni neceſſariæ comparatis, ſecum Clericos, Diaconos & Monachos non conſecratos duxit, Hieroſolymamque iniit. Ibi S. Sepulchrum Chriſti adoravit, & ſingularem voluptatem cœpit, quod tantâ ipſum gratiâ dignatus eſt.* De eodem ſcribit Spondanus anno 1533. num. 27. quod Hieremias Patriarcha Conſtantinopolitanus, Hieroſolymam ad Sepulchrum Dominicum viſitandum, peregrinatus eſt.

Patriarcha Jacobitarum Orientalium, vir quidem venerabilis ſcientia & moribus, cum maximo comitatu Archiepiſcoporum Epiſcoporum, nec non & Monachorum ſuæ Gentis anno 1237. venit adorare in Jeruſalem, & cooperante gratia Divina, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ obedientiam promiſit & juravit. In Annal. Godefridi Monachi & Matthæi Paris:

Georgius Metropolita Corcyræ ad Patriarcham Hieroſolymitanum, exponens ſuum deſiderium viſitandi Sanctum Sepulchrum ſic ſcribit: *Sæpè id certè facere volui, & magnô deſiderio flagravi, & quaſi ignis quidam amoris Divini, in corde accenſus eſt meo: repulſus ſum tamen ab operis executione, nempe infirmitatis obſtaculo*, ut infra idem teſtatur.

Theodoricus Abbas Uticenſis & Wilhelmus Bona anima, ſociique eorum, poſtquam diu ſecum, quid ſecundùm Deum agerent, deliberarunt; decreverunt omnia relinquere, & Sepul-

chrum Domini in Jerusalem adire. Ordericus Vitalis Uticensis Eccl. Histor. anno 1056. libr. 3.

Albertus Abbas Stradiensis, ut excitaret ad efficacem pietatem, hac utebatur exhortatione: *Vade igitur & adora in monte Calvariæ, ubi crucifixus est Dei Filius. Vade & adora ad Sepulchrum Domini.* In ejus Chronico.

Isimbardus Abbas Cassinensis, anno 1073. Hierosolymam perrexit. Baronius num. 71.

Joachimus Abbas Ordinis Cisterciensis, sanctam urbem Hierosolymam ingressus, magno fervore loca sancta visitans, in nocte Dominicæ Resurrectionis ad Sepulchrum Christi persistens, cælestium mysteriorum perfusus clariori lumine, sacræ scripturæ arcana velut aperta conspexit. Chronologia Jacobi Græci in Annal. Cistercien.

Giroldus Abbas Cluniacensis Episcopus Valentinæ Ecclesiæ, qui postea Patriarcha Hierosolymitanus creatus, S. Sepulchrum ibidem visitavit vivus, & ad illud sepultus est mortuus. Author Chronici Cluniacensis hæc de eo scripta reliquit: *Giroldus sive Girondus, anno 1220. ex Abbate Cluniacensi, fit Episcopus Valentiniensis, & postea fuit Patriarcha Hierosolymitanus, Obiit 7mo Idus Septembris, jacet juxta Sepulchrum Domini Hierusalem &c.*

Cambius de Bossis, nobilis Mediolanensis secundum carnem, sed studio & profectu sanctæ religionis, longe nobilior, tale de visitatione S. Sepulchri dat proprium testimonium: *Ego Dominus Cambius de Bossis Mediolanensis, Canonicus Regularis S. Augustini, cum venissem in anno Domini 1479. Jerusalem Salvatoris nostri, nostræque salutis adoraturus Monumenta &c.* Chronica Joannis Philippi Novariensis lib. 3. cap. 14.

S. Bernardus ad Milisendem Reginam Hierosolymorum, filiam Baldvini Regis scribens, Epist. 355. circa annum Domini 1142. Præmonstratenses Hierosolymam peregrinantes commendat.

In hoc laudabili religionis Christianæ studio, nempe visitatione S. Sepulchri JESU Christi, plurima adhuc series Archiepiscoporum, Episcoporum, Abbatum partim inferius referendorum mirifice se exercuit, qui assumpta cruce, Christo & ejus Sepulchro militarunt. Sicque Sepulchro Christi Metropolitanorum pallia, Præsulumque Infulæ, Pastoralia sese submittebant, ubi Summus

Sacerdos, vestitus stolâ byssinâ, laudis Divinæ Sanctuarium, gloria & honore coronavit.

§. III.

Catalogus Imperatorum, Regum, Reginarum, Principum, Ducum, Comitum, aliarumque Personarum Sæcularium, visitantium Sanctum Sepulchrum.

Regis Regum, Domini Dominantium, cujus Imperio orbis subest, Sepulchrum erat, ad ejus proinde augendam gloriam, subjicio dignitates sæculares terrenas. Imperatorum diademata, coronas Regales, Principum Mitras, tumulo Christi adornando impono; talibus titulis fulgentia nomina, in ejus pronam adorationem, subjectionem adduco; sceptra, scipiones, clavas substerno.

De Theodosio Imperatore Thomas Waldensis, in doctrinali fidei Christianæ titulo 15. *Præteriri non debet, ad Sepulchrum Christi, sanctæ peregrinationis exemplum, quod Theodosius Imperator mitissimus reliquit fidelibus; de quo libr. 12. Histor. tripart. Cap 15. Cassiodorus.*

Heraclius Imperator anno 628. proficiscitur Hierosolymam, reportaturus pretiosum ac vivificum crucis lignum. Igitur ingredienti Hierosolymam, omnes populi gaudentes cum hymnis cereis & canticis alii obviam pergunt, alii subsequuntur, de Monte Oliveti, depositis imperii insignibus, discalceatus protinus, zonâ lineâ præcinctus, Crucem Domini manu suscipiens, & humeris suis imponens, perfusus faciem lachrymis, oculos in cælum & in crucem erigens, properabat ad Montem Calvariæ. Odor quoque svavissimus, qui volitante divinitùs aura, de Persarum Provincia per longa terrarum spatia, Hierosolymis fuerat illapsus, in Urbem illam & Ecclesiam, & per pectora hominum gratanter se infundit. Tanta igitur solenni celebritate, assistente sibi Patriarcha S. Zachariâ, aliisque Canonicis & Prælatis ac concaptivis ex Perside abductis, cum summa reverentia & adoratione, reposita in monte Calvariæ Cruce Christi, eodem sacro & numerosissimo comitatu, parique humilitatis actu, processit ad visitandum S. Sepulchrum; ibi in gemitus & genua procumbit Imperator, gratiarum actiones refert de sua victoria,

S. Antoninus Archiep. Florentin. 1. part. hist. tit. 13. cap. 4. §. 3.

& tam prædivite præda, sanctissimæ recuperatione crucis, Triumphatori Christo.

Carolus Romanorum Imperator, pergit peregrinus Hierosolymam, ut religiosè loca sancta lustraret. De quo Gotfridus Witerbiens. fol. 534.

Carolus Ausoniæ tandem lucratus honores,
Inde Hierosolymam subiit cum pace labores.
Visitat illorum vestigia sancta locorum,
Qua natus, qua passus erat, Deus ipse deorum. In Lombardica Historia Jacobi de Voragine Cap. 187. in Vita Caroli Magni habetur: *Qui plura de virtutibus ejus scire voluerit cernat, quomodo Romæ Imperator fuit, Ecclesias multas & Abbatias instituit, Sepulchrum Domini visitavit &c.*

De Friderico Imperatore, Nicetas Choniates in Annal. libr. 2. fol. 47. scribit: *Vir honestâ & perpetuâ memoriâ dignus, non eò tantùm, quòd nobili ortus genere, sed ob illud potius, quod Christi desiderio flagrans, patriâ, deliciis regiis, cum Christianis in Palæstina incolis, tolerare ærumnas maluit, & propter Christi nomen, & vitalis Sepulchri venerationem, exteras terras patriæ prætulit.*

Conradus Imperator Romanorum, cum tribus Episcopis, videlicet Henrico Ratisponensi, Ottone Frisigensi, Reginberto Paviensi, & Duce Noricorum Henrico, Fratre Regis, de ordineque Comitum, nobilium virorum, illustres alii innumeri viri, Dux Bohemorum Labeslaus, & Styrensis Marchio Odòácer, Carinthiæ illustris Comes Bernardus, versus Hierosolymam proficiscentes, à Rege & universo Clero ac populo in sanctam introducti civitatem. S. Antoninus 1. part. hist. tit. 17. capitul. 8. §. 4.

Henricus Imperator, filio suo, regnum suum se dimissurum promulgat, seque Sepulchrum Domini visitaturum, per Emehardum Episcopum publice prædicari fecit. Uspergensis in Chronico fol. 255.

De Joanne Comneno, Imperatore Constantinopolitano Nicetas libr. 6. fol. 8. testatur: *quòd in Syriam cum Manuele filio, natu minimo, iter intendebat, ut religiosa loca visitaret, & vitale Christi Sepulchrum, magnificis donis ornare, seriò cupiebat.*

Alexium Comnenum, Imperatorem Constantinopolitanum, in infirmitate mortali consolaturi quidam Monachi, cum intelligerent,

rent, quod dicto Imperatori cordi erat, summè venerari, Monumentum Christi, prædicebant ei, non moriturum priùs, quàm Hierosolymam venisset ad vivificum Sepulchrum Domini, & Servatoris nostri adorandum. Ita Joannes Zonaras Annal. Tom. 3. fol. 18.

Joannes Cantacusenus, Imperator Constantinopolitanus, per suum Legatum visitat S. Sepulchrum. Constat ex Epistola Sultani Ægyptii ad eundem Imperatorem data, ubi inter cætera scribit: *Insuper sacram à nobis facultatem, petebat Legatus vester, ut cum sociis à tua Majestate illi attributis, ad Sanctam Resurrectionem, adorandi causâ proficisci vellet, quod permisimus, & libenter voluntati ejus respondimus. Nam de eo, quod Legatus petebat, ut fieret, quod ad Sanctam Resurrectionem pertinet scriptum est mandatum, & roganti illuc proficisci, comitem Præfectum adjunximus, adoravitque quantum voluit, & cum gratiarum actione reversus est.* Ex quo tenore epistolæ patet, locum S. Sepulchri vocari, à Soltano Ægypti, Sanctam Resurrectionem, locum adorandum.

Libr. 4. Hist. Joan. Cantacusen. cap. 14.

Expulsô Patriarchâ Hierosolymitanô de terra sancta ab Infidelibus, admonitus idem in somnis, ut ad Carolum Magnum Regem Galliæ, & Ecclesiæ propugnatorem mitteret. Itaque missis Canonicis Prælatis Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ cum literis suis, quibus perlectis Parisiis Rex, *lachrymari cœpit pro Sepulchro Domini.* S. Antoninus Summar. 2. volum. p. histor. tit. 14. capitul. 4. Sanutus dicit: *Rex lachrymatus est, pro Domini Sepulchro.* Qui recuperatâ terrâ sanctâ, à Patriarcha Hierosolymitano sumptis reliquûs, & adoratô Monumentô Christi, revertitur in patriam. Idem Sanutus cap. 7.

Fidel. Cruc. P. 3. c. 6.

Similia de Philippo Rege Franciæ Gvillermus Brito, decantat carmine libr. 3. Philipp.

Subtrahit, asveti, cor flebile pneumatis ausum,
Dum nequit, amisso, lamenta negare, Sepulchro.
Quod nostris Dominus culpis offensus, eodem,
Sicut ei placuit, Idumæis tradidit annô.
Compatiens igitur, Rex miti corde Philippus,
Damno communi, quô loca sancta videbat
Tractari, cultumque Dei decrescere, totis
Visceribus doluit, Christi se velle Sepulchrum
Visere proponens &c.

Gode-

Godefridus Bullionius, primus Rex Hierosolymorum, inter alia pietatis & devotionis suæ opera, hoc præcipuo excelluit, quòd specialem haberet devotionem & amorem S. Sepulchri. Cùm enim sub Henrico Imperatore, exercitûs ejus primicerius seu dux esset, ex nimio labore in arte bellica, & quodam sui roboris in iniqua oppugnatione experimento, in gravem incidisset infirmitatem, à qua ut liberaretur, ad S. Sepulchrum vovit peregrinationem, ex qua cùm statim convaluisset, promulgato sacro bello, sub Urbano, ad illud implendum fuit concitatus. Adeoque divenditis suis bonis, optimus Princeps Antverpiæ, cujus Marchio erat, primitias sacræ militiæ fundans, in eam duodecim primos viros, in honorem duodecim Apostolorum adscripsit; ut habet Molanus in Appendice de Rege Godefrido fol. 155. Paulus Æmilius libr. 4. Franciscus Haræus, in Annal. Ducum Brabantiæ fol. 203. Et propterea, qui sacram militiam, ab hoc numero duodenario fuit exorsus, in eodem Festo Divisionis Apostolorum duodecim, capta Hierosolyma, S. Sepulchrum recuperavit, votum suum eò gloriosiùs implens, quòd cum tanto motu belli, Divino auxilio protectus, tantâque victoriâ illud exequeretur. Unde sæpè idem Dux suspiria trahebat, ejusque animi optio, ante omnia, hæc fuit, visitare sanctam civitatem Jerusalem, & videre Sepulchrum Domini JESU; ac sæpè privatis famulis, cordis sui hanc aperiebat intentionem. Unde Paschalis Papa II; Ducem, gratia Dei Ecclesiæ S. Sepulchri Advocatum appellat, & ex hac devotione titulum in Epistolis talem sibi voluit dari: *Gratiâ Dei Sancti Sepulchri Advocatus*; ut habetur in Epistola Ducum sacri belli, apud Marianum Scotum in Appendice. Et in Epistola Dagoberti Canonici Regularis S. Sepulchri, Patriarchæ Hierosolymitani, ad Boämundum Principem Antiochiæ, *Homo S. Sepulchri nominatur.* De eodem in Chronico Hierosolymitano: *Dux Godefridus introiens, Sepulchro Domini nostri JESU Christi, Filii Dei vivi præsentatus est, in lachrymis, orationibus, & divinis persistens laudibus, & Deo gratias agens, quia videre & adorare meruit, quod illi semper fuit summo desiderio.*

Albert. Aquensis libr. 6. cap. 26.

Tyrius libr. 10. cap. 4.

Baldvinus Ducis Godefridi Frater, viam insistere in Hierusalem decrevit, ad visitandum locum Dominici Sepulchri.

Aquensis lib. 6. cap. 6.

Reges item Jerusalem, Baldvinus II. de Burgo, verus Christi Confessor, de quo Nauclerus: *Nec multo post, inclinans caput super Domi-*

Volum. 2. fol. 798.

Dominici Sepulchri tumbam, ipsius servituti perpetuò subjugavit. Fulco, Baldvinus, Amarlicus, Baldvinus IV, Gvido, Hugo, Joannes Brennus, hi omnes venerati sunt Dominicum Sepulchrum, & diademata sua accepta, ejus promovendo honori consecrarunt.

Ludovicus Rex Galliæ cum Archiepiscopo Parisiensi & aliis anno 1148. ad sanctam civitatem Paschali tempore pervenerunt. Ita Otto Frisingensis Episcopus, qui & ipse laboriosissimam peregrinationem suscepit. Pervenientes in sanctam civitatem, universo clero & populo occurrente, ad loca venerabilia deductus est. Idem Ludovicus in Regno Hierosolymitano, unius anni circulo, cum Regina quam secum duxerat, & cæteris Principibus commoratus est; juxta S. Antoninum; ex quo frequentem aditum ad Sepulchrum Christi, & sanctam ejus visitationem perpende. Libr. 1. cap. 58.

Philippus Ludovici VII. Regis Francorum filius, & Richardus Rex Anglorum, anno 1191. pervenerunt Hierosolymam. Bzovius anno eodem.

Rex de Norvegia, nomine Magnus, in sanctam civitatem, unà cum Rege Baldvino ascendentes, ab universo Clero S. Sepulchri, in omni cultu divinæ religionis in hymnis & canticis, cum universis populis occurrentibus cum omni suo comitatu, ad Dominicum Sepulchrum adductus. Aquensis libr. II. cap. 30.

Andreas Hungariæ Rex, Patris sui Belæ votum redempturus, anno 1218. trsnsfretavit cum Duce Austriæ, in terram sanctam Dlugossus libr. 6. fol. 624. Et adorato S. Sepulchro, in patriam reversus Ordinem Nostrum in Hungaria propagavit, possessiones suas, per modum eleemosynæ Sepulchro Domini largiendo. Nakielski fol. 240,

Ericus Rex Daniæ, ex Sancto Sepulchro Hierosolymitano reversus, venit ad Vladislaum Regem Poloniæ Calissiam, ubi tunc Rex Pascha egit. Dlugossus Histor. Polon. libr. 11. fol. 486.

Quam plurimi Domini ex nobilissima Prosapia Alemanniæ, applicuerunt Venetiis, causâ transfretandi ad Sepulchrum Dominicum ultra mare, ex quibus erant aliqui de familia Regis Bohemiæ, aliqui de familia Bavariæ. Marinus Sanutus in Epist. 16.

Vladislaum Bohemiæ Ducem, ac deinde Regem, Hagecius refert anno 1149. Hierosolymam profectum esse. Joannes Bapt. Sollerius in Annotat. super vitam B. Hrosnatæ.

Theobaldus Rex Navarræ, unà cum Petro Comite Britanniæ, Sepulchrô Dominicô visitatô, in Europam reversus est anno 1239. Bzovius Tom. 13. num. 9.

Henricus IV. Rex Daniæ ex voto abiit Hierosolymam. Annales Daniæ.

Valdemarus Danorum Rex, cum Erico Saxoniæ Duce Juniore & ampla familia, in terram sanctam profectus, pervenit ad Dominicum Sepulchrum. Rer. Vandal. libr. 8. cap. 27.

Rex unus, & qui principalior erat in Regnis Abasiæ (Æthiopiæ est regnum) devotione motus, voluit Hierosolymam visitare, atque Dominicum Sepulchrum anno Domini 1277. sed cum id dissvadentibus consiliariis, & aulicis explere non posset, loco sui, Episcopum misit, qui munus perferret in Jerusalem cum Regia oblatione. Paulus Venetus.

Mulier quædam, Cappadocissa genere, Regina autem vocatione, Diaconissa verò magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ, venit Hierosolymam. Cyrillus Monachus.

Juditha Ducissa, avia S. Henrici Imperatoris, ivit Hierosolymam ad visitandum S. Sepulchrum. Bollandus in vita S. Erardi Episcopi 8. Januarii.

Adelæ Comitissæ S. Hildebertus, Cænamonorum Episcopus gratulatur, quod loca sancta intendit visitare, his verbis: *Credidi enim te desiderio desiderare Sepulchrum Salvatoris invisere, & nostræ redemptionis officinas, obsequiô venerari Christianô.* Biblioth. Vet. Patr. Tom. 3. fol. 953.

Sybilla, Theodorici Flandriæ comitis conjux, visitabat Sepulchrum Christi, & in Xenodochio Divi Lazari Hierosolymis degebat. Chronic. Flandr. libr. 5.

Nobilissima vidua Ingridis Scheningensis, Oppidi in Ostrogothia, contemptis mundi pompis, Hierosolymam peregre profecta est. Et à terra sancta Sepulchroque Domini revertenti, cum aliquot virginibus comitibus, diabolus cum magna caterva, velut potens dominus, illud oppidum ingrediens, concives concitavit, ut nequaquam admitterent eas mulieres ante mœnia commorantes, asserens eas esse maleficas, ac sibi notissimas, (taliter calumniatur diabolus visitatores sanctorum locorum, sibi nimis odiosorum). Quô auditô, multis se signo crucis munientibus, illicò tota illa turma

turma diabolica in ictu oculi evanuit; & mulierem ſanctam viſitatricem S. Sepulchri, in civitatem receperunt. Olaus libr. 6. cap. 19. Septemtrional. Reg.

Numera mulieres fortes in fide, quarum pretium procul de ultimis finibus terræ, quæ S. Sepulchrum viſitarunt. Cosmianam uxorem Germani Patritii, quæ ad veram Chriſti fidem rediens, absque ulla prohibitione, quæ anteceſſerat, digna habita eſt adorare ſanctum & venerabile Sepulchrum Domini noſtri JESU Chriſti. Sophron. in Prat. Spirit. cap. 48. Eleenoram, uxorem Ludovici Regis Franciæ; Reginam Angliæ, Richardi Regis uxorem; Reginam Siciliæ; Idam Marchioniſſam Auſtriæ, Matrem S. Leopoldi Ducis Auſtriæ. Numera omnes Reginas Jeruſalem. Fleurina Burgundiæ Ducis Odonis filia, uxor Henrici, carnis & mundi illecebras calcans, Angelicam magis quam humanam agens vitam, Henrico Ciſtercii Monachum profitente, ſanctâque vitâ conſummato, Fleurina Hieroſolymam profecta loca ſancta devotè luſtravit. Annal. Ciſterc. Angeli Manrique Tom. 1. fol. 33. anno 1102.

Dux Palæſtinæ Gevemer, qui abrenuntians hæreſi & Eccleſiæ Catholicæ communicans, à cuſtode S. Crucis, ſanctam & vivificam Chriſti Euchariſtiam ſumens, nihil ultra impedimenti paſſus, ſanctum, venerabile, ac vivificum Monumentum Salvatoris noſtri adoravit. Sophronius cap. 49.

Bòámundus Princeps Antiochiæ, cum magna comitiva peditum, equitumque expectans Baldvinum comitem Rages, qui ſecum condixerant, viſitandi Sepulchri implere votum, quibus multi peregrini, usque ad viginti ſex millia, pro viſitando Sepulchro Domini juncti erant, inter quos fuerat Archiepiſcopus Piſanus, quem locum cum devotione multa, & lachrymis viſitarunt. Marinus Sanutus Fidel. Cruc. libr. 3. cap. 3. part. 6.

Veneti unà cum Duce ſuo Vernero, adorarunt Sepulchrum Chriſti. De illis Aquenſis hiſt. Hieroſol. libr. 8. *Ad hanc Ducis conſolationem* (ſcilicet de ſua convalescentia) *adoratô à Venetis Sepulchrô Domini, & locis ſanctis viſitatis &c.*

Dux Venetiarum, Dominicus Michàélis, relicta Claſſe ad portum Acconenſem, ut loca ſancta & Sepulchrum Domini videret, Hieroſolymam venit, qui à Domino Patriarcha, & cæteris Prin-

cipibus, cum multa honorificentia susceptus, Nativitatem Domini ibi celebravit. S. Antoninus part. histor. tit. 17. cap. 6.

Ferdinandus Medices, magnus Hetruriæ Dux, hujus nominis primus, adeo erga venerandum S. Sepulchrum Hierosolymis propensus affectu, ac illud semper præsens desiderans visitare actione heroica, tali pietatis spiritu ductus, efficere decrevit, ut à solo separaretur, sacratissimum Redemptoris nostri Sepulchrum, & è sancta civitate ad suam deferretur, collocandum in Regio ac pene admirabili S. Laurentii templo, ut fertur ad hunc finem fundato. Et ad opus istud perficiendum, jam ferramenta, artifices & quæcunque necessaria, parata erant; sed Divina voluntate, detectum fuit ejus consilium, omniaque evanuerunt, & re infecta, Sacrum Sepulchrum rupi soloque adhæsit. Quaresmius lib. 2. cap. 69. fol. 690.

Fulco Andegavorum Dux, cum ab Archiepiscopo Turonensi, ob Ecclesiæ bona violenter ablata, & alia multa peccata, redargueretur, jamque ex communicari debebat, ad quem seriam scripsit epistolam Furbertus Carnotensis Episcopus, ut confitendo & pœnitendo, finem peccatis suis faceret; ut habetur apud Baronium Tom. 11. fol. 28. Quare pœnitentiam acturus, & metu gehennæ territus, Sepulchrum Salvatoris Hierosolymis, ter adiit, ut Glaber libr. 1. cap. 5. qui duorum vernaculorum profectus comitatu, qui quod imperavit, se defacto facturos, juramento comprobarunt; quare ipse Comes, sumpto noxii damnatique habitu, dedit uni servo funem, quem collo alligaret Fulconis, ac illum traheret ad Domini Monumentum; alteri virgam, quâ nuda brachia Comitis cæderet, vociferans; Admitte Domine, miserum Fulconem, perjurum & fugitivum tuum. Atque hanc tam publicam, ad Sepulchrum Christi, Comes hic pœnitentiam agens (ut sic habetur in Annal. Holland. libr. 9.) in voce exultationis & confessionis, cum spe obtentæ veniæ rediens à propria feritate, est lenior redditus, ut Glaber scribit, & in pœnitentia obiit in Urbe Metensi.

Wilhelmus Comes Pictaviensis, Hierosolymam multa ducens agmina, sexaginta millia militum, & multò plura peditum, contenderunt proximo Pascha, ubi sacrosanctum ignem de Sepulchro Christi erumpentem, lætis hauserunt oculis, devotis adorarunt animis. Willelmus Malmesburiensis libr. 4. fol. 149.

Henri-

Henricus Comes Campaniæ, vir illustris, in Palæstina maluit remanere, & cum multo labore & sudore, summâque rerum inopiâ, tolerare propter JESUM Christum, multas adversitates, & animam suam pro ipso ponere, si locus se obtulerit; quàm ad terram suam sine visitatione Dominici Sepulchri, cum rubore redire. Rigordus de Gest. Philip. fol. 193. num. marg. 40.

Diedericus Comes Trevirorum, Martyrizatô Cunone Archiepiscopo Trevirensi, apud Deum & apud homines reus, veniam obtenturus, suscepta peregrinatione, ad S. Sepulchrum Hierosolymam tetendit. Sigebertus.

Gvido de Pictavia Comes, Sancti Sepulchri visitator advenerat. Histor. Hierosolymit. num. 30.

Dominus Gvillelmus de Donner, ad Orientales partes transfretavit, ut Dominicum visitaret Sepulchrum. In Epistol. ad Regem Franc. Ludovicum, militiæ Templi Magister.

Wilhelmus de Lamwoy Burgundiæ Miles, veniens ad Vladislaum Regem Poloniæ cum muneribus à Henrico Rege Anglorum, & redditis literis commendatitiis, per idem Regnum Poloniæ ad terram sanctam Hierosolymorum, ad Sepulchrum Domini, salvum petebat conductum. Vladislaus autem Rex, non solùm securitatem, per suas terras præstitit, sed eundem Turcarum Cæsari commendavit, ad cujus instantiam Cæsar, familiaribus suis, usque in Jerusalem perduci jussit Joannes Dlugossus in Histor. Polon. lib. 11. fol. 438.

Albericus Hierosolymis leprosis inserviens, singulos quotidie, exactâ Missâ exosculatus est, pedes eorum lavit, lectos stravit, langventes humeris portavit, flagellis se cædens frequenter, pane solo hordeaceo, & aqua fuit contentus, asperrimo usus est cilicio, nudis pedibus Sanctum Sepulchrum & alia loca obibat, & ibi orans humi stratus procubuit. Gerardus à Nazareth. cap. 11.

Dum Stephanus Rex Hungrorum, cum gente sua, ad fidem Christi esset conversus, tunc cœperunt pene universi, qui de Italia & Gallia, ad Sepulchrum Domini Hierosolymis ire cupiebant, consvetum iter, quod erat per fretum maris, omittere, atque per hujus Regionis patriam, habere transitum. Ipse verò Rex Christianissimus, tutissimam omnibus constituit viam, excipiebat ut fratres, quoscunque videbat, dabatque illis immensa munera, per

hoc approbans & complacens ſibi in illa peregrinatione & devotione ad S. Sepulchrum. Cujus rei gratiâ, provocata innumerabilis multitudo, tam nobilium, quam vulgi populi, Hieroſolymam ad Sepulchrum Chriſti abierunt. Rudolphus Glabrus, libr. 3. cap. 1.

Theodoricus de Elſatia, comes Flandriæ, quatuor vicibus Sepulchrum Domini viſitavit, exinde egrediens, ſangvinem Domini noſtri JESU Chriſti ſecum tulit. Apud Majerum in Epitaph.

Theodoricus de Rulant, vir potens & dives, devotionis gratiâ profectus eſt Hieroſolymam, proſtratus ante Dominicum Sepulchrum, hujusmodi fudit orationem: *Domine JESU Chriſti, qui omnia noſti, ſi non habeo me emendare à vitus priſtinis, non me permittas redire in terram meam, ſed ut hîc mihi mori liceat, concede.* Exaudita eſt oratio religioſi militis, & poſt dies paucos defunctus, conjunctus eſt civibus Jeruſalem cæleſtis. Cæſarius libr. 11. cap. 24. Ecce quam propè eſt Dominus, invocantibus eum, ante Sanctum Sepulchrum.

Anno 1002. Northmanni, quadraginta numero, peregrino habitu Hieroſolymam ad Sepulchrum Chriſti, orationis causâ perrexerunt. Leo Oſtienſis libr. 2. cap. 38.

Anno 1030. Richardus juvenis, Princeps Nortmanniæ, timore Dei compunctus, terrenum honorem reliquit, & ſpontanea peregrinatione arrepta, Sepulchrum Domini, quod eſt in Jeruſalem adiit. Ordericus Vitalis in Eccl. Hiſtor. libr. 3. ſub eodem anno.

Gerojanus bis in Jeruſalem Sepulchrum Domini expetitit. Ibidem fol. 460.

Drogo quidam, Nortmannus miles, cum centum ſociis in Jeruſalem ad Sepulchrum Domini peregre perrexit. Ibidem libr. 3. fol. 472.

Anno 1034. Robertus Dux Nortmannorum, Archiepiſcopum cum Optimatibus ſui Ducatus accerſivit, & illis velle ſe appetere Hieroſolymitanam peregrinationem manifeſtavit. Tandem confecto itinere, ad illud venerabile Sepulchrum pervenit, in quo Regis cæleſtis Sanctiſſimum Corpus jacuit. Quis ergo hominum enarrabit, quot per octonos dies lachrymarum rivulis illud eluerit? vel quot auri muneribus accumulaverit? Ita in verbis Vilhel-

mus

mus Gemmaticensis Monachus in Histor. Nortman. libr. 6. cap. 12. & infra cap. 13. *Porro invictus Dux pius, & Deo amabilis, adoratô Christô in Monumento, cum internorum singultorum suspiriis, & peragratis sanctorum locis.* Infra: *Non enim indignum æstimo credere & pennæ officio signare, quod æterno cælestis Jerusalem Moderatori, cujus & sepulturæ locum in terra veneratus est, ad perennis gloriæ consortium, eum assumere placuerit.*

Anno 1061. Herlembaldus Dux strenuus, germanus Landulphi S. Arialdi Martyris in opere sancto Collegæ, prudens & fidelis vir; hic nuper ex Hierosolyma reversus volebat sæculum relinquere &c. Ita in vita S. Arialdi Syrus presbyter.

Anno Domini 1095. Sub Urbano II. reperti sunt peregrini ad S. Sepulchrum, equitum centum millia, peditum sexcenta millia.

Anno Domini 1099. Advenientium numerus Hierosolymam, ea per Godefridum recuperata, fuerat variæ conditionis quadraginta millia, peditum viginti millia, optimè armatorum quadraginta millia, qui fidelis populus tantæ peregrinationis onus suscipiens, loca venerabilia & Sepulchrum Christi, cum gemitu & lachrymis cum omni devotione, intimis deosculabatur suspiriis.

Anno Domini 1101. Ducenta sexaginta millia, numerus peregrinorum ad S. Sepulchrum excrevit, qui omnes Hierosolymam aditum parabant; parati non modo quascunque subire molestias, sed & sangvinem pro Christo fundere, & per quascunque infidelium insidias, ad Sepulchrum Christi properare.

Eô tempore Velfo Dux Bavariæ, volens de excessibus suis difficiliorem satisfactionem exhibere, Hierosolymitanum iter arripuit, quod & in maximis persecutionibus & periculis Ungariam & Græciam transiens persolvit. Sepulchrum enim Domini & alia loca sancta, omnibus penè suis amissis, visitavit. His verbis Histor. de Gvelfis Principibus, Aquensis libr. 8. cap. 43. *Velfo Hierusalem perveniens, adorato JESU Domino, & ejus Sepulchro, post aliquot dies navigio, usque ad Insulam Cyprum reversus est.*

Anno 1136. Joscelinus junior, Comes Edessanus, in solennitatibus Sanctæ Paschæ diebus, in civitate Jerusalem magnificè nimis moram faciebat; eoque toto magnifico apparatu, cum infima sui inclinatione S. Sepulchrum multoties adiit.

Anno

Anno 1142. Gvelpho ſenior, frater Henrici, nepos ſuperius hîc nominati, qui in Cypro obiit, non fuit ſemel contentus Hieroſolymam & Sepulchrum Domini luſtraſſe, ſecundò illud adiit. In Chronica Bavarica libr. 4. cap. 63. habetur: *Gvelpho ſenior, jam ſecundò iter Hieroſolymam ingreditur, & in Italia Imperatorem reperiens, filium ſuum, cum omnibus ad ſe ſpectantibus, gratiæ ejus commendans, Paſcha Sanctum apud Sepulchrum Domini peregit.*

Anno 1147. Sivardus Rex Norvegiorum cum multa copia & Danorum pertendit Hieroſolymam, omnibus navibus incolumis, & Hieroſolymam veniens, tali facto declaravit Crucis & Sepulchri Chriſti amorem & venerationem, etiam ex intimis Septemtrionis angulis, per tot terrarum & marium tractus, non infimæ conditionis homines pertraxiſſe.

Anno 1163. Henricus Dux Saxonum & Bavariæ, Hieroſolymam cum quingentis fere millibus tetendit, felici prorſus uſus & honeſta per terram ſanctam profectione, ſplendido & numeroſo comitatu, ſancta loca devotus inviſit, ad Dominicum Sepulchrum, ad locum Crucis, ad reliqua etiam Dominicæ memoriæ veſtigia, devotè procubuit, oblationes faciens non parvas, Portam Crucis Chriſti argento veſtivit, muſivo opere parietes ornavit, ad luminaria redditus inſtituit. Omnia vero ſancta loca, Henricus Abbas Brunſvicenſis, lachrymis & ſuſpiriis inſignivit, ſacrum implens Altaris miniſterium indutus cilició, antelucano tempore, poſt matutinale expletum. Lib. 6. Saxoniæ cap. 32. Arnoldus Lubucenſis libr. 2. Chronic. Selav.

Anno 1164. Comes Tripolitanus, & Hugo de Leſemone, Goffridus, frater Comitis Andegaviæ, ad adorandum Sepulchrum Domini venerunt. Ægidius de Roya in Annal. Belg. fol. 30. num. 20.

Anno Domini 1172. Hugo III. Dux Burgundiæ, in ſuo authentico ſic inquit; *Notum volo eſſe præſentibus & futuris, quoniam Hieroſolymam proficiſcens, præ nimia maris turbatione, & imminentis periculi accerbitate, tam ego, quàm omnes, qui in navigio erant graviter perterriti fuimus. Ea propter votum faciens Deo, promiſi me conſtructurum apud Divionem Eccleſiam, in honorem S. Dei Genitricis Mariæ & S. Joannis Evangeliſtæ.* Ex quo patet efficax propoſitum, hujus Ducis, viſitandi S. Sepulchrum.

Anno

Anno Domini 1180. Philippus Comes Flandriæ, Florentinus Comes Hollandiæ, Vilhelmus Comes Hannoniæ, Theobaldus Comes Ardennensis, Mathæus Comes Bononiensis, & Petrus Episcopus Cameracensis; hi inquam Comites cum sex millibus approbatorum virorum, in sanctam civitatem venientes, recepti sunt cum magno honore, à Patriarcha Hierosolymitano, qui eos duxit ad Sepulchrum Christi, & ad omnia loca sancta. Joannes Geerbrandus Leidensis in Chronico Belgic. lib. 18. cap. 16. fol. 167.

Francofordiæ Conventus Principum frequens; actu est conclusum, ut via, quæ antea insidiosa fuerat, tuta jam popularibus suis, qui ad Sepulchrum Dominicum peregrinari vellent redderetur in Annal Svevicis fol. 398.

Anno 1182. Luipoldus sive Leopoldus, Austriæ Dux, Hierosolymam religionis causâ ingressus, visitató S. Sepulchró, particulam quandam S. Crucis, rediens secum attulit. Chron. Austr.

Anno 1198. Henricus Palatinus, Comes Rheni, Frater Othonis Regis Coloniæ, & Lantgravius, & Dux Brabantiæ, ab adoratione S. Sepulchri & aliorum locorum Hierosolymis revertuntur. In Annal. Godefridi Monachi.

Anno 1209. Jussu & ex hortatione Innocentii Papæ, numerus cruce signatorum peregrinorum ad S. Sepulchrum, quinquies centena hominum millia Bzovius num. 9. Ex sola Anglia sexaginta millia profecti, viso cælesti signo, nimirum Christus crucifixus apparuit in cruce lucidissima, ut fidelibus suis patenter ostenderet, ex hac populorum devotione, fuisse propitium. Hist. Angl. Paris.

Anno 1217. Tanta multitudo Christianorum còádunata est in Hierosolymitanis partibus, ut supra centum millia fuere, tanta turba properans ad Monumentum Christi, non poterat præ multitudine numerari. Ughellius in Ital. Sacr. Tom. 1.

Anno 1221. Ludovicus Dux Bavariæ, & Uldaricus Episcopus Pataviensis, in terram sanctam tendunt, ut Christi passi & sepulti visitent loca. Chron. Austr.

Anno 1348. Clemens VI. Pontifex, Magnis Oratoribus Regni Sveciæ, videlicet Surandonio Linoopensi, & Vindemano Ufredi Aboensi Canonico, indulsit ut Dominicum Sepulchrum cum centum Personis possint visitare. Bzovius sub eodem Anno, fol. 1036. Annal. Eccles.

Anno 1413. Nicolaus Princeps Ateſtinus, qui negotium unionis Eccleſiaſticæ urgebat, & ab Alexandro V. roſâ aureâ donatus, Sacroſancti Domini Sepulchri, in Syria adorandi voto ſe obligavit, & Hieroſolymam perrexit. In Templo, quod eſt conjunctum Sacroſancto Sepulchro, Equeſtria ornamenta contulit, & in columis in Ferrariam rediit. Pigna in Hiſt. Ateſtinorum libr. 6.

Anno 1426. Ludovicus Comes Palatinus Rheni, Dux Bavariæ Princeps Elector, Filius Ruperti quondam Regis Romanorum, vir pius & inclytus, amore Domini JESU Chriſti ad terram ſanctam profectus eſt, & Salvatoris noſtri Sepulchrum in Jeruſalem, cum ingenti devotione viſitavit. Chronic. Trithemii. fol. 248. num. 40.

Anno 1427. Philippus Comes S. Pauli, & Liniaci Ducis Brabantiæ frater, ad quem morte fratris Ducatus pertinebat, adhibitis Nobiliſſimis Comitibus Lovanienſibus, Romam advenerat, ut inde Hieroſolymam proficiſceretur. Divæus Rer. Brabant. libr. 19.

Anno 1461. Wilhelmus Dux Saxoniæ, Landgravius Turingiæ, profectus eſt Hieroſolymam pietatis cauſâ, in cujus comitatu fuerunt hi Principes: Wilhelmus Comes Hennebergius, Sigismundus Princeps & Comes Aſcaniæ, Erneſtus Comes Mansfeldenſis, Gunterus Comes Svartzenburgicus, & multi alii, ex præcipua Saxoniæ, Turingiæ & Miſniæ Nobilitate; & dum irent in Palæſtinam, repererunt Ducem Geldriæ, ex terra ſancta redeuntem. Ex quo patet etiam Geldriam illuſtriſſimos peregrinos ad S. Sepulchrum ſubmiſiſſe.

Anno 1493. Fridericus Dux Saxoniæ, Princeps Elector Imperii, & Henricus Dux, Filius Alberti, anno 1495. Illuſtriſſimus Princeps Alexander, Comes Palatinus ad Rhenum, Dux Bavariæ; Joannes Ludovicus Comes Naſſovienſis, cum prima nobilitate.

Anno 1496. Boguslaus Decimus, Dux Pomeraniæ, Hieroſolymam venerunt, Chriſtianæ religionis animati inſtinctu, ut crucem ſanctam, Sepulchrum, aliaque loca ſancta, piiſſimo cultu viſitarent.

Anno 1501. ſub Emmanuele Luſitaniæ Rege, in navibus advenere duo fratres Chriſtiani ex illis, qui Thomæ Apoſtoli diſciplinis imbuti, ſummâ per tot annos conſtantiâ, religionem eadem

perpetuò fide colunt; & postularunt, ut in Portugalliam ducerentur, ut inde Romam atque Hierosolymam petere possent, ut ea loca inviserent, ubi Christus discipulique ejus institissent. Osorius libr. 2. Bzovius 18. Tom. num. 14.

Eodem anno Castellæ Rex, Ferdinandus, ne Ægypti Soldanus iratus in Christianos, penitus intermittat liberam facultatem, ut antea adeundi Hierosolymam, Christi Dei vita, morte & resurrectione sanctissimam civitatem, plenam præsenti Numine. In eam rem Petrus Martyr Angleia domo Mediolanensis, à Regiis sacris deligitur, præclarè officio functus, quæcunque voluit agendi dexteritate, ab eo Principe impetravit, & planam sicut sibi, ita & aliis suis Regni peregrinis, ad S. Sepulchrum viam patefecit. Mariana libr. 27. cap. 11. & 8.

S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus 1. part. histor. tit. 16. capitul. 9. §. 2. refert, quod tempore, quo Infideles detinebant regnum Hierosolymitanum, non defuerunt de Occidentalibus partibus, qui loca sancta devotionis gratiâ visitarent, inter quos fuerunt Amalfinati (quæ est Civitas Apuliæ.) Quia verò cum ad loca sancta, causâ orationis accederent, non habebant intra civitatem domicilium, obtinuerunt à Rege Ægypti, ut intra Jerusalem, in loco, quem eligerent, liceret eis Oratorium ædificare. Itaque ante januam Dominicæ Resurrectionis Ecclesiæ, Monasterium erigunt, in honore S. MARIÆ, Dei Genitricis. Et quod Latini fundaverunt longo tempore, dictum est Monasterium S. Mariæ de Latina. Ædificatum est etiam à timentibus Deum, non longè à dicta Ecclesia Monasterium fœminarum, in honorem S. Mariæ Magdalenæ, & sorores sub certo numero positæ, ad obsequium adventantium fœminarum. In ea autem contiguitate Ecclesiæ Dominicæ Resurrectionis, ideo erexerunt, ut possint omnes ex occidentalibus partibus venientes, ad S. Sepulchrum JESU Christi, intenso amore profusas profundere preces, & sæpius debito cultu dignum locum visitare.

Sed quid pigritor (exclamo verbis Thomæ Valdensis, in doctrinal. Fid.) *in paucis peregrinis S. Sepulchri, cum dicere possum, ab omnium Regnorum fidelium incolis, de cætero post Ascensionem Christi, ad ejus Sepulchrum, per annos & menses, per examina populorum fluxisse fideles.* Ne uno quidem puncto, vel acumine calami, attigi Fol. 243. tit. 15.

hic numerum dignitatis primariæ ſæcularis, populorumque turbas viſitantium S. Sepulchrum. Quis enim deprædicare poterit, eam multitudinem, Imperatorum, Regum, Ducum, Principum, totque Procerum, qui ab Aſcenſu Domini, totque in ſacris & toto ævo celebrandis expeditionibus, deſiderabant videre, ſive oculis propriis intuebantur, non ſine fletu, & voluptate devotionis ſanctum Monumentum. Deficit ferè Arithmetica computatio, virorum illorum bellatorum, ac peregrinorum S. Sepulchri, qui magis animis, quàm armis certabant, & vincere quantocyus conabantur æſtuantia deſideria, ut ad triumphantis Chriſti Sepulchrum, ſubderent colla Victori ſalutis, & palmas in cælum extenderent. In ejusmodi viſitationis exemplum, perexiguus mihi adhuc videtur numerus ille ſepties centenorum millium, validisſimi, armaturâ ſpirituali inſtructi exercitûs, qui affectu divinorum Spirituum concitatus, Domino JESU Chriſto, ſub inſigni crucis, ſuâ vitâ & morte, in obſequio fidei & charitatis, militare ad Sepulchrum ejusdem enixè intendebat. Si ſingula corporis mei membra, verterentur in lingvas, nondum ſufficienter poſſem eloqui vel deſcribere vicario oris calamo, numerum viſitantium S. Sepulchrum, quales ejusmodi viſitationes, vel ignotæ ſunt, vel non miſſæ in libros, vel in aliis non tot, quin plures reperibiles. Quis enim neſcit, ex Europa ſingulis annis, usque ad præſentem, ad Sepulchrum Chriſti ire, ut illud viſitent, oſculentur, Salvatoris myſteria venerentur, & toto corde diligant? Plura dicam verbis illis
Pſal. 85. Prophetæ, jam de præſenti, quod ille de futuro prædixit: *Omnes Gentes, quascunque feciſti* veniebant & veniunt, adorabant & adorant, adorabuntque coram te Domine, & glorificabunt nomen tuum ad S. Sepulchrum. Fundatus in verbis literæ S. Hieronymi ad Euſtochium: *Cujus enim gentis homines, ad ſancta loca non veniunt.* Et teſtimonio Jacobi Gretſer, Tom. 3. libr. 3. in Apolog. pro Expedit: *Qui factum, ut ex toto terrarum orbe, omnis ætatis, conditionis, & ſexus, frequentiſſimi accurrerent adoratum, in loco, ubi ſteterunt pedes Domini; veneratumque Sacroſanctam Crucem, & Sepulchrum Domini, & præſepe, in quo reclinatus, & alia Monumenta Chriſti, & Apoſtolorum conſortio & uſu conſecrata?* Satis numeroſum ad S. Sepulchrum, variarum nationum perpende annuum confluxum, quando juxta relationem antiquorum viſitatorum, ſexaginta millia

lia florenorum Polonicalium, juxta verò recentiorum, ultra bis mille centena, annuatim ex hoc peregrinorum vectigali, ab intromisſione ad S. Sepulchrum, in ærarium Turcarum importatur, quamvis non omnes æqualiter conferant. Memorabilis & tam antiquus, in civitate illa cultus Chriſtianus S. Crucis & Sepulchri Domini, de quo ſpecialiter in præſenti tracto, necnon aliorum ſanctorum locorum, ſicut ſemper duravit annorum myriade nunquam interrupta, neque obſiſtentibus perſecutionibus, ita ſub moderno diro imperio Saracenorum, usque ad præſentem diem perſeverat. Et tam diu durabit, quàm diu pro memoria indelebili, ſalutis noſtræ in terra patratæ, eadem loca & S. Sepulchrum, pietatis & religionis gratiâ, Deus ipſe conſervando retinebit.

§. IV.

Ex Regno Poloniæ, referuntur Viſitatores S. Sepulchri.

Nolo plùs, exteros colere, quàm Indigenas, relato exterorum Catalogo, etiam indigenæ Regni noſtri, vocandi ſunt ad calculum glorioſum, Sanctæ Viſitationis Sepulchri Chriſti. Non frigidum fuit Regnum noſtrum, in cultu ſanctorum locorum Hieroſolymis. Inflammato ſatis pectore, eô æſtuavit erga Chriſtum charitatis igne, quem ad ſanctiſſimam illam petram per devictos hoſtes, etiam adaptatô ferrô, manuque forti, ex lætentibus penetralibus eduxit: quô illuſtraret & claram faceret, venerationem ſuam erga Sepulchrum Chriſti. Illud Orator Sacro-Civilis *Lydium lapidem fortunæ Polonæ* dicit, in quo Polona erga Deum Orthodoxa pietas, ſuam veterem ſinceritatem examinat, & aureæ libertatis computat valorem, integritatemque Regni conſtruit. Andreas Temberski Orat. 7. pag. 58.

E Regum Poloniæ Proſapia, Sereniſſimus Dux Serbiæ, Jaxa Gryphius, Fundator primus Ordinis Noſtri in Polonia munificentiſſimus, audita illa generali in Orientem expeditione, longam & arduam pro defenſione S. Sepulchri peregrinationem ſuſcepit. Anno Domini 1159. & commiſsis ad Edeſſam, Urbem fortisſimam, cum hoſtibus præliis, & obtentâ de illis victoriâ, veniens Hieroſolymam, devotè luſtravit & adoravit Sanctiſſimum Sepulchrum. De qua viſitatione tale extat teſtimonium Monachi, Dei Gratiâ S. Reſurrectionis Patriarchæ Hieroſoly-

rosolymitani, ac totius Capituli Canonicorum S. Sepulchri Hierosolymis degentium, in Rescripto ad Conventum Miechoviensem, ubi sic habetur: *Universitati Vestræ præsentibus literis innotescat, quòd cùm Dominus Jacso* (alias Jaxa) *vir bonæ memoriæ, Dominicum adiret Sepulchrum, & in loco, ubi steterunt pedes Domini, adoraret.* Unde ad honorem gloriosissimi Sepulchri Christi, quod præsens venerabundus conspexerat, colueratque Monasterium Miechoviense condidit ac fundavit Canonicis S. Sepulchri, in quo constituit Canonicum S. Sepulchri, quem secum Hierosolymis adduxerat, ut in eodem rescripto subjungitur: *Inter alia devotionis suæ insignia, rogavit, ut Ecclesia S. Sepulchri, unum de Canonicis suis, secum in Poloniam mitteret, quatenus ad solvendum votum, quod fecerat, eum quibusdam hæreditatibus investiret. Quia cum esset vir Christianissimus, & præcipuè circa Dominicum Sepulchrum devotus, Ecclesiam nostram, suis volebat dotare patrimoniis.* Hic itaque Principum Nobilissimus, renovavit antiquum illum posteritatis morem, juxta quem in Majorum Sepulchris, appositæ fuere Gryphium figuræ, quâ appositione denotabant, quòd à vigilantibus religiosè colerentur. Gryphes enim custodiendis thesauris, & auro præficiuntur, cùm facile fures sentiant, & mordicùs res sibi concreditas, ac commissas custodiant. Gentilitium hoc animal, Regiæ Prosapiæ Jaxianæ Domûs, Sepulchro Christi custodiendo appositum fuit, ut à vigilantibus Custodibus S. Sepulchri (quorum ipse Fundator præcipuus in Regno Poloniæ) religiosè honor Monumenti Christi coleretur. Sepulchrum Christi gazophylacium fuit, ut dictum libr. 1. locus thesaurorum, lapidis valorem excedentis scrinium amplissimum; tali custodiæ concreditum animal, quod commissam custodiam diligenter expleret, & mordicùs tueretur. Quare hic Potentissimus Dux & Princeps, quia specialiter coluerat S. Sepulchri Custodes, & pro Christi Monumento obtinendo & adeundo dimicavit acriter, pugnavit fortiter, cultum ejus promovit; jure Sepulchro Christi apponendus est, præclarissimæ stirpis Jaxarum, Avitum insigne Gryphius. Qui in eo communem Gryphorum excessit naturam, quòd licetsi auro inhient, & illud vigilanter custodiant, tamen eas cavernas & specus terræ, unde gemmæ & aurum effodiuntur, nunquam intuentur. Nostri serenissimi ac celeberrimi Equitis Gryphius, ita auro inhia-

Samuel Nakielski fol. 83. & 84. in Promp. Miechov.

Henric. Spondanus Cæmet. Sacr. fol. 101. num. 7mo.

Vide hîc libr. 1. tit. Lapis.

inhiavit, id eſt aurifodinam Sepulchri Chriſti, videre deſideravit, & in ejus honorem vigilantes promovere Cuſtodes ſatagebat, ut ipſam etiam cavernam & ſpecum, id eſt rupem Monumenti Chriſti, ex qua latebra effulſit aurum puriſſimum, Corpus Chriſti, Divinâ dexterâ, & ex qua excreſcunt gemmæ gratiarum, per quas unimur Deo, & aurum charitatis ejus effodimus; propriâ luſtravit palpebrâ & intuitus eſt. Quam exinde pretioſus eſt apud ſæcula Princeps Gryphius, qui odoravit venas illas gratiarum aureas, & cuſtodivit gazas incluſas Monti pietatis.

Ex eadem Domo Gryphia, Illuſtriſſimi Theodori Gryphii, Palatini Cracovienſis, Excellentiſſimi Senatoris vera propago, Kylianus Latoſzynski, univerſa loca ſancta & Sepulchrum Domini, duabus vicibus, propriis luſtravit oculis, ac ſacram militiam in Eccleſia S. Sepulchri profeſſus eſt; patet ex ejus rei dato teſtimonio: *Notum ſit omnibus &c. quatenus hoc anno ſalutis 1534. Generoſus Dominus Kylianus de Latoszyn, Civitatem Sanctam Jeruſalem, cum Dei adjutorio, innumeris tranſmiſſis periculis, petiit, & ſanctiſſima loca, videlicet Nativitatis & Sanctiſſimi quoque Sepulchri, ex quo die tertia reſurrexit &c. perſonaliter & devote viſitavit, pariter & adoravit.*

Nieſiecki in Coron. Pol. Tom. 3. fol. 52.

Samuel Nakielski fol. 42. Prompt. Miechov.

Henricus Dux Sandomirienſis & Lublinenſis, Filius quartus Boleslai Krywouſti, in deſiderio ſuo, præcipuè verſando ſubſidium terræ ſanctæ, cum pulcherrimo Polonorum militum apparatu, anno 1154. in eam profectus eſt. Ad quam veniens S. Sepulchrum, quô nihil in terris ſanctiùs adoravit, & militiæ Baldvini Regis ſe conjungens, Saracenos non ſemel fortisſimo certamine debellans, palmam Martyrii ſe ſperavit obtenturum. Verum victor ſemper exiſtens, ad propria cum triumpho, unà cum Reipublicæ Flore, regreſſum paravit. Non prius tamen Urbe Sancta exire ſtatuunt, niſi reddito capitali debito Sancto Sepulchro. Dlugoſſus Hiſtor. Polon. libr. 5. cap. 487.

Celſisſimus Nicolaus Radziwil, Dux in Olika & Nieswiez, Comes in Szydlowiec ac Mirh; S. R. I. Princeps, Supremus Mareſchalcus Magni Ducatus Lithvaniæ, Anno Domini 1575. Menſe Septembri, vigeſimum ſextum ætatis annum agens, gravi infirmitate preſſus, prius de recuperanda animæ ſanitate conſcientioſus Princeps cogitans, ſacra confesſione & Divinisſimi Sacramenti

ſumptio-

ſumptione præmiſſa, ferventibus inſiſtens precibus, cum adeſſet Miſſæ Sacrificio, votum fecit; ſi divina ei bonitas priſtinam reſtituerit ſanitatem, Sacroſanctum Domini Sepulchrum viſitaturum. Quod votum Principis, Gregorius XIII. approbans in ſuo Diplomate, de eodem dicit: *Sicut nobis nuper exponi fecit, devotionis fervore accenſus, Sepulchrum Dominicum Hieroſolymitanum, propediem concedente Deo, viſitare cupiat.* Tandem favente Deo anno 1533. die 26. Junii, in Sanctiſſimum Domini Sepulchrum introivit, venerabili hoc loco humiliter exoſculato; ita habet exemplar literarum atteſtationis de hac viſitatione: *Illuſtriſſimus Nicolaus Chriſtophorus Radziwil &c. Sacratisſimum Domini noſtri JESU Chriſti Sepulchrum, à quo die tertia glorioſus reſurrexit, præmiſſa confesſione, ac ſacra percepta communione, cum magna devotione viſitavit, & reverenter amplexus & deoſculatus eſt, ſanctum Calvariæ locum &c.* & ibi duabus hebdomadis Hieroſolymis manebat, & ter in Eccleſiam S. Sepulchri ingreſſus, ibi ab hora ad horam manens, ſingulari quodam ſenſu in ſtuporem verſus, ad gratias Deo agendas excitatus, in contemplationem myſteriorum Chriſti vehementer inflammatus fuit. In viſitatione S. Sepulchri tertia hujus Principis, adfuerunt diverſarum Gentium homines, circiter ducenti, qui expectabant, ut intus ingredi, & Sacrum Sepulchrum exoſculari poſſent. Cum eodem Principe fuerunt Hieroſolymis ex Polonia & Lithvania Nobiles Poloni Georgius Kos; Michaël Konarski; Eques S Sepulchri, & in bello Livonienſi Dux Equitum; Andreas Skorulski, Petrus Belina, Eques S. Sepulchri; qui pariter, proceſſionaliter ad Sanctum Sepulchrum deducti, illud viſitarunt, & inſignia militiæ S. Sepulchri, pro more Chriſtianis antiquitùs recepto, ſuſceperunt. Temporibus ejuſdem Principis, fuit Hieroſolymis Nobilis quædam fœmina Polona, Dorothea Siekierzecka, quæ ab annis aliquot Hieroſolymis morabatur, annum agens ætatis circiter quinquageſimum, magna & admirabili devotione prædita videbatur, quæ à Turcis miſere vexabatur, & dum tertia vice Sepulchrum præfatus Princeps, cum ſuis Nobilibus ſociis ingrederetur, eadem conſociata ingreſſa eſt, licet à rabie Turcica, etiam verberibus excipiebatur.

R. P. Nieſiecki Tom. 2. fol. 574.

Idem Illuſtriſſimus Peregrinus Polonus, de ſuis temporibus ſcribit: *E Damaſco, Cæleſyria, è Syria Phœnices ultra Libanum, Apamæa, & vi-*

& vicinioribus Europæ locis, ex Aſia, & ulterioribus Provinciis, venire ſolent peregrini. Hieroſolymam ad Crucem & Sepulchrum Chriſti, & alia loca viſitanda. Pro celebrioribus vero Feſtis, è totius ferè mundi partibus, frequenter peregrini concurrere ſolent, qui ſemel in Eccleſiam S. Sepulchri admiſſi, quòad celebritas durat, in Eccleſia manent.

Pacoslaus Comes, dictus Senior, vulgo Pekoſtawski, cùm eſſet de ſtirpe & Genealogia Abdankorum, ob votum emiſſum viſitandi S. Sepulchrum, ad ſtemma præfato nomine dictum, addidit ſicut ad veſtem, ita & ad ſtemma crucem; ex qua conjunctione, novum ſtemma. *Syrokomla* appellatur. Ex quo patet genus & familiam nobiliorem reddi, novamque Reipublicæ proſapiam naſci, à tumuli Chriſti ſuſcepta viſitatione. Nakielski in Prompt. Miechow. fol. 155.

Joannes Pudlowski de ſtemmate Kosciesza, Tribunus Sochaczovienſis anno 1589. Legatus pro Comitiis Regni, multis peragratis Regionibus, per magnas ingenii ſui qualitates, multarum nationum experientia celebris, Hieroſolymæ S. Sepulchrum viſitavit, & ibi factus Miles Sepulchri Chriſti, Hieroſolymitanus, & per Poloniam terræ ſanctæ Procurator. R. P. Nieſiecki Tom. 3. fol. 782.

Joannes Kobilnicki, Hieroſolymam profectus eſt, & quamvis inciderit in Arabas, & ab eis ſpoliatus, pervenit tamen unà cum triginta aliis Hieroſolymam, & Sanctiſſimum ibi viſitavit Sepulchrum. Radzivil Epiſt. 4. Peregr.

Jacobus Bobola de ſtemmate Leliwa, ex Bohemia in Poloniam, cum ſuo nomine familiam introduxit anno 1200. qui miles ſtrenuiſſimus devotus valde, & religioſus, votô viſitationis S. Sepulchri expleto, Eques S. Sepulchri Hieroſolymitani ibi creatus, ſemper utebatur pannô de albo colore. Nieſiecki Tom. I. fol. 110. P. Bembus Soc. Jeſ.

Sed nec inter Pontificum Tyaras Polonæ defuerunt Infulæ, quæ ad ſanctam illam petram ſumma acceſſerunt reverentia. Joannes Laski Archiepiſcopus Gneſnenſis multarum Provinciarum gnarus, Sepulchrum Salvatoris noſtri in Jeruſalem viſitavit, unde terram ſanctam ſecum conduxit, quâ hæc pars Cæmeterii Eccleſiæ Cathedralis Gneſnenſis eſt reſperſa, in qua ipſe Præſul locum Sepulchri ſui ſibi elegit. Hiac. Pruszez in fortal. Reg. Polon. Cap. 23. fol. 167.

Wiſſus de Radolina, de domo & familia Acervorum J. U. Doctor, Præpoſitus Vladiſlavienſis, Divæ Hedvigis Reginæ Poloniæ, Simon Starovolscius in

Vit. Epis. Cracov. fol. 123. loniæ, miraculis clarissimæ Cancellarius, Episcopus Cracoviensis, in ordine 32. magnæ pietatis Præsul, & ejusdem S. Ducissæ ultimæ voluntatis Executor, singulari religione erga Sanctissimum Sepulchrum Christi accensus, peregrinationem ad illud subiit, in comitatu secum habens Abbatem Tynecensem, & duos Canonicos Ordinis Nostri assumens ex Conventu Miechoviensi (*Ecce auditum est in Jerusalem Custodes venire de terra longinqua*) qui unà cum dicto Loci Ordinario profecti, adorato S. Sepulchro, reliquias Sanctorum, ex illo loco revertentes, secum asportarunt, quas obtinet Ecclesia Miechoviensis.

Jerem. cap. 4. v. 16.

Imitatus est suum Antistitem, peraugusti Vavelli, Canonicus Cracoviensis, ingeniorum decus Regni Poloniarum, præclarissimus in multis editis Voluminibus Historicus, Joannes Dlugossus, Vir variis Reipublicæ negotiis, a Rege Poloniæ Casimiro, summâ prudentia prætractatis, Sbigneo Episcopo Cracoviensi, delato Cardinalatus insigni, variis Legationibus in Hungariam, Bohemiam, Italiam, Germaniam, ad Basiliense Concilium expeditis: *Flagraverat etiam pene ab ineunte ætate desideriô quôdam videndi Hierosolymam, & Christi cunabula. Itaque Romam se conferens, inde Venetias, ex quo loco in Syriam transire curavit, delatus felici navigatione in Palestinam, pio admodum & ardentissimo affectu, Christi Sepulchrum, Mortisque & Nativitatis ejus loca visitavit.* Ita in vita Joannis Dlugossi apud Gabrielem Grodecki.

Hyac. Pruszcz in Fortal. Reg. Poloniæ cap. 20. fol. 138. Joannes Olgeta Canonicus & Officialis Cathedralis Cracoviensis U. J. Doctor multis annis in Universitate Cracoviensi Magnificus Rector, Vir Sanctitate prudentia & visionibus miraculosis conspicuus, loca sancta, in quibus Christus salutem nostram operatus est, Hierosolymis invisit.

Ex variis etiam Religiosorum cætibus & Ordinibus Regni Poloniæ, sanctam peregrinationem multi susceperunt. Peregrinatus est consulto Hierosolymam P. Thomas Mlodzianowski Societatis Jesu, qui magna sanctitate & doctrina, Religionem & Poloniam illustravit. Hic personaliter visitavit S. Sepulchrum Christi Hierosolymis, & descriptionem Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & S. Sepulchri, quod propriis inspexerat oculis, & adoraverat Deum, qui ibi sepultus jacuit, adfert in Tomo Concionatorio Homiliarum Concion. Pasch. fol. 510.

In Conventu Cracovienſi, Ordinis Prædicatorum, in loco Capitularibus actionibus deſtinato, reperta ſunt corpora duorum virorum, mutuis ſe brachiis poſt mortem complectentium, & Epithaphii tabula his verbis: *Hoc comprehenſi lapide, beati manes requieſcunt, vere Doctorum virorum, quorum alter Sarmata Gneſnenſis Eccleſiæ Cancellarius Sacrarum literarum & U. J. Doctor, cui Dominicus nomen. Alter Ludolphus, Sacræ Theologiæ & Ordinis Prædicatorum Profeſſor, idem & Prælatus Provincialis. Utriſque par probitas, par dignitas, par virtutis ſtudium, par vitæ ſanctimonia atque innocentia fuit &c. Alter paululum antequam moreretur, profectus in Jeruſalem, ſitibundo deſiderio, concupivit videre, ubi poſitus erat Dominus. Tumulati 20 Martii Anno 1519.* Bzovius in Propag. D. Hyacinth. cap. 5to.

Plures etiam Religioſos ex eodem Regno, arripere iter ad S. Sepulchrum, deducitur ex continua praxi, qui à ſuis Superioribus obtenta licentia, ex profeſſo transfretare ſolent Hieroſolymam, causâ viſitandorum locorum ſacrorum.

Ecce totus orbis, undique confluebat ad Urbem Hieroſolymam, propter Monumentum Chriſti, non propter Salomonis, Davidis, Auguſti, Adriani, aliorumque Regum, Cæſarumque Sepulchra. Quilibet inveſtigat Sepulchrum Chriſti, nemo inquirit tumulum dictorum, aliorumque coronatorum. Vel cum S. Joanne Chryſoſtomo inſtituendo quæſtionem: Tu verò mihi oſtendas Sepulchrum Alexandri, ſive aliorum monumenta Regum, ad quod ex remotiſſimis mundi plagis, honoratum eant ſepultis pares? Ad hoc Salvatoris, de toto orbe curritur; ad illa nec unus greſſus movetur, nec animus vel modicùm ad ea excitatur; ad illam Sanctiſſimam petram, omnium nationum corda propendunt. Non enim aliter affectus hominem ad Hieroſolymam rapit, ut S. Paulinus Epiſtola 34. ad Macarium ſcribit, niſi ut loca, in quibus corporaliter præſens fuit Chriſtus, videant, atque contingant, poſſintque & de ſuo fructu edicere: *Introivimus in tabernacula ejus, & adoravimus, ubi ſteterunt pedes ejus.* O verè glorioſiſſimum præ cunctis aliis Sepulchrum Redemptoris mei! ad quod tanta millia hominum, ex omnibus finibus terræ, viſitandum properant! ſeſe quotidie offerunt.

Sepulchrum enim Chriſti eſt tabernaculum Fœderis, ad cujus Exod. 33. v. 9. oſtium ſtabat columna nubis, id eſt Beatiſſima Virgo, Spiritu

ſancto obumbrata, B. Magdalena, S. Petrus Præceptor; univerſa autem plebs, per fores tabernaculorum, id eſt ſive per fores S. Sepulchri, ſive per anteriorem aditum, adorabat Dominum in tabernaculo Sepulchri. Hæc eſt illa Civitas Hieruſalem, locum Sepulchri Dominici, qui olim extra fuerat, amplectens, quæ juxta Propheticam prædictionem, luce ſplendida, non tam metalli, quàm
Tob. cap. 13. v. 14. Chriſti Corporis coruſca lumine, & omnes fines terræ adorarunt eam, propter contentum Monumentum. Nationes ex longinquo veniebant, & munera deferebant, & adorabant Dominum in loco quietis & pacis ejus, & terram illam Sepulchri in ſanctificationem
Pſalm. 25. v. 26. habebant. Hæc eſt Eccleſia S. Sepulchri Eccleſia Magna, in qua non ſolùm tot Reges vota ſua reddebant, in conſpectu Sacerdotum illius, timentium Deum; ſed in conſpectu ejus adorabant univerſæ familiæ Gentium, quoniam in loco Sepulchri, Domini eſt Regnum.

Sepulchrum Chriſti eſt atrium Sanctum, in quo afferre Domi-
Pſalm. 28. v. 2. no gloriam & honorem, multoties nomini JESU Chriſti, illudque adorare jubet Propheta. Eſt mons ſanctus, in quo juxta eun-
Cap. 22. v. 13. dem, multis in locis, & Iſaiam Prophetam, adorabant Dominum
Jerem. 6. in monte ſancto in Jeruſalem. Hæc nova Jeruſalem, eſt Civitas viſitationis, omnis gloria in medio ejus, in qua pii advenæ & pe-
1. Petr. Cap. 12. v. 11. 12. regrini, abſtinendo à carnalibus deſideriis, converſationem ſuam inter gentes habent bonam, & Turcæ aliique Infideles, qui detractant Chriſtianis, tanquam malefactoribus, bona opera eorum, ſcilicet moleſtias, itinerum pericula, devotionem ardentem, profuſas lachrymas, & cæteros Chriſti amoris, ad Sepulchrum conteſtativos actus conſiderantes, glorificant Deum in die viſitationis.

Joſue cap. 9. v. 9. Audita fama potentiæ Joſue, & cunctorum, quæ fecerat in Ægypto, coëgit Gabaonitas, ut de terra longinqua valde, venirent ad eum in Nomine Domini, pacem facere cupientes. Si divulgata ſapientiâ Salomonis & opera ejus, non ſolùm populum,
3. Reg. c. 10. ſed & ipſam Reginam Sabam attraxerunt ad thronum, in quo pandebat oracula & reſponſiones ad ſtuporem. Quid putas? quomodo etiam ex abditis mundi cavernis, non extraxit Principes Sepulchrum Chriſti? Auditur enim ibi Nomen tuum Magnum Myſtice Joſue JESU, & manus tua fortis, & brachium tuum exten-

tum ubique, ut cum venerit omnis peregrinus de terra longinqua, propter Nomen tuum & oraverit & adoraverit in loco isto S. Sepulchri, exaudietur infirmamento habitaculi, ut visâ tantâ potentiâ, viribúsque tuis, quorum specimen tumulus præbet, discant universi populi terrarum, nomen tuum timere, sicut populus tuus Isràél, id est Christianus; & probent, quia nomen tuum invocatum est super domum hanc, Ecclesiam nempe S. Sepulchri. Quid inquam putas? quomodo audiendo tam stupenda Divinæ sapientiæ arcana, quæ à throno majori gloriâ, vestiti Salomonis, Christi, à tumulo videlicet, admirabiliora, sanctiora, ac evidentissima non ænigmatica; fusiori eloquentiâ, quia à Verbo Incarnato prolata, prodeunt, & quod est sedes sanctimoniæ Divinæ; non solùm cunctus populus, sed ipsa Regna, & Reges Reginæque adventabunt, ut loquatur de hoc throno eis Dominus, omnia verba salutis, quæ proposuit; & doceat eos scientiam ad dandam salutem plebi eorum. Perceptâ autem hac doctrinâ, intus proposita, tum præ admiratione, dicuntur non habere Spiritum; tum ex ratione profectûs, non habeant ultra spiritum superbiæ, ambitionis inanisque tumoris &c. sed spiritum rectum, spiritum bonum acquirunt. Adeo enim à tumulo Christi inclarescunt, opera mirabilia Dei, sapientia doctrinaque cælestis Magistri Christi, in omnes promulgatur; ut nos, quibus narratur, vel qui illam ediscere cupiunt, valde attonitos reddat. Et ipsi, qui veniunt & vident oculis suis, splendidam apparentiam gratiarum, beneficiorum, miraculorum, portentorum, sermonum varietatem, aliaque magnalia, quæ fiunt ad Sepulchrum Christi; probant, & fatentur majora multo ibi fieri opera, quàm narrari soleant, ut ipsam etiam famam, vincat Sepulchrum Christi virtutibus suis. Impletum sanè hoc infallibilis veritatis effatum: *Et ego cùm exaltatus fuero à terra, traham ad me omnia;* dum enim Corpus Humanitatis suæ, demissum tumulo, Divinitate sua extulit, & exaltavit à terra Sepulchri, traxit ac trahit ad se quemquam lapisque Sepulchri, magnetica pollet virtute, ferreas etiam ad Christum trahens, & inclinans voluntates. Prout dicta verba exponit Jacobus de Voragine Legenda 52. *Id est, cùm exaltatus fuero à terra, animam meam scilicet educendo de limbo, & Corpus de Sepulchro, omnia traham &c.*

2. Paralip. c. 6. v. 32.

Hebræor. 9. Locus retinens Arcam, incomputribili ligno compactam, foris intusque deauratam, continentem urnam, mannâ plenam, & virgam unam, tabulasque lapideas, adeo meruit nobilitari, ut multâ frequentia populi honoraretur. Cujus putandus est religionis, locus ille, qui Corpus Christi, unitum Personæ Divinæ Verbi, vulnera, & sangvinem, clavos, spinas, lanceam, crucem, thesauri cælestis gratias continebat? Denique Absalon profectus est in Hebron, ut redderet vota sua Domino, quæ vovit 2. Reg. cap. 15. v. 8. quia locus ille Sanctus reputabatur, quod quatuor Patriarchæ ibi essent sepulti, & ideo Absalon dicebat se illuc ire ex devotione, ut Lyranus respondet. Curni tam Regibus, quàm Regum filiis, locus ille sanctus, ubi Deus meus in corpore sepultus jacuit, piissimo affectu, devotione fidelissima, adeundus non credetur? Si loco illi tanta exhibebatur reverentia; quid illi honoris habendum, in quo sacrosancta membra Christi quieverunt, & in resurrectione tanta resplenduerunt præsentia & majestate? O ire! ô sibi perire! ô utinam ad illum locum, toti Christianitati acceptissimum, liceat aliquando, detrusis Infidelibus, relatorum exemplo pervenire! Utinam cunctis Orthodoxis populis, ante illam januam magni Dei, liceat se prosternere, & defectum subtractæ laudis, quam per tot sæcula Christe pateris, & quam haberes ibi, si tot electi fideles, quot ibi gentiles, schismatici resident, præsentibus & imminentibus jam sæculis, eô in loco, licitum foret recompensare! O quando erit illa dies (sicut exoptabat par nobile illud fœminarum, Paula & Eustochium) cum nobis licebit speluncam Salvatoris intrare, in Sepulchro Domini flere cum Fratribus, flere cum Patribus!

§. V.

Adferuntur quædam exempla, miraculosæ visitationis Sanctissimi Sepulchri.

Quàm grata, & quàm accepta fuerat Deo, visitatio ac peregrinatio ad S. Sepulchrum, vel exinde liquet, quod Deus multorum fidelium, sola desideria, quæ ob aliqua legalia impedimenta, exequi & ad effectum deducere non poterant, miraculose, per extraordinariam potentiam, eorum bonas voluntates demandare executioni decrevit; Neque illorum intensæ cupiditates, frustratæ

à vi-

à visitatione Sepulchri, sed sive per transportationem corporum, sive aliis miris modis, dilata vota, adimplere benigno, eoque praeternaturali modo concessit. Hujus rei exemplum primum adfert Sophronius in Prato Spirit. cap. 127. quam narrationem ex Abbatissa Damiana, matre Abbatis Athenogensis, Episcopi Petrensis, se habere fatetur.

Abbati in sancto monte Sinai, nomine Georgio, miræ virtutis & abstinentiæ viro, magno Sabbati die, in cellula sua existenti, venit desiderium faciendi sacram diem Resurrectionis in sancta civitate, & sumere veneranda Mysteria, in sancta Dei nostri Christi Resurrectione, adorareque Sepulchrum Christi. Cùm autem advenisset tempus sanctæ communionis, in sancta Resurrectione, divinitus translatus est Hierosolymam, & eodem tempore inventus est senex Georgius, penes B Petrum, Archiepiscopum Hierosolymitanum, qui admirans intra se nimiùm, de subitaneo Abbatis Sancti adventu, sibi penitus neminique noto, ac inter Canonicos Ecclesiæ Hierosolymitanæ, tam insperata associatione, præbuit tam illi, quam Presbyteris Sanctam Communionem. Cùm autem salutasset Synaxes, adoratô Sanctô Monumentô, inventus est in sua cellula; adeoque ferè uno tempore, divinitùs translatus fuit è loco dissito in locum sanctæ Resurrectionis, & Deus per miraculum, ejus implevit desiderium, ut videret & adoraret Christi Monumentum; cum omnes affirmabant, quod 70. annos haberet, ex quo de monte Sinai non exierat.

Eadem die, quâ per Godefridum, Hierosolyma recepta fuerat, Ademarus, Episcopus Podiensis, qui apud Antiochiam vitâ decesserat, à multis in sancta civitate recuperata, visus est, & postmodum, pluribus loca sancta circumeuntibus, eodem die manifestus apparuit, loca sancta cum aliis ingrediens, non est fraudatus à desiderio suo; ita, sicut resurgente Domino, multa corpora resurrexerunt; pariter resurgente Sepulchro, multa corpora visa, quæ olim in Domino decesserant, ut suis, in eo adorando & videndo, potirentur votis. Multique alii, qui in dicta via, in Dei obsequio, diversis casibus occubuerunt, in sancta civitate Jerusalem apparuerunt, cum aliis venerabilia loca visitantes. Idem S. Antoninus. Et subdit: *In quo manifestè dabatur intelligi, quòd etsi vitâ decesserant corporali, ad æternam tamen vocati beatitudinem, non*

S. Antoninus Archiep. Florent. I. p. Histor. tit. 16. cap. 13. §. 8.

non sunt fraudati à desiderio suo, sed quod piô expetierant studiô (nempe adorare S. Crucem & Sepulchrum Christi, cæteraque loca) *pleno sunt effectu consecuti.* Id ipsum refert Wilhelmus Archiep. Tyrensis Histor. Hierosol. libr. 8. cap. 22. *Aliique quam plures, qui in toto itinere divinis obsequiis mancipati, piam in Christo dormitionem acceperant; in eadem civitate apparuerunt multis, loca sancta cum aliis ingredientes. Dignumque erat ut sicut resurgente Domino multa corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt, & in civitate sancta apparuerunt multis; ita fidelibus populis Sanctæ Resurrectionis locum, à Gentili superstitione mundantibus, priscum renovaretur miraculum, ut & ipsi in Spiritu resurrexisse crederentur, qui resurgentis Domini, tam piis se manciparant obsequiis.*

In Regno Portugaliæ, juxta Conimbriam, in Conventu Monialium S. Bernardini, fuit Religiosa quædam Monialis Conversa, Monialibus inserviens, quæ antequam ingrederetur Religionem, votum emisit proficiscendi ad terram sanctam, gloriosum Domini nostri JESU Christi Sepulchrum veneratura. Quod cùm, Monasterium ingressa, implere non posset, dolore discrutiabatur, sed Deus eam consolatus fuit; habens enim per Universale Jubileum à suo Confessario relaxatum votum, & in aliud commutatum, tamen ante mortem ipsam, in extasim rapta, invisit terram sanctam & S. Sepulchrum; nam honestæ tradita sepulturæ, non longo tempore, peregrinus quidam, qui tunc à terra sancta venerat, accessit ad dictum Sanctimonialium Monasterium, & petiit ab ostiaria, quidnam esset de sorore Maria Minz (tali enim nomine appellabatur) quam unà secum fuisse in terra sancta, & illam unà secum visitasse Sepulchrum Domini, asseruit. Moniales admirantes super dictis illius peregrini, quòd illa, quæ fuit mortua, ex claustro nunquam exiverit, inquirebant à peregrino de tempore, quo S. Sepulchrum cum illa Maria, veneratus fuerat, & intellexerunt tunc hoc accidisse, quando in fine anni sancti, illius operis, & in extasi ante mortem, inventa fuit.

P. Bernardinus Brito Part. 1. lib. 6. cap. 34. Chron. Cistercien.

Sacerdos quidam de Dacia, Andreas nomine, cum convicaneis suis, terram sanctam ad adorandum Sepulchrum Christi peregrinus adivit. In ipsa Vigilia Paschæ venerunt Hierosolymam, & summo mane, recedere volentibus sociis, Sacerdos dixit: Sanctissimus est dies Paschæ & locus hic est Resurrectionis Dominicæ,

audiatis

audiatis priùs missam & Eucharistiam sumite, postea recedemus. Illis recedentibus, Sacerdos dictâ missâ & Officia Divina ad Sanctum Sepulchrum peraudiens, solus post eos die sequenti iter arripuit. Cui persona magnæ reverentiæ in equo occurrens atque salutans ait: Cur sic bone homo solus incedis, vel unde venis? respondente eo: Ab Hierosolymis venio, & sic atque sic mihi contigit. Ille protinus subjungit: Ascende, & sede post tergum meum, bene sequemur socios tuos, quod cùm fecisset, eadem die juxta patriam suam eum deposuit, dicens: Cognoscis, ubi sis? dicente illo: Provinciam meam cognosco; sed quid circa me agatur ignoro. Eques adjecit: Quia Christum honorasti, & ad Sepulchrum ejus diutius permanens, divinis vacabas officiis, idcirco missus sum, ut te reducerem. Ecce domus tua, vade & enarra mirabilia Dei, quæ circa te gesta sunt. Quem cùm noti ejus vidissent, dixissentque: Ubi sunt socii tui? respondit: hodie fui in Jerusalem ad Sepulchrum Christi, & reliquerunt me ibi socii præcedentes; & non crediderunt ei, dicentes: Senex iste delirat. Reversis sociis, cognoverunt tempus, quòd ante illos pervenerat, & magnificabant Deum. Cæsarius libr. 10. de mirac. capit. 2. Thomas Cantipratanus libr. 2. Apum cap. 40. num. 3.

Idem Cantipratanus ibidem num. 4. enarrat, virum sanctitate conspicuum, dum terræ sanctæ peragrandæ æstuaret desiderio, objecto cælesti visu, voti compotem factum esse, atque omnium locorum situm, memoriâ adeo præclarè complexum, acsi pedibus ea perlustraret. Anno circiter ab Incarnatione Domini 1213. cùm crux ubique ferè terrarum prædicaretur, erat vir in Brabantia, inæstimabilis sanctitatis, qui desiderium quidem longum habuerat, terram, in qua steterant pedes Christi, peregrinus invisere; sed retardari à contemplatione divina, à corporali exercitio verebatur. In oratione autem existenti, in vigilia Sancti Petri ad Vincula, clausô cubiculô, astitit illi cum ingenti lumine (erat enim nox) Angelus, ei dicens: Vidit Dominus ingens desiderium tuum, te scilicet velle invisere terram sanctam, & nunc ad hoc missus sum ad te, ut desiderium tuum compleatur. Hæc dicens Angelus, hominem apprehendit, & in una nocte, ad omnia loca specialia terræ sanctæ transtulit, & eadem nocte retulit. Videbatur autem illi ipsa nox, omni die lucidior; ita, quod omnia terræ sanctæ lo-

ca, Bethleem, Calvariæ, Sepulchri, dispositiones, situs; his, qui noverant, propriissimè designaret. Idem Tom. 13. fol. 215. numero 5.

Miles quidam honestus, Everhardus nomine, de villa quæ Ambula vocatur, natus, graviter infirmabatur, ita, ut cœpit furere, propriam conjugem, ante infirmitatem multum dilectam, in tantùm haberet exosam, ut illam neque videre, neque audire posset. Die quadam diabolus in forma hominis apparuit infirmo, & ait: Everharde, ego te ducam in equo meo Romam, & obtinebimus à Papa, ut divortium faciat inter te & illam. Milite nimis gaudente, de divortii causa ait diabolus: Vis modo, ut ducam te Hierosolymam, ubi Dominus tuus crucifixus est atque sepultus, nec non ad reliqua loca sacra, quæ Christiani videre desiderant? Ex his verbis maximè postea intellexit illum, dæmonem fuisse. Respondente illo: Volo & desidero: spiritus spiritum per mare repente transtulit, & in Basilica Dominici Sepulchri deposuit: deinde ostendit ei reliqua loca, in quibus miles orationes suas fecit. Post hæc cùm illum ad patriam suam transtulisset absque omni læsione, spiritus ejus ad corpus reductus est, mox incipiens spirare & reconvalescere; uxorem ante exosam, amore pristino dilexit, & non sine multorum admiratione, quæ viderat & audierat, sæpius recitavit. Quidquid enim viderat Romæ, Hierosolymæ in locis sanctis, pleniùs utique vidit, melius visa cognoscere & recitare potuit, quàm si oculis corporeis, illa prospexisset. Cæsarius libro Miracul. de dæmonibus libr. 5. capite 37. fol. 373.

B. Magdalena de Trino Ordinis Sancti Dominici, nimis devota ad passionem Christi, ab eodem participavit communionem dolorum ejus. Speciali hac prædita gratia, in die Resurrectionis Christi, post absolutas recollectiones de Mysterio Sepulturæ & Resurrectionis, in contemplatione defixa, in spiritu fuit deducta in locum Sancti Sepulchri, cæteraque loca sacra, Hierusalem, Nazareth & Bethleem, in quibus per devotam meditationem, adorabat vitam & mortem sui Salvatoris. Sieykowski Ordinis Prædicat. in Sanctuario Templi Sanctissimæ Trinitatis, fol. 276.

Vir pietate miraculis & martyrio insignis Thaclavareth Scevanus, in Indiis nepos ex sorore Presbyteri Joannis, Abyssinorum Monarchi; Ordinis Sancti Dominici habitum induit, de quo Bzovius:

vius: *Tanta ei cum Angelo & Cælitibus familiaritas, ut ſæpiùs quadam nubecula circumdatus, Hieroſolymam usque ab eo deportaretur, & à Divina Deipara munusculis quibusdam cæleſtibus ditaretur. Aliquando in Monte Calvariæ, ab ea viſibiliter apparente, vaſculum argenteum ſvaviſſimo quodam liquore redundans accepit; ex quo cum delibaſſet, utriusque teſtamenti ſcientiam divinitùs infuſam acquiſivit, omnia ad ſalutem perneceſſaria didicit. Aliàs alio tempore, ad Chriſti Sepulchrum ab eadem cælorum Regina, alium ſed jam aureum craterem oblatum promeruit, ex quo cùm illam ambroſiam cæleſtem deguſtaſſet, in extaſim raptus, cælitum ordines & manſiones illas multas in domo Patris Supremi præparatas aſpexit; & quantum mortali homini ſcire de futura felicitate fas eſt, cognovit.* Idem Anno 1340. fol. 884. ex Joanne Marietta. Animadverte ex hac relatione, quod locus Sepulchri Chriſti hoc principale habeat, quòd qui illum in pietate conſtituti devotè, etiam in ſpiritu rapti viſitant, cæleſtes deguſtant dulcedines, & manſiones propter electos in cælis præparatas contemplantur, & futuram felicitatem quantum poſſunt, pro præſenti ſtatu viæ, in aſpectu Sepulchri JESU cognoſcunt.

Non itaque mediocris gloriæ locus Sepulchri Chriſti dicendus, cui viſitando, ſupernaturalis arridet gratia Dei, dum eos, quos vis naturalis non valet exequi conatus, faciles per inſveta media reddat is, cui omnia ſunt poſſibilia, ipſeque Deus tali prodigioſo ad adorandum Sanctum Sepulchrum concurſu innoteſcere vult, quantum ſibi complacet in gloria honoratiſſimi illius loci. O ſi mihi nunc Dominus JESUS Chriſtus, vel Philippi ad Eunuchum, vel Habacuc ad Danielem translationem repente concederet! quàm ego nunc arctis ſtringerem locum Sepulchri ejus complexibus! quàm os meum & labia mea, quamvis polluta, mundiſſimæ illi figerem petræ, lachrymisque ſacrum illum peccator rigarem hortum! Suſcipe Domine & accepta voluntatis meæ tributum.

Quantùm vero talis viſitatio, ut cæterorum locorum ſacrorum, ita & Sepulchri Chriſti, ſit odioſa dæmonibus & ejus aſſeclis, res iſta ſit palam, dum hic toto conatu viribusque ſuis eam impedire conantur, abſterrent, avocant, repellunt; ac ne veniat, præpedire ſolent, perſpicientes, quanta lucra ſalutis acquirunt, amabiles Chriſti animæ. Quovè odio habent loca ſacra, eodem repleverunt corda ſuorum ſectatorum, quales ſunt hæreſum alumni, qui

detrectant & denegant debitum cultum ſacris locis. Aſſertio hæc patet, tum ex allatis exemplis in Catalogo Sanctorum viſitantium loca ſacra, tum ſparſim in Libro primo, tum ex his exemplis:

In prato ſpirituali Capit. 105. enarrat Abbas Theodorus, de Abbate Chriſtophoro genere Romano, qui Theodorus aſcenderat Hieroſolymam adoraturus Sanctam Crucem & Sanctam Reſurrectionem; & cùm jam adoraſſet, inſpexit eundem Chriſtophorum Abbatem, in limine atrii Templi pretioſæ Crucis neque intrantem, neque exeuntem. Aſpiciens item, vidit duos corvos impudenter ante faciem illius volantes, & alis ſuis oculos ejus importunè impetentes, nec illum intrare permittentes. Cumque intellexiſſet dæmones eſſe, dixit ad eundem Chriſtophorum: Cur ſtas in medio januæ, nec intras? Qui ei reſpondit: Ignoſce mihi Pater mi, cogitationes habeo, ex quibus una dicit mihi: Ingredere & adora pretioſam crucem; alia dicit: Non, ſed vade & fac reſponſum, & alia vice adorabis. Theodorus ut hæc audivit, & cognovit eſſe diaboli fraudem, tenuit manum ipſius & introduxit in templum, & fugerunt corvi, fecitque eum adorare Sanctam Crucem, & Sanctam Domini Reſurrectionem, dimiſitque eum in pace. Majolus Centuria 7ma, Cap. 7. fol. 186.

Baronius Tom. 12. anno 1192. ex Willelmo Neubrigenſi libr. 5. cap. 7. refert, quòd peregrinus quidam ex Cænomanenſi Epiſcopatu, calore fidei & devotionis igneſcens, longe laborioſiori peregrinatione, Sepulchrum Dominicum inviſere voluit. Valedicens ergo ſuis, iter arripuit, & cum ſolus graderetur in via, apparuit ei diabolus, qui peregrinum ut ſe adoraret nimis ſollicitabat: recuſanti peregrino, ſolum Deum ad Sanctum Sepulchrum ſe velle adorare, cui debetur honor & gloria, aduſtis capillis, cutem capitis denigravit. Homo verò ille Sanctum Jacobum, cujus limina viſitaverat, fortiter invocans, eum ſibi adjutorem habuit, qui potentem invaſorem dæmonem, mox repulit.

Plurimis itaque aggreſſionibus internis externiſque invadere & impetere ſolet dæmon, pios peregrinos ad Sanctum Sepulchrum, & ibidem exiſtentia loca ſacra, ac eſſe author per ſeminationem deteſtabilis diſcordiæ inter Reges & Princeps Chriſtianos, ne proſperetur opus liberationis terræ ſanctæ, verique Chriſtiani poſſideant loca ſacra, prout ipſemet in citato exemplo faſſus eſt.

§. VI.

§. VI.

Proponuntur fructus & utilitates, quæ proveniunt ex visitatione Sancti Sepulchri.

Fructus, utilitates, commoda, quæ oriuntur & proveniunt ex visitatione Sancti Sepulchri, ac peregrinatione ad illud, sunt plurima.

Prima utilitas extrinseca Deo, quod illic nomen, laus in medio inimicorum ejus tam laudabiliter, quotidianè, incessanter peragatur, ut eum locum, specialiter videatur sibi elegisse Deus, & sanctificasse, ut sit ibi nomen ejus in sempiternum, fiatque continua memoria passionis, mortis Sepulturæ, ac Resurrectionis Christi.

Secunda utilitas seria ac efficax criminum ac malæ vitæ salutaris pœnitentia, firmissimaque concepta proposita, reformandæ in melius vitæ, quæ eo ibi firmius jaciuntur, & consolidantur, quò humiliùs demittens se animus, sanctæ illi petræ, altiùs ad superna contendenda fastigia assurgit, & corde contrito & humiliato recedit. Tantô enim devotionis, & spiritualis abundantiæ, provenientis ex consideratione amoris Christi, ac seriæ recollectionis meritorum, ac satisfactionis Christi, quam ob oculos cuilibet ponit Sepulchrum, incitantur & urgentur stimulô, ut omnem alicujus offensæ conscium, sancti, venerandique Salvatoris Sepulchri compungat inspectio, prout tot jam supra exemplis declaratum. Epistola Bonifacii Stagni Episcopi refert: *Erat locus sacrosancto Domini JESU cruore ungvento illo, quò ad Sepulchrum unctus fuerat permixto, tanquam fulgentibus solis radiis undequaque lucens, quem piis gemitibus, & spirituali quadam animi lætitia, & lachrymis excipientes, & conspeximus & deosculati sumus, sociis, qui præsentes aderant (aderant autem & Orientalium & Occidentalium nationum Christiani non pauci) incredibili referti cælestis thesauri devotione, aliis lachrymas profundentibus, aliis propemodum exanimatis, omnibus animi quadam extasi obstupescentibus.* De peregrinis militibus, Sanctum Sepulchrum inspectantibus canit Gvibertus Abbas: *Optata tandem vos Sepulchri visio. Crucisque tacta fletibus redemtio. Juvat, fugitque pectus omne passio.* De tali sua visitatione peregrini usurpant Psalmi illa verba: *Visitatio tua custodivit spiritum meum.*

Tertia utilitas, proveniens ex visitatione Sepulchri Christi est, quod ex illa nimium homines animantur ad Dei amorem, excitantur ad virtutes sectandas, premuntur tanquam acuto calcari, ad imitationem vitæ Christi. Si enim juxta S. Chrysostomum Tom. 5. libr. contr. Gent. post doctrinam fidei; ipsa Sanctorum Sepulchra, secundum locum obtinent, ad animos permovendos, ad virtutes Sanctorum sequendas: Ergò digniorem locum tenet Sepulchrum, sancti sanctorum ad permovendum, ut sequamur virtutes Christi. Et S. Augustinus contr. Faustum Manich. libr. 2. cap. 21. dicit, quod ex ipsorum locorum, in quibus coluntur Martyres, ubi eorum corpora requiescunt, major affectus exurgit ad acuendam charitatem; quomodo non exurget hinc maximus charitatis affectus erga Christum, ex loco illo, in quo tam piissimè colitur, ubi requievit corpus ejus. Hunc fructum enarrat S. Bernardus, in Serm. de Sepulchro Domini, dicens: *Puto, quòd non mediocris dulcedo devotionis infundatur, cominùs intuenti, nec parum proficitur, cernendo etiam corporalibus oculis, corporalem locum Dominicæ quietis.* Talem fructum percepit ex visitatione S. Sepulchri, & Regni nostri Princeps Radzivilius, de quo testatur Thomas Treterus Custos Varmiensis, quod *reversus feliciter in patriam, in ipso dignitatis fastigio, singularem humilitatem; in bonorum temporalium copia, temperantiam; in rebus adversis, tolerantiam; in juvandis proximis liberalitatem; in Divino cultu propagando, Zelum & munificentiam; in familia gubernanda, paternam sollicitudinem, & vigilantiam, perpetuò retinebat.* Et Gaspar Niesiecki, in Corona Polon. Tom. 3. fol. 632. de eodem: *A Sepulchro Domini visitato, comparens in Polonia, totum se effudit in augmentum gloriæ Divinæ.* Cujus præclara facta, totâ paginâ enumerat.

Quarta utilitas, quæ provenit ex peregrinatione ad S. Sepulchrum, est stabiliter infundata memoriæ, cordi, effectui, repræsentatio mysterii Dolorosi & Gaudiosi Christi, videlicet Passionis & Resurrectionis. Eò enim vivaciùs, constantiùs inhæret recordationi res aliqua, si ipsamet oculis cernatur. Et species impressa objecti, faciliùs contrahitur, estque clarior repræsentatio qualitatum, quò majorem per visum participat cognitionem, ac speciem ejus expressam. Teste Aristotele de Anima lib. 2. *Potentia propinqua, percipit magis objectum, quam remota.* Pariter objectum

jectum delectabile, diutiùs in animo hæret, mentemque frequentiùs infestat, & sæpiùs potentiæ imaginativæ objici solet, quò magis sensu externo apprehendebatur. Itaque locus ille sacratissimus, cum sit species expressa passionis, mortis ac Resurrectionis Christi, illi enim id convenit quod determinatè ipso indicante pollice, dicatur: *Ecce locus, ubi crucifixus & mortuus est! ecce locus, ubi posuerunt eum! hic est locus triumphi & victoriæ.* Propterea quicunque eum propriis merentur intueri palpebris, tangere manibus, osculari ore, amplecti corde, procumbere in eo corpore, investigare sollicitè, sancta curiositate structuram, non tam materialem, quàm elegantem redemptionis artem, instrumenta, locaque lustrare; nonne in eis manet, alta mente repositum mysterium passionis & mortis Christi? nonne in ipsis intimis memoriæ medullis, species impressa ex cognitione objectorum locorum, actuumque in illis patratorum; ita fixè hærere debet, ut semper menti occurrens, imaginationem ad considerationem eorundem frequenter excitet; ac voluntatem moveat in amorem, in laudem, in compassionem super tantam oblivionem, tam dignissimorum objectorum. Ut ergo immota mente Passio, Mors, Sepulturaque Christi ac Resurrectio retineatur, per vividam ac continuam repræsentationem, est inter alia subserviens medium, visitatio, seu oculata visio S. Sepulchri, quam consequenter & legitimè juxta exigentiam perfectionis, statusque Christiani, subsequi debet & amor. Hujus utilitatis exemplum patuit in sanctis mulieribus, quæ dum ad Sepulchrum venerunt, factæ sunt sociæ passionis Christi; de quibus S. Petrus Chrysologus Serm. 80. *Mulieres intrant Sepulchrum, ut fierent sepulturæ participes, sociæ passionis.* Et tunc uberrimum fructum perceperunt Sangvinis Christi, cum Sepulchrum visitarunt. Joannes de Matha Conc. 7. de Resurr. Discurs. 3. num. 10. inquit: *Non alio modo participes fuissent uberrimi fructus, nisi prius Sepulchrum visitassent.* Si ergo vis esse socius passionis Christi, si vis esse particeps uberrimi sangvinis pro te effusi, devoto & puro corde visita S. Sepulchrum. Patet in Archidiacono Leodiensi, postea Gregorio X. Pontifice, qui ante electionem suam in Papam, profectus Hierosolymam, terræ sanctæ devotus, cum conspexisset oculis Sacrosanctum Sepulchrum Christi, & miserabilem statum locorum sacrorum devastatorum, à Saracenis,

nis, dum reversus loqueretur de Jerusalem, in hæc penes con-
Psalm. 136. cionandum, ex affectu cordis prorupit verba: *Si oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea! adhæreat lingva faucibus meis, si non meminero tui, si non proposuero Jerusalem in principio lætitiæ meæ.* Ubi se devotissimus Peregrinus, & ex post Sanctissimus Pater, spondet non oblivisci Jerusalem, non solum quoàd subventionem illi faciendam, ab exemptione è manu Infidelium; sed etiam, quod ex visa tanta sanctitate loci, nunquam ei ex memoria excidet, investigatio interna S. Sepulchri, aliorumque locorum, in quibus tam patheticè repræsentantur mysteria Passionis Christi. Adeoque visio S. Sepulchri, juratoriam in hoc protunc Dignissimo Archidiacono causavit promissionem, quâ se arctè obstrinxit, ad perpetuam memoriam Jerusalem, ratione ipsius S. Sepulchri contenti. Vide ad hæc dicta Considerationem 141. in Psalm. 136. supra dicta verba Reverendissimi Jacobi Radlinski, in Sepultura Viventium fol. 309.

Quinta utilitas ex visitatione S. Sepulchri, est præcipuum exercitium, in eliciendis principalium virtutum actibus. Et sic primò Theologicarum virtutum, scilicet Fidei, Spei & Charitatis; ibi enim hæ quàm maxime exercentur. Fides exercetur tum actibus positivis; ibi enim intellectus habet sufficientissima sibi proposita motiva, per certam propositionem signorum, scilicet loci Calvariæ, Sepulchri &c. quibus evidenter cognitis, permovetur ad imperandum assensum fidei, elicientiamque horum actuum: Credo, quod sit Deus Incarnatus, natus, hîc passus, mortuus, sepultus, resurrexit. Accedentem enim ad Deum, juxta S. Paulum, oportet credere; qui autem visitat S. Sepulchrum accedit ad Deum, subsequentibus hanc accessionem meritoriis operibus, adeoque oportet eum protunc credere. Imperceptibile enim est, quomodo intellectus, præsertim lumine fidei illustratus, habens energica motiva, sive intrinseca, sive extrinseca, oculis ferè subjecta, nempe crucem, locum Calvariæ, Sepulchri, per quæ assecuratur & certus redditur, de vera passione, morte, Sepultura & Resurrectione Christi, non inducatur protunc, in ipsam formalem actualem creditionem, & assensum dictis mysteriis. Unde ad Sepulchrum Christi à peregrinis, Symbolum Apostolorum, cum devotissima recitatur attentione; cum hi, qui in illo continentur

Articu-

Articuli, ſpectantibus locis, vivam ingerant fidem, ac ejus proſeſſionem inculcent. Adeoque in viſitatione S. Sepulchri, fit vera multorum articulorum, & publica eorundem explicita recognitio, & manifeſta Fidei profeſſio. Præterea ibidem exercetur Fides, per actus anathematizationis, condemnationis, rejectionis errorum, blasphemiarum, falſitatum Paganorum, Infidelium, Lutheranorum, Schismaticorum & Calvinianorum. Videns enim lignum crucis, Calvariæ locum, Sepulchri, quis non condemnabit negantes Chriſtum eſſe verum Deum & Hominem, paſſum, mortuum, ſepultum, & eos, qui negant animarum, cum corporibus reſurrectionem, glorioſas dotes, adorationem locorum ſacrorum? quis non anathematizabit calumnias, in ſacras peregrinationes vibratas? Hujus actus fidei expreſſam profeſſionem, & articulorum ad credendum neceſſariorum defenſionem, fieri ex locis ſacris, velut publicis teſtimoniis declarat S. Leo Epiſtola 72. ad Juvenalem, Epiſc. Hieroſolymit. *Hieroſolymis habitans Chriſtianus, qui ad cognoſcendam virtutem Evangelii, non ſolùm paginarum eloquiis, ſed ipſorum locorum teſtimoniis eruditur. Et quod alibi non licet credi, ibi non poteſt non videri. Quid laborat intellectus, ubi eſt magiſter aſpectus? Et cur lecta vel audita ſunt dubia, ubi ſe & viſui & tactui, tot humanæ ſalutis ingerunt Sacramenta? Utere ergo Frater chariſſime, invictiſſimis Catholicæ fidei documentis, & Evangeliſtarum prædicationem ſanctorum locorum, in quibus degis, teſtificatione defende.* Secundò viſitatio Sepulchri Chriſti, movet ad eliciendum actum ſpei; nam ibi magnæ opes poſitæ ſunt, ibi ſpes noſtra omnis. Videndo enim Sepulchrum Chriſti, adeſt objectum formale motivum ſpei Theologicæ, id eſt Bonitas Divina reſpectiva, quia ex Sepulchro Chriſti, maximam Deus bonitatem ſuam præbuit, reſpectivè quoad bonum hominum. Miſericordiam, Clementiam, Liberalitatem nobis exhibens, quæ perfectiones Divinæ, in conceptu Bonitatis Divinæ cum nobis fuerint præſtitæ in Sepulchro; penes illud exiſtentes, & illas animo revolventes, inducuntur ad actum ſpei, conjunctum fidei hunc *v. g.* Credo quod Redemptor meus vivit, & in carne mea, videbo Deum Salvatorem meum, qui in hac carne, quam aſſumpſerat, glorificatus de hoc Sepulchro revixit. Tertiò, penes Sepulchrum Chriſti, exercentur actus charitatis intenſiſſimi. Eò enim res intenſius amari

 ſolet,

ſolet, quò magis ac propiùs acceditur ad media pertractiva, allicitiva, & ſvaſiva amoris. Sepulchrum Chriſti eſt magnes amoris Dei, allicit ad charitatem, revocando in memoriam beneficia, ſingulariter collata homini; ſvadet, ut tantùm ametur Chriſtus, quantum ſe amabilem oſtendit usque ad Sepulchrum; adeoque ſi per viſitationem & peregrinationem, amor amicitiæ oſtenditur loco, ex ratione cujusdam conjunctionis localis, & adjacentiæ Corpori Chriſti, adeoque quod ſit aliquid ejus; multo magis ipſe Chriſtus amari debet, cum id ad jura amicitiæ pertinet, ut tam res amici, quàm ipſe ametur amicus. Præterea ad Sepulchrum Chriſti, exercentur virtutes, Religionis, humilitatis, gratiarum actionis, gaudii, compaſſionis, gratitudinis &c.

Sexta utilitas proveniens ex viſitatione Sepulchri Chriſti, eſt nova generis nobilitas; nempe qui viſitant S. Sepulchrum, nobilitatis titulo donantur, ac de nobilium cenſentur gradu. Hoc expreſſe fatetur Adrichomius, in Deſcript. Urbis Hieroſol. num. 242. fol. 116. *Poſtremò, quod vel maximè ad Dominici Sepulchri gloriam facit, glorioſum id ſit oportet, cùm hinc gloriam ſuam quærant, qui Nobiles haberi volunt. Antiqua enim conſvetudine, à majoribus noſtris receptum eſt, ut ex Chriſtianis* (qui ſacra loca illa inviſunt) *legitimi thori, orthodoxæque fidei, & boni nominis, nobiliores quique juxta hoc Sepulchrum* (nempe Chriſti) *ſolenni quodam ritu magis nobilitentur, & in Equeſtris Ordinis Milites, quos auratos vocare ſolent inaugurentur.* Gloria itaque Sepulchri Chriſti, vel ex eo probatur; quod cum ſit in ſeipſo glorioſum, per hoc ipſum dilatari videtur ejus honor, dum in advenientes ad ſe orthodoxos, communicativam quaſi exercet virtutem; ac nobili de ſangvine natos, illuſtriori celebrat origine. Cùm enim & Humanitas Chriſti, quæ ex ſangvine proceſſit Regum, à Sepulchro nobiliori gaudebat origine, clariſſimis orta natalibus, ſplendidiſſimo corpore, impaſſibilitate, Regali, triumphatorisque titulo, ſuperſtite nominis ſui in æternum fama; cujus inſignis ſtirpis in nobiles virtute, devolvitur honor hic; non eſt mirum, quod ab eodem Sepulchro, nobilitate præditi, iterum novo generis inſigniuntur nomine. Ut cubile Chriſti lapideum, fortiſſimorum Equitum, veluti thalamus ſit, à quo iterum ſuam auſpicantur originem. Sic Joſeph ab Arimathæa, quamvis pluribus inter illum Senatum, populumque

Hebræo-

Hebræorum, eminebat titulûs, fulgebat officiis; tamen multò memorato insignitus est genere, dum lapis sepulchralis tumulans Christum, dignitatis ejus fit nobile signum. Propterea Regius vates Josephum & Nicodemum Principes populorum vocat in hoc Psal. 46. versu: *Principes populorum, congregati sunt cum Deo Abraham.* Ubi per hos Principes intelligit Albertus Magnus, in Cap. 23. Luc. Josephum & Nicodemum, qui non alio suffragio, principatûs meruerunt obtinere titulum, nisi quod unus illorum tumulo, alter impenso sepulturæ officiò, Christum honoraret. Antiquitatem ergo sui Nominis, satis probant vetustam, vel à lapide, dum antecedenti adhuc ætate, ex ratione Sepulchri Christi, dicti & vaticinati sunt, Principes populorum. Magdalenam pariter, Apostolos, aliosque Discipulos, multi comitati sunt tituli, dignitatum officia, ex occasione visitationis & accessu ad Sepulchrum Domini, ut supra dictum. Fuisse olim hanc consvetudinem, ut redeuntibus à peregrinatione S. Sepulchri Romam, distribuerentur palmæ, & cruces ad collum appenderentur, quo munere natalitiæ sortis, nova exprimebatur accessio. Signari cruce, Numinis stemmate gloriari, nonne est nobilem fieri? Crux nobilitatis & authoritatis, juxta Bedam, symbolum est. Imò si profani Turcæ, & impii Machometani, non solùm eos, qui Mecham ad execrandi Machometis sepulchrum peregrinantur, sed & Camelos ipsos, qui illi inserviunt peregrinationi, pluris faciunt, cæteris præferunt, & gratiis eximiis exornant, ut Quaresmius testatur: quomodo in familia Orthodoxa, cæteris honoratior, aliis præferendus non est, qui ad Christi veri Dei, peregrinatur tumulum? quomodo tum aliis, tum hac non exornetur gratiâ? honoreque glorietur, qui justiori consecutus est virtute, quod tali inserviebat sedulò peregrinationi? Illustriores sunt sanctioris tumuli Redemptoris Nostri umbræ, quæ & suum irradiant genus, & suos advenas splendore nobilitant avito.

Vide titulum Locus erectionis.

Baronius Tom. 12. in Indice Consvetud.

Tom. 1. libr. 2. cap. 29. Elucid. ter. san.

Septima utilitas, cumulus benedictionum & gratiarum Divinarum, super visitantes locum Sepulchri Christi. Exodi cap. 20. v. 24. dicit Dominus Moysi: *In omni loco, in quo fuerit memoria Nominis mei, veniam ad te & benedicam tibi.* Monumenta memorias dici, aliquoties dictum: Locus Sepulchri Christi, est locus, in quo specialiter est memoria Nominis illius; propterea, quicunque

eum accedit, ad eum venit Dominus cum gratiis suis, & benedicit ei. Nonne beatum dicit ac prædicat prophetico spiritu, Regius Vates Josephum ab Arimathæa, quod abjectis impiorum consiliis, hanc impleturus est legem, quod Christum proprio excipiet & condet Sepulchro. Tertullianus enim, initium Psalmorum hoc: *Beatus vir, qui non abiit &c.* intelligit de Joseph ab Arimathæa, dum inquit libr. 4. contra Marcionem, cap. 42. *Oportuerat sepultorem Domini prophetari, ac jam tunc merito benedici.* Meritò itaque beatus & benedictus dicitur ob sepulturam, quasi fons benedictionis Divinæ sit Sepulchrum Dei, à quo Propheta, & principium exorsus est Psalmorum, & initium beatitudinis Josephi ab Arimathæa prophetavit. Nec modicam consequitur beatitudinis partem, qui etsi non sepultor, sepulturæ tamen Domini extitit visitator & venerator; Ut illi dici possit: *Benedictus es tu ingrediens & egrediens*; tam enim benedictus est, qui adipiscitur illud ingredi, quam postquam egressus, ex eo fuerit. Si cui enim sinum illum qui Corpus Christi mortuum bajulavit, nempe tumulum contingere & contrectare licuerit, repletus dulcedine gratiarum, & jucunditate Spirituali, ex abundantia visæ faciei Sepulchralis, recitat Canticum Simeonis, quod in completorio Sepulturæ Christi designativo ponitur: *Nunc dimittis servum tuum Domine, quia viderunt oculi mei salutare tuum*, scilicet Sepulchrum Salvatoris, *quod parasti ante faciem omnium populorum, lumen ad revelationem gentium*; ibi enim multi Gentiles, lumen revelatorum mysteriorum receperunt, multisque ex Gentibus, revelatum est lumen illud miraculosum, de quo infra, *& gloriam plebis tuæ Isràël*; quia ex eo processit gloria nominis Christiani. Scribit Baronius ex Laònico libr. 3. de reb. Turcicis, quod Homar, discipulus & successor Machometi, eos fieri justos asserebat, qui ipsius Sepulchrum inviserent. Et non pauci etiam hodie ex Asia, Lybia, Europaque, Machometi Sepulchrum adeunt, putantes se hinc maximam colligere religionem, & probiores fieri. Tantum ergo est apud impuram illam gentem, Antesignani scelestissimi tumbæ, cui tam fœtidum, & abominabile impositum est cadaver, existimata gloria; ô quantum apud Christianos, infinities efferri debet virtus visitantium Tumulum Dei Hominis! ut eos justos asserere maximamque hinc colligere religionem, & probiores, meliores,

amantiores Christi fieri. Reputavit olim & agnovit Regina Saba, beatam illam assistentiam throni Salomonis & famulatum illius, ex sua visa æstimatione, in hæc prorupit verba: *Beati viri tui & beati servi tui, qui assistunt coram te omni tempore, & audiunt sapientiam tuam;* & Christus beatificat oculos suorum Discipulorum, qui eum in carne viderunt, ejus doctrinam, miracula, virtutes intuebantur. O verè beata hæc assistentia, quæ sanctiori & ditiori throno Sanctissimo Sepulchro assistit! beati certè viri & servi, qui assistunt coram te ô Sanctum Sepulchrum, omni tempore, & audiunt verba vitæ! beatum dico populum, cui hæc sunt. O verè beati oculi, qui spectant illum gloriæ Christi locum, ex quo in carne nostra resurrexit gloriosè, & evexit naturam humanam incorruptam! O certè beati, usque cum invidia oculi, qui vident, quæ nos non videmus, & contemplantur tam honorifica signa contactu corporis sacrata, & sensibus etiam externis spectant, cum amore cordis & amaritudine animi, redemptionis & glorificationis nostræ loca, aspiciunt virtutem potentiæ miserentis Dei, vident prodigia & miracula multa patrata ad Sepulchrum Christi; ô terque quaterque imò millies beati oculi! quorum beatam sortem agnoscit & Notarius Epistolarum S. Bernardi, Epistol. 20. ad Militem Templi sic scribens: *Beati oculi, qui viderunt, quæ tu vides. Quotidie perambulas officinas redemptionis nostræ, & adoras in loco, ubi steterunt pedes ejus. Vides, ubi natus, ubi mortem pertulit. Ad extremum vides Sepulchrum, ubi sepultum est Corpus JESU, ubi Virgineus Flos Mariæ, linteis & aromatibus conditus est, unde & resurrexit, hic primus & maximus flos, qui apparuit in terra nostra.* Idem ipsum scribit S. Bernardus, in Epist. 30. ad Manuelem Imperat. Constantinopol. & idem Nicolaus Notarius S. Bernardi Epist. 29. ad Coloniensis Ecclesiæ Præpositum, & Cancellarium Imperat. Philippi VIII.

2. Paralip. c. 9. v. 7.

Biblioт. Vet. PP. Tom. 12. fol. 655.

Hæc itaque & multo plura sunt commoda, effectus, quos causat visitatio ac peregrinatio ad S. Sepulchrum, si devotè sanctèque peragatur. Verè igitur dignum & justum est ac salutare, huic tam sacro loco, impendere gloriam & honorem, eum venerando; ubi etiamnum his utilitatibus provenientibus, ad se invitat & allicit. Quibus bene perpensis, quem quæso pia non inducet cupido, ad ineundum iter, ad illam Divinæ magnitudinis demon-

ſtrativam petram, quæ tam feraces percipiendæ gratiæ, producit fructus.

§. VII.

Ad viſitationem & peregrinationem Spiritualem S. Sepulchri, animantur fideles, propoſitis mediis & modis, talis viſitationis.

Doctor Angelicus 3. part. qv. 82. Artic. 3. ad 3tium, docet, quod res inanimatæ, quamvis non ſint ſuſceptivæ gratiæ, ſed quia ex conſecratione adipiſcuntur quandam virtutem ſpiritualem, per quam aptæ redduntur Divino cultui, ut ſcilicet homines devotionem quandam percipiant, ut ſint paratiores ad Divina; dignæ ſunt veneratione. Quæ omnia dum ad amusſim, conveniunt Sepulchro Chriſti, quod ex conſecratione per Corpus Chriſti in ſe receptum, adeptum eſt ſpecialisſimam quandam virtutem ſpiritualem, per quam redditum eſt aptum Divino cultui, & homines devotionem ſingularem, ibi percipiunt & alia beneficia, per quæ ſunt parati ad multa Divina peragenda opera; nonne ex talibus fructibus dignum Sepulchrum Redemptoris mei, veneratione? O Monumentum auguſtisſimum & adorandum! quod etiamnum Angeli non ſine magna reverentia & metu adſtantes complectuntur, dæmones pertimeſcunt, homines per fidem accurrunt, honorantes, adorantes, oculis ac labiis, magna animi cupiditate exoſculantes, uberrimamque copiam bonorum haurientes! O ab omnibus appretiandus, locus Sepulchri Chriſti! O ſincero venerationis cultu, obſervande & colende! quibus ad te curram paſſibus! quis mihi dabit pennas, ſicut columba & volabo, donec requieſcam, ſeu quieſcere faciam deſideria mea, ubi quievit & ſomnum cœpit, & ab hoc ſomno, velut alter Joſeph, adoratur à fratribus ſuis, JESUS Salvator meus! O ſi quis mihi daret ſanctorum Regum, aliorumvè, pediſſequo ſincero affectu, ut & ego veniens, adorem eum tumulum! Suum erga S. Paulum expreſſurus affectum S. Chryſoſtomus, tale optativo modo exponit deſiderium, Commentar. in Epiſt. libr. 16. ad Roman. in Moral. Exhort: *Quis mihi dabit affigi Sepulchro Pauli!* Et infra: *Vellem videre Sepulchrum, quô recondita ſunt arma juſtitiæ, arma lucis, membra nunc viventia, tunc emortua, in quibus omnibus vive-*

vivebat Christus. O quam fervidiori æstuandum est amore animæ Christianæ, erga Christum, optativa exclamando magis voce: Quis mihi dabit affigi Sepulchro Christi! Vellem videre Sepulchrum illud, quô recondita fuit justitia mea, redemptio mea, corpus illud pro me crucifixum, sangvine conspersum; quô recondita erant arma lucis, cicatrices nimirum; membra nunc jam viventia, & justos beatificantia, arma illa lucida; clavi, spinea corona, lancea, & cætera, sacratissimum illud Corpus, tangentia.

Sed bono esto animo; hoc ipsum facile consequi poteris, modo scire velis, te absentem corpore, posse præsentem fieri mente. Nec solis pedibus, incedendum ad Domini Sepulchrum.

Duplicem peregrinationem dividunt Sancti Doctores; primam corporalem, alteram spiritualem: addo & tertiam, corporalem simul & spiritualem; multi enim & si præsentes sunt corpore sancto Sepulchro, cor autem eorum longe est à Christo. Respuit itaque talem ad se peregrinationem, magis acceptat etiam solam spiritualem; de qua inquit S. Augustinus in Psalm 119. *Corpus peregrinatur locô, anima affectibus.* Talibus ergo si non corporalibus affectuosis gressibus, (sufficit enim bona voluntas, ubi deest facultas) compelle intrare animam tuam in Sepulchrum, quotidiano suscepto itinere, his occultis viarum tramitibus, tibi incedendum est, ut præsentem semper sistas, & repræsentes spiritum tuum S. Sepulchro. *Ad locum tam amabilem. Cunctis Christi fidelibus. Pergamus jam cum jubilo. Fervore moti spiritûs.* In eo exhibendo, omnes affectus, laudis, adorationis, amoris Christi, gratiarum actionis & cæteros. Et sic hos passus tuos, non solùm Angeli, sed & Deus numerabit, ac munerabitur. Verùm ut tota moles, tam oblongi itineris etiam spiritualis, non sit in solis sermonibus & verbis, etiam internè præconceptis; completam dat definitionem peregrinationis spiritualis, Joannes Raythu in Scholiis in S. Joan. Clymac. dum inquit: *Peregrinatio, est vera segregatio ab omnibus concupiscentiis voluptatibus & malitiis.* Et à tali suscipienda peregrinatione, nihil te excusat; imò ad continuò subeundam, religiosa pietas obligat. Tunc enim feliciter & prospere incedit ac properat anima ad Urnam Christi, & vere se peregrinam exhibet, si se segregaverit à societate concupiscentiarum, voluptatum & malitiæ. Et tunc primò incipiet visitare & adorare in Jerusalem

Hietling in Peregr. Affect.

Domi-

Eccles. 12. Dominum, si diriget gressus suos in via mandatorum. *Viator quasi à facie colubri, fuge peccata.*

Tali arrepto itinere, viator Christianæ, indesinenter adibis S. Sepulchrum, ex cujus visitatione ac peregrinatione, expresso modo peracta, omnes supra adductos consequeris fructus, qui nonnisi taliter visitantibus prosunt. Et tunc primum veræ nobilitatis culmen attinges, cùm tali via, semper de sancto præsentabis Sepulchro. Viam illam, quæ ducit ad sepulchrum impiissimi Machometi, dicunt plurimi Authores esse difficillimam, & asperrimam, hoc tamen non attento, solenne est Turcis eam arripere. Infinities æstimabiliùs sit apud te Christiane, Sepulchrum veri Dei & Redemptoris, non te abhorreat asperitas & difficultas ulla, quæ tibi occurrit in spirituali via ad S. Sepulchrum, imò non aliâ, nisi semitâ crucis ingrediendum est. Magnanimi illi Heroës, inter alia media, quomodo possent Civitatem Jerusalem oppugnare, ut ad
Cap. 38. adorandum nostri Salvatoris intrarent Tumulum, fecerunt duo castra lignea; ut in Gestis Franc: narratur. Nec tu alio utere medio, ut inter medios hostes perrumpens, ad adorandum illuc intres, nisi castris duobus ligneis, scilicet crucibus mortificationum, afflictionum constructis. Non invidete itaque beatam sortem Patribus nostris, qui viderunt Sepulchrum illud Christi, quod nos non videmus; nec fortunam pedibus per loca sacra discurrentibus. Et vobis planum, Sepulchri gloria pandit iter. Ipsi per præsentiam, nos per memoriam ibi simus: oculus noster, memoria sit, ut cogitare frequenter de Passione & Sepultura Christi, sit quodammodo videre locum Calvariæ & Monumenti. Sciatis illos ita corporaliter invisos fuisse sacram illam specum, ut quot ibi gressus fecerunt, tot sanctitatis tibi reliquerunt premenda vestigia. Si Spiritu Dei vivimus, Spiritu ambulemus, ut dum illud humilibus frequentare non possumus obsequiis; digna tamen mente, &
Hietling. suprà. incessabili veneremur devotione. *Ad locum tam Sanctissimum. Sepulchri Christi Corporis. Eamus totis viribus. Quærentes JESUM mentibus.* Accedamus non carne, sed corde; non corporis præsentiâ, sed fidei potentiâ. Pergamus modo, quò nos Patrum vestigia ducunt, valedicendo omnibus concupiscentiis, rebus mundanis & voluptatibus, malitiis, disposito frequentissimo cursu profectûs virtutum, insistamus viæ rectæ, non reflexæ; & sic tali progres-

progreſſu, comite Divinâ gratiâ, ſpirituali affectu ibimus! ibimus ad adorandum & viſitandum Sepulchrum Chriſti! cujus gloria eò ſanctior creſcit, quò utraque hac, à viatoribus celebratur peregrinatione. Et ut ab his ambobus peregrinis, indeſinenter ſemperque creſcat honor Tumuli Chriſti, utor hac ſupplicatoria Davidis prece: *Domine Deus Abraham, & Iſaac, & Iſraël, Patrum noſtrorum, cuſtodi in æternum hanc voluntatem cordis eorum, ut ſemper in venerationem* (Sepulchri tui) *mens iſta permaneat.* 1. Paralip. cap. 29. v. 18.

Iſta verò in mente veneratio, ac ſpiritualis viſitatio, ut ſæpius permaneat, Sancta Catholica Eccleſia, varia pietatis porrigit media, quorum exercitiô innovet ac priſtinum reddat, ſanctitatis antiquæ morem, in viſitandis locis, memoriâ myſteriorum Chriſti claris. Et impedimentis variis, quæ non permittunt Chriſtianos, ipſamet loca adire, obſiſtentibus; adinvenit modum, quô in hoc filiorum ſuorum proviſum eſt devotioni, ut ſpiritus promptus, etiam in carne infirma, hoc religionis actu, ſuo conſiſtens loco non fraudetur. Quare inter hos, aliosque modos, ſtationes in Templis conſtituit, quas dum fideles in ſpiritu & veritate obire ſolent, idem faciunt, acſi loca ſacra Hieroſolymis viſitarent. Hunc finem exponit Gaſpar Loàrtes de fine Stationum cap. 13. fol. 99. his verbis: *Stationes in Eccleſia Catholica inſtitutæ ſunt, ut ſub Templorum ſtationumque acceſſu, fiat viſitatio Spiritualis, ut in mentem noſtram redeant loca, in quibus Chriſtus paſſus eſt. Et hanc ob cauſam inſtitutas eſſe ſtationes, in Chriſti honorem, & ejus paſſionis memoriam erectas. Ut quemadmodum à Sancta Eccleſia, ſeptem ſunt horæ Canonicæ in memoriam, quod qualibet hora paſſus eſt Chriſtus: ſimili quoque ratione, in ſeptem præcipuis Romanæ Urbis Eccleſiis, inſtitutas ſtationes, cum ſeptem, quæ in Eccleſiis viſitantur, altaribus; maximis Indulgentiarum Privilegiis; idque in ſeptem ſpeciatim Chriſti paſſionis locorum memoriam, in quibus aliqui particulares à Chriſto tolerati ſunt actus paſſionis & redemptionis.* Ubi in ſeptima ſtatione, ſicut in hora Canonica ultima, juxta eundem, ſignificatur hortus, in quo intra novum exciſum Sepulchrum, emortuum illius, ſepulturæ datum fuit corpus. Et ibidem dicit: *Circa ſeptimæ tandem ac poſtremæ Eccleſiæ ſive altaris viſitationem, tibi crucifixionis loco, vicinus, ingrediendus hortus, in quo intra novum exciſum è lapide monumentum, ſepulturæ mandatum Sacratiſſimum JESU fuit Corpus.* Eadem

dem causa stationum, declaratur in præfatione, Illustrissimi Martini Szyszkowski, Episcopi Cracoviensis ad instructionem visitandarum septem Ecclesiarum. Præter hunc modum à Sancta Ecclesia institutum visitandi spiritualiter loca sancta, ac inter hæc & Sepulchrum Christi, adjungo modos nonnullos, quibus Sepulchrum Christi distans, specialiter à suis devotis, tanquam illi præsentibus, possit fermè quotidie visitari.

Primô modô, toties poteris visitare Sepulchrum Christi, quoties Christum latentem sub speciebus Eucharisticis sumis, protunc imaginando cor tuum ad instar sepulchri esse, ad quod per manus Sacerdotis, sive tuimetipsius, velut manibus discipulorum, vivum Corpus Christi defertur, & ibidem reconditur; sive aliorum sumentium Corpus Christi, tot aperta patere Sepulchra, quod corda ad illud recipiendum, adeoque tunc, dum in tuis visceribus, veneraris tantum hospitem Dominum, simul adora in sepulchro jacentem mortuum, & quem intimis complecteris intra te affectibus, eundem olim signaculis conclusum & custodiâ, amplectere in Monumento. Secundô modô, quoties visitas Sanctissimum sacramentum, in ciborio conclusum; cum enim juxta dicta fol. 363. Ciborium, significet Sepulchrum Christi, visitando Christum in ciborio, visitare simul & in Sepulchro. Tertiô modô, quoties audis missæ sacrificium, toties in repræsentativis cæremoniis supra adductis fol. 366. memorare Sepulchri Christi. | Quartô modô, quotiescunque recitas Rosarium B. V. MARIÆ, toties poteris visitare Sepulchrum Christi; taliter nempe dicendo mysteria gaudiosa, repræsenta tibi in illis typum Sepulchri Christi, scilicet in utero B. V. MARIÆ, in quo fuit conceptus & incarnatus, juxta dicta fol. 334. in eodem, in quo fuit ad visitandam Elisabeth deportatus, juxta fol. 335. in præsepi, in quo fuit natus; in templo, in quo fuit præsentatus; & post triduum inventus. Juxta Bellarminum Tom. III. in Disput. Controv. de Sacr. Euchar. libr. 2. cap. 15. ad finem fol. 602. sic sentientem: *Nam cum tribus diebus latuit, & tandem tertia die inventus est in templo, significare voluit teste Ambrosio in Cap. 2. Lucæ, se triduo futurum in Sepulchro absconditum, & tandem tertia die resurrecturum.* In his itaque locis, recolendo mysteria Christi gaudiosa, memento simul & Sepulchri Christi, in quo fuit renatus, post triduum à Mulieribus & Disci-

pulis

pulis inventus, visus, quibus & seipsum obtulit, & præsentavit incorruptum. Pariter sicut dicendo Mysteria dolorosa, visitare poteris loca, in quibus hæc fuerunt peracta, v. g. hortum, in quo sangvinem sudavit; atrium, in quo fuit flagellatus; prætorium, in quo spinis coronatus; urbem totam, in qua passus; & iter, quo crucem portavit; montem calvariæ, in quo crucifixus: ita dicendo mysterium gloriosum, nempe *qui resurrexit à mortuis*; protunc spiritu siste te ad Sepulchrum Christi, & illud tantò Mysteriò celebrè, profundè adora. Quintò modò, dispartitis diebus totius hebdomadæ, visitationi locorum sacrorum, unam tibi vel duas assigna, quibus venereris Sepulchrum Christi. Sic v. g. incipiendo à feria quarta: in hac die de mane, poteris visitare domum Lauretanam, in qua annuntiata est Incarnatio Christi, ejusque conceptio; tempore pomeridiano, visita Bethleem & stabulum, in quo natus fuit Christus. Feriâ quintâ de mane, statue te mente in cœnaculo, in quo Christus sacram Eucharistiam instituit; sub meridiem, in eodem lavantem pedes Discipulorum; sub vesperam in horto, in quo sudavit & captus fuit. Feriâ sextâ, totum diem impende, visitationi locorum, in quibus fuit passus. Die Sabbati contemplare Sepulchrum Christi, in quo jacuit Corpus Christi. Die Dominico intuere idem Sepulchrum jam à Christi corpore vacuum, sed temetipso per contemplationem plenum. Feriâ secundâ, conscende Montem Oliveti, & osculare vestigia pedum Ascendentis Christi. Feriâ tertiâ, ingredere domum, quam Spiritus Sanctus, suâ præsentiâ replevit: & in singulis his peregrinationibus, mentis tuæ, proportionatos cuique loco, adapta affectus. Sextò modo poteris visitare Sepulchrum Christi, quotiescunque recurrunt Festa principalia Domini v. g. Nativitatis, Circumcisionis, Transfigurationis, Resurrectionis. Item Festa in Nostro Ordine, Sepulchri Domini, sive Commemorationis Paschæ; cum hæc supra dicta mysteria, fuerunt expressiva Sepulturæ Christi: exprime protunc & cultum Sepulchro Christi convenientem. Septimò modò, visitare poteris spiritualiter Sepulchrum Christi, persolvendo horas Canonicas, in singulis horis, mente habendo memoriam Sepulturæ Christi, taliter. In matutino Nocturno, fiat attendentia ad tempus illud obscuratum, quò in tenebras Sepulchri, lucidissimum corpus incidit. In Prima, quæ cantatur orto sole, fiat memoria, quod

quod mulieres orto ſole venerunt ad Monumentum, ut illud adorarent, & inde reſurrectionis notitiam acceperunt hoc tempore. In Tertia, fiat recollectio tridui, quô ſpatiô, Sepulchrum continuit Corpus Chriſti. In Sexta, fiat adverſio ſupra illum affectum Sepelientium Chriſtum, ſex præcipuarum perſonarum, B. Virginis, S. Joannis Evangeliſtæ, Joſephi ab Arimathæa, Nicodemi, Mariæ Magdalenæ, & Mariæ Jacobi. In Nona, fiat repræſentatio novem præcipuarum circumſtantiarum Sepulchri, enumeratarum fol. 339. in quibus mirabilia teſtimonia, mens pia ſcrutari poteſt. In Veſperis recollige, quomodo dixit Dominus Pater, Domino Filio, ut ex Sepulchro in ſua humanitate, ſedeat à dextris ejus, ponatque inimicos ejus ſcabellum pedum ſuorum. In completorii initio, juxta monitum S. Edmundi, Archiepiſcopi Cantuarienſis, in Speculo Eccl. cap. 26. debes cogitare, quòd Chriſtum poſuerunt in Sepulchro: vel ad exemplum Henrici Suſonis, qui tempore Completorii; quam primum intonabatur in Choro Antiphona, *Salve Regina*, meditabatur ſtationem, quam habuit B. Virgo MARIA, in ipſiſſimo Sepulchri loco, ut teſtatur Paciuhellus. Quoties ergo ita te geſſeris, exiſtens in Choro, toties in antiquorum illorum Canonicorum S. Sepulchri, plenum devotione locum ſuccedes, Chorumque tuum, ad inſtar Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, primævi Chori, in vicino Sepulturæ Chriſti poſiti, repræſentativa recordatione ejusdem Sepulturæ, conformem reddes. Octavô modô, quando fit exportatio Sanctiſſimi Sacramenti, imaginare ex Sacrario vel Capella, in qua velut in Sepulchro latuit, prodeuntem ſeu reſurgentem de eodem Chriſtum. Sive dum fit proceſſio, repræſenta proceſſionem illam, qua depoſitum de Cruce Corpus portabatur & deducebatur ad Sepulturam. Demum cum fit repoſitio ejusdem Sanctiſſimi ad pixidem, cogita per Sanctiſſimas manus Beatiſſimæ & diſcipulorum, depoſitum fuiſſe Corpus Chriſti in Sepulchro; & eorum actibus adora clauſum in tabernaculo, quibus adorarunt ſignatum in monumento.

Discur. Moral. 14. Fol. 607. de Sepult. Redemp.

Hæc aliaque ſunt media, ſalutiferæ ſpiritualis viſitationis, & ad S. Sepulchrum peregrinationis. His affectuoſis paſſibus, ito venerabundus quotidie, ad Sacroſanctam illam Petram, dicendo cum Pſalmiſta: *Vota mea reddam in conſpectu omnis populi ejus, in atriis Domus Domini* Sepulchri *in medio tui Jeruſalem* conſtituti. Et

taliter

taliter obeundo ſtationes, locorum ſacrorum, & viſitando loca ſacra, oſtendes te eſſe peregrinum in Jeruſalem, ſatisfacies officio cuſtodia S. Sepulchri, & unum ages ex adſtantibus excubatoribus Divini loci, qui nulla interpoſita morâ, humillimis inclinationibus, & continuis laudibus illum venerantur. Hoc ſpirituali aditu inſtruendo mentem, proficiſcere anima Chriſtiana, ut monſtres ſummam gloriam Sepulchri Chriſti, ex celebri ad illud tuimetipſius peregrinatione ac viſitatione.

CAPUT VI.

Sepulchrum Chriſti demonſtratur glorioſum, ex ſui primatu inter alia loca ſacra; ex veneratione ſacrarum ejus reliquiarum; ex veneratione Infidelium & ſchismaticorum.

§. I.

Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex ſui primatu inter alia loca ſacra.

S. Hieronymus in Epiſtol. Hædibiæ quæſt. 8. ad finem hæc verba Iſaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus glorioſum*, legit: *Et erit Sepulchrum ejus inclytum.* Quomodo autem hoc Sepulchrum Chriſti eſſet inclytum, videtur explicare Bertholdus, in vetuſto libello dum capit. de ſepult. Dom. ſic ait: *Erit enim hoc venerabile Sepulchrum, præ omnibus Sanctorum ac Regum ſepulchris glorioſum magnum & inclytum, atque in toto orbe terrarum, celebrius nominatum.* Ut Cap. 62. v. 2.
illi hoc dictum Iſaiæ, ſubſervire videtur: *Et videbunt cuncti Reges, inclytum tuum.* Hæc ergo gloria Sepulchri, & quod ſit inclytum, eruitur ex textu Iſaiæ; quia ſicut omnia ſanctorum & Regum præcellit Sepulchra, ita in toto orbe, præ cæteris locis ſanctis, celebrius nominari ſolet. Ita expreſſiſſime Mellifluus, vel ab ipſa Sepulchri petra, in ſvaviſſimo de Sepulchro Domini Sermone, dicit

cit D. Bernardus: *Inter Sancta & desiderabilia loca, Sepulchrum Christi, tenet quodammodo Principatum.* Et ibi statim hujus primatialis dignitatis, dat rationem; quia in his locis, ubi vivens conversatus est, non tanta sentitur devotio, quanta ibi, ubi mortuus requievit; atque amplius movet ad pietatem, eô in loco, quam in aliis, ubi vivus extitit, ejus mortis & vitæ recordatio. Et rationem hujus ipsius, quasi à priori, dat idem S. Doctor: Infirmitas enim humana, erga illa loca magis affici solet, ac ea prosequi, in quibus non austeritatem, non laborem, sed quietem, ac tranquillitatem reperit. Cum ergo alia loca, uti Præsepe, Hortus Gethsemani, atrium Hierosolymitanum, Mons Calvariæ, austeritatem, ærumnas, laborem, dolores remonstrent; locus verò Sepulchri Christi quietem, dormitionem consummationem laborum, triumphum, lætitiam indicat; ideo magis hic, quàm illa infirmitati blandiuntur humanæ. Explicat eundem textum S. Bernardi Didacus Nyssenus, hac præsuppositâ à se propositione: *Quamobrem ex omnibus locis, quæ Christus per omnem vitam suam sacravit, unum celeberrimum nobis est illius Sepulchrum*, quam dicta authoritate S. Bernardi probat, & sic inducit eundem S. Doctorem loquentem: *Dum omnia loca pererro, quæ Salvator noster ipse obivit, plus lachrymarum prolicit, plus religionis & devotionis injicit unus, cui illatus defunctus, quàm cætera omnia, quæ peragravit vivus.* Et infra dicit idem Nyssenus: *Unum Sepulchrum Christi, magis ad se rapit oculos, quàm via amaritudinis, hortus Gethsemani, torrens Cedron, Mons Calvariæ & cætera loca, in quibus pro salute nostra pugnavit, & laboravit Dominus.* Concludit tandem ex dicto Isaiæ loco, primatum hunc deducens: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum ita Isaias de Sepulchro Messiæ, & meritò præcellit cætera, quæ omnia sunt dolorosa.*

Serm. 1. in die Ciner. Perioch. 1. num. 3.

Ratio hujus primæ dignitatis & præcedentiæ Sepulchri Christi supra cætera loca, hæc adferri potest. Prima figuralis ex Scriptura. Moriturus Moyses benedicit Tribum Gad: *Benedictus in latitudine Gad, & vidit Principatum suum, quod in parte sua, Doctor esset repositus, qui fuit cum Principibus populi.* Tribus Gad, non propter aliud dicitur habitura principatum, nisi ex ratione Sepulturæ Doctoris, id est Moysis, qui nomine Doctoris hic, juxta Lyranum significatur; & addit idem Lyranus: *Et hoc cessit ad magnum honorem & dignitatem Tribûs.* Et hoc fuit manifestum præ-

Deut. cap. 32. v. 21.

sagium,

ſagium, quod felicior erit hac in parte Tribus Chriſtiana, legis novæ (Gad enim interpretatur felix) quod ubi Doctor, Præceptor, Legifer gratiæ Chriſtus, qui fuit cum Principibus populi, id eſt Apoſtolis & fecit juſtitias Domini & judicium ſuum cum Iſràël, repoſitus & ſepultus erit; locus ille principatum habebit, & hoc ei cedet ad magnum honorem & dignitatem illius, quod ratione ſepulturæ Chriſti, benedicetur in ſua latitudine, & acquiret principatum. In quam rem ſic diſſerit Paciuchelli in Jonam Proph. lect. 32. §. 8. fol. 59. ſic inquiens: *Omnia loca, in quibus redemptionis & ſalutis noſtræ peracta ſunt Myſteria, utique ſancta ſunt, glorioſa & infinito honore digna; ſed revera Sanctiſſimum Sepulchrum, cæteris omnibus palmam eripit, & principatum obtinet.*

Secunda ratio, quia ſanctorum Sepulchra, ubi eorum corpora requieſcunt, illuſtriora reddunt loca, quàm ubi ſunt nati, vel converſati; patet tum inductione domeſtica Regni Noſtri in Metropoli Gneſnenſi Eccleſia Archiepiſcopali, in Vavellana Baſilica Arcis Cracovienſis; in ſpecioſiſſimo Templo Almæ Univerſitatis Cracovienſis, quæ illuſtriora ſunt ac digniora, ob jacentia in illis ſanctorum, Adalberti, Stanislai, B. Joannis Cantii corpora, quàm illa loca, ubi ſunt nati vel creverunt; & aliorum longa ſeries exemplorum, id demonſtrat. Adeoque & locus Sepulchri Chriſti, illuſtrior exiſtimari debet, quia ibi Chriſti Corpus requievit Sepultum. De illo pronuntiavit Baptiſta Mantuanus in hiſtor. Ædis Lauretanæ: *Auguſtiſſimum Chriſti Sepulchrum, quo nihil ſanctiùs habetur in terra, reliquisque omnibus, quæ ſub cælo ſunt locis.*

Tertia ratio, quia juxta Henricum Spondanum, quævis religio ſeu vera ſeu falſa, inter ſanctiora ſacrorum ſuorum myſteria, habuit Sepulchra; adeo ut inter religioſa loca, ea primò computaret. Et ut habetur in Breviario Romano, die 18. Novembris, in Dedicat. Baſilic. Ss. Petri & Pauli in 2do. Noct. lect. 1. *ex locis ſacris, qui olim apud Chriſtianos venerationem habuerunt, illa celeberrima & frequentiſſima fuerunt, in quibus condita ſanctorum corpora, vel aliquod Martyrum veſtigium, aut monumentum eſſet.* Inter omnium itaque ſanctorum locorum, numeros debet apud Chriſtianos haberi in veneratione, ac celeberrimum ac frequentiſſimum fore S. Sepulchrum, in quo ſancti Sanctorum, Chriſti conditum fuit corpus, Divinitate delibutum, & tanta veſtigia ac Monumenta, Anteſigna-

Commentar. Sacr.

tesignani Martyrum Christi, sangvinis, vulnerum, mortis acerbæ, monstrantur vestigia. Consequenter & Religioni veræ Christianæ incumbit, Sepulchrum sui Salvatoris & Redemptoris inter sanctiora sacrorum locorum mysteria, primum computare.

Quarta ratio; quia Sepulchrum Christi, figurative in pluribus antecedentibus locis præcipuis Christi, fuit præsignatum; nempe in Utero Virginis, in quo Incarnatus fuit Filius Dei. In cunis, in præsepi, in monte Thabor, in navi, in qua dormivit; in terra, in qua inclinatus scribebat; in Cænaculo & cæteris. Unde omnia loca sancta, in sua dignitate, quasi virtualiter & eminenter, prærogativam Sepulchri Christi gerebant.

Quinta ratio; quia ille locus cæteris præferibilior est, in quo quis ad meliorem statum, dignitatem, conditionem, diuturnam felicitatem evehitur, ac extrahitur; quam ille locus, in quo deterioratur, suppliciatur & abjicitur. Loca Christi, conversationis vitæ, socialitatis cum hominibus, fuerunt loca, in quibus suppliciabatur; ut in cunis frigore, in deserto inedia, in Palatiis Regum vilipensus, contemptus; inter turbas hominum, blasphematus; in cruce sitiens & irrisus. Sepulchrum vero fuit talis locus, ex quo Christus incorruptus & immortalis evadens, nihil horum jam unquam passus est; sed agnitus verus Deus Homo in carne impassibili, glorificatus apparuit, ibi à Principibus veneratus.

Sexta ratio; quia ille locus cæteris præponitur, in quo majores adhibitæ sunt gratiæ, ordinata media salutis, & ad quem alia cætera referuntur, fiunt & patrantur sæpissima miracula, frequentior & populosior visitatio Magnatum & Dominorum mundi ac universa plebis. Et quem Christus, ratione meritorum ac Theandricarum suarum actionum, insignivit præstantiori honore; quem summopere Beatissima, Angeli, Apostoli, & tot multi Sancti, peculiari venerati sunt cultu, prosecuti amore. Porro hæc omnia enumerata, conveniunt Sepulchro Christi, plus quàm cæteris locis, ut constat ex dictis. Ergo illud Principale est inter alia. Sic enim habet Cardinalis Humbertus: *In Hierosolymitanis Ecclesiis, quotidie communicant ibi, eò quod conveniunt illuc ex diversis Provinciis Christianis, qui propter fidem & amorem Filii Dei communicare ibi desiderant; quia & locus ipse venerabilior & sanctior, est omni-*

Bibliot. Vet. PP. Tom.. 2. fol. 320.

omnibus locis in omni terra, & ibi est Sepulchrum Sanctum, & honorabile Domini nostri JESU Christi, & Sanctus Calvariæ locus.

Septima demum ratio; quia Ecclesia Resurrectionis Christi Hierosolymis, ex ratione Sepulchri Christi, inter alias primatum tenet. Jacobus de Vitriaco Histor. Hierosol. cap. 61. *In quo loco postea Christiani, ob reverentiam Dominici Sepulchri, artificioso opere, decenti Schemate, formâ rotundâ &c. Dominicæ Resurrectionis Ecclesiam, gloriosam construxerunt, quæ inter sancta & venerabilia loca, non immeritò obtinet Principatum.* Burchardus 1. part. capitul. 7. §. 46. *In civitate sancta Jerusalem, tot existunt loca sacra, quòt dies non sufficit, ut omnia visitentur, inter quæ Sanctissimi Sepulchri Ecclesia, Principatum retinet.* Idem in terminis & Breyndebach de ingressu in Hierusalem, & Sanutus Fidel. Cruc. libr. 3. part 14. cap. 18. *Deinde primò ingrediaris Ecclesiam sancti Sepulchri, quæ inter cuncta mundi sanctuaria, obtinet Principatum.*

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex veneratione sacrarum ejus reliquiarum, in multis Ecclesiis reperibilium.

Gloria hæc est omnibus Sanctis Dei, quod etiam reliquiæ eorum, in Ecclesiis Catholicis publicè exponuntur venerationi. Sit gloria sancti Sepulchri, quòd de eodem sumptæ reliquiæ, & in multis Ecclesiis, Capellis collocatæ, in magna fiunt veneratione, reverentia & cultu. Damnandos esse decrevit sacrum concilium Tridentinum, prout & damnat eos, affirmantes sanctorum reliquiis venerationem atque honorem non deberi; vel eas, aliaque sacra monumenta à fidelibus inutiliter honorari. Dicendum magis ab omnibus Catholicis, JESU Christi Salvatoris nostri, Sancti Sanctorum reliquiis, honorem atque venerationem, omnino deberi. Cogitationes nostræ, etiam in reliquiis Sancti Sepulchri, festum diem agunt Sepulchri Christi gloriæ, quæ ut Divino cultui mancipata, ob gratiam Corporis Christi insidentem, affectu piissimo ac devotione fidelissima, honoranda esse dicimus, ex communi Christianorum sententia, Divique Damasceni: *Res, per quas, & in quibus salutem nostram Deus, post assumptæ carnis consilium executus est, veneramur & colimus;* enumeratis, ulterius locis, subdit:

Session. 25.

Orat. 3. de Imagin.

& Sanctum illud Monumentum, nostræ fontem resurrectionis, & monumenti lapidem, hæc & similia veneror & adoro. Idem libr. 4. Orthodox. Fid. cap 12. de cruce: *Ipsum nimirum pretiosum lignum, verè venerandum, in quo semetipsum hostiam pro nobis Christus obtulit, ut sanctificatum tactu corporis & sangvinis decenter adorandum. Clavique & lancea & indumenta; & sacra ejus tabernacula, quæ sunt præsepe, Spelunca, Golgotha, Crux, vivificum Sepulchrum, Sion Ecclesiarum propugnaculum, & similia, ut ait David:* Introibimus in tabernacula ejus, adorabimus in loco, ubi steterunt pedes ejus. *Quòd autem crucem dicat, ostendit quod sequitur:* Resurge Domine in requiem tuam; *sequitur enim crucem resurrectio. Si enim amatorum desiderabilis domus, & lectus & amictus, multo magis Domini & Salvatoris nostri, per quæ & salvati sumus.* Gloriosissimum igitur dicendum & habendum Sepulchrum Christi, quod est desiderabilis lectus & domus Christi, sacrum ejus tabernaculum, in quo post crucem facta est resurrectio. Ex hoc pariter titulo, quod reliquiæ ejusdem in multis celebres sint Ecclesiis, & pro speciali munere oblatæ, gratô suscipiebantur animô, condigno honorabantur obsequiô. Taliter à pari idque à fortiori S. Hieronymus contra ne-
Epist. 17. ad Marcel. gligentes colere Sepulchrum Christi invehitur: *Si Martyrum ubique sepulchra veneramur, & sanctam favillam oculis, apponentes, si liceat ore etiam contingimus; & Monumentum, in quo Dominus conditus est, quidam existimant negligendum?* & sacra ejus pignora, reliquias nempe non apponemus oculis, quantum nobis licuit ea in multis conspicere Ecclesiis, variorum auctorum inspecta lucubratione, & ore proferendo, non contingemus?

4. Reg. Cap. 19. Cap. 37. Dixerat Angelus Domini ad Ezechiam. *De Jerusalem quippe egredientur reliquiæ.* Isaias prædixit: *De Jerusalem exibunt reliquiæ, & salvatio de monte Sion.* Sophoniæ 1. *Dispertam de loco hoc* (id est Jerusalem) *reliquias.* Zachariæ 4. *Possidere faciam reliquias populi hujus.* Impletum est id in nova Jerusalem, quia ex illa egressæ sunt reliquiæ, nempe præcipuæ Christi, quæ dispertiebantur fidelibus, & multum populum, tales possidere fecerunt reliquias. Hic enim mos antiquus & usitatus erat, ut cum innumeri pene essent, qui Hierosolymam accedebant, qui quasi in singularis doni reportationem, laboris & itineris sui remunerationem, ac testimonium, sanctæ crucis ligni frustulum, vel Sancti Sepulchri parti-

particillam, sive alterius reliquiæ Christi pignus, quantumvis etiam minimum non expeterent. Et nobilium personarum, hæ principales fuerunt donativæ, ac missa munera à Patriarchis, sive Regibus Hierosolymitanis, nempe nobiles reliquiæ Christi de Jerusalem, quæ cæteras omnes reliquias cultu & veneratione antecellebant. Prætermissis aliis, mihi restat agendum, de reliquia Jerusalem S. Sepulchri, quod appellatione reliquiarum venire probat ex hoc textu Isaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum.* In suis lucubrationibus Ecclesiasticis Antonius Ricciulius, Archiepiscopus Consentinus libr. 1. cap. 5. fol. 9. Cujus Sepulchri gloriam, dum ante tot sæcula cecinit Isaias, eo ipso vaticinabatur reliquias Sepulchri Christi de Jerusalem fuisse gloriosas, quæ primò eô exierunt, & salvatio de monte Sion. Ut ergo sanctissimæ Crucis & hinc fulget gloria, quod in suis ubique particulis, cultu debito veneratur; ita & Sepulchrum Christi, ut sit gloriosum post ejus probatam visitationem, exponentur in variis Ecclesiis existentes reliquiæ, quæ non sine pietatis fructu, Hierosolymis acquisitæ vel transmissæ coluntur, & reverenter possidentur.

Et quia Angeli priores percepere merita Christi (inquit Marcellinus de Pise) *ideo primi venerati sunt Christi Sepulchrum, velut reliquias, ex contactu Domini JESU sacras.* Has reliquias venerata est B. Virgo, Apostoli, Discipuli, cæterique plurimi Sancti.

Romæ in Basilica S. Petri in Vaticano, reliquia de terra Sepulchri Christi, & loci, ubi Christus ex Sepulchro resurgens, apparuit Magdalenæ. Bejerlink titulo: *reliquiæ.*

Ibidem in Ecclesia S. Mariæ Majoris, de Sindone & de Sepulchro Domini nostri JESU Christi. Item Romæ in Ecclesia S. Mariæ in Cosmedin, recondita reliquia de S. Sepulchro, ut refert inscriptio in eadem Ecclesia: *Anno quinto Pontificatus Domini Callisti Secundi Papæ, mense Majo, die sexta, dedicatum est hoc altare per manus ipsius, ubi reconditæ sunt hæ reliquiæ: De Sepulchro Domini &c.* Baronius Ann. 1123. num. 4

Ibidem Romæ, Petrus Galacia S. R. E. Cardinalis Portuensis, & S. Rufinæ, in Ædibus Lucinæ & S. Eustachii in Altari S. Laurentii, ab ipso consecrato, reposuit reliquias, de S. Sepulchro; quarum mentionem facit tabula vetusta, hujus tenoris: *Anno Incarnationis Christi 1209. anno verò XI. Pontificatus D. Innocentii Papæ,*

mensis maji die 18. consecratum est istud altare, ad honorem Dei & B. Laurentii Martyris, per manus Domini vener: Portuensis Episcopi; in quo pretiosissimæ reliquiæ reconduntur, scilicet de Sepulchro Domini &c. Ciaconius Tom. 1. fol. 1145. in vitis Cardin. sub Clemen. III.

Ibidem in templo S. Chrysogoni, quod Joannes de Crema S. R. E. Cardinalis, Tituli S. Chrysogoni, à fundamentis restauravit. Est etiam inter alias reliquias, reliquia de Sepulchro Domini. Constat ex inscriptione, quæ legitur in eodem Templo, quam adfert idem Ciaconius, in dicti Cardinalis vita, sub Paschali II. anno 1099. Tom. 1. fol. 920.

Ibidem in Ecclesia S. Laurentii extra Urbem, Canonicorum Regularium S. Salvatoris, est reliquia de lapide S. Sepulchri. Bejerlink, titulo *reliquiæ.*

Ibidem Romæ die 24. Augusti, anno 1491. in Templo B. M. Virginis in via lata, cum altare majus removeretur, repertæ sunt, in Arca porphyretica, notabiles reliquiæ, à Leone IX. Pontifice Max: olim reconditæ; inter alias de terra S. Sepulchri. Bzovius Annal. Eccl. Tom. 18. sub hoc anno, num. 13.

Ibidem in Basilica Lateranensi, extat Sudarium, quo Caput Christi in Sepulchro positum involutum fuit. Pennotus libr. 3. capit. 4. folio 576.

Anno Domini 607. Domitius Patricius, vir clarissimus, promiserat se, auream crucem ad usum supplicationis & adorationis effecturum. Qui cùm artifici aurum dedisset, S. Theodorus Episcopus Sicæorum, misit Epiphanium Diaconum ad illum, ut tantisper moraretur & opus artifex non conficeret. Sanctissimus Patriarcha Thomas, qui post beatæ memoriæ Cyriacum in Pontificiæ regia civitatis sede successerat, S. Theodoro Episcopo, laudata viri gloriosi ejusmodi pietate, dedit etiam, *ipse particulam Sancti Sepulchri Salvatoris nostri Dei &c.* conjiciendas in illam crucem, quæ ex auro conflabatur. Eleusius apud Baronium Tom. 8. anno præfato num. 7.

S. Rayneldis Virgo & Martyr Santhensis, Diœcesis Cameracensis, à locis sacris Hierosolymæ, septennio ibidem evoluto, lustratis, acquisitis pretiosissimis reliquiis, parte videlicet S. Sepulchri, lignique Dominicæ crucis, ac vestis B. Virginis, aliisque multis in patriam revertitur. In vita illius Surius 16. Julii.

S. Petrus

S. Petrus Abbas Cluniacensis in Epist. XLII. ad Patriarcham Hierosolymitanum scribit: *Addimus hoc precibus nostris, & quo possumus nisu deprecamur, quatenus vestram Cluniacensem Ecclesiam, reliquiis Sepulchri Dominici, aliisque quibus vos visum fuerit visitetis, ditetis, honoretis.* Biblioth. Vet. Patr. Tom. 2. p. 2. fol. 77.

Pulcheriam Augustam, fascias illas Christi Domini, quas resurgens reliquit in Monumento, sedulò à fidelibus conservatas, collocasse in Templo Sapientiæ (videlicet Constantinopoli in templo S. Sophiæ) à se constructo, una comparte Tumuli Domini. Nicephorus libr. 14. cap. 2.

Anno Domini 1103. nonis Novembris, cùm S. Stephani Hierosolymis dedicaretur Ecclesia, hæ in eam repositæ sunt reliquiæ, de fasciis Christi &c. particula lapidis ab ostio Sepulchri Dominici. Chronicon Cassinen. lib. 4. Bejerlink titulo: reliquiæ.

Religiosus quidam Maurus, penes actualem visitationem Sepulchri Christi Hierosolymis, tabulam marmoream conspiciens, in ipso fundo, longam pedes tres, latam unum, lividis maculis conspersam; hanc tollens in quinque partes divisit, & pro Altari portatili, sacrosancto celebrando Eucharistiæ Sacramento, dedicavit & consecrari fecit. Quæ portatilia ex illo lapide à sancto Sepulchro asportato, loco magni muneris supremis Principibus Christianis detulit. Primum scilicet Alexandro VI. Pontifici Maximo. Secundum Bernardino Caravajolo, Sanctæ Crucis in Jerusalem Cardinali, quod in eadem Ecclesia collocavit. Tertium Reginæ Isabellæ. Quartum Emmanueli Lusitaniæ. Quintum Francisco Ximenio, Archiepiscopo Toletano. Fuerat id donum hisce Dominis gratissimum. Archiepiscopus autem ab eo tempore, per annos duodecim, quibus supervixit, nunquam alibi, quàm in ea Ara, Divinâ se Eucharistia refecit, moriens verò Ecclesiæ Toletanæ, dulce amoris monumentum & pignus, inter cætera pretiosa ornamenta, tabulam illam marmoream de Sepulchro Domini legavit. Ciaconius in vita ejusdem Cardinal. Ximenii sub Julio II. fol. 278.

In Civitate Imperiali Coloniæ Agrippinæ, in Collegiata Ecclesia S. Gereonis, asservatur portio de cruce Domini & ejus Sepulchro. Erhardus Winheim Carthusianus in suo sacrario.

Ibidem in Ecclesia S. Cuniberti, septimi Coloniensis Episcopi, extat particula de Sepulchro Christi. Idem.

Carolo Magno Francorum Regi, Patriarcha Hierosolymytanus, reliquias de Sepulchro Domini, per Monachum quendam transmisit. Fuldensis fol. 9.

Gvaloni sive Valoni, Archiepiscopo Parisiensi, & Sedis Apostolicæ Legato, Ansellus, gloriosissimi Sepulchri Prælatus Cantor & Presbyter, misit reliquiam de S. Sepulchro. Patet ex fragmento Epistolæ, quam idem S. Sepulchri Canonicus scribit ad dictum Archiepiscopum. *Nunc verò ad supplendum gaudium vestrum, gloriam & honorem Ecclesiæ vestræ, & Regiæ dignitatis & civitatis vestræ, & vestrum donum maximum & thesaurum incomparabilem, nec inferiorem priore, videlicet crucem unam, de lapide Dominici Sepulchri per Bernardum S. Genevefæ Præcentorem, testimonio virum honestum, vobis devotus transmisi, quam obnixè imploro, ut honorificè, sicut dignum est, habeatis.* In Gallia Christiana Claudius Robertus, Lingoniensis Presbyter, de Præsulibus Parisiensibus folio 104.

Arròásiæ in Francia, Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini, in Ecclesia S. Nicolai, in qua asservatur corpus S. Monicæ, matris S. Augustini, in manuscripto martyrologio, habetur annotatio: *Nonis Martii, anno 1112. allatæ reliquiæ de Sepulchro Domini, de consensu Paschalis Papæ II.* Arnoldus Raysʃius in Hierozoph. Belgico fol. 71.

Martinus Abbas Parisiensis in Alsatia, has reliquas Constantinopoli acquisivit; *de loco Calvariæ, de Sepulchro Domini, de lapide revoluto.* Guntherus in Hist. Urbis Constantinop.

Anno Domini 1453. sacra JESU Christi sindon, in qua ille in Sepulchro involutus, totius corporis imaginem suam sangvine & ungventis ad vivum expressit, cum à Turcis omnia vastarentur; illustris matrona Margaritha carna à Regibus Hierosolymitanis orta, devoto frequenter animo sacra loca, præsertim S. Sepulchrum lustrans, dum migraret ab iis locis, collectis sarcinis, inter quas hanc sacram sindonem reposuerat, in Galliam profecta. Ludovico & Annæ Cypriæ, Ducibus Sabaudiæ illud pignus donavit, tantum donum in marmoreo aris sacello, in perpetuum conservaturi reposuere. Quod sacellum postea Paulus II. in Ecclesiam Collegiatam erexit. Ludovicus Dux ex auro, argento, ære, numismata

ta cudi jussit, in quibus una ex parte Ducis effigies, ex altera parte Angelus in Sepulchro sedens, sindonem pansis ulnis ostentans, repræsentat. Bzovius. Ad quam sepulchralem sindonem fit ingens populi concursus, ac visitatio ejusdem sacri loci, & quotannis summa fidelium devotione Taurini in Vesontia, ipso die S. Paschæ ostenditur tali cæremonia: Inter matutinas preces prodeunt è sacrario tres Canonici, simul canentes: *Quis revolvet nobis lapidem, ab ostio monumenti?* & ad altare majus accedentes, alati pueri, eô amictu redimiti, quó cælestes genii ad Sepulchrum pingi solent, interrogant: *JESUM Nazarenum quæritis?* Canonici respondent: *JESUM Nazarenum!* rursus illi pueri: *Surrexit non est hic.* Deinde Prælatus Cantor ad Priorem è Canonicis: *Dic nobis Maria, quid vidisti in via?* tunc respondet Canonicus ex illis tribus: *Sepulchrum Christi viventis, & gloriam vidi resurgentis.* Mox secundus: *Angelicos testes, Sudorium & vestes*, ostendendo sacrum Sudarium, quod gestabat. Tertius demum: *Surrexit Christus spes mea.* Reliquam prosam continuat Chorus, populo ex post, summè venerante sacram illam sindonem Sepulchralem. Jacobus Chiffletius, de linteis Sepulchralibus, Christi Servatoris pag. 54.

Anno 1208. nonis Aprilis, in optimo vase argenteo deaurato, à Mathilde Regina, quondam Illustrissimi Philippi Frandriæ & Viromandiæ Comitis comparato, recondita in nocte Paschæ, coram omni populo intra Ecclesiam Collegiatam S. Amati Duacensis Civitatis, præter alias, etiam reliquia de S. Sepulchro. Ex Tabula in Thesaurario dictæ Ecclesiæ Attrebatensis Diœcesis. Ibidem Robertus de Gondeliont, attulit de Constantinopoli, reliquam de Sepulchro Domini.

Anno verò 1220. V. Kalend. Aprilis in Vigilia Paschæ, à Roberto tunc Præposito & Capitulo S. Amati, reportata est etiam in novo feretro, reliquia de Sepulchro Domini. Ibidem anno 1251. VI. Nonas Martii, repositæ sunt reliquiæ in stricta & oblonga cassia, simul & de Sepulchro Domini. Bejerlinck in Theatr. Vit. Ssrum titulo reliquiæ. Et Raysfius fol. 41.

In Ecclesia Collegiata S. Petri Oppidi Duacensis, inter reliquias antiquitus in eadem Ecclesia repositas, extat reliquia de S. Sepulchro. Idem Bejerlink fol. 294.

In cænobio S. Autberti, Canonicorum Regularium S. Augustini,

ſtini, recondita eſt reliquia de S. Sepulchro Chriſti, in feretro aurato miro artificio perpolito, Raysſius in Hierophyl. Belg. fol. 81.

In Collegio Anglorum Audomarenſi, Diœceſis Cameracen. magna cum veneratione, in aurea capſula habetur reliquia de Sepulchro Chriſti Domini. Ibidem fol. 160.

In Flinenſi Cænobio Ordinis Ciſtercienſis Monialium, in columbæ argenteæ effigie, recondita eſt reliquia de Sepulchro Domini. Ibidem fol. 215.

Cænobii Gemalacenſis Eccleſia Ordinis S. Benedicti, Nurſiæ in Brabantia, Jonnnes Neopratenſis Archiepiſcopus, Wilhelmo Abbati & Conventui munus pretioſum omni veneratione dignum donavit; nempe reliquias de ligno Domini, de Sepulchro Domini &c. Teſtatur Epiſtola dicti Archiepiſcopi, apud eundem Raysſium fol. 226.

In Lætienſi Cænobio Belgii, Eccleſia Ordinis S. Benedicti in Avenna Hannoniæ oppido, intuitu & rogatu Henrici Imperatoris Romanorum, Theodorus Dei miſericordiâ, ſanctæ civitatis Hieruſalem Patriarcha, Thomæ Lætienſis Eccleſiæ Monacho, contulit ſpectabiles & multas reliquias, inter quas dedit reliquiam de Sepulchro, quô ejus immaculatum corpus à Joſeph & Nicodemo fuit conditum. Idem fol. 277.

In Eccleſia Attrebatenſi Cathedrali, in argentea capſula ad formam Arcæ Moſaicæ, faberrimè comparata, extat reliquia de Sepulchro Domini. Conſtat ex Authographo manuſcriptæ tabulæ. Idem fol. 304.

In Cathedrali Eccleſia (Hannoniæ & Arteſiæ in Thornaco civitate) S. Mariæ, aſſervatur in magno honore, inter plurimas reliquias Salvatoris Domini, reliquia de Sepulchro Domini. Joannes cognatus præfatæ Eccleſiæ Canonicus in ſuo Chronico. Ibidem in feretro magnifico & ſumtuoſo, quod confraternitas Exaltationis S. Crucis ibi erecta, in feſto ejusdem, deferre in proceſſione ſolet, incluſa manet inter celebriores reliquias, reliquia de Sepulchro Chriſti. Idem cognatus.

In Eccleſia Collegiata S. Joannis Baptiſtæ Ultrajecti, ſub Friderico Badenſi, Archiepiſcopo Ultrajectenſi 56. repertæ ſunt reliquiæ in ciſtula, juxta ſchedulas reviſas & lectas, ſub tenore primæ ſchedulæ, erant reliquiæ de Sepulchro & de ſindone Domini. Item

ſub

ſub tenore tertiæ ſchedulæ, pariter reliquiæ præter alias, de Sepulchro Domini, de ſindone Domini. Ita Epiſtola prædicti Friderici, anno Domini 1515. die 18. Junii. Idem Raysſius fol. 260.

Eccleſia Collegiata Walciodorenſis, B. Mariæ, in veneratione magna habet Crucem quandam inauratam, gemmis ac pretioſis lapidibus exornatam, in qua præter pretioſas reliquias, monſtratur egregia pars S. Crucis; item de Sepulchro Domini. Idem fol. 330.

S. Petri inſignis Collegiata Eccleſia Inſulæ, inter præcipua ædis Canonicorum ornamenta, prorſus ea cenſenda, quæ de Sanctiſſima Chriſti cruce fruſta obtinet. Ex iis Crux duplex efformata, id nobile Monumentum tabula exhibet, interius auro tecta, exterius argento, multis ad ornatum & ſplendorem inſertis & collucentibus gemmis, opus donumque Byzantinum creditur. Nummus & tabella græcis characteribus, fidem operi adſtruunt. Tabellæ facies una Chriſtum, in crucem ſuffixum oſtentat: Altera frons eundem ex Sepulchro reſurgentem porrigit. Quæ baſis argentea, continet ſatis magnum fragmentum è Chriſti Sepulchro. Id munus eſt nobilis viri Joannis de Carnii, Decani quondam & Canonici hujus Eccleſiæ. Idem Rayſſius fol. 425.

Juxta Lovanium in Parco, Ordinis Præmonſtratenſis, magno cum pietatis ſenſu, & devotionis affectu, conſervatur reliquia de Sepulchro Domini. Idem fol. 402.

In Eccleſia Salſinienſi, Ordinis Ciſtercienſis ad Sabim prope Namurcum, inter celebres reliquias, eſt reliquia de Sepulchro Domini.

In Hiſpania Oveti, inſignis Eccleſia, Salvatori dedicata, ab Alphonſo Caſto Rege ædificata. Arca è lignis imputribilibus fabricata, habens incluſas reliquias, olim Angelicis manibus ab Hieroſolymis, antequam ea civitas, à Chosroa, Rege Perſarum invaderetur, Carthaginem in Africa, & denuo Hiſpalim, Hiſpali vero Toletum atque hinc Ovetum ad præfatam Eccleſiam translata. Acta ejusdem capituli fidem faciunt. In qua arca plures thecæ auro, argento & ebore formatæ, & ſacris reliquiis refertæ, quarum ſingulis ſchedæ ſuæ affixæ conſpiciebantur, quæ manifeſtam redderent earundem qualitatem & ſanctitatem, quaque veneratione proſequerentur. Inventæ autem fuerunt, inter notabilio-

ra pignora, reliquiæ non exiguæ partis de sindone Domini, qua involutus jacuit in monumento. De Sepulchro Domini. De lapide, quo clausum est Sepulchrum Domini. Bejerlink, titulo, *reliquiæ.*

Andaini in Ardvenna S. Huberti, Ordinis S. Benedicti Ecclesia, veneranda, inter alias reliquias celebres, proponitur reliquia de Sepulchro Christi. Rayssius in Thes. sacr. reliq. fol. 49.

In Ecclesia Cassinensi S. Benedicti, est reliquia de lapide S. Sepulchri. Leo Ostiensis libr. 3. cap. 28. ita habet: *Anno 1203. Benedictus VIII. Papa ex Basilica Lateranensi, plurimas reliquias misit ad Monasterium Cassinense, sunt autem istæ reliquiæ de ligno Domini, de Sangvine Domini, de vestimentis Domini, de lapide S. Sepulchri &c.*

In Pago inter Trajectos & Tungros sito, erat quidam miles, qui ad Sepulchrum Domini ierat, regressus dixit filiæ: Filia ecce hanc nucem, quam juxta Sepulchrum Domini Hierosolymis reperi, tibi pro specialissimo dono dando reservavi. Qua nuce ab ipso devotè accepta, eam in horto Patris sui plantavit, ex qua imago Crucifixi excrevit. Quaresmius Tom. 2. libr 4. cap. 12.

In Basilica Assisiensi, in qua est Corpus S. Francisci, est fragmentum Sepulchri Christi, donatum à Joanna Regina Franciæ. Ludovicus Elbing in relatione ejusdem Basilicæ Polonico idiomate num. 200.

Circa annum Domini 1149. Hildebertus miles fortissimus rediens ab Hierosolymis à Sepulchro Christi, Monasterio Sponheimensi, reliquias multas & insignes contulit, de terra sancta, de Sepulchro Domini, de loco passionis Domini, & cæteras. Trithem. in Chron. fol. 251.

In Ecclesia Schirensi Bavariæ, per Conradum Canonicum S. Resurrectionis, missæ sunt anno 1146. à Patriarcha Hierosolymitano Fulcherio, hæ reliquiæ, quæ in diplomate ejusdem Patriarchæ specificantur, tali contextu: *Quoniam multi fidelium fratres charissimi, per diversas mundi regiones, sacrosancta loca passionis ac resurrectionis Dominicæ, toto cordis affectu desiderant, ac voto se obligant visitare, sed infirmitate vel pondere paupertatis, sive quibuslibet aliis impedimentis oppressi, minimè pervenire possunt; cum communi fratrum consilio, aliqua spe consolationis eis subvenire decrevimus. Collectis itaque sacrosanctorum locorum reliquiis, videlicet de Nativitate ex præse-*

Jacobus Gretser Horti S. Cruc. part. 2.

præsepio Domini de Bethleem; de loco, ubi oblatus est in templo Domini; de loco Gethsemani, ubi captus est; de loco passionis Montis Calvariæ; de glorioso Domini Sepulchro &c. Super hæc de sancta Cruce, Sangvine Christi dedicata, partem addimus, & ad vestram consolationem, per Conradum Canonicum & Filium nostrum latorem & Custodem hujus sanctæ crucis: ejus etiam monitu & rogatu, ad vos eam dirigimus. Quocirca universitati vestræ in Domino consulimus, ut quicunque desiderio compunctus, vel voto obligatus, Dominicum Sepulchrum visitandi, sed infirmitate vel paupertate, aliisque quam pluribus incommodis, ut supra dictum, est impeditus, tam longum tamque periculosum iter, nullo modo perficere possit, super hanc Crucem sanctam, sacrosanctis sanctuariis sanctificatam, Deo sacrificium laudis, secundum modulum suæ facultatis, domum, terram, vel quamlibet possessionem, Deo & suo glorioso sepulchro, delegationem faciat, & altissimo vota sua persolvat, & ex parte Dei, tantum mercedis accipiet, quam si super ipsum Dominicum Sepulchrum delegasset. Et infra: *Nos quoque quantam retributionem Orationum, eleemosynarum, omniumque beneficiorum, quæ in Ecclesia sancti Sepulchri, & ad eam pertinentibus fiunt, à Deo habere speramus, omnibus hanc crucem sanctam venerantibus, & super ipsam Dominico Sepulchro adjutorium conferentibus, ex parte Dei concedimus, & concessam in Domino confirmamus.*

Ex Bohemia sæpe itum Hierosolymam, sed publice omnes eò processisse ter, annis 1149. 1152. 1163. Eoque majorem pietatem fuisse progressam, ut ipsam terram, quam sangvis pro nobis effusus, & Divina Servatoris nostri vestigia signassent, rapere, & in Bohemiam suam, plenis cordibus referre gauderent. Hac terra sancta magnum cæmeterium ad Sedlez impletum est. Idem factum in campo, quem ob eam rem sanctum dixere. Idem etiam Pragæ in parvo illo cæmeterio ad S. Vitum è regione Sepulchri S. Adalberti, qui locus ob sanctitatem illius terræ sanctæ ex variis locis sacris, Passionis & Sepulturæ exportatæ, muris quibusdam conclusus est. Balbinus Syntagm. pag. 82. Apud Joan. Bapt. Sellerium, in Annot. super vitam S. Hrosnatæ.

In Civitate Pisana, ad templum celebre, S. Joannis, est cæmeterium marmoribus septum, longum pedes 487. latum 160. terram advectam Hierosolymis ferunt, etenim Friderico Ænobarbo ad liberandam Palestinam proficiscenti, quinquaginta trire-

mes Pisani subsidio miserant, ut verò flumine mersus Imperator periit, Pisani optimæ prædæ instar, arenam ex sacro solo retulerunt; quæ instrata cæmeterio, causa fuit, ut *Campus sanctus* diceretur, dicaturque hodie etiam. In Mercurio Italico in descriptione Civitatis Pisanæ, Joannis à Pflaumern fol. 424.

Poloniæ, in Urbe Metropolitana Gnesnæ, in editiore colle, qui mons Lechi antiquitus appellatur, inter Ecclesiam Metropolitanam Cathedralem, & inter Collegiatam S. Georgii, est Sacellum ex lateribus coctis forma rotunda, ad instar Capellæ Sancti Sepulchri ædificatum, & consecratum per Celmmam Joannem Laski Archiepiscopum Gnesnensem, & septem Sacerdotibus ad cantandum B. Mariæ Virginis Officium obligatis additum, *Agri Sancti* appellationem, ab incolis obtinuit, eò quod ipsius pavimentum, terrâ sanctâ Hierosolymis ubi Crucifixus & Sepultus Dominus, allata, operâ ejusdem Archiepiscopi fuerit conspersum, ibique ut ordinavit, honorem Sepulturæ accepit, in cujus tumulo hæc legitur inscriptio: *Joannes de Lasko Cancellarius Regni Archiepiscopus Gnesnensis Legationis Natæ auctor, Terram figuli ex Urbe & ab Hierosolymis inducit, quâ cæmeterium hoc conspergit, & urnam glebæ suæ, hoc loco ponit. Moritur tandem anno Domini 1531.* Stephanus Domalewicz in Serie Archiep. Gnesnens. in Vita de Lasko Arch. Gnesnensi.

In eodem Regno, in Ecclesia nostra Miechoviensi, extat reliquia de Ssmo Sepulchro ab Illustrissimo Domino Hyacintho Verdesca DEI & Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Carinolensi Die 10. Mensis Jan. ao. 1741. donata, prout habetur in literis authenticis de tenore tali: *Ex quibus particulam de lapide Sepulchri Domini nostri JESU Christi, quam reverenter repositam & collocatam in parvula theca reliquiariæ ex argento exigua formatæ, ovatæ, cristallis sub utraque parte compacta funiculis sericis, rubri coloris &c.* Item Thomas Severi Patritius & Arcidiaconus Reatinus DEI & Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Trycomiensis, dono dedit Floriano Buydecki Ordinis Nostri Procuratori, protunc Romæ degenti, pro Ecclesia Conventus Miechoviensis, hac in instrumento expressa reliquia: *videlicet particulam ex sacra Petra Sepulchri Domini nostri Jesu Christi prius recognitam à felici memor. Eminentissimi Reverendissimi Domini Cardinalis Alderani Cybi, quam reverenter reposuimus & colloca-*

collocavimus intùs reliquiarium argenteum figuræ ovatæ, à parte anteriori cryſtallo munitum &c. Datum Reatæ 20. Menſis Auguſti anno 1734to. Hæ reliquiæ cum ſuis reliquiariis, & aliis de terra ſancta reliquiis, repoſitæ ſunt in effigie de toto Argentea non exigui ponderis, recens efformata ad normam Ssmi Sepulchri Hieroſolymitani, quæ in Eccleſia eadem Miechovienſi diebus ſolennioribus, publicè exponitur, fidelium venerationi.

In Ruſſia ad Eccleſiam meam Præpoſituralem Prevorſcenſem, procuravi Romæ reliquias de S. Sepulchro, per Clarisſimum Carolum Evangeliſti Advocatum apud Curiam Romanam, in jure Verſatisſimum & Procuratorem Ordinis noſtri cauſarum, qui de obtentis ejusmodi reliquiis de data Romæ anno 1745. Die 17. 9bris taliter ſignificat; ſuis literis. *Quamvis in antecedentibus meis ſcripſeram, quod reliquiæ de S. Sepulchro, non inveniuntur nec authenticantur, quia non quievi adhibere omnes poſſibiles diligentias ubique, certior redditus ſum, quod Pr. Commiſſarius Ordinis S. Franciſci Minoris Obſervantiæ, habet iſtas reliquias de Saxo, & Terra S. Sepulchri, & aliorum ſanctorum locorum terræ ſanctæ, in pluribus capſulis cum ſuis inſcriptionibus, & has reliquias facultatem habet authenticandi, ut publicæ venerationi exponantur. His intellectis non erit mihi difficile invenire medium, ut eas conſequi valeam & jam illas poſtulavi, & repromiſſa eſt traditio. Poſtquam pervenerint ad manus meas, transmittam quam citisſime potero.* Et anno 1747mo de dato 14. 8bris ſcribit: *Reliquias de S. Sepulchro in prima occaſione mittam.* Quas cum recepero, ad ſimilem formam in effigie argentea, efformatâ ad normam ſtructuræ Sepulchri Chriſti, in eadem Eccleſia Prevorſcenſi, collocari curabo.

§. III.

Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex veneratione ipſorum Infidelium & Hæreticorum.

Argumentum gloriam Sepulchri Chriſti probans, ſit & à contrariis. Sepulchrum Chriſti ab omnibus honoratur, idque non ſolum juxta expoſitionem Dionyſii Carthuſiani, quod ex omnibus finibus mundi viſitatur à Chriſtianis quovis ſæculo; ſed etiam, ut in eodem univerſali termino: *ab omnibus*; etiam ipſi Infideles includan-

cludantur. Et sic exponit dicta verba, Hector Pintus Commentar. in Isai. cap. 11. fol. 79. *Potest hic locus Isaiæ sic explicari: Omnes Sepulchrum Christi venerabuntur, quod etiam nunc cognoscimus. Cùm enim Sepulchrum Christi sit in medio hostium sui nominis situm, ab ipsis Turcis excolitur. Et gentes illæ immanitate barbaræ, superbæ & truculentæ, ad illud supplices ac venerantes accedunt.* Josephus Mansi, de gloria Sepulchri super eadem verba Isaiæ dicit. *Imò ipsismet Turcis, in timore & veneratione est.* Oculatus testis Dubliulius, in suo Hodæporico in Prologo ad Lectorem: *Sepulchrum ejus, ex quo resurgens victor ascendit, jam Evangelio coruscante, non solum apud Christianos, verum etiam apud eorum hostes, Turcas, Mauros, Saracenos, qui locum illum maximè venerantur, gloriosum sit.*

Bernard. Vapovius in fragm. Hist. Pol. fol. 568.

Selimus Bajazetes Turcarum Imperator, debellatis Sultanis Syriæ & Ægypti, Hierosolymæ immoratus, Sepulchrum Christi, cæli terræque Regis invisit (alias Ecclesiam, cum ad ipsum intimum Sepulchrum Paganos arcet Divina vis, ac sanctitas loci ab ejus ingressu) & murum quo Sepulchrum Dominicum, à Mamalachis claudebatur, demoliri fecit, & Christi cultoribus illud adeundi facultatem liberam concessit; quantam hic etiam barbarus, erga locum illum testatus est observantiam? De eodem Gvillelmus Rosæus de Justa Reipubl. Christi authoritate, testatur, quod Sepulchrum Christi, beneficentiâ magna prosecutus, in eo & ipse oravit, & veterem majorum suorum consvetudinem renovavit, præcipiens, ne Christianis Sacerdotibus, illud custodientibus, ulla à quovis injuria inferretur. Pariter & Solimanus Princeps Turcorum, Templum Dominici Sepulchri, cum omni habitu religionis, Gentilis introivit, omnia pacificè perlustrans, & nullum Christianorum, à fide & ordine sui ritûs avertens. Julius Bulingus Histor. suæ libr. 5. adfert, quod Amurates Turcarum Imperator, pro Imperii auspiciis, duodecim lampades aureas Hierosolymas, honestando Domini Sepulchro misit: quis inde non inferet illius, reverentiam erga S. Sepulchrum?

Fol. 368.

Albert. Aquens. Hist. Hieros. lib. 6. cap. 32.

Mustapha quidam Illyricus genere, in disputatione cum Ernesto fatetur his verbis: *Nos quoque Sepulchrum Christi, Hierosolymis venerari solemus, in eoque divinum quid credimus.* Dubliulius fol. 52.

Præterea

Præterea Sepulchri Christi, major censetur esse gloria, quod Turcarum ipse Imperator, veluti supremum sibi titulum vendicet, quod sit Sepulchri Dominici custos; sic ad Rudolphum Cæsarem scribens, hunc titulum ponit: *Solus custos, Dominus & Defensor Monumenti, seu fossæ tui crucifixi Dei.* Ad Joannem Regem Hungariæ, Sultanus Solymanus: *Dominus Hierosolymæ & Sepulchri Dei.* Quamvis abusiva usurpatione; Rex enim Christianus, Hierosolymorum locorum venerabilium, Dominicæ Passionis & Resurrectionis, Defensor & Advocatus proprié dicitur apud Tyrium; Patriarcha verò, custos Sepulchri, ut in Gest. Francor. Libr. 20. part. 1. ad finem.

Lutherani Dominico Sepulchro, aliquid reverentiæ & honoris tribuendum censent, ex hoc ipso; quia multi ex ipsis susceperunt iter ad S. Sepulchrum; constat ex eorum editis Itinerariis, & superius dictis fol. Rauwolfius Medicus Lutheranus sive Calvinianus in suo Hoedeporde seipsó testatur, quod cum obiret montem Calvariæ & locum Sepulturæ, victricis Resurrectionis, senserit multas affectiones sibi suboriri, per quas ipsi visa erat humilitas Christi; obedientia Patri cælesti, usque ad mortem crucis; paupertas, reparatio peccatorum, liberatio à culpa & pœna: refert Gretserus libr. 1. de Sacr. Peregr. Si hæc expertus Lutheranus, quid corda Christianorum, Ecclesiæ Romanæ imbuta fide, majora incentiva amoris & dilectionis Christi non experientur? quæ ex pietate sanctoque fine ac motivo, eo progredi solent? Imó & ad præsens diversarum gentium homines, Abassyni, Maronitæ, Æthiopes, Syri, Indi &c. ad Sepulchrum varia sua habent sacella, in quibus Deum laudant, & dum reseratur Ecclesia S. Sepulchri, contendunt clandestinè ingredi, ut saltem obiter possent S. Sepulchrum osculari. Quibus autem sors hæc non obtingit, egredientium Catholicorum, quorum Sepulchrum hoc sanctum est, vestes attrectant & exosculantur, quæ sacrum illum tetigerunt locum, per quem attactum, produnt suam devotionem, ac erga illum locum magnam affectionem. Ut quia à Judæis fuerat affixus supplicio, à Gentilibus veneraretur obsequio in Sepulchro. Talis enim in illis Christianis, qui etiamsi Schismatici sint, devotionis fervor est, quod honore condigno (non adinstar Hæreticorum) sancta loca, & præsertim Dominicum Sepulchrum venerentur. Idem personalis testis, Illustrissimus Regni Nostri Princeps Raziwil Vide Prophetiam Zachar. Text. 5.

in

in ſua Peregrinat. teſtatur. Imò Hæreticos, nullatenus eſſe Chriſtianos, baptismique Sacramento initiatos, aſſerunt nationes illæ, quæ ad S. Sepulchrum particularia ſua habent ſacella, quandoquidem ad illud, nullum ſuum habent altare, ſacellum vel capellam contiguam; cum locum illum cuilibet Chriſtiano, cujuscunque profeſſionis ſit, venerari ſtabiliter ac continuè conveniat. Idem Regni noſtri ad ſanctum Monumentum Princeps Peregrinus fol. 109. refert. Si ergo Schismatici, aliquem pietatis perceperunt ſenſum, ac ſentiunt ad Sepulchrum Chriſti, multò major fuerat & eſſe debet Chriſtianorum fidelium, ad hunc locum pietas & reſpectus.

CAPUT VII.

Sepulchrum Chriſti glorioſum demonſtratur, ex miraculis, & expeditionibus bellicis, pro illo recuperando decretis; ex muneribus & donis ad illud oblatis.

§. I.

Sepulchrum Chriſti glorioſum ex miraculis.

Illud admirabile fuiſſe dicit Joannes Ferus cap. 19. fol. 584. *Nihilominus in hunc usqne diem, manet Sepulchrum ejus tam honorabile, ut non Chriſtiani tantùm, ſed multi etiam Gentiles admirationis gratiâ, è longinquis terris ad ipſum videndum, Hieroſolymam petant.* Georgius Wicellius ſuper Evang. in Feſt. Paſch. fol. 331. *Vacuum hoc buſtum, dignum admiratione, & veneratione omni. Inde Judæis, inde Ethnicis inſultare poſſumus, ipſique triumphato hoſti diabolo: inde gloriandi, inde exultandi rationem ſumimus, hinc mendaces, mendacii convincimus, hinc fidei ſacræ fundamenta jacimus.* Quantæ prærogativæ Sepulchri Chriſti! Quod Iſaias dum prædixit glorioſum, fuiſſe ex eo tale dixit, quia mirabile. *In tantum namque*

que (inquit Haymo Episcopus, homil. in die S. Pasch. fol. 259.) *Sepulchrum Domini mirabile factum est, ut etiam prophetia Isaiæ, juxta literam impleretur, dicentis:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Multique Expositores textûs hujus Isaiæ, sive ex themate hoc, Encomiastæ Sepulchri Christi, dicunt fuisse gloriosum; quia ibi multa facta sunt, & fiunt miracula. Ita Cornelius à Lapide in Isaiam Prophetam. Paciuchellus in Joan. Lect. 32. §. 7. num. 25. *Gloriosum etiam Sepulchrum, propter prodigia & miracula, quorum plurima conspecta sunt.* Jacobus Marchantius, Decanus Conviniensis, Tract. 3. de fide lect. 22. pag. 152. *Hoc etiam notandum, Sepulchrum Christi, gloriosum dici; quia ibi multa facta sunt & fiunt miracula; peccatores convertuntur, dæmones fugantur, morbi curantur.* Josephus Mansi Congr. Oratorii, in Discurs. Exegeticis, Tom. I. Discurs. 6. de gloria Sepulchri Christi, eam amplificans ex themate Isaiæ dicit: *Gloriosum propter continua miracula, quæ per tot annorum centurias, in eo loco patrata fuere, qualia sunt, insignes peccatorum, in peccatis habituatorum, conversiones; energumenorum liberationes, cunctaque alia stupenda Miracula, quæ unquam ab Omnipotentia Divina, patrata fuisse noscuntur.* Quid enim hoc loco, non magnum est & admirandum? *Cuncta Sepulchrali cedant miracula terræ. Hic latuit, quidquid majus in orbe fuit.* Si enim Sepulchra Servorum Christi, Discipulorum, Martyrum, aliorumque Sanctorum, ex eo sunt gloriosa, quia multa ad illa patrantur miracula, quomodo & Sepulchrum Christi, ex tali fonte, non sortietur gloriam? vel quis dicere poterit, ad illud non fieri miracula, si ad præfata fiunt? Cum Deus in majori honore haberi velit Sepulchrum suum, præ cunctis aliis. Aut quod sanctorum concessit tumulis, id suo adimere arbitrabitur? & quas aliis impertit gratias, has suo non communicabit? Hinc D. Chrysostomus in Matth. *Unde & Miracula facta sunt talia circa Sepulchrum, ut & ipsi milites, qui Custodes advenerunt, testes fierent, si vellent vera nuntiare.*

Primum itaque miraculum Tumuli Salvatoris, fuit incorruptibilitas Corporis Christi, quod illatum mortuum, surrexit vivum, venustissimum & pulcherrimum, in quatuor donis gloriosis. *Hic mutatus est mundi ordo, & fuit naturalis cursus, in admirabilem modum conversus, in mortuorum sepulchro, fuit sepulta ipsa vita. Domus*

mus mortis, fuit tunc domus vitæ; inquit Hector Pintus, in cap. 25. Isaiæ, fol. 140. Adeoque hæc præter naturam facta sunt in Tumulo, mortua vita vixit, mors mansit, absque vita sepulta, quod recenset & Gilibertus in Elencho altero, dicens: *In Sepulchro Christi, novum apparet stupendumque miraculum, domus mortis, mansio fit vitalis.* Et dum in aliis Sepulchris tumulantur emortua corpora, paratur & corpori funus, in Sepulchro Christi mors ipsa tumulatur: canitur in hymno Dom. in Albis: *Et suo mortem, Sepulchro funerat.*

Secundum miraculum, resurrectio Corporis Christi, intactô simul sigillô, & compenetratio Corporis per lapidem Sepulchri. Docetur enim communiter à Philosophis, quod duo corpora, habentia diversas & distinctas quantitates, nequeant secum compenetrari naturaliter. Et sicut miraculosa fuit Christi Nativitas, clausô uterô, aditus ad Discipulos, januìs clausìs; ita resurrectio corporis, clausô Sepulchro & obsigillatô. Id S. Sophronius Hierosolymitanus, in Epistola ad Honorium scribit: *Supra naturam sunt, ex mortuis triduana resurrectio, custoditi signaculi lapidis, & Sepulchri coërcibilis exitus.*

Tertium miraculum, descensus Angeli de cælo, & sessio illius in monumento, ac revolutio ab eodem lapidis Sepulchri; terræ motus subitaneus, ac improvisus, non ex causis naturalibus procedens, sed à Deo repentinè, præter ordinem causatus, ad deterrendos, & ablegandos à Monumento custodes, ut tali relicto præsidio militum, Discipuli & mulieres, haberent libertatem adeundi Sepulchrum; Theophylactus apud Glossam in Joan. cap. 20. Vel juxta D. Joannem Chrysostomum in catena, ut exurgerent & evigilarent mulieres, ad visitandum monumentum; adeoque hoc extraordinario motu excitantur, ut properent, Monumento se inclinaturi, post abscessum corporis. Hæc autem omnia fuerunt extraordinaria, & contra consvetudinem naturæ.

Quartum miraculum, vetus & insigne, quod quôlibet annô ignis cælestis, ad Sepulchrum Domini in Vigilia Paschæ, nutu Divino in extinctis lampadibus, accendi solebat. Hoc autem fiebat taliter: A summo mane illius vigiliæ, supplicationi & orationi omnes, quicunque ad illum locum S. Resurrectionis habitabant, insistebant, ut Deus mittat de cælo lumen illud. Unde tàm Pa-

triarcha ſacris Pontificalibus veſtibus indutus, Canonici Sanctiſſimi Sepulchri Rochetis, totusque Clerus; quàm Rex pro more Regio coronatus, Duces, aliique Proceres & plebs cum magno comitatu, ad Eccleſiam Reſurrectionis conveniebant. Canonici Officium inceptum decantabant, Lectiones & Tractus diurnos, Græcis pariter, Syris, Armenis & aliis quibuscunque ſuarum lingvarum idiomatibus, preces ad Deum fundentibus, usque ad horam ſextam. Interim, ut refert Gvibertus Abbas libr. 7. cap. 37. in urbe Hieroſolyma, Pagani circuibant univerſorum ædes, ſingularum focos usque ad favillam extingventes, quod faciebant ea indagine, ut fidem fidelium probarent. Adveniente autem hora, quâ catholica plebs, ſolenni ritui baptiſmi intereſſe ſolet, ut ſibi reſurrectionis ſolennia gratuletur, hoc eſt horâ illâ ſextâ, in qua dignabatur Dominus flammam ad locum S. Sepulchri mittere, extinctis prorſus omnibus luminibus lampadum. Patriarcha in omni ſuo apparatu, cum ſuis Canonicis, Rex cum aſſiſtentibus Principibus, poſt longam orationem, procedunt ad locum Sepulchri, & cantatur voce ſonora tribus vicibus: Kyrie eleyſon; reſpondentibus & repetentibus eadem verba miniſtris populoque. Cum autem ventum eſt ad tertiam repetitionem: Kyrie eleyſon, Patriarcha acceptis claviculis, reſerat oſtiolum S. Sepulchri. Interim Gentiles ſub hoc tempus, evaginatis mucronibus, circumdabant Baſilicam S. Sepulchri ab extra, etiam minantes mortem noſtris, ni impetrent ut refert idem Gvibertus loco adducto. Aperto Sepulchri oſtiolo, introgreditur illud ipſe Patriarcha, ſive alius Prælatus, qui ſanctior apud eos reputabatur, & ante ipſum ſacroſanctum Sepulchrum, ſupplex proſtratus, poſcit omnipotentem Deum, ut ignem illum olim conſvetum, deſuper emittere dignetur. Si itaque ſit placitum voluntati Divinæ, ad corroborandam fidem Reſurrectionis Dominicæ; ſtatim de cælo, in lampade olei, in Sepulchro Domini repoſita, flamma in Monumento ſuſcitatur, ad incendendum hac nocte Paſchalem cereum, quem adſtantes per feneſtrulas turriculæ, ſive ab ipſo oſtiolo rutilare, videntes nimium exultant. Et ſolet accidere, quod etiam non una, ſed plures extinctæ lampades, in Monumento Chriſti, divinitus accendantur, non admoto alio, ab agente creato lumine. Patriarcha verò ſive Prælatus, qui ad lumen accipiendum perrexerat, accensô

 cereô

cereô uno, foras revertitur: primò Regi, deinde Diacono & Subdiacono, cum lætitia Spiritûs, iſtud lumen ſacrum tradens, minoris ordinis miniſtri, idem lumen porrigunt populo, cum gaudio. Unde per unum fere ſpatium, plura millia cereorum, in Eccleſia S. Sepulchri, uni alterivè, ab accenſo in manu ſua cereo miniſtrante, accenduntur. Patriarcha cum Clero, Rege & populo, procedunt omnes cum luminaribus, circa Dominicum Sepulchrum proceſſionaliter, quo devotiſſimè deoſculato, & ter circumdato, procedunt ad majorem miſſam cum gaudio, gratias agentes Patri luminum & Filio lucis, & Spiritui Sancto, qui in lingvis igneis deſcendit. Statim verò in tota civitate, laus jucunda Dei perſonat, populus plaudit manibus, de tanto exultans miraculo, & de foris aſſumpto igne, in lapideis foci accenduntur, ignisque ſanctus ubique ſplendet, cum ingenti Deo gratiarum actione. Miſſaque à Latinis celebrata, inter miſſam Syriorum, qui poſt egreſſum Latinorum, pſallere choro ſolent, lampades aliæ divinitùs accenduntur. Ante veſperas verò, & inter ipſas veſpertinas laudes, usque ad ſexdecim hujusmodi lumina, viſibiliter ampliantur miraculosè. Sicque contingit ut pauci intra Hieruſalem, ſive Chriſtiani ſive Pagani reperiantur, qui tam evidentem Chriſti potentiam, ſe vidiſſe non teſtentur. Refert Gvibertus Abbas, ex relatione Perſonæ cujusdam ſenilis, quæ huic ſpectaculo præſens aderat, quod dum dolo cujusdam Gentilis, ex lichno ſublatum eſt elichnium, ferrumque nonniſi remanſit inærte, cælitùs labente miraculo, ex ferro lumen emerſit.

Si verò non contingat, illo tempore accendi ignem ſacrum miraculosè, exigentibus peccatis, uti accidit anno ſecundo Regni Hieroſolymitani, Baldvini II. ſub Patriarcha Fulcherio, ſeu Damberto, quod antea non contingebat, Prælatus ex Canonicis S. Sepulchri introgreſſus, ſi nondum accenſas lampades invenerit, revertitur ad Patriarcham, Regem, Clerum & populum, alta clamans voce: *Nondum in lumine, viſitavit nos Dominus Deus è cælo.* Tum procidentes ante Dominicum Sepulchrum, vel proceſſionem inſtituentes, Clerus, Rex, Proceres ſui & populus, pedibus nudis, ad Templum Salomonis, auget preces populus, & ululatus multus, ut Dominus eos, uti conſveverat, viſitaret. Aucta verò oratione, & accenſo lumine, laudes Omnipotenti Deo, de tanto miraculo, ad Sanctum Sepulchrum offerebant. Ad

Ad hoc videndum miraculum magna multitudo hominum confluebat; unde anno secundo Regni Baldvini II. teste Aquensi, quidam Peregrini, circiter septingenti, qui adorato Domino JESU ante Sepulchrum ejus venerabile, & viso miraculo ignis cælitùs accensi, in gaudio ab Hierusalem recesserunt.

Sic Odolricus Aurelianorum Præsul, illuc perrexit cum cæteris ad videndum hocce miraculum; sub cujus temporibus, hoc accidit prodigium aliud; illo enim tempore & horâ, quâ ignis hic mirâ Dei potentiâ adveniebat, unus Saracenus impudentissimus, ex plurima illorum multitudine, quæ annuatim semper, unà cum Christianis, huic miraculo, à longe videndo adesse solet, exclamavit, ut Christianis mos est: Kyrie eleyson! & cavillanter cachinnum emisit, petulanter verò & irrisoriè, de manu cujusdam Christiani cereum arripuit; qui illicò, arreptus fuit à dæmonio, turpiter nimium vexari cœpit; Christianus cereum ei vix è manibus erupuit, post acerbas torturas suas à dæmone, inter manus Saracenorum expiravit. Quod factum omnibus immisit terrorem, præsertim Saracenis; Christianis tamen gaudium & exultationem præbuit. Præfatus verò Episcopus, unam lampadem simul cum oleo, à Jordano, qui tunc præerat Patriarcha, acquisivit, ac secum detulit, atque in sede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Refert Rudolphus Glabrus, histor. libr. 4. cap. 6. fol. 47.

Anno 1101. Herimannus sive Othmarus Presbyter, qui tunc in mente Oliveti conversabatur, in hæc verba refert: *Die* (inquit) *Sacratissimi Sabbati, quô secundùm antiquæ misericordiæ Domini morem, baptismate jam consecrato, lumen de cælo nobis ministrari, devoti nimis expectabamus usque ad vesperam, orationibus solitis institimus; tuncque propter peccata nostra, desiderato dono cælesti, quod etiam in conspectu olim Gentium, Christiani ante nos, semper suscipere solebant, omnimodo frustrati, absque omni festivæ Synaxis officio, noctem illam Dominicæ Resurrectionis, lugendo tantùm & mœrendo transegimus. Summo autem mane cum litaniis, à Sepulchro Domini nudi pedes processimus. Ingressique ante Templum Domini &c. mox per preces & lachrymas, concrepantia signa, laudes altisonas, ab his, qui remanserunt, audivimus. Intrantes vero Ecclesiam Resurrectionis, lampades, duas cælitùs incensas, immensô gaudiô repleti conspeximus.* Multique

Urspergen. in Chronic. fol. 254.

que alii teſtes oculati, hocce miraculum ſe conſpexiſſe fatentur, ad quod intuendum conſultò advenerant. Habetur in Codice Bavarico manuſcript.

E Pazziorum familia, lectiſſimus quidam miles, ſacrum ignem in Patriam cùm attuliſſet, in templo S. Blaſii, ut pulcherrimum monumentum, ad ſuam æternitati conſervandam gloriam, collocavit, ſolennique pompa traduxit. Hactenus Pazziorum familia, annìs ſingulìs, Sabbathô Sanctô, concinentibûs triumphum Chriſti Sacerdotibûs, novum ignem attrito eo lapide Hieroſolymitano, qui vulgò ignis ſacer dicitur, religiosè accendit, eumque in Metropolitanam Ædem, ſolenni ritu adducit. Cujus facti meminit Villanus, & Varinus. Ughellus in Italia Sacr. Tom. 8. fol. 113.

Harpsfeldius in hiſtòr. Anglic. ſæculo XII. cap. 10. teſtatur, quod illis temporibus, cum Godefridus terram ſanctam occupabat, adveniente Paſchate, fuit Hieroſolymis ad illud Paſcha Saladinus, cupidus videndi, ſi verum eſſet, quod ab aliis frequens audierat, annuatim illo tempore lampades, ad ſacrum Dei Sepulchrum, divinitùs igne immiſſo, ſine humana opera accendi, præſensque veriſſimum eſſe comperit, quod auditione priùs acceperat. Qua in re, cum ab aliquo veteratore fallaciam callide intendi, & præſtigiis quibusdam illuſum ſibi crederet, ter lampades extingvi præcepit. Quas mox repetito cælitùs igne, clarè emicare conſpiciens, magna admiratione perculſus eſt.

Marcus Paulus Venetus de regionibus Orientalibus lib. 1. cap. 4. ſcribit, quod anno Domini 1271. Tartarorum Imperator Cublai, rogabat Latinos, ut nonnihil de oleo lampadis, quæ juxta Dominicum Sepulchrum Hieroſolymis ardebat, ex igne cælitùs accenſo, ſibi in reditu deferrent, credens ſibi illud non parum profuturum, ſi Chriſtus mundi eſſet Salvator.

Tale miraculum quando cœperit, Wilhelmus Malmesburienſis dicit: nullius hiſtoriæ cognitione diſcerni poſſe. Gvibertus Abbas, loco ſupra adducto, dicit ignorari. Stephanus vero Raguſinus, Stagni Epiſcopus, de perenni cultu Terræ S. ſic ait: *Dico ad ædificationem fidelium, quod à quingentis annis citra, ab ipſo principio naſcentis Eccleſiæ, deſcendebat mane, circa horam ſextam, flamma de cælo, & accendebat lampadem unam, vel plures in Dominico Sepulchro.* Ad cujus ſenſum citatus Malmesburienſis, fatetur ſe legiſſe in

De Reb. An-

quo-

quodam scripto Bernardi Monachi, quòd anno Incarnationis 870. idem profectus sit Hierosolymam, ut ignem illum videret, adeoque & post tempora Constantini Imperatoris, idem durasse miraculum. Similiter & sub Godefrido, aliisque Regibus, non secus, ac tum etiam, quando in manibus Saracenorum & Turcarum existebat S. Sepulchrum. S. Petrus enim, Abbas Cluniacensis, libr. 2. contr. Judæos nimium invehitur, ac illos urget de tali miraculo, ex testimonio ipsorum Saracenorum, talibus verbis: *Audi sublime Miraculum Sepulchri Christi. Non poteris de isto dicere: hoc confinxisse Christianos, cùm habeat testes ipsos, & Ethnicos & Saracenos. Nullus enim ferè uspiam est, in toto orbe terrarum Christianus, nullus Ethnicus, nullus Paganus, quem istud lateat, qui istud ignorare, aliqua locorum remotione, quamvis longissima, possit. Visitat misso de cælis, annuo lumine Christus Sepulchrum suum, & non qualibet alia, sed eâ, qua in ipso jacuit die, superno illud fulgore illustrat. Ostendit de tenebris spelæi sui, lumen mundo infulsisse æternum. Occupabant ante hos, quinquaginta annos, hostes Christi, cum ipsa Divina & Regia Hierusalem, Templum & Sepulchrum Christi, & ei principatu nefario dominabantur. Excubabant eidem Sepulchro Domini pauci Orientalium Gentium Christiani, & raris Occidentibus admistis, amore Salvatoris, durissimum jugum patienter ferendo, salutari specui serviebant. Instabat sacratissimo loco, Saracenorum illorum violenta custodia, & non solùm ab obsequentibus, sed ab venientibus, multo cum labore peregrinis, ac ferventi ad Sepulchrum Salvatoris sui desiderio tractis, perfidorum immanitas, tormentis ac verberibus, quod poterat emungebat. Non cessabat & tunc lux cælestis, in tenebris impiorum lucere, & de supernis, & igne visibili refulgente in terris, Sabbato Sancto, Paschalem Resurrectionis Dominicam præcedente, Salvatoris irradiabat Sepulchrum. Tenebant Persicos arcus Ægyptii, & vel ludo, vel serio Angelum* (ut dicebant) *divini ignis bajulum, jactis Æthiopes sagittis, transfigere minabantur. In tantum certe incredulorum animos, tanta evidentia, tam sublimis miraculi evincebat; ut quod negare non poterant, licet nefandis ausibus affirmarent. Si negaveris ergo Judae, quod de hoc tanto miraculo fatentur Christiani, nunquid negare poteris, quod inde confirmant totius Orientis, vel meridiei Ethnici ac Saraceni? quando locum illum in quo quondam mortuus jacuit agnus ille, qui semetipsum obtulit immaculatum Deo, tantis ignis divini miraculis, annuo recursu hono-*

gl. lib. 4. fol. 140. n. 40.

Biblioth. Vet. P. P. Tom. 12. p. 2. fol. 186

honorat. Hucusque Petrus, qui hîc multas continet Sepulchri laudes, miraculumque hoc extollit, quod ejus fidem dant & ipsi Saraceni; adeoque & illorum fuisse tempore. Quomodo enim ab illis peteret hic doctus vir argumentum, contra Judæos, si temporibus Turcarum illud non fieret? Similiter & Machometanos, ad fidem Christianam, eodem anniversariô miraculô, inducere conatur; & Joannes Cantacusenus Apolog. 3. norunt enim illud fuisse & Turcæ; adeoque contradicere non possunt; imò ipso Musulmanorum Principe spectante, interea temporis ibi commoratur, lumen de cælo delabi, quod lampades, quæ Christi Sepulchro adstant, incendit. Idem testatur, in sua illa oratione, ad viam S. Sepulchri, potenter excitativa Urbanus II. *Neque siquidem* (id est Sepulturæ loco) *Deus adhuc annuum prætermisit facere miraculum. Cum in diebus passionis suæ, extinctis omnibus, & in Sepulchro, & in Ecclesia circum circa luminibus, jubare divino, lampades extinctæ reaccenduntur.*

Quamvis autem teste R. P Thoma Mlodzianowski Societ. JESU Theologo, Sepulchri Christi oculato veneratore, hoc miraculum multis ab annis cessaverit; tamen Orientales Hæresiarchæ, teste Bonifacio Ragusino, Stagni Episcopo, de cultu terræ sanctæ, svadere conantur suis populis, quod idem ille ignis, qui antiquitus descendebat, nunc etiam descendit, dum eadem ipsa die, & hora, procurant excussum è silice ignem, & repræsentant populo, licet falsò, pro flamma cæli, svadentque quod de cælo descendit, quamvis nonnisi è silice sit eductus. Et Græcos eo venire fine, ut habeant ignem, quem miraculosum putant, quamvis nonnisi eludantur, ab his qui ad Sepulchrum resident, Schismaticis. Ecclesia tamen Catholica, annuè repræsentat hoc miraculum, dum ex dicta occasione, extinctis luminaribus, benedicit in Sabbatho sancto ignem. Amalarius Fortunatus, Episcopus Trevirensis. *Propter Sacramentum Dominicæ Sepulturæ & resurrectionis Dominicæ, novus ignis exurgit, qui illuminet totam Ecclesiam.* Cujus miraculi veritas, confirmatur verissima hac consvetudine S. Romanæ Ecclesiæ.

De Offic. Ecclesf. de ext. lum. cap. 44.

Miraculosum hoc lumen cæli, Sepulchro Christi illapsum, clarè testabatur omnibus Infidelibus & fidelibus, locum illum esse Christi, veri Dei, Filii, qui est lumen de lumine, illuminans omnem hominem in hunc mundum. Tum Sepulchrum Christi esse cami-

caminum ignis ardentis, juxta illud Isaiæ 31. v. 9. *Vivit Dominus, cujus ignis in Sion, & Caminus in Jerusalem*, nimio ad illud venerandum, æstuandum est amore, ad quem venientium accenduntur & inflammantur corda, & quod efficacius interdum ad devotionis studium, ibi mentes humanæ excitantur. Tum quod illo igne probabatur, acceptatio Divina, sicut olim in veteri lege, per descensum ignis cælestis comburentis victimas, ita sacrificia laudis, & alia venerantium holocausta, ad illum locum, esse grata Deo. Tum juxta Bellarminum, lumen est signum honoris; item juxta eundem, est signum gloriæ, vitæ; promicans ex Sepulchro ignis, nota fuit ejusdem specialis honoris & gloriæ, qui accendit pyram triumphalem, ad ejus illustrandum splendorem. Fuit signum vitæ Christi ex illo, & summæ lætitiæ Resurrectionis. Sepulchrum Christi, sedes flammæ cælestis. Et qui Sepulchrum visitant, consortium divini ignis exoptant. Concalet cor, intra penetralia pectoris, crebra meditatione Christi mortis, ac Sepulturæ. De piis visitatoribus Sepulchri Christi & amatoribus, pronuntiandum est id: *Factus est in corde meo ignis exæstuans, claususque in ossibus meis, & defeci, ferre non sustinens.* Tanti amoris divini ex illo loco, vide exempla in Catalogo Sanctorum supra.

Tom. 2. libr. 2. fol. 937.

Jerem. 20. v. 9.

Quintum miraculum, conversio multorum Infidelium, Hæreticorum, peccatorum, ad Sepulchrum. Constat id ex multis exemplis, adductis supra, in Catalogo visitantium S. Sepulchrum; quia non alio fine, eò proficisci solent peccatores, nisi spe veniæ obtinendæ, suæ conversionis. In sua peregrinatione ad S. Sepulchrum, taliter scribit hic ipse, cujus nomen citatur: *Ego Bernardus de Breyndebach, Insignis Metropolitanæ Ecclesiæ Moguntinæ, tunc quidem Camerarius, nunc verò etiam Decanus immeritus, fateor necesse est (quod cæterorum exemplum fiam) posteaquam diu, proh dolor! lasciviori ætate, respexi in vanitates, & insanias falsas, tandem desuper, quasi de gravi somno expergefactus, cogitare cæpi vias meas, & convertere pedes meos in testimonia Domini &c.* Itaque *cætera inter multa, quæ mecum ipse reputabam, æstimabamque efficaciùs ad vitæ conducere emendam, id potissimum mihi in mentem venit, visumque est bonum, eam ipsam, de qua prædixi, salutarem peregrinationem, magno fortique animo subire, piô invisendi Dominici Sepulchri, cæterorumque Sanctorum, conspiciendorum locorum, desideriô vehementer affectus*

In Intent. explicationis Peregr. ad S. Sepulchr.

 fectus

fectus. Simile motivum ſuæ peregrinationis deſcribit Illuſtriſſimus Princeps Radziwil, in ſua Peregrinatione fol. 5. Refert etiam Joannes Cottovicus, in ſuo Hieroſolymitano Itinerario, quod Sanctiſſimum Sepulchrum quisquis accedit, etiamſi ferreus & adamantinus ſit, irrigatur lachrymis, atque imo pectore profunda trahit ſuſpiria; adeoque ſe totum Chriſto devovens, abnegat ſemetipſum, & abjectis vitiis; & mundi illecebris, ſequi mavult Chriſtum, & pro nomine ejus graviſſima pati, quàm mundanis deliciis diffluere. Hoc ergo eſt miraculum Sancti Sepulchri, quod quam maximi ſint in vitiis peccatores, ad illam Petram ſcindunt corda ſua, & recedunt à via ſua peſſima.

Sextum miraculum, dæmonum rugitus, ac expulſiones ab obſeſſis corporibus; de quibus ſcribit S. Hieronymus, in Epiſtola ad Euſtochium & Marcellam, ubi præmiſſo hoc, quòd debet reddi veneratio Monumento Chriſti, ſubdit: *Si nobis non credimus, credamus ſaltim diabolo, & angelis ejus, qui quotiescunque ante illud* (id eſt Monumentum Domini) *de obſeſſis corporibus expelluntur, quaſi in conſpectu tribunalis Chriſti ſtantes, contremiſcunt, rugiunt, & ſeriò dolent crucifixiſſe, quem timeant.*

Septimum miraculum, Miles quidam alterius militis patrem occiderat, caſu accidit, ut occiſi filius occiſorem caperet, quem cum in ultionem patris, extractô gladiô trucidare vellet, ille pedibus ejus proſtratus ait: Rogo vos Domine, per honorem crucis, in qua Deus pendens miſertus eſt mundo, ut mei miſereamini. Quibus verbis ille compunctus, ait: Ecce propter honorem S. Crucis, ut mihi, qui in ea paſſus eſt, peccata mea indulgeat, non ſolùm tibi culpam remitto, ſed & amicus ero; deditque ei oſculum pacis. Non multo poſt idem miles cruce ſignatus, mare tranſiens, cum Eccleſiam S. Sepulchri, aliis peregrinis viris honeſtis, de ſua Provincia commixtus intraret, & ante altare proximum tranſiret, imago Dominici corporis, illi ſatis ſe profundè inclinavit de cruce. Hoc cum aliqui ex iis conſideraſſent, nec tamen ſcirent, cui tantum honorem exhibuiſſet, ex conſilio ſingillatim reverſi ſunt, nec tamen alicui eorum inclinatum eſt, niſi cui priùs; tunc cauſam ſciſcitantes; cùm ille diceret indignum ſe eſſe tanto honore, quæ ſupra dicta ſunt, memoriæ occurrerunt; quæ cum fratribus retuliſſet, mirati ſunt de tanta Dei humilitate,

ſcientes imaginis ejus inclinationem, factam fuiſſe pro gratiarum actione. Cæſar. in hiſt. memor. libr. 8. cap. 21.

Plura miracula facta circa Sepulchrum Chriſti, vide ſuprà in Catalogo Sanctorum & Sanctarum viſitantium eundem locum, ſacrum; multaque & alia plura, præter enumerata, innumera fieri, nemo eſt, qui ambigat; & quæ antiquitas, in ſuis annalibus loci illius connotavit.

§. II.

Sepulchrum Chriſti glorioſum demonſtratur, ex Expeditionibus bellicis, pro eo vindicando decretis ac ſuſceptis.

Dum gloriam venerandi hujus loci, acriter defendo, arma virumque cano; heroicis enim actibus, honorem ejus tueri volo. Spectat ad ſufficienter probandam, per inductionem in univerſali termino, ab Iſaia concluſam gloriam Sancti Sepulchri, & hæc deductio non modica, argumentumque ferreum, quod tot ſacræ Bellorum expeditiones, ad illius è manibus Infidelium vindicationem, ſunt decretæ, libenti animo ſuſceptæ. Ita enim in illa, ſtylô ferreô, armata ſua Oratione Urbanus II. gloriam Sepulchri, non aliter defendere ſtatuit, niſi priùs præmitteret hoc Prophetæ elogium, & pro ſic agnitæ gloriæ contemptu, dishonoratione, ad arma viros provocavit, tali illos inſtruendo acuto ſermone: *Et à Propheta Iſaia dicitur:* Erit Sepulchrum ejus glorioſum, *cùm ipſa ſanctitas, civitati ſemel à Deo ipſo ſanctificatore, per ſe ipſam indita, nullo modo ſuperveniente exinaniri valeat, & eodem modo indiviſibiliter Sepulchri gloria conſtet, ſummis ſtudiis vobis, fratres chariſſimi, laborandum eſt, ut ſanctitas civitatis & Sepulchri gloria, quæ Gentilium frequentatione, quantum in ipſis eſt, crebrò polluitur, ſi ad Auctorem illius ſanctitatis & gloriæ aſpiratis, Deo pro vobis præliante, mundetur.* Ubi hic Pontifex motivum belli proponit, gloriam Sepulchri ac ſanctitatem Civitatis Jeruſalem, indiviſibilem à Sanctitate ejusdem. Ex qua incredibili verborum gravitate, & animi ardore erga S. Sepulchrum, univerſi, qui Synodi Claromontanæ aderant, ad recuperandum Chriſti S. Sepulchrum ſunt inflammati. Quis enim quæſo, rigidi certamina ſubiret martis? quis aſpero manus committeret bello? ſi non in objecto belli, gloriam repe-

Hiſt. Hieroſol. cap. 4.

Coriolanus in Breviar. Chron. fol. 233.

riret, spectaret fortunam? Non decertatur pro lana, non militatur pro casa, non exponitur pro vili vita. Pensate igitur invidi decoribus Christianitatis, sacris reliquiis, profanæ cohortes hæresum, quanti valeat, quantam fortunam animabus, divitiasque adferat, etiam vacuum Monumentum Christi; dum pro illo possidendo, è manibus sacrilegis eripiendo, etiam vita ipsa impenditur? Ostendite quæso, sive vestri alicujus, sive aliorum percurrite etiam monumenta clarissima Heroûm, pro quo vindicando tam ingens optimatum inclytorum, diversæ ætatis & gentis, honore divitiis armis, & robore spectatissimus populus, dimicet, aggrediatur, ac de illius manutentione curam agat? *Tota Christiana Respublica* (inquit Antonius Bonfinius) *Hierosolymitana captivitate consternata, convocatis Principibus, de recuperando sanctissimo Sepulchro Domini, quod in servitutem Saracenornm reinciderat, sollicite decernit.*

Rer. Hung. Decad. 2. libr. 7. fol. 299.

Motivum, belli hujus celeberrimi, insigne fuit, vindicatio spretæ dignitatis Sepulchri Christi, amor hujus loci ultrix in hostes. Innocentius Papa III. toto pectore, cogendis auxiliis dum incumbebat, in literis suis ad Præsules Principesque missis, ut Hierosolymæ sub Saracenorum jugo, calamitosissimum statum, & Sepulchrum Domini, quod Propheta gloriosum prædixerat, profanatum exponit. Raynaldus Odoricus sub anno 1198. num. 81. Idem Innocentius, ad Alexium Imperatorem Constantinopol. scribit: *Universa relinquere dispositioni Divinæ, Sepulchrum Dominicum à Saracenorum manibus, præter tuæ subventionis auxilium liberetur, & inde per negligentiam Imperialis magnificentia, Divinam incurrat offensam, ubi per sollicitudinem suam, gratiam Domini poterat promereri.* Vide quòd magnum meritum gratiæ Dei acquirendæ, liberatio S. Sepulchri; & quod negligentiæ in eo vindicando, incurrat offensam Divinam. Pius II. in Concilio Mantuano: *Heu pudor! heu dolor! Fons & origo nostræ salutis Sion, ad hostes defecit; Bethleem in qua natus est, Calvariam in qua crucifixus, ipsius crucis possident inimici! Sepulchrum Domini gloriosum, lectumque illum purpureum, balsama spirantem, & svavissimis fragrantem odoribus, in quo propter nos & vitam nostram, obdormiverat Dominus, nisi hostes velint, invisere non potestis. At Saraceni Machometem habent in potestate apud Mecham, in qua si vera est fama, falsi prophetæ cadaver, in arca ferrea, vi magnetis pendet in àere: Vos verò infelices ac miserrimi Christiani,*

Bzovius Annal. Eccles. Tom. 17. n. 38. anno 1549.

stiani, Sepulchro Dei vestri, & Urbe clarissimâ Hierosolymâ, privati estis. Idem Pius II. in Epistola hortatoria, ad bellum suscipiendum contra Turcam, ad Ludovicum Regem Franciæ: *Cogita, in quo loco est Sacrum Domini Sepulchrum, quod inspicere, absque Machometarum voluntate, non possumus.* Tum ex literis Encyclicis, Cælestini Papæ III. missis ad Ecclesiam Anglicanam, tenoris ejusmodi: *Accingatur denuò multitudo Fidelium, quæ illuc sub debita & devota humilitate itura, possit terram & Sepulchrum Domini, devicto & conculcato penitus occupantium furore, liberare.* Tum ex consilio ipsorum bellatorum S. Sepulchri, inspirato à Deo per quendam: *Optimates Nostri, juremus ad invicem, quòd nullus nostrum deinceps, de isto sancto, quoad vixerit, subterfugiet collegio, donec Sepulchrô, Domini Dei nostri, pro quo viam hanc ingressi sumus,* (ecce motivum) *deosculatô.* Tum quòd bellum sacrum, expeditione sacri Sepulchri vocabatur; & tessera militaris hæc erat: *In fidelitate Dei & Sancti Sepulchri*, ut in Gestis Francorum. *In fidelitate Sancti Sepulchri & Christianitatis*, Baldricus Archiep. habet. Tum, quia percunctantibus, tali modo responsum dabant: *Nos sumus Christianæ fidei consórtes, athletæ & peregrini Milites Sancti Sepulchri.* Taliter Boamundus Dux Apuliæ, eundem salutavit exercitum: *O Bellatores Dei, & indeficientes peregrini Sancti Sepulchri! O ordo militum, terque quaterque beatus! &c.* Et idem Boamundus, Comiti suo stabulario, hanc causam belli exponit: *Dum causam nobis & tibi fore noveris, totius Christianitatis auxilium, Hierosolymam Deo redimere, ac ejus liberare Sepulchrum.*

Rogerius in Annal. Anglic. sub anno 1192.

Baldricus Archiep. Hist. Hierosol. libr. 2.

Robertus Monach. libr. 2.

Gilbertus Abbas in Histor. Hierosol.

Præterea & de Regibus, qui hocce sacrum susceperunt bellum, passim ab Authoribus scribitur, quòd ex amore Christi, ejusque vindicandi Sepulchri, sangvinem profuderunt. De Carolo Magno, Rege Francorum Baronius sub anno 784. n. 16. *Sic igitur Rex Christianissimus, primus inter Reges Occidentales, legitimus Dominus factus est Sacrosancti Nostri Redemptoris Sepulchri, pro quo ab impiis iterum vendicando, summâ gloriâ ejus posteri, rivos sangvinis profudêre.* Regnis Deo, Sanctis Patronis, & S. Sedi commendatis, iter Sepulchri susceperunt. Sanutus de Philippo Rege Franciæ & Henrico Rege Angliæ testatur, quòd *pro subsidio terræ sanctæ Jerusalem & Sepulchri Domini, suave jugum Christi assumunt.* Andreas Rex Hungariæ, in Epistola sua ad Innocentium Papam IV.

Fidel. Cruc. part. 10. libr. 3. cap. 4.

IV. quæ extat in Bulla ejusdem: *Cognovimus ſpiritualem Sacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, nos eſſe filium, ad Veſtræ Sanctitatis exhortationem, conſilium, per obedientiæ victimam, nos & noſtra litare cupientes, nec teneræ filiorum noſtrorum infantiæ miſerti fuimus, nec emergentem nobis Infidelium, & Regno noſtro malignatium, contumaciam & odium, quod poſtmodum in effectu pullulavit, curavimus. Sed his omnibus poſtpoſitis, ad Sancti Sepulchri ſubſidium, usque quàm feſtinavimus. Nos Coronam, Regnum Noſtrum, & filios Veſtræ Sanctitatis cuſtodiæ, illibatè conſervata commendantes.* Quis hic non advertit flagrantem nimis, erga Sepulchrum Chriſti Regis dilectionem? quam obedientiæ S. Sedis Romanæ conjungens, nec amore filiorum allectus, nec proprii Regni diſpendium advertens, nec odium malignorum pertimeſcens, charam prolem, Regnumque S. Sedi recommendans, totum ſe in ſubſidium S. Sepulchro tradidit. Pariter & infra in eadem Epiſtola ſcribit: *Verum etiam, prout in ſuſceptæ Peregrinationis itinere, ad S. Sepulchri liberationem, tota noſtræ ſedulitatis ferebatur intentio.* Idem motivum, de Ladislao Rege Hungariæ, exprimit in Chronicis Pannonicis Joannes Thuuroczius, ad hunc Regem cum veniſſent Nuntii de Francia, Hiſpania, Anglia & Britannia, quod Dei Omnipotentis ulciſcendi injuriam, & S. Civitatem ac Sanctiſſimum Sepulchrum, de manu Saracenorum liberare, hi Reges ſtatuerunt; gaviſus gaudio magno Rex devotus, in Feſto Paſchatis, ipſemet eadem intentione, à nobilibus Hungariæ licentiatus, arripuit iter S. Sepulchri Regi pariter Franciæ, totique ejus exercitui, eundem fuiſſe finem ac ſcopum, legitur in literis Emmanuelis Comneni Imperatoris, ad Alexandrum III. Papam datis, in quibus hic contextus reperi-
Tom. 12. fol. 932. tur apud Baronium: *Cùm didiciſſet Imperium meum, quia Proto-nobiliſſimus Rex Franciæ, moturus eſt exercitum, cum aliis quoque Principibus & Comitibus, & reliquis Magnatibus, in ultionem S. Sepulchri, contra inimicos Dei, valde hoc gratum habui &c.* De Regibus Luſitaniæ, Hispaniæ, Britanniæ, patet ex Epiſtola Emmanuelis Regis Luſitaniæ, ad Franciſcum Ximenium Cardinalem, Archiepiſcopum Toletanum, qui multum operis ſtudiique inſumpſit, ut pro recuperatione Dominici Sepulchri, fœdus feriretur inter Ferdinandum Hiſpanum, & Emmanuelem Luſitanum, & Henricum Britanniæ Reges, teſtatur Alvarus Gomezius, libr. 3. de rebus geſt.

gest. Ximenii, ubi hæc scribit Rex Emmanuel ad Cardinalem: *Id autem, faustâ hac & felici expeditione ita eventurum speramus, ut prope diem victoriis exultantes, Sanctissimum Christi corpus, te ad Sepulchrum Dominicum sacra faciente, è tuis manibus Socer & duo Generi, magna lætitia & voluptate perfusi, genibus flexis sumpturi simus.* O sanctus anhelitus! ô intentio laudabilissima, Spiritu S. divinitùs illustrata! quæ tantum indidit & inspiravit Principibus, Regibus animum adeundi, & ab oppressione Paganorum eximendi Sepulchrum Christi! De eodem Emmanuele Rege Lusitaniæ, scribit Osorius Episcopus Silvensis, libr. 4. fol. 147. quod in primis eum vehementer angebat, quòd Sanctum Sepulchrum esset à Saracenis occupatum, & à Christianis Principibus, turpissimè neglectum. De expeditione Hierosolymitana Alemannorum, scribit Choniates Annal. fol. 10. libr. 7. Expeditionis causa prætendebatur, Dominicum Sepulchrum, & præparatio viæ rectæ, & non insidiosæ popularibus suis, Hierosolymam ascensuris. Fol. 89. num. 10.

David Rex Æthiopiæ ad Emmanuelem Regem Lusitaniæ scripsit, quòd ipse suâ potentiâ & opibus, terram Machometanam invaderet, ut Christi Sepulchrum in libertatem vindicaret. Osorius lib. 9. fol. 305.

Russutana humilis Regina Georgianorum de Anegvia devota ancilla, Honorio III. Summo Pontifici scribit: *Quia verò modo intelleximus, quod Imperator de mandato Tuo, nunc debet in Syriam transfretare ad liberationem terræ sanctæ, plurimum gaudemus. Unde faciatis nos scire, quando transire debuerit Imperator, & nos mittemus Ioannem Comestabulum nostrum, cum toto exercitu, in auxilium Christianorum, & liberationem Sancti Sepulchri.* Tanta fides & studium Reginæ Georgianorum erga Romanam Ecclesiam, & Sacrosanctum Hierosolymis Sepulchrum.

Anno Domini 1253. Aythonus Rex Armeniæ Mango Can Tartarorum Imperatori, inter alias septem petitiones, hanc quartam posuit, ut terram sanctam & Sepulchrum Domini, de manibus Saracenorum auferret, & restitueret Christianis. Cui petitioni ex consilio Procerum & Ministrorum suorum annuens, quæ fidem Christi amplectendam concernebant, ad hocce punctum respondit, se ipsum in Persona ob reverentiam Domini nostri JESU Christi, sanctique ejus Sepulchri, si commodè posset, ire non detrecta-

detrectaturum; sed cùm multis esset distractus negotiis, fratri suo Haoloni in mandatis dedit, ut Civitatem Jerusalem, & Sanctum Sepulchrum erueret è manibus Paganorum, & Christianis restitueret. Tanti valuit apud gentem etiam barbaram locus ille, in quo Deus pacificavit cælum & terram, ut venerationem ejus promovendo, inter conventus pacis, tractatum proponeret pro ejus indemnitate & honore.

Anno 1513. 14. Calend. Jan. in Session. 8. Concilii Lateranen. Joannes Garga Senensis, & Eques Hierosolymit. in Orat. ad Leonem X. Pontificem, ac totum Concilium, hæc perorat: *Expergiscimini ergo, expergiscimini tandem Christiani Principes, & labanti Ecclesiæ auxilium afferte, & sub Leone felicissimo Pastore, invictoque Duce, de bello Turcis inferendo in medium consulite, nec ulterius patiamini, nostri Redemptoris Sepulchrum, sub Turcarum imperio detineri.*

Neque intrepidus Sarmatarum animus, socordiâ torpebat, quâ ausus esset inferre crimen suæ gloriæ; ad tantum armorum classicum, genti illi vincendæ asvetus & tremendus, adfuit invictâ cohorte, fortissimis legionibus in adjutorium & tutamen sancto Sepulchro. Victriciùs nunquam reportaturus trophæum, quàm tam sanctô bellô, vel domitorem esse hostium, vel pro Christo, Tumulique ejus vindicta, vinci & superari. Supra enim expressi, Principes Poloni, visitatores S. Sepulchri, videlicet Jaxa Gryphius, Pacoslaus, Henricus Dux Sandomiriensis, plurimique Proceres, qui assumpta Cruce, Christo & ejus Sepulchro militarunt, huic sancto interfuerunt bello, cum militia Baldvini Regis.

Ab his aliis multis exemplis, facile patet, quomodo omnium ferè Regnorum, hæc sancta intentio illius belli fuerat, ut pristinæ suæ gloriæ, Sepulchrum Christi reinducerent. Ad illudque Christus laudem suam haberet, non ignominiam infidelium toleraret, ut ipsimet inter se certarent Reges, & sanctis debellarent desideriis, pro quo hæc sors caderet, ut hostem cæderet, & cedere juberet à longè à Dominico Sepulchro.

Consvevisse olim Romanorum Duces, & Imperatores, in acie milites exhortari, ut pro Aris deorum & Sepulchris majorum dimicarent. Et sic Dux fortissimus Epaminondas, his verbis ad præclara subeunda certamina, suis militibus addere solebat animos:

Adite

Adite ô viri fortes! mortem sacram pro deorum Aris, pro majorum Sepulchris. Si in tali appretiatione, fama celebri, suorum majorum Gentilitas Sepulchra habebat, ut pro illorum possessione, bella susciperet, ac illorum revocatione in memoriam, animaret corda, vires adderet: quomodo Christianitas, Sepulchrum veri Dei, Salvatoris sui, non ea prosequetur dilectione, ut pro illius adeptione, vitam & sangvinem exponat? Tali fortissimos suos, ac invictissimos Defensores, animando sermone: *Adite viri ô fortes mortem sacram pro Deo, Aris ejus, id est sacris locis, ejusque Sepulchro!* Et verè non alia, nisi hæc peroratio à Sanctissimis Pontificibus, corda & manus ad prælia ciebat, movebatque Dominatorum, populique Rectorum. Sic Urbanus II. in Concilio Claromontano, in hæc verba prorupit: *O fortissimi Milites, & Invictorum propago! - - Præcipue verò corda vestra excitet gloriosum Christi Sepulchrum, ab immundis gentibus possideri &c. Terra denique, quam Redemptor Sangvine consecravit, redemit morte, & gloriosi Sepulchri insignivit honore.* Pariter & Eugenius III. ad Ludovicum Regem, & omnes Galliæ Principes, non alio stylô literas, pro expeditione in terram sanctam acuit, quô permoveat fortissimos & strenuos bellatores, nisi quia eorum Antesignani, *Gloriosum Sepulchrum, à Paganorum spurcitia liberarunt.* Similia & Alexander III. *Moveat vos zelus Domini &c. Universa loca illa, quæ Salvator & Redemptor Noster corporali præsentia dedicavit,* quomodo dedicavit Sepulchrum suum, in illo triduo jacens. Eadem dicendi forma utitur, serius possessionis Sepulchri Christi Promotor, S. Bernardus, Abbas Claravallensis, in exhortatione ad Francos & Bajoarios. *Quid facitis viri fortes? quid facitis servi crucis? itane dabitis sanctum* (id est Sepulchrum) *canibus?* (id est fœdissimis Turcis) *& Margaritas* (id est cætera loca sacra) *porcis?* (spurcissimis Saracenis.)

Plutarchus.

Sanutus Fidel. Cruc. libr. 3. part. 4. cap. 2.

Similiter & Heroum ingentes animæ, virtute & armis, super æthera noti Proceres, maximè perurgebant semetipsos, aliosque charitate erga Sepulchrum Christi venerandum. Sic Boamundus Comes Apuliæ, in actuali prælio cum Turcis ad Antiochiam, Robertum Filium Gerardi adhortatus: *Vade, & esto acer in adjutorium S. Sepulchri.* Ubi inita fortissima pugna, suam victoriam, captamque Antiochiam attribuunt adjutorio Dei & S. Sepulchri, ut in Gestis Franc. habetur cap. 32. num. 40. Dum item civitas

Sanutus Fidel. Cruc. libr. 11.

Damiata, capta eſt à Chriſtianis, erecto vexillo Regis Jeruſalem ſuper turrim acclamaverunt qui intus erant, implorantes Divinum, & S. Sepulchri auxilium. Et Gvielmus quartus Hollandiæ Comes, in exhortatione ad Principes Chriſtianos, & Reges ad ulciſcendos hoſtes, hac animabat calce: *Nefarius Sepulchro Chriſti hoſtis excubat!* Et in actuali obſidione civitatis Jeruſalem, hanc protulerunt fortitudinis ſuæ impulſivam formam: *In Nomine Domini Noſtri JESU Chriſti, qui horâ ſextâ hîc paſſus eſt, arma ſumamus, & inſigniter Urbem aggredientes, Domini Sepulchrum hodie adeamus.* Ad quod propoſitum ſatis dignè dicit Gretſer: *Quæ autem loca ſanctiora, quàm illa, quæ à Redemptore noſtro tacta & conſecrata ſunt, inter quæ Sepulchrum Domini valde eminet, quod Chriſti amatoribus tantô fuit in pretio & exiſtimatione, ut etiam cum hoſtibus manus conſerturi clamarent: Adjuvet nos Chriſtus & Sanctum Sepulchrum ejus!* Illi itaque ipſi, qui multis memoratam ſæculis famam Tumuli Chriſti, ab Infidelibus infamari tentatam, bellicô adjutorio reſtituendam venerunt, ſuppetias auxiliaque non aliunde emendicabant, niſi à S. Sepulchro, in quo Deus fortis jacuit, & exurgente Deo, omnes inimici diſſipati & fugerunt. Noverunt enim peroptimè, ſuperbis cauſis tecta capita, uno ictu deponenda facilè & dejicienda, ſi ferrum illud, quod fortunam tutatur Chriſtianam, in lapide Buſti Chriſti acuatur.

Renerus Snoi in Reb. Batav. libr. 8. f. 119. num. 30.

Ordericus Hiſt. Eccl. lib. 9. ſub anno 1098.

Part. 2. horti Cruc. fol. 2594.

Non parcus proinde affulſit ſplendor, Divino illi Sarcophago, imò potiùs Tanatophago illuſtrando, vel à fulgore, politoque armorum jubare; qui dum ſub ſole reſplenduit, meridiem accendit, id eſt quàm calidiſſimo æſtuarent pectore, in ulciſcendam ejus ignominiam. Ferale illud inimicæ Genti claſſicum, peremptorius ſonus fuit, ſed famæ divulgandæ Sepulchri Chriſti vocalis tuba, quam toto orbe inſonabat. Usque enim adeo in terris, celebritas dilatata eſt Divinæ Tumbæ, ut incrementum ſui nominis, genus etiam ab armis proceſſiſſe monſtraret. Benè optime Vates, Sepulchrum Chriſti inauguraſti glorioſum, quia tantum futuri ævi negotium ſpiritu conſpiciens, nihil niſi prodigium gloriæ loqui debueras, dum pro læſo ipſius honore, militaſſe integra Regna geſtiebant. *Tanto ſiquidem odio perſequebantur Turcas & perimebant, quia Templum Domini & Baſilicam S. Sepulchri polluerunt.* Et ſua propria eligunt funera, quam ne Tumuli gloriæ parentent immortali, cui funus parabat lues Agarenica. Neque

Ordericus Hiſt. Eccl. an. 1098.

Neque hæc arma, quæ pro evincenda Sepulchri gloria, ſunt vibrata, conſumit ærugo, quam inducit corroſiva hæreſis. Ut quid ſic armati quærant Domini Sepulchrum? ſi Peregrini? in pera in baculo, non in tanto armorum ſtrepitu ſe præſentare debent? Si enim in baculo & pera, hi Philiſthiim, Turcæ & Saraceni, Davidis more vinci poſſent, facilè loricam & arma deponerent. Sed quia in pera & baculo venire ſoliti, approbriis & contumeliis afficiebantur, trucidabantur; ideo confidentiori præſidio fidendum & utendum, cum id ſimilis occaſio experientiaque etiam ipſi arguenti, hæc tela ſuppeditaret, ſi eò procedendum foret. Æquum enim & juſtum eſt, Regnum, poſſeſſionem ſuam, fortunæ bona, iniquè & injuſtè occupata, etiam armis repetere, domum defendere, ne alius malæ fidei jurisque deprædator, eam occupet, eripiat, vel ereptam repetere. Cur non licuit neque licet hæreditatem Chriſti, noſtram ſucceſſionem, nobis fortunæ, ſpiritualis relicta bona, à generatione illa peſſima, vi & tumultuoſâ turbâ dirempta, quæ nullo jure obtinet, & quæ creatum judicem recognitæ cauſæ habere velit; armis, profuſoque etiam ſangvine redimere? Ejice ancillam & filium ejus; non enim eſt hæres filius ancillæ, id eſt Machometus, qui juxta D. Antoninum, filius fuit Agar ancillæ; ſed filius liberæ, id eſt Filii DEI, Chriſti ejus libertate donati: *Non quaſi velamen habentes malitiæ libertatem, ſed ſicut Servi Dei* ut 2. Petr. cap. 2. v. 18. Còadunatæ in Gentilium cladem, totius Chriſtianitatis, cùm hæc fuerit meta, ut ſuos Heròés, pro profanata ad Sepulchrum Chriſti gloria, armaret in vulnera & mortes; deſpectum Numinis proprio reſarcirent ſangvine; loca illa ſacra de poteſtate Infidelium eximerent; nemo dicet ſicut hunc finem non laudabiliſſimum eſſe, ita quis non inferet, ex eo bello ſacro, propagatam fuiſſe ac extenſam, usque ad terminos terræ, gloriam Sepulchri JESU, cujus fama totum ibat in orbem, dum commoverentur cardines orbis, ut avulſa bona, in quibus ſumus redempti, ab iniquis reciperentur occubatoribus.

1. part. Hiſt. Tit. 6. Capitul. 1. fol. 139.

Quæ expeditio, quia expeditior fuit, ad promovendum cultum loci illius, qui princeps eſt aliorum, ex multis conſtat. Primò, quia illa Peregrinatio, via S. Sepulchri, tot fuit ſignis & prodigiis celebrata, ut ipſi cælo gratiſſima foret, quæ olim ab eodem fuit Sepulchro Chriſti reddita viſitatio, & manifeſtis firmaretur

ejus Oraculis. Et hoc acceptum & gratum fuiſſe curiæ cæleſti iter, declaravit ipſe S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis, in forma peregrini apparens cuidam Sacerdoti, boni teſtimonii & eximiæ converſationis, eunti celebraturo miſſam, à quo inveſtigans aliorum ſenſum, quidnam ſentiant? quod tot Regna tot Principes, & univerſum genus Chriſtianorum, ſub una intentione ad Sepulchrum Domini Noſtri JESU Chriſti, ad Sanctam confluxerint civitatem. Expoſitis Sacerdos nonnullorum in hac re judiciis, ipſe S. Ambroſius hunc promit ſenſum: Quod exordium viæ hujus S. Sepulchri, non ex levitate & gratis ſit ſuſceptum, ſed à Deo diſpoſitum, & procul dubio inter ſervos Chriſti, in aula cæli noveris eſſe computatos, adſcriptos, & feliciter coronatos, quicunque in hac via (S. Sepulchri) morte præoccupati fuerint, puro & integro corde, in dilectione Dei perſeveraverint, & à vitiis continuerint. En quàm gratum ad S. Sepulchrum fuerit cælo illud iter, & illi proficuum, quod tot in illo legat & adſcribat ſibi nomina, quod in eo prælio, in amore Dei decedentes S. Sepulchri peregrinos. Ipſi etiam Sancti Angeli, & Sancti cælites, tanquam terribilis candidatorum acies, inter caſtra conſpiciebantur. Et in expeditione ſub Friderico Imperatore, S. Georgius cum S. Victore, viſus eſt præcedere aciem, & aliquoties peregrinantes comitari & adjuvare. Sub Innocentio III. ex ſententia Concilii magni Lateranenſis; Saraceni viderunt quandam candidiſſimam aciem, cruces rubeas in pectore gerentem adverſum ſe dimicare. Germani Provinciæ Colonienſis, dum ad expeditionem Hieroſolymitanam exhortarentur, tres cruces in àëre apparuerunt. Miles percuſſus in pectore, ubi affixum crucis ſignum geſtabat, ſagitta collibrata à jaculatore, non modo ipſo, nec veſte læſa, licet inermis eſſet reſiliit, & ea reſiliente, nullum accepit vulnus. Ardente militis veſte, redactaque in cineres, ea ſola pars, cui crux aſſuta erat, integra remanſit. Item columna ignis, in cruce ſignatorum cadavera lapſa, cælitus lucens deſcendebat ſuper corpora. Regnum Angliæ exhibens Chriſto promptum animum & alacritatem ad S. Sepulchrum, quod pro vindicando ejus contemptu, ſexaginta millia armatorum ſubmiſerat in vigilia S. Joannis Baptiſtæ, Chriſtus luce clariſſima viſibiliter apparuit, innuendo quod ſuum auxilium promptum in hoſtes adferat, & quod devotio ad S. Sepulchrum,

Aquens. Archiep. libr. 4. cap. 38.

Boſſius libr. 8. Hiſt. Hieroſol.

Petrus Valliſarius.

chrum, adjutorium habeat ab ipſo Chriſto, in ulciscendos & debellandos hoſtes. Hæc & multa ſunt plura ſigna & prodigia in cælo & in terra, quibus teſtificatum eſt iter illud ad S. Sepulchrum, & eorum, qui pro vindice ejus honoris læſione certarunt, dimicarunt.

Secundò quia eandem expeditionem ac viam S. Sepulchri ſvaſerunt, promoverunt tot Summi Pontifices. Silveſter II. anno à Chriſto nato milleſimô, erectus animo devictorum Saracenorum, ab Otthone Imperatore, eundem Cæſarem & alios Principes Chriſtianos, ad proſequendum feliciter bellum exhortatus, ſacræ militiæ clasſicum cecinit, ad Eccleſiæ Hieroſolymitanæ ſubſidium afferendum, introducens per proſopopæiam, ipſam Hieroſolymorum Eccleſiam, Romanæ Sedi & Univerſali Eccleſiæ verba facientem, in Epiſtola, cui titulus eſt: *Ex perſona Hieruſalem devaſtatæ, Univerſali Eccleſiæ, ſceptris Regnorum imperanti.* Ut ſicut ſub Silveſtro I. Pontifice, everſis idolis, per manus S. Helenæ, ſuæ religioni reſtitutum eſt Monumentum Chriſti; ita ſub Silveſtro II. aggresſis barbaris, per manus Regum idem Monumentum Chriſti, palam ac ſecurè pio cultui Chriſtiano cuilibet exponeretur. Sed ſecundior hac in parte fuit Urbanus II. qui hoc ſibi promeruit, & hoc tam præcellenti merito, quod Sepulchrum Chriſti liberavit, ad ſanctitatis non ſolum coronam, ſed & titulum pervenit; Memoria enim illius, ut ſancti, colitur in Martyrologio Monaſtico, & apud Philippum Ferrarium in Catalogo Sanctorum, qui non ſunt in Martyrologio Romano, his herbis: *Romæ Beati Urbani Secundi Papæ, qui ſacrum bellum in Saracenos, pro recuperandis Hieroſolymis indixit.* Continuaverunt promotionem hanc glorioſam, Sepulchri Chriſti, alii Pontifices Maximi. Lucius II. Eugenius III. Alexander III. Lucius III. Clemens III. Cæleſtinus III. Innocentius III. Honorius III. Gregorius VIII. in procinctu erat profectionis in Orientem, ut magno Chriſtianæ Religionis bono Saracenos expugnaret; inſuper (Baronius anno 1074. n. 52.) ſi Deus annuiſſet, Hieroſolymam perveniſſet. Quod ipſum conſtat ex fragmento Epiſtolæ ejusdem Gregorii ad Henricum Regem: *Jam ultra quinquaginta millia ad hoc ſe præpararunt, ut ſi me poſſunt in expeditione pro Duce ac Pontifice habere, armata manu contra inimicos Dei volunt inſurgere, & usque ad Sepulchrum Domini, ipſo ducente pervenire.* Vide æſtuantem

August. Oldoinus in Vit. S. Silveſtri II. apud Ciaconium fol. 757.

Idem apud eundem in Vit. S. Urban. II. fol. 884.

tem Christiana charitate, sanctissimi Pontificis animum ad Christi Sepulchrum. Gregorius IX. Innocentius IV. Gregorius X. Nicolaus IV. Joannes XXI. Clemens VI. Urbanus V. Callistus III. Pius II. Pius V. Paulus II. quia sollicitus erat nimium de bello contra Turcas, in ejus Epitaphio est effigies aperti Sepulchri Christi, ex quo resurgit, & sub Sepulchro Christi, statua corporis ejusdem Pauli II. jacet, ut videre est apud Ciaconium. Hi ergo Beatissimi Patres, sicut nimio mœrore excruciabantur de amisso Sepulchro Christi, ita incredibili amore, ingentique curâ ac studio laborarunt, tum per se ipsos, tum per Concilia, suâ authoritate indicta & probata, tum per Eminentissimos Sacri Collegii Cardinales, Archiepiscopos, Episcopos, Prælatos, Nuntios. Tum per literas energicas ipsis lachrymis, exhortationibus plenas. Sic Gregorius VIII. literas Encyclicas, misit per totum orbem Christianum, exhortatorias pro recuperando S. Sepulchro. Tum per Sacros Prœcones, Prædicatores, eandem voluerunt annuntiari, quorum eò stimulatior fuit, ac incentiva ad profligandum hostem, peroratio, quò amissi Sepulchri crebrior cum ejulatu recordatio ac repetitio. Ad quod vindicandum tam seriis utebantut adhortationibus, verbis ponderosissimis, iis nimirum: *Monemus, rogamus, hortamur in Domino; adjurantes per sangvinem Crucifixi; ad profectum salutis; ad exaltationem populi Christiani; ut vos vulnera & sangvis fratrum digna compassione moveat.* Tanta verba, penetrantia corda humana, concitabant fideles mundi universas Potestates, ut Hierosolymitanam subirent expeditionem, Dominicum Sepulchrum, & reliqua redemptionis nostræ incunabula recepturi.

In Vit. Pontif. & Cardinal. Tom. 2. fol. 1093.

Baronius Tom. 12.

Præterea eandem viam S. Sepulchri fuisse aggressos Imperatores Occidentis 5. Reges Occidentis 17. Archiepiscopos & Episcopos 51. Filios Regum & Imperatorum, Reginas, Duces 137. & horum adhuc parvus numerus, quia ex brevi tantum à me & summulistica ex Tyrio computatione collectus, omisso Principum, Marchionum, Baronum, innumerabili agmine. Hæc audiens & intelligens, quis non loquetur potentiam gloriæ Sepulchri Christi? pro qua manutenenda, amplianda & in sui proprii cultûs statum redintegranda, etiam Potentissimi famâ, fortunis & honore, suas exerunt vires, exponunt pectora, subeunt pericula, evocant Regna, ut vel his omnibus etiam deperditis, sola fides

fides Christi, ejusque S. Sepulchri triumphet gloria. Et quamcunque labem sanctis illis laribus, pollutum aspersit sacrilegium, castissimam illam petram, fœdavit spurcitia Turcarum, hanc Christianorum Imperatorum paludamenta, Legatorum chlamydes, Regum purpuræ, Ducum murices, Antistitum pallia, emundent, abstergant, liniant. O fortunatum itaque Tumulum! nulli alteri parem, quia pro illo tot belligerasse Reges, qui splendorem coronarum, fatalibus tumulare umbris unanimiter decreverunt, ut illius rutilantis Divini lapidis, sanctimoniæ nitor, sub obscura Luna non delitesceret. Tunc enim levatum est signum in nationibus, id est Crux Christi, & Dominus mandavit sanctificatis suis, id est Isaiæ cap. 11. Summis Pontificibus & Præsulibus, & vocati fortes in ira, vox multitudinis in montibus, quasi populorum frequentium, vox sonitus Regum, Gentium congregatarum, Dominus exercituum Ibid. cap. 13. præcepit militiæ Belli, Sancti Sepulchri & omnes Principes terræ Cap. 14. surrexerunt de soliis suis, omnes Principes nationum ut sumant vindictam de inimicis Christi, & ulciscantur crimen læsæ gloriæ Sepulchri Ejus.

Tertiò fuit hæc via, magna salutis occasio, in iis præsertim, qui eam pura intentione, ex amore Dei & Sanctissimi Sepulchri visitatione, in perseverantia mandatorum Dei susceperunt. Unicum hîc breve adduco exemplum ex Cæsario: Die quadam, cum servus militis, nomine Uigeri, ad S. Sepulchrum Christo strenuè deserviens, contra Saracenos pugnaret fortiter, & in conflictu occisus est, ejus animam idem Vigerus in specie columbæ cælum penetrare videns; ad similem pro Christo conflictum se animavit. Indulgentia etiam plenaria concessa fuit ad liberandum S. Sepulchrum peregrinantibus ab Alexandro Papa III. *Omnibus autem Sepulchrum Christi, pro instanti necessitate visitare volentibus, sive in itinere moriantur, sive ad istum locum perveniant, laborem itineris ad pœnitentiam, & obedientiam, & remissionem omnium peccatarum injungimus, ut de vitæ præsentis ergastulo, ad illam beatitudinem, Domino largiente perveniant.* Idem Clemens III. Eugenius III. aliique concesserunt Summi Pontifices. Et hoc stipendium spirituale belli sacri pro Sancto Sepulchro, indulgentia omnium peccatorum, de quibus fuerint corde contriti & confessi. Pariterque ii, qui ardore fidei ad expugnandos Saracenos, laborem istum peregrinationis

Annal. Eccl. Tom. 12. fol. 531.

tionis ad S. Sepulchrum & alia Christi loca assumpserint, sub Ecclesiæ defensionem & Beatorum Petri & Pauli protectionem, tanquam veræ obedientiæ filii recipiebantur. Præterea ex occasione eliberationis S. Sepulchri, instituta sunt jejunia, devotiones singulares à Clemente III. Ipsimet Eminentissimi Cardinales inter se, in omni mortificatione & humilitate, exercenda prædicatione,

Baron. Tom. 12. fol. 987. ex Rogeno

pro recuperando S. Sepulchro, firmam conventionem statuerunt. Quos asperrimo obligavit jejunio Gregorius VIII. per quinquennium pro eo recipiendo, apud eundem Baronium sub anno 1187. Plurimæ etiam eleemosynæ elargitæ sunt in Ecclesias[1], intuitu exemptionis & liberationis S. Sepulchri, juxta illud: *Eleemosynis redime.* Patet in Eminentissimo Cardinali Caravajalo, qui hac de causa Ecclesiæ S. Crucis in Jerusalem, cujus ille Cardinalatûs titulum habebat, singularia ornamenta contulit; sicut hujusce rei

In Vit. Pont. & Cardin. Tom. 3. fol. 171.

inscriptio, quæ in eadem Ecclesia S. Crucis legitur, exhibet, quæ habetur apud Ciaconium, & est talis: *Ad gloriam Dominicæ Crucis, & spem recuperationis gloriosi Sepulchri Hierosolymæ, sub Sanctissimo in Christo Patre, & Domino nostro Leone X. &c. Reverendissimus in Christo Pater, Dominus Bernardinus Cardinalis Caravajal, Episcopus Sabinensis, & Cardinalis S. Crucis, Patriarcha Hierosolymitanus, ante Capellam hanc, ulteriori sacræ Capellæ S. Crucis in Hierusalem adjungendam curavit. Anno Salutis Christi MDXX.*

Dixi hîc à principio: cum pura intentione, & ex amore Dei; quia in Revelationibus B. Birgittæ libr. 4. Capitul. CXL. ostenditur, à Beatissima, quibus non prosit visitare Sanctum Sepulchrum: *Propterea noverint, qui iter seu passagium illorum armigerorum, de iniquis societatibus iniquorum, quod ipsi facere volun , ad Sepulchrum Filii mei, non magis placet, eidem Filio meo, Deo vero, quàm aurum illud, quod populus Israel projecit in ignem, d quo diabolus, conflatilem vitulum compaginavit, orta in eis est superbia & cupiditas. Et si aliquam habent voluntatem eundi ad memoratum Sepulchrum, magis est propter superbiam & cupiditatem pecuniæ, quam propter amorem & honorem Dei.* Via ergo S. Sepulchri requirit motivum ac finem bonum; res enim etsi sanctæ sint, si tamen malo fine fiunt, in vitium degenerant. Neque tibi proficua erit spiritualis visitatio, & cupiditas exorta in te videndi S. Sepulchrum, si voluntas tua his similibusque vitiis se subjacere sentit.

Quartò,

Quartò, illa expeditio ex eo gloriam Sepulchri Chriſti promovit, quia ad illius venerationem & adorationem, tantam multitudinem populi concitavit & protraxit, ut nunquam tot Gentes ire ad illud viſæ ſunt. *O quot diverſæ ætatis, ac potentiæ, ſeu domeſticæ facultatis homines, viam S. Sepulchri ſpoponderunt!* exclamat Robertus Monachus. Libr. 1. Hiſt. Hieroſ. Ex omni enim orbe Chriſtiano, infinita hominum millia, ad illam peregrinationem S. Sepulchri, amor Chriſti, & ſanctus hujus loci fervor, protrahebat. Illam viam S. Sepulchri, ut inducit S. Antoninus, Archiep. Florent. Summar. Hiſtor. part. 2. Tit. 16. arripuerunt Imperatores, Reges, Duces, Comites, Potentes, Archiepiſcopi, Epiſcopi, Clerici, Nobiles, Ignobiles, Divites, Pauperes, liberi & ſervi, omnes uno animo, nullo cogente, angariante, ſpontè, libere. Undique de peregrinis ad S. Sepulchrum auditum erat ab Hiſpania, Aquitania, Britannia, Scotia, Anglia, Normannia, Francia, Lotharingia, Burgundia, Lombardia, Apulia, Galicia, Gaſconia, Germania, Alemania, Tuſcia, Flandria, Norvegia, Calabria, Sicilia, Italia, Sclavonia, Hungaria, Polonia, & aliis Regni Provinciis. Populi, qui non ſolùm terram, ſed & Inſulas maris, & ultimum oceanum inhabitabant, Cruce Chriſti ſignati, & virtute armati, hi ultum eunt in hoſtes, Chriſtiani nominis, & injurias Sepulchro Chriſti illatas vindicaturi; alii S. Sepulchri videndi & adorandi vehementia impulſi, nativas deſerunt patrias. *Hoc eſt miraculum Domini magnum* (inquit Henricus Hundindonienſis libr. 7. Hiſtor.) *temporibus noſtris factum, ſæculis omnibus inauditum, ut tam diverſæ Gentes, tot fortiſſimi Proceres, relictis poſſeſſionibus ſplendidis, omnes una mente, loca ignotiſſima, ſpreta morte petierint;* ut eliminatis hoſtibus penes S. Sepulchri viſitationem, gratias ſibi Divinas faciliùs impetrarent. O verè ſtupendum ſæculis miraculum! in gloriam S. Sepulchri patratum! tantus nimirum, apud hominum ingentem congeriem, amor illius, *ut propter Dominicum Sepulchrum, opulentiſſima Regna relinquerent:* ut inquit Neubrigenſis. Libr. 4. Rer. Anglic. Cap. 19 Nullus locus, etiam tenuia, nobiliſſimæ Prolis, recludere poterat membra, omni poſtpoſito reſpectu, dulcis patriæ, opulentiarum, dignitatum exibant, modò tantùm adoratum eant ad illud, melius eſſe bonum nomen, honorem Sepulchri judicando, quàm divitias multas, imò & vitam ipſam.

O DEUS! qui facis mirabilia magna solus, nec est, qui tuæ possit resistere voluntati, si salvare decreveris efficaciter civitatem S. Hierusalem; tuâ gratiâ inspira mentes Principum, Regumque Christianorum corda reaccende, ut ad hoc tam præclarum exemplum, vindicem honoris tui, & S. Sepulchri, sublevent dexteram, & charitatis tuæ, locique illius Sacrosancti, mutuó Christiani Principes adunati vinculó, Gente illâ barbarâ procul repulsâ, flexis genibus, celebrantibus Orthodoxæ Fidei Præsulibus, Sanctissimum Christi Corpus ad S. Sepulchrum, iisdem Regibus, liceat sumere, ut sibi optabant supra adducti Reges. Profecto Regna sua salva & secura haberent, intestinis, inter se bellis & odiis, æmulationeque non certarent, totque Regnorum suorum Heròés & milites, ad jugulandum inaniter non exponerent, quos possent sanctiori & salubriori, tam illorum, quam Regni sui, nominisque Christiani vindicandi motivo, ac commodo exponere, si eos, ad liberationem terræ sanctæ, Sanctissimique Sepulchri, instruerent & armarent. Per hoc enim Christiani nominis dignitas augeretur, & illorum fortitudo, ac Regnorum amplitudo extenderetur. Christiani enim Principes, ex hostium tyrannide ob honorem & gloriam Christi, tenentur etiam armis eximere loca & stationes, quæ Christus suo sangvine aspersit, & redemptionis mysterio consecravit: ut habet Maria à Jesu in mystica civitate. Ob hanc nempe rationem, quam sibi securâ notitiâ cognitam, dat eadem Venerabilis Historiographa; quòd devotio ad loca sancta, & veneratio Sepulchri Christi, unum sit summè efficacissimum, & potentissimum medium, ad consolidanda Regna, & Principatus Catholicos ampliandos, per calcatos hostes, & facilè de illis, reportandam victoriam. Optimum itaque documentum, gloriæ Sepulchri Christi, expeditio bellica pro eo resarciendo decreta; per quam & gloriosum ejus inauguratur nomen, & decertantibus certus triumphus, & Regnorum evincitur integritas. Sic enim in sua Legatione ad Julium II. Pontificem directa, per Legatum Odoardum Galvanum, Consiliarium suum, Rex Lusitaniæ Emmanuel, persvadere conatur, quod nullus Principum Christianorum, in recipiendo Sepulchro Christi, ullo periculo Turcorum, debet commoveri; tali argumento: *Si gloriæ cupiditas Principes ad arma sollicitabat, quod decus tantum esse poterat, quod*

3. part. libr. 4. Cap. 18. num. marg. 575.

Hieron. Osorius Silven. Episcopus Libr. 4. fol. 148.

quod esset cum Christi Sepulchro, armis vindicando comparandum? Si ergo vindicatio Sepulchri, decus ac Principum gloria, quomodo non ipsummet gloriosum?

§. III.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex muneribus & donis, ad illud oblatis.

Thomas Malvenda Ord. Prædicatorum Tom. 3. fol. 90. Expositione in Isaiam Prophetam, hæc verba: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*, explanans dicit: Esse insigne vaticinium de gloria & honore Sepulchri Dominici, quod semper hodieque in maximo honore & gloria haberi asserit, non solùm à toto Orbe Christiano, sed etiam ab ipsis Infidelibus, ut innumera peregrinationis itineraria, descriptionesque terræ sanctæ evidentissimè proclamant. Et statim refert, quod nonnulli ex Hebræa dictione Minchach, dictum textum accipiunt pro *dono*, *munere*, *donario*, quod alicui Principi honoris causâ offertur; adeoque dicta verba legunt: *Et erit donum ejus & munus ejus gloriosum.* Dum jam Sepulchri Christi honor deductus fuit ex præfatis titulis, insinuatis à Malvenda; restat nunc, conformiter ad hanc Interpretationem textûs Isaiæ, pro eodem, Sepulchrum ac munus seu donum accipientem; gloriam ejus, vel ex eo demonstrare, quod in contestationem sui erga illud amoris ac obsequii, ab undique fermè, variis muneribus donisque honorabatur. Si enim Sepulchrum Mausoli, Regis Cariæ, quod ei Arthemisia uxor struxerat, apud Latinos *honorarium* vocatur, quod fuit in ejus honorem fabricatum, ne ejus memoria oblivione deleretur: Sepulchro Christi soli, hæc appellatio convenit, cujus honor etiam hæc monumenta, quæ inter septem orbis miracula ponebantur, excedit, utpote primum orbis miraculum, ad quod memoria Christi nominis, hucusque honoratur. Et insuper ex eo dicendum honorarium, quia tale illi convenire nomen, explanatio præsens hic indicare videtur, quia Gentes ac Gentium Reges, honorificentissima dona, ac munera mittent Sepulchro veri Regis ac Dei. Et qui præsentes illi colla sua submittere nequiverunt, saltim vicariis donis ac oblationibus, id homagium honoremque supplebant.

Beatisſima Virgo cum ſanctis mulieribus, pretioſisſima aromata portantibus, tanquam donis ac datis acceptis, adeunt Monumentum, de quibus Cælius Sedulius Presbyter Oper. Paſch. libr. 4. canit.

Virgo Parens, aliæque ſimul cum munere Matres,
Mesſis aromaticæ, notum venêre gementes
Ad tumulum, vacuumque vident jam corpore buſtum,
Sed plenum virtute locum; nam miſſus ab aſtris
Angelus, amoti reſidebat vertice ſaxi.

Imperatorum omnium Primus, in Eccleſiam S. Sepulchri, & ipſum locum nimis beneficus Conſtantinus, qui non ſolùm circa illud ſalutare Monumentum, liberali & abundanti ſumptu, magnificentisſimam, juxta Euſebium, extruxit erexitque Eccleſiam; ſed etiam primum illud omnium ſacrum antrum, velut totius ædificii caput, ornatu ſplendido maximoque decoravit, ac variis inſignibus ornare cœpit, tantisque ex auro, argento, lapidibusque pretioſis donariis dehoneſtavit, ut ſermone exprimi non valeant. Similiter dum perageretur dedicatio Templi S. Sepulchri, quam celebritatem Imperatoris ſumptus illuſtrabat, donaria ſimul & ornamenta ab Imperatore fuerunt miſſa, maximi prorſus pretii, quæ longo ſanè poſt tempore ibi fuere, ſtuporem & conſternationem planè ſpectantibus conciliabant, tanta ſua magnitudine, tantoque pretio. De donis collatis à Conſtantino Eccleſiæ S. Sepulchri refert Euſebius: *Quale autem Salvatoris templum, quale item Salvatoris antrum fuerit; atque etiam quam præclari conatus Imperatoris, quanta autem in ipſo templo donorum turba, ex auro, argento, pretioſo lapide, ſeparatim ſuo, quoad ejus fieri potuit, volumine conſcriptum Imperatori dedimus.* Iſtum Imperatorem Paulus de Palacio in Matth. cap. 28. comparat Joſeph ab Arimathæa, imò effert; quod ſicut Joſeph aloës libras centum attulit, Conſtantinus non aloës ſed auri; non libras centum, ſed ferè talenta centum. Recondidit Joſeph Chriſtum in Monumento, in ſaxo cavato; condidit Conſtantinus Sepulchrum in Eccleſia, quæ cæteras ſuperat. Advolvit ille ſaxum Monumento; Conſtantinus lapides pretioſisſimos, inſeruit Monumento Chriſti. Cui applicat illa verba Pſalmi: *Et eduxit me in latitudinem* Rupipoſæus Epiſcopus Pictavorum, ac de eodem Imperatore dicta fuiſſe prophetice aſſerit, qui omni Natione Magnus,

Niceph. Hiſt. Eccl. Libr. 8. Cap. 50

In Vita Conſtant. libr. 4. cap. 46. in fin.

Expoſit. in Pſalm.

Magnus, & quem Apoſtolis parem vocat Nicephorus, eduxit in latitudinem Sepulchrum Chriſti, quod nullis additis ornamentis, in ſimplici illa ac rudi forma, quam à Joſepho in ſua exciſione acceperat, usque ad Imperatoris Conſtantini tempora permanſit. A quo primùm, matreque ejus Helena decoratum ac eductum nimis ſplendidè, tam in altitudinem, quàm in latitudinem fuit; ſtructura enim illius Monumenti, toto orbe fuit celebris, ac latè promulgata beneficia utriusque. Pari contendebat cum Filio, proſecutione amabili in Sepulchrum Chriſti & Mater S. Helena, quæ illud variis ſplendoribus exornavit; reliquit ingentem ſuæ pietatis ad Monumentum Chriſti memoriam, dum atrium S. Sepulchri extruxit. Et de hoc Atrio videtur dicere S. Cyrillus Epiſcopus Hieroſolymitanus, Catech. 14. *Nunc enim non apparet, quoniam eraſum eſt veſtibulum, propter præſentem ornatum. Nam ante Regalem hunc ornatum* (ſcilicet S. Helenæ) *& apparatum Sepulchri, veſtibulum erat ante petram.*

Lib. 8. cap. 1.

Radziwil in ſua Peregr. fol. 285.

Nec abſimili, in pignus amoris, Sepulchro Chriſti exhibendum, contendebant ornatu, Summi Pontifices, aliique Imperatores, Reges, ac cæteri. Sicut enim locus Sepulchri, eſt cunctis Chriſti fidelibus amabilis; ita cunctorum pretioſis benefactis adornabatur. Ut ita inquit Walfridus Strabo libr. de rebus Eccl. cap. 4. *Veriſſima relatione didicimus, quod Eccleſiam apud Æliam* (id eſt Hieroſolymam) *Conſtantinus Imperator, cum Matre Helena, ſuper Sepulchrum Domini, miræ magnitudinis in rotunditate conſtituit, quam ſucceſſive Summi Pontifices, Imperatores, ac Domini terræ, variis ornarunt muneribus*; ut Regum Filia verè dici poſſit. Et Haymo Epiſcopus Halberſtattenſis, in die S. Paſchæ fol. 259. *Poſt Aſcenſionem Domini, & Reſurrectionem, Chriſtiani Zelo Divini amoris, Eccleſiam in loco Monumenti Chriſti, modô rotundô, miræ magnitudinis ædificaverunt, cujus pavimentum ex marmore albo ſtraverunt, tectum verò laminis aureis deſuper ornaverunt; interiora autem parietum, cruſtulis aureis decoraverunt.* Summi enim Pontifices, ſicut ad defenſionem, glorioſiſſimi Sepulturæ Dominici loci, omnibus modis laborare non deſiſtebant; ita locum illum cæteraque, debitâ reverentiâ venerantes, omnibus gratiis exaltare ac nimium honorare decreverunt: ut ita fatetur Innocentius Papa II. in fragmento Epiſtolæ ad Hieroſolymorum Regem, per ſuum Nuntium miſ-

Tom. 12. fol. 255.

ſæ, quæ extat & apud Baronium, & noſtrum Nakielscium fol. 4. adeoque per ſuos Nuntios locum S. Sepulchri inviſentes, per eosdem pro decore illius varia transmiſerunt donaria.

Juſtinianus Imperator anno 536. munificus in Eccleſiam S. Sepulchri & Canonicos ejusdem, edidit conſtitutionem ejusmodi: *Hæc nos ad præſentem legem fecerunt, quam dedicamus Deo, & omnium Eccleſiarum Sanctisſimæ Reſurrectioni, per quam ſancimus omnia quidem alia & in Sanctisſima Reſurrectione obtinere, occaſione prædiorum Eccleſiaſticorum &c.*

S. Guntheranus ſive Guntramnus, ſub die 28. Martii in Martyrologio Romano, Rex Franciæ & Confeſſor, qui miraculis & ſanctitate refulſit, ex theſauro mirô modô detecto, qui antiquitùs in ſpelunca quadam montis fuerat abſconditus, & in ſomnis eidem Regi revelatus. De cujus theſauri auro ipſe Rex poſtmodum Ciborium ſolidum, miræ magnitudinis, & magni ponderis fecit, multisque illud pretioſisſimis gemmis decoratum, ad Sepulchrum Domini Hieroſolymam transmittere voluit. Nec eſt usquam ullum opus ex auro effectum, quod ei valeat comparari. Fecit hoc prædictum opus Rex Francorum, circa annum Domini 1584. In Catalogo Sanctorum Petrus de Natalibus 5to Calendas Aprilis. Theodoricus Ruinart Benedictin. in Notis ad S. Gregorium Turonen. fol. 1396.

Theodoſius imitatione Pulcheriæ, multum pecuniæ miſit ad Archiepiſcopum Hieroſolymitanum, egenis diſtribuendæ, ac Crucem auream lapidibus pretioſis ornatam, quæ in Cranio (id eſt Calvariæ loco) figeretur. Cedrenus.

Carolus Magnus, Rex Francorum, circa annum 779. (Baronius habet) per Zachariam Presbyterum, miſit dona ad loca ſancta, illa deferendo Hieroſolymam. In ejusdem vita habetur apud Tyrium, quòd ad Aaron Regem Perſarum mittens ſuum Legatum, ut Sepulchrum Chriſti, hujus Chriſtianisſimi Regis ſubeſſet poteſtati, ſimul munera miſit ad illud; ita habet contextus vitæ: *Ac proinde cùm Legati ejus* (id eſt Caroli Magni) *quos cum donariis ad Sacratisſimum Domini, ac Salvatoris Noſtri Sepulchrum, locumque Reſurrectionis miſerat, ad eum,* (id eſt Regem Perſarum) *veniſſent, & ei Domini ſui* (nempe Caroli) *voluntatem indicaſſent; non ſolùm, quæ petebant, permiſit fieri; ſed etiam ſacrum illum & ſalutarem lo-*

Libr. 1. cap. 3.

cum

cum (id eſt Sepulchrum Chriſti) *ut illius poteſtati adſcriberetur conceſſit.* Reputabat & ipſe Rex infidelis, qui totum regebat Orientem, nihil dignius & charius remuneraturum ſe Regi Chriſtianisſimo Carolo, à quo vicisſim fuit donis præventus, quam Sacroſanctum Noſtri Redemptoris Sepulchrum, cujus inter Occidentales Reges, primus legitimus factus eſt Dominus S. Carolus. Hinc in Litaniis Sanctorum Patronorum Ordinis Noſtri rogatur: *Sancte Carole Claviger S. Sepulchri. Ora pro nobis.* Quia poſtquam Zacharias Presbyter ab eo miſſus ad Sepulchrum Chriſti, cum eleemoſynis, & ad Regem Perſarum fuerat, Joannes Patriarcha Hieroſolymitanus, pariter per ſuos Nuntios, miſit Regi ſive benedictionis, ſive miniſterii gratiâ Claves S. Sepulchri, ut ſic Reges Franciæ, tanquam Domini, ſtrenuique S. Sepulchri Defenſores, etiam ferro aperirent ſibi S. Sepulchrum, viamque ad illud pararent. Sive, ut reverentiam illius loci extolleret, quòd ipſi Reges ſint Clavigeri, ac quaſi Camerarii cubiculi Sepulchralis Chriſti. Idem Carolus Magnus pro reſtauratione Eccleſiarum Hieroſolymorum, collectam more majorum indixit. Eſt de ea re titulus in ejus Capitularibus his verbis inſcriptus: *De eleemoſyna mittenda in Hieruſalem propter Eccleſias DEI reparandas*; adeoque & pro reſtauranda Eccleſia S. Sepulchri, quam Saraceni iis temporibus ſpoliarunt. Baron. anno 799. num. 12.

Dum item Dux exercitus Chosròë, vaſtaſſet & depopulatus eſſet veneranda loca Hieroſolymæ, & igni tradidiſſet Eccleſiam S. Reſurrectionis, S. Joannes Eleemoſynarius, Epiſcopus Alexandrinus, tanto caſui ex amore Chriſti & S. Sepulchri ſubvenit, & ad relevationem & reædificationem, mittit numismata mille, frumenta, legumina, ferrum, operarios Ægyptios, ad S. Modeſtum Patriarcham Hieroſolymitanum, ſive Presbyterum & Vicarium Sedis Hieroſolymitanæ, ut alii volunt, ſic ad eundem ſcribens: *Da mihi veniam vere Chriſti operator, nihil dignum templis Chriſti mittenti: Vellem enim, crede mihi, ſi eſſet conveniens, & ego ipſe venire & ipſe operari in Domo Sanctæ Chriſti Reſurrectionis.* Iſti Sancto Alexandrino Præſuli, non ſatis fuit, munera in honorem S. Sepulchri, pro reſtauranda Domo ejusdem mittere; ſed ex ingenti dilectione, ſeipſum exoptat fieri operarium, ac proprium laborem pro valenti dono conſecrare. O ingens erga S. Sepulchrum, Sancti hujus dilectio! In Vit. S. Joan. Eleemoſynar.

S. Hiero-

S. Hieronymus, ſcribens adverſus Vigilantium, teſtatur, ex univerſo orbe Chriſtiano, Hieroſolymas mitti eleemoſynas conſveviſſe, quæ in majori nimirum numero dabantur ad S. Sepulchrum. Idem in Epiſtola ſua ad Paulam & Euſtochium ſcribit his verbis: *Quid cæteri Sancti & illuſtres viri, quorum vota & oblationes, poſt prædicationem Chriſti, ad fratres, qui erant Hieroſolymis, deferebantur.* Et infra: *Longum eſt nunc, ſi de cunctis Epiſtolis S. Pauli, omnia teſtimonia revolvere vellem, in quibus hoc agit & tota mente feſtinat, ut Hieroſolymam, & ad ſancta loca, credentibus pecuniæ dirigantur in refrigerium &c. Pariter longum eſt, etſi luſtrare vellem, & indagare theſaurorum locum, in quo exiſtunt pretioſa munera, & dona Sanctiſſimo Sepulchro oblata.* Meminit idem S. Hieronymus, in Epiſtola ad Theodoram Viduam, Lucinii Betici, ejusdem Theodoræ Hispanæ Viduæ mariti, his verbis: *Lucinius noſter laude ſit dignus, omnem ſubſtantiam ſuam diſperſit & dedit pauperibus, ut juſtitia ejus maneret in æternum. Nec patriæ ſuæ largitate contentus, miſit Hieroſolymorum Eccleſiæ tantum auri.*

Albertus Canonicus Bambergenſis, divini amoris igne ſuccenſus, eleemoſynarius, verus Dei Servus, S. Ottoni, Epiſcopo Bambergenſi familiarisſimus, Chriſto mente & corpore indefeſſam exhibens ſervitutem, per præclarisſimum Eberhardum, adhuc in ordine Canonicorum militantem, xenia ſua Hieroſolymam transmiſit, ſicut ſpecialiter cum religioſis quibusque, Sepulchrum Domini viſitantibus, agere ſolebat. In vita S. Ottonis 2da Julii apud Surium.

Imperator Conſtantinus Monomachus, ad opus ædificii S. Reſurrectionis Eccleſiæ, ſumptus neceſſarios, de proprio fiſco miniſtrari juſſit ex quibus de Imperiali ærario miniſtratis, Eccleſia S. Reſurrectionis, quæ nunc Hieroſolymis, ex ſuis ruinis reædificata eſt anno 1048. ante Urbis liberationem 51. poſtquam verò diruta fuit anno 37. Archiep. Tyrenſis libr. 1. cap. 6.

Philippus Rex Francorum, pro ſubſidio Sancti Sepulchri, legavit trecenta millia librarum Pariſienſium. Rigordus.

Henricus Angliæ Rex, pœnitentiæ ſtimulo ante mortem ductus, Guillelmo, Mareſchalco, familiari ſuo, tradidit crucem ſuam, Hieroſolymam ad S. Sepulchrum deferendam. Breviar. Chronolog. Coriolani anno 1183. fol. 244.

S. Eles-

S. Elesbaan Rex Æthiopiæ, (ponitur in Martyrologio Romano die 27. Octobr.) expugnatis Christi hostibus, agens gratias pro tanta victoria, diadema regium, misit Hierosolymam anno 523. abdicatam coronam Regni sui, Triumphatori ac Regi Sæculorum Christo, ex Sepulchro victorioso, cessit, ipse indutus cilicio, monasticam suscepit vitam. Baronius eodem anno num. 29. ex Actis S. Aretæ Martyris.

Cum Ecclesia, quæ apud Hierosolymam Sepulchrum Domini continebat, iniquissimis Judæorum suggestionibus, ac nequitiæ dolo devastaretur, ut habet Baronius anno 1009. & Rudolphus Glabrus libr. 3. cap. 7. num. 40. Mater tamen ipsius Principis Ammirati Babylonis, mulier Christianissima, nomine Maria, reædificare cœpit templum politis & quadris lapidibus. Tunc quoque de universo terrarum orbe, incredibilis hominum multitudo, exultanter Hierosolymam pergentes, Domui Dei & S. Sepulchri restaurandæ plurima dederunt munera. Quod ipsum deducitur & ex eo, quia Urbanus II. in sua Oratione exponens, quantæ abominationi traditum sit Sepulchrum Domini, inter alia adducit violentam abstractionem ab Infidelibus oblationum, quas ibi pro cultu illius, multoties intulerunt varii Principes; adeoque statim ab inventionis suæ primordiis, fuisse exornatum pretiosis oblatis.

Postquam verò sub Duce Godefrido, in liberam potestatem S. civitas venit, populoque liber passus ad S. Sepulchrum dabatur, quis enumerare valebit, quanta dona, honoraria, ad S. Sepulchrum Hierosolymitanum, Principes, devotique detulerunt visitatores; ita ut nemo ad Domini Sepulchrum, vacuus appareret. Hi, quos fortunæ copia, bonorum amplitudine cumulavit, pretiosam in magno numero congerunt suppellectilem; quos verò pauperies inermis, à tali pensione impotentes reddidit, supplebant defectum hunc, molestia itinerum, labor pedester, æstus & cætera, quæ adventum eorum ad Christi Sepulchrum arduum & difficilem comitabantur, in vim magni muneris ad illud obtulerunt. Invictissimus Belligerator Princeps Godefridus, dedit Joppe quartam partem Canonicis Ecclesiæ S. Sepulchri, Turrim David cum tota Hierosolymitana Urbe, ejusque pertinentiis; hæc omnia in præsentia totius Cleri & populi in die solemni Paschæ,

 ante

ante Sacrum Sepulchrum confirmavit. Ut habetur in Epistola Daimberti Patriarchæ Hierosolymitani, ad Boamundum Principem Antiochiæ scripta. Ducis exemplo, & Victores commilitones, recuperato S. Sepulchro, illud quàm primùm adeuntes, ibi profusis lachrymis, genibus nudis, JESUM quasi adhuc Sepulchri in tegumento detentum, uberrimis complectebantur affectibus, auri, argentique magnifica tributa pendentes, quorum valorem, ac æstimabilitatem taxabat, interna ad illud devotio; habet Gvibertus Abbas.

Tyrius lib. 10. cap. 4.

Libr. 7. Hist. Hierosf. c. 9.

Anno 1185. Rex Hierusalem, Baldvinus Leprosus, & alii Principes miserunt Heraclium Patriarcham cum clavibus S. Sepulchri ad Henricum Regem Angliæ, Filium Mathildis Imperatricis, ut & ipsæ claves à S. Sepulchro, magni muneris essent Regibus, quibus copiosi aperirentur thesauri, ei subveniendo.

Vexillum seu Stantarum, quod Regis Babyloniæ exercitui Ammirati, sive Admiravisi, signum præferebatur, habens pomum aureum in summitate hastæ, quæ erat cooperta per totum argento, devicto hoste ad Urbem Ascalonam, captum à Roberto Normannorum Principe, ab alio quodam raptum, sed ab eodem Principe, viginti argenti marcis emptum, in tantæ victoriæ testimonium, in honorem Dei & S. Sepulchri, Arnulphò Patriarchæ traditum, & in Templo Dominici Sepulchri illatum, ad illud statutum fuit, & usque in hodiernum diem, in memoriam tantæ victoriæ Christianorum, attitulatum fuisse, ad sua tempora dicit idem Aquensis loco citato. Raymundus de Agiles. Et Baldricus Archiep. Dolensis in fine suæ historiæ.

Aquens. libr. 6. cap. 18.

Post obtentam victoriam sub Ascalonia, Jerusalem cum gaudio victores reversi sunt & de præda, quam Dei dono ceperant, oblationes ad Sepulchrum Domini gloriosum, cum gratiarum actione, & munera multa obtulerunt. In Gestis Franc. cap. 32.

Gerardus strenuus miles, summoperè Ducem Godefridum exorabat, ut equum & arma illius Sancto præsentaret Sepulchro, quæ illuc Deo famulantibus, scilicet Canonicis dictæ Ecclesiæ, pro remedio animæ illius largiretur.

Albert. Aquen. libr. 7. cap. 2.

Annô Domini 1173. Henricus Leo Dux Saxoniæ & Bavariæ cum quingentis ferè militibus, tendens felici progressu ad S. Sepulchrum, ut habet Godefridus in Annal. splendidoque ac numeroso

roſo comitatu; qui inter cætera pietatis ſuæ documenta, obtulit ad S. Sepulchrum pecuniam multam, & Baſilicam, in qua lignum S. Crucis repoſitum eſt, ornavit muſivo opere, & oſtia ejusdem Baſilicæ, veſtivit argentô puriſſimô. Deputavit etiam redditus annuos ad cereos comparandos, jugiter ad S. Sepulchrum arſuros. Ita ſcribit Arnoldus Lubecenſis libr. 2. Chronic. Sclavorum.

Gvillermus & Richardus Duces Excellentiſſimi, qui dona ampliſſima ſacris Eccleſiis mittebant Hieroſolymam ad Sepulchrum Salvatoris; Richardus II. Normanniæ Dux, centum auri libras miſit, ac quoscunque cupientes illuc devotè peragrare, donis juvabat immenſis. Rudolphus Glabrus Hiſtor. libr. 1. cap. 5 fol. 9.

Britannorum Rex ex Palæſtina diſcedens, Inſulam Cypri, pro ſua, Hieroſolymitano Regi donavit, ut à ſe Dominico Sepulchro attributam, imperium Cypri cum Palæſtinæ finibus, fieret conjunctum. Nicetas Choniates in Annal. fol. 48. in fine libr. 2di.

Franciscus Alvarez refert in ſuo Itinerario Æthiopico, quod ingentia dona & tapetes miſit, Pretioſus Joannes Æthiopiæ Rex, Hieroſolymam, ut totos muros Eccleſiæ S. Sepulchri tegerent. Damianus Gòès libr. de moribus Æthiopum ſcribit: quod ſolenni ritu Patriarcha Æthiopiæ, ab Hieroſolymitanis Monachis eorundem, qui ibi apud Sepulchrum Domini habitant, ſuffragiis creatur; & poſtquam deſcripſiſſet iſtam creationem, tandem ſubdit: *Qui accepto nuntio ac muneribus, quæ Imperator Dominus noſter, ad S. Sepulchrum dono mittit, continuò alium Patriarcham, ſuffragiis plurimorum eligunt, ſed fas non eſt alium, quam Alexandrinum eligere, ac moribus incorruptum.* Ecce quomodo Æthiopes venerantur loci illius ſanctitatem, dum ad ibidem manendum, talem provident, quem morum incorruptio recommendet. Ipſimet exiſtimantes, non eſſe dignum cuſtodiæ talem præfici, in quo mores ſunt depravati.

Neapolitani non paucis ab hinc annis, lampadem argenteam pulchram & artificioſam ad S. Sepulchrum obtulerunt, ut recenter editus Conradus Hietling. libr. 2. manuduct 10. teſtatur. Cujus pretium 24000. coronatos tranſcendit, & ſimilem in mundo ad magnitudinem & majeſtatem, vix dari aſſerit; cujus pondus vel ex eo colligit, quod ad faciem S. Sepulchri appenſa in ferrea cate-

na, non minori, quam nostræ catenæ puteales sunt, quibus aqua hauriri consvevit.

Regnum etiam nostrum Poloniæ liberum, benignam liberalitatem in S. Sepulchrum elargitum est, quâ pignus suæ in illud venerationis contestaretur. De Comite enim Pacoslao, ex Illustrissima Palatinorum familia, ita refert Samuel Nakielski, Ordinis Nostri Chronologus & Historicus: ejus verba ex quodam pervetusto Diplomate Archivi Conventus Miechoviensis: *Ego Pacoslaus signô Crucis acceptô, visitaturus Sanctam Terram Hierosolymitanam, ut hujus itineris labore, meorum consequar indulgentiam peccatorum, & quia peccatis exigentibus præpedior, pro voti mei redemptione, transmisi priùs octo marcas auri, Sancto Dominico Sepulchro offerendas, circa dictum S. Sepulchrum deservientium, me committens orationibus &c.*

Celsissimus Nicolaus Christophorus Radziwil, Dux Olycæ & Nieswiez, S. R. Imperii Princeps, Archimareschalcus M. D. Lithvaniæ, Eques S. Sepulchri, obtulit donavitque Sancto Domini JESU Christi Sepulchro, quod personaliter adoravit & osculatus est, calicem totum aureum cum patena aurea, & lampade, penes S. Sepulchrum arsura, in utrisque cum nomine & stemmatibus suis. Item ex Ducatu suo Nieswieziensi quotannis S. Sepulchro, ut centum viginti quinque aurei, in perpetua tempora proveniant, se suosque in iisdem Bonis obligavit Successores; ex quibus viginti quinque aurei ordinati sunt ab eo, pro oliva in lampade ardente, perpetuò habenda in Sancto Sepulchro JESU Christi. Fuitque Procurator Generalis S. Sepulchri per Regnum Poloniæ, eleemosynarum tribuendarum Monumento Christi. Ad Ecclesiam Bethleem calicem argenteum cum patena deauratum obtulit. Constat ex ejus Epistola Peregrinationi inserta fol. 69. & 71.

Imò Ecclesia Hierosolymitana, omnes hæreditates, quascunque potuit acquirere, has propter Dominici Sepulchri reverentiam est consecuta. Patet id ex Bullis variis Pontificum, quas adducit noster Nakielski; & ex Rescripto Patriarchæ Hierosolymitani Conventui Miechovien. apud eundem fol. 84. Et tot oblationes, eleemosynas, subsidia pro recuperatione S. Sepulchri oblata, quis valeat enarrare? ad quas colligendas Clemens IV. Priores & Fratres Dominici Sepulchri Hierosolymitani, Ordinis S. Augustini, qui *veri Divinæ fidei, ac culturæ Christianitatis Athletæ,*

tæ, ab eodem Pontifice dicuntur; Procuratores, ac Collectores destinavit. Pariter omnes Fundationes, beneficia exhibita, à variis insignibus Benefactoribus, Ordini Nostro in Polonia, sive in aliis Regnis existenti, data & elargita sunt, intuitu S. Sepulchri. In omnibus enim tam Bullis Pontificiis, approbativis Fundationum, dotationum, quàm in ipsis originalibus Diplomatibus Ducum, Senatorum ac Nobilium, sive Equitum Regni Poloniæ, villas, aliaque bona tradentibus & cedentibus; hic stylus, forma à principio servata his terminis: *Dedit Sancto Sepulchro: ad honorem S. Sepulchri: cupiens Sepulchro Dominico reverentiam & honorem exhibere: ob amorem Dei & reverentiam S. Sepulchri*; videre licet apud Nostrum Nakielski, in pluribus locis. Ex quo patet etiam Regnum nostrum, fuisse beneficum erga S. Sepulchrum, ex cujus amore motivoque præstandæ illi reverentiæ ac venerationis, has & alias nobis diremptas, dederunt fundationes, quibus designarent ac testatum habere vellent, intimum suum affectum erga Monumentum Christi.

Tandem (inquit Petrus Rota Conc. pro Domin. Resurrect) *cohonestatur hoc Sanctum Christi Sepulchrum, usque in hodiernum diem à Principibus viris, aliisque devotis Christianis, qui ex toto Christiano Orbe, ad illud invisendum, & amplissimis muneribus honorandum, catervatim confluunt.* Tale enim studium in ornatu Sepulchri Christi instituendo, incumbit cunctis Regibus & Principibus Christianis. Etsi enim non possint, sive nolint illud eximere, exemplo Antecessorum suorum, ob varias status sui, quas adferre solent, quarum sit penes illos fides, rationes; nullam tamen prætendere possunt excusationem, ut venerab. Maria à JESU censet, quominus in tam præclaro isto, tantô mysteriô insignito loco, competentem decentiam, pro possibili non promoveant; curentque indefessâ diligentiâ in suis etiam Regnis erigere Ecclesias sive Capellas, quæ Sepulchrum Christi, exornatione decentissimâ constructum contineant. Sive etiam eleemosynarum variis iisque cumulatis subsidiis, Hierosolymitanum Christi Sepulchrum adornare non pigritent. Si enim aliis locis præstita eleemosynarum largitio, acceptissima est DEO, non mediocris sanè meriti & valoris apud DEUM existit, impensum beneficium Sacris illis locis, ut Sanctuaria illa, quæ in infidelium existunt potestate, in debito ac

perſeveranti ſuo cultu conſervari valeant, & tot prætenſis exactionibus, neceſſitatibus inſervientium, devaſtationibus ac ruinis, talibus præſtitis largitionibus occurratur. Robertus Siciliæ Rex & Sancia Regina erga Redemptoris Domini JESU Chriſti obſequia, Zelo devotionis & fidei accenſi, loca ſacra Hieroſolymis omni ſtudio redimere ſatagebant, quod quia ſine notabili ſumptu exequi non poterant, devotam ac notabilem oblationem S. Sepulchro detulerunt, & præcipuè quibusvis divitiarum theſauris pretioſiùs ducentes Sepulchrum Chriſti Domini, pro illo redimendo à Soldano Babyloniæ, & religioſis Catholicis tradendo, magnos ſumptus & labores expenderunt, quorum Regum pietatem Clemens VI. ſingulari laude proſequitur. Eluxerunt tot laude digna illi præſertim loco exhibita beneficia, ab ampliſſimis Regibus Chriſtianiſſimis & Catholicis, nec non quàm plurimis Provinciis, quæ adeo fortunam illius æſtimarunt, ut etiam opes ſuas illius decori cederent. Poſtulat hunc amorem etiam Sentitum in donis, locus ille adeò appretiabilis, ut cui ſe impendit ipſum numen poſſidendum, eidem non graventur & Principes Chriſtiani, ſuarum poſſeſſionum impendere partem, qui hunc Deum quem nunc corde colunt, æternum ſperant poſſeſſuri. Cujus enim etiam & durum cor non emolliet petra illa Chriſti, quæ tantis cincta adverſis preſſuris, toties minacibus impetitur auſibus, qui non aliter ſupprimi valent, niſi auri famelicis, obſtruantur ora belluis. Gemit ſub pondere oneroſo, ſacrum illud depoſitum, & vectigali premitur lucro, nonne magnæ charitatis opus eſt, captivo ſuccurrere, vincto porrigere manum, oppreſſum ſublevare, quod ſanctiori animarum lucro ceſſurum eſt. Quod ex minimis (id eſt reſiduis illis terræ ſanctæ locis) aliquid feceritis, ipſi Chriſto id faciendum ſciatis.

Nonſolum veteres Ægyptii, Romani, verum & Judæi aliique Gentiles, tantum in ornandis Sepulchris adhibuerunt ſtudium, ut in nullo magis viderentur ſuam affectaſſe gloriam, quam in ornatu Sepulchrorum; talibus magnificentiſſimis ſtructuris, decoribus, muneribus, volentes conditi celebrare nomen, quam ut &
Conc. LXV. ipſi immortalitatis famam, per hoc poſſent conſequi. *Si tamen illa omnia & ſingula* (inquit de gloria Sepulchri Chriſti Reverendiſſimus Fornerius) *quibuscunque divitiis, in fabricata opera effuſis, cum unico Chriſti Domini Sepulchro, cujus apud Prophetam eſt elogium, conſe-*

conferantur, illa à Christi Domini Sepulchro, infinitis passibus longissimè superari experiamur. Quò enim Sepulchrum Christi conditi, infinities excedit sua dignitate quæcunque monumenta, eò etiam Sepulchralis ornatus, muneraque ejus decori exhibita, summè nomen eorum attollunt, & famam suam tam apud Deum, quam apud sæculum in beata æternitate consequuntur. Si ergo & tu dignitatem vis meriti assequi, elige inter alia media & hoc, ut cures ornatum Sepulchri Christi, affectes gloriam ejus, per promotionem devotionis erga illud. Verùm si apud Deum magni valet etiam voluntas, ac desiderium boni facti æstimatur: Offer ergo, qui pauper es, omnes divitias, fortunæ facultates, possessiones, quas habet mundus, desidera has omnes impendi, magis honori & ornatui Sepulchri Christi, & eliberationi terræ sanctæ, quam inani pompæ, luxui. Vel si corde tuo nihil charius habes, hoc munus pretiosum defer ad S. Sepulchrum, ut eum unicè ac intensè ames, quem tam arctè complexum fuit monumentum. Vellem Domine sacrificium sangvinis mei, in honorem S. Sepulchri tui deferre, ut tali Sacrificiô mortis meæ, tuo nomini exhibitô delecteris: sed cum id præstare non possum, salutis tibi dona refero, cor contritum & humiliatum, ante illam tremendam Petram, ne despicias.

Inter pyramides, obeliscos & columnas, epitaphia, variaque id generis munera ac decora, quibus gloriosa reddebant sarcophaga, consveviffe olim amicorum Sepulchris, cordis figuram insculpere. Nullus amicus Christo charior, nec alium, nisi eum habere cupias & velis. Præter ergo ornatum illum, quem à mundi Principibus habet, adde & tu monumento ejus cor tuum, ut gloriosum ex ornatu & muneribus facias; idque non solum externè illud affigas, sed splendidum ac purum internè, ipsi Sepulchro imponas, ut non nisi illi soli vivas, qui tibi sepultus fuit; nec munus pulchriùs conferes Sepulchro, quam dum immaculatum cor tuum tanquam arrham ante illud appendes, si non inferas: *Tuo me conde Sepulchro.*

Taliter fecit anno Domini 1467. die 15. Junii moriens Philippus I. Dux Burgundiæ, 26. Comes Hollandiæ, ætatis suæ 73. qui seriô testamento filiis suis mandavit inter cætera, ut cor ejus Hierosolymæ sepeliretur, quod multis monilibus aureis, & argenteis ab

ab Episcopo Ottrebatensi exornatum & capsâ inclusum, multis nobilibus stipantibus, Hierosolymam delatum est. Chronic. Holland. cap. 54. Philippus Dux Burgundiæ 29. Comes Hollandiæ, pariter mandavit cor suum sepeliri in Hierusalem: ibidem Divisione 22. cap. 23. Robertus Brusius, Scotiæ Rex, moriens petiit, ut unus eligeretur ex præstantissimis Regni Ducibus, qui cor suum Hierosolymam, ad Christi Sepulchrum deferret. Id enim sibi vivo, maximè semper fuisse in votis, ut eò profectus hostes Christiani Nominis oppugnaret. Sed quoniam per frequentia bella, statumque suum non licuisset, id saltim modo optare, ut cor illius quod est præstantissimum donum corporis humani, & quô jam sæpe illuc evolaverat, id sepeliendum in Templo Dominici Sepulchri, quod in Golgotha ædificatum est, illuc deferretur. Eô itaque defunctô, Jacobus Douglas, vir fortissimus, id muneris subivit. Capsulæ inclusum aureæ cor defuncti, cum nobilissimo virorum comitatu Hierosolymam vexit, munera regia Religiosis locis distribuit, copias suas Christianis reliquis adjunxit. Satis fuit laudatissima in hoc Rege & Ducibus intentio, qui quod excellentiùs in corpore suo habuerunt, hoc voluerunt ad Monumentum Christi deferri, ad quod venerandum totis præcordiis anhelabant: adeoque ultimò morientes, primum vivens inferre voluerunt Christi Tumulo, ut ejus gloriæ etiam post funera vivant. Æmulare hoc Sanctum Regis & Ducum votum, crede mihi, nihil majùs, tantô poteris dare donô.

H. Boetius lib. 14. & 15. In 2. volum. Theatr. hum. vit. lib. 7. fol. 1569.

Felicem tumulum, sacros qui condidit artus,
Non fuit in toto, sanctior orbe locus.
Huc amor! huc pietas! lachrymarum huc currite fontes,
Hæc Christi tumulus, munera ferre petit.

Nicolaus Turlot in Thesau. doctr. Christ. mutato ultimo versu.

Laudabilem hanc reverentiæ erga Sepulchrum Christi fuisse liberalitatem, ut circa illud, oleo nutriente, multæ collucerent lampades. Adamnanus libr. 1. de locis Sanct. cap. 11. scribit, quod in Sepulchro duodenæ lampades, juxta Nomina XII. Apostolorum, semper die ac nocte ardentes lucebant. Subsequenti tempore quadraginta quatuor, intra antrum, ubi locus est ubi positum fuit Corpus JESU. Item extra ordinarias lampades duas, unam Hispanicam, alteram Florentinam, dicit Hietling. Visitante personaliter Thoma Mlodzianowski Societ. JESU, Theologo

Polono,

Polono, ex ejus aſſertione fuiſſe lampadem Ferdinandi Imperatoris, Regis Galliæ, Imperatoris Moschoviæ. Nempe ut tam coruſcante auro & argento, quam luminibus illis, charitatem loci illius, etiam terrenis luminibus illuſtrarent. Verùm illuſtrius donum conquirendo, honeſtando illi loco, vellem & utinam omnium corda, tanquam ardentiſſimas lampades, poſſim appendere, ante tuum Sacroſanctum Sepulchrum JESU, ut continuo ibi ardeant, liquefiant & luceant. Cui condecorando, qui religioſa inops es profeſſione, vel hoc unicum impende, & ſatis dediſti. In Præfat. Patr. Ord.

CAPUT VIII.

Sepulchrum Chriſti demonſtratur glorioſum ex Feſto, Miſſa & Officio; ex Confraternitatibus, in honorem S. Sepulchri erectis; Indulgentiis iisdem conceſſis; ex Sepulchris die Paraſceves, in repræſentationem Hieroſolymitani, extructis. De quibus ſingulis Paragraphis, & penultimo de officio Cuſtodum Sancti Sepulchri.

§. I.

Sepulchrum Chriſti glorioſum, ex Feſto, Miſſa, & Officio in honorem illius inſtituto.

Antiquitatem piæ ſententiæ, defendentis Immaculatam Conceptionem ipſius Virginis MARIÆ, probant Theologi, inter alia, ex eo, quia Feſtum hoc antiqua & laudabili conſvetudine celebrabatur. Simili utimur probatione hoc Paragrapho, dum antiquitatem gloriæ S. Sepulchri demonſtramus, ex ratione Feſti, Miſſæ, & Officii, in honorem S. Sepulchri inſtituti. Exhibuit hunc cultum publicum Sacrificii & Officii Canonici, Eccleſia

Hierosolymitana, quæ in favorem festivæ gloriæ & cultûs Sepulchri Christi, peculiare Officium, Missam & Festum ejusdem, Dominica Secunda post Pascha celebravit. Juxta quam piam, devotam, & laudabilem consvetudinem, & approbatum usum S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Ordo Noster in Polonia, aliisque Provinciis, idem Festum cum Officio & Missa peragebat: *Priscis quidem illis temporibus* (inquit Samuel Nakielski) *cum Religio nostra, è S. Sepulchri Domini Hierosolymitano templo, in hoc Regnum induceretur, & per vicina Regna, simul etiam ritus & cæremonias, festosque Hierosolymitanæ Ecclesiæ dies, à nostris Patribus piè cultos, per totum Regnum religiosè propagatos, & ritè receptos fuisse, nemo negabit.* Quod ipsum ex eo deducitur, quia Breviaria & Missalia, quibus Ordo B. Virginis de Monte Carmelo, antiquitùs utebatur, extracta fuerunt & approbata, usu Dominici Sepulchri Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ex eo, quòd hic Ordo ibidem exordium sumpsit. Ita Breviarium à Jvone Govele Britiano, sub anno 1462. scriptum hæc habet: *Incipit Breviarium Fratrum B. Mariæ de Monte Carmeli, extractum & excerptum de approbato usu Sepulchri Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cujus finibus dictorum Fratrum Religio sumpsit exordium.* Item in Breviario Venetiis impresso, sub anno 1495. operâ Joannis Mariæ de Poluciis Baccalaurei, sic habetur: *Incipit Ordinale Horarum Canonicarum, Fratrum Sacri Ordinis Gloriosissimæ Dei Genitricis, semperque Virginis Mariæ de Monte Carmeli extractum & excerptum de approbato usu Dominici Sepulchri Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ, in cujus finibus dictorum Fratrum, alma Religio sumpsit exordium.* Similia verba habentur in Missalibus Venetiis editis, sub annis 1509. & 1551. quæ in Bibliotheca Transpontina servantur. Hac etiam de causa antiquitus, ut patet ex prædicto Breviario de anno 1462. Officium fiebat in dicto Ordine, quorundam Sanctorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, uti S. Mathiæ Episcopi, S. Simeonis, S. Alexandri & cæterorum; item Mariæ Jacobi & Salome, quæ festa ad Hierosolymitanam Ecclesiam propiùs spectare videntur. Propterea etiam, dum ad normam Breviarii ac Missalis Romani, Carmelitarum restitueretur tempore Gregorii XIII. anno 1584. declaravit Pontifex in Bulla, Fratres Carmeli, usos fuisse Breviario, juxta Hierosolymitanæ Ecclesiæ consvetudinem multis sæculis. Taliter refert Joannes Baptista de Lezana, in Annal.

In Præfat. Patr. Ord.

Carmelit. Tom. 4. fol. 79. Cum igitur & Ordo Noſter, originativè ex ipſa Hieroſolymitana Eccleſia proceſſerit, ſicut hæc certo ac ſtatuto tempore, gloriam Sepulchri Chriſti peculiari promovebat Officio, Miſſa, ut hoc ſentire ſit valde pium & congruum, tantæ ibidem celebritati loci illius, quamvis de qualitate Officii, id nobis determinatè non conſtat; ita & in Regnis aliis, antiquis temporibus, habentibus ſummam communicationem cum dicta Eccleſia, idem Officium, reducta forma quoád fieri poterat, ab Ordine Noſtro, annuè ab immemorabili tempore recitatum fuerat Officium proprium cum Miſſa, ſub ritu Duplici primæ Claſſis cum Octava, Dominicâ Secundâ poſt Paſcha, in honorem dicti Sanctiſſimi Sepulchri Chriſti Domini, ut pote Feſti ſui Ordinis principalis.

Olim quoque in Diœceſi Cracovienſi, idem Feſtum Sacrum, dicta Dominica habitum fuiſſe, conſtat ex Miſſali antiquo ejusdem Diœceſis, propriis oculis à me viſo & lecto, in Gazophylacio Sacrarii ejusdem Vavellani Templi Cracovienſis; in quo Gothico charactere, legitur iſte titulus: *Miſſale ſecundùm ritum, inſignis Eccleſiæ Cracovienſis Cathedralis, ſub Reverendiſſimo Domino Petro Tomicki, Epiſcopo Cracovienſi, & Regni Poloniæ Vice Cancellario.* Et fol. 329. ſic titulus habet: *Officium de Sepulchro Domini, cujus Feſtum celebratur Dominicâ Secundâ poſt Paſcha.* Introitus: *Gaudeamus omnes in Domino, diem Feſtum celebrantes, in honorem Sepulchri Domini, de cujus ſolennitate gaudent Angeli, & collaudant Filium Dei, Alleluia.* Poſt Pſalmum: *Nos autem venerari oportet Sepulchrum Domini Noſtri JESU Chriſti, in quo eſt ſalus, vita, & conſolatio noſtra &c.* Oratio. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui Unigenitum Filium tuum, Dominum noſtrum JESUM Chriſtum, pro noſtra reconciliatione, in ara Crucis arefactum in Sepulchro ſepeliri feciſti, eumque tertia die à mortuis immortalem reſuſcitaſti; tribue nobis quæſumus, ut qui ejusdem tui Sepulchri, feſta ſaluberrima annuis temporibus devotè peragimus, ad æterna gaudia pervenire mereamur.* Per Chriſtum &c. Evangelium ſecundum S. Matthæum cap. 27. *Convenerunt Principes Sacerdotum & Phariſæi &c.* vel ſecundum Joannem: *Rogavit Pilatum Joſeph &c.* Secreta: *Preces & hoſtias, quas tibi Domine JESU Chriſte offerimus, ob devotionem & ſolennitatem Sacratiſſimi Sepulchri tui, benignus aſſume &c.* Præfatio Paſchalis. Poſt

Communionem: *Sacramenta tua Domine JESU Christe, quæ devotè sumpsimus ob præsentis diei, & Sacratissimi Sepulchri tui solennitatem &c.* In fine ejusdem Missalis: *Missale secundum consvetudinem almæ Ecclesiæ Cracoviensis, feliciter explicit Anno Domini MDXXXII. Mense Augusto.* Venetiis impressum per Petrum Liechtenstein, impensis providi viri Michaelis Wechter à Rimanow, Civis & Bibliopolæ Cracoviensis.

In Regno pariter Galliæ, Officium solenne celebratur de Sanctissimo Sepulchro cum Octava, ut constat ex libello mihi transmisso Parisiis postâ Cracoviam Anno Domini 1739. cui titulus: *Officies Propres Pour Les Religieuses Chanoinesses De L'Ordre Du Saint Sepulchre De Hierusalem. Establies à Paris au Fauxbourg Saint Germain Le tout conforme au Breviaire Romain.*

In quo libello fol. 26. talis habetur titulus.

L' Office Solemnel Pour Le Jour de la Feste du S. Sepulchre de Nostre Seigneur Double de la premiere Classe avec Octave; & habetur Officium cum Antiphonis, hymnis, Psalmis, & Lectionibus ac Responsoriis propriis per totam Octavam.

Demum Ordo Noster in Polonia existens, volens laudabilem hanc pietatem erga celebrandum Festum S. Sepulchri, nunquam ulterius immutare, sed potius augere, & perenniter stabilire, peculiari studio Reverendissimi Generalis, supplicavit Sanctissimo Domino Nostro Benedicto XIV. & S. Rituum Congregationi, per suum Procuratorem Generalem, protunc Romæ commorantem in negotiis Ordinis, pro Approbatione Officii Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani cum Missa pro universo Ordine Canonicorum dictorum, sub ritu Duplici primæ Classis cum Octava: quam gratiam S. Sedis benignè obtinuit ejusmodi Decreto.

Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani.

Cum in Congregatione, Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sancti Sepulchri Domini, in Regno Poloniæ commorantium, ab immemorabili tempore recitatum fuerit & recitetur Officium proprium cum Missa sub ritu Duplici primæ Classis cum Octava Dominicâ Secundâ post Pascha Resurrectionis, in honorem

norem dicti Sanctissimi Sepulchri Domini; cumque Canonicus Florianus Buydecki S. Theologiæ Doctor, & Procurator Generalis dicti Ordinis, humillimè supplicaverit Sacrorum Rituum Congregationi, pro Approbatione suprascripti Officii proprii & Missa, ac pro illius extensione ad universum dictum Ordinem. Sacra eadem Congregatio, audito prius R. P. D. Ludovico de Valentibus Fidei Promotore, suprascriptum Officium proprium cum Missa pariter propria, ab Eminentissimo & Reverendissimo Domino Cardinali Sancti Clementis Subrogato in locum claræ memoriæ Cardinalis Gotti, diligenter revisum & correctum approbavit, illudque unà cum dicta Missa in universo præfato Ordine, in Festo Sanctissimi Sepulchri Domini recitari, & respectivè celebrari posse, sub enuntiato ritu Duplici primæ Classis cum Octava, Dominicâ Secundâ post Pascha Resurrectionis benignè concessit. Hac die 1. Xbris 1742.

(L. S.) F. J. A. Cardinalis Gvadagni Propræfectus mpp.
T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius mpp.

In eadem Sacra Congregatione, emanavit alterum Decretum, quô approbatæ sunt pro universo Ordine Nostro, Lectiones propriæ secundi & tertii Nocturni pro diebus infra Octavam S. Sepulchri, & in ipsa Octava. Quod Decretum est tale:

Ordinis Canonicorum Regularium Custodum Sancti Sepulchri Hierosolymitani.

Cum à Sacra Rituum Congregatione sub die prima Decembris 1742. approbatum fuerit Officium proprium cum Missa Sanctissimi Sepulchri quotannis recitandum à præfato Ordine, sub ritu Duplici primæ Classis cum Octava in Dominica Secunda post Pascha. Idcirco Jacobus Radlinski, Præpositus Generalis supradicti Ordinis, eidem Sacræ Rituum Congregationi enixè supplicavit, quatenus suprascriptas Lectiones proprias Secundi & Tertii Nocturni, desumptas à Sanctis Ecclesiæ Patribus & Doctoribus cohærentes solemnitati ipsius Sanctissimi Sepulchri pro diebus infra Octavam, & pro die Octava benignè approbare dignaretur. Et Sacra eadem Congregatio supra dictas Lectiones per Eminentissimum & Reverendissimum D. Cardinalem S. Clementis accuratè

revisas & examinatas, ac in Sacra Rituum Congregatione relatas approbavit, atque à Canonicis memorati Ordinis recitari posse concessit. Hac die 1. Decembris 1745.

(L. S.) C. Card. de Majuis Præfect.
T. Patriarch. Hierosol. Secretarius.

Verum ne hac gratia S. Sedis inter domestica tantum penetralia Templorum & Conventuum Nostrorum, cultum Sanctissimi Sepulchri laudabilem reddat, institit Ordo Noster, ut eadem S. Sedes extendat dictum Officium & Missam ad universum Regnum Poloniæ, & Magnum Ducatum Lithvaniæ; pro qua obtinenda extensione dicti Officii & Missæ præfixo supra in Decreto tempore, supplicavit Serenissimo Regi Poloniarum feliciter regnanti, tum quoque Eminentissimo S. R. E. Cardinali Joanni à Lipe Lipski, Episcopo Cracoviensi & Duci Severiæ; Celsissimis, Illustrissimis, Episcopis Regni Poloniæ & M. D. Lithvaniæ pro instantialibus Literis ad Sanctissimum Papam, & Sacram Rituum Congregationem.

Literarum Serenissimi Regis Poloniæ Augusti III. contextus est talis:

Sanctissime ac Beatissime in Christo Pater, Dne Dne Clementissime.

Post oscula Beatorum pedum Sanctitatis Vestræ, mei Regnique ac Dominiorum meorum humillimam commendationem. Cum nonnulla Monasteria Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri Hierosolymitani ad Regnum meum jam diu translata, adhuc observantia ac pietate floreant, atque Christi fideles, non solum Poloni, verum etiam Lithvani peculiari devotione, eundem Ordinem Mysteriumque Sacrosancti Domini Nostri JESU Christi Sepulchri prosequantur; optimum factu judicavi, ad majorem Dei gloriam, ac populorum devotionem augendam à Sanctitate Vestra petere, & enixè supplico, ut Missam & Officium de Sepulchro Christi, præfato Ordini à Sancta Apostolica Sede concessum, ad universum, Clerum Utriusque Gentis extendere dignetur. Et enim cum Beatitudo Vestra humillimæ supplicationi meæ clementissimè

tiſſimè dignata fuerit, à Deo benedictionem mihi Regnoque meo ejusdem Sancti Sepulchri præſidio ac patrocinio, profecto ſperare licebit. Ego verò tanto beneficio auctus, diuturnum ac felix Chriſtiani Orbis regimen, Sanctitati Veſtræ apprecari non prætermittam; atque interim Filiali cum obſervantia maneo.

Dabantur Dresnæ die 1ma Menſis Julii Anno Dni 1737. Regni verò mei Anno IV.

Sanctitatis Veſtræ
Obediendiſſimus Filius
Auguſtus Rex Poloniæ.

Eminentiſſimi Cardinalis Lipski, Epiſcopi Cracovienſis Ducis Severiæ, ejusmodi literæ:

Eminentiſſimi Reverendiſſimi Domini mei Obſervantiſſimi.

Procerum & Populi, præſertim iſtius Diœceſis meæ Cracovienſis in id vota conſpirant, ut Sanctiſſimi Sepulchrum Chriſti ardentiore devotionis & pietatis propagetur cultu. Hinc eſt quod in Oppido Miechow in hac Diœceſi mea ſito, Eccleſiam Conventualem Ordinis Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Sepulchri Cuſtodum; Populus viſitando, ſingularem devotionem erga hoc S. Sepulchrum habeat, ut itaque etiam in aliis partibus Regni iſtius augeatur & propagetur gloria hujus Sanctiſſimi Sepulchri, Eminentias Veſtras rogandas duxi, quatenus non dedignentur negotium hujusmodi ita promovere, nimirum ut ex plenitudine Apoſtolicæ poteſtatis, extendi valeat Officium & Miſſa de præfato Sanctiſſimo Sepulchro Chriſti recitandum, ad univerſum Clerum Sæcularem & Regularem hujus Regni Poloniæ. Gratiam hanc omnium bonorum Largitor Deus retribuet, & ego in particulari circa oſculum manuum Eminentiarum Veſtrarum, profiteri non deſinam, quod ſim

Die 29. 7bris Anno 1742.

Humillimus & devotiſſimus Servus
Joannes Cardinalis Lipski.

A tergo verò Literarum Sacræ Congregationi Rituum. Romæ.

Præter has, inſtarunt pariter ad Sanctisſimum & ad Sacram Rituum Congregationem literis ſuis, Celſiſſimi & Illuſtriſſimi Regni Epiſcopi, videlicet Stanislaus Grabowski Epiſcopus Varmienſis & Sam-

Sambienſis Dux & Primas Pruſſiæ. Theodorus Princeps Czartoryski, Epiſcopus Posnanienſis & Varſavienſis. Sebaſtianus Debowski, Epiſcopus Plocenſis. Franciscus Kobielski, Epiſcopus Luceorienſis & Breſtenſis. Venceslaus Sierakowski, Epiſcopus Premislienſis. Andreas Pruski, Epiſcopus Tanenſis, Suffraganeus, Præpoſitus, Vicarius in Spiritualibus & Officialis Generalis Premislienſis &c. Singulas literas longum eſſet referre, unicam ex digniſſimis, in laudem S. Sepulchri expreſſam, libeat inſerere, Illuſtriſſimi Reverendiſſimi Domini Nicolai Debowski Epiſcopi Camenecenſis, Commendatarii Miechovienſis ejusmodi contextus:

Eminentiſſimi & Reverendiſſimi Domini
Domini Patroni Colendiſſimi.

Sepulchra Juſtorum in ſingulari honore ſemper habita fuiſſe, utriusque Sacræ Paginæ teſtantur oracula & exempla. Sic Jacob Patriarcha Sanctiſſimus, titulum ſuper Sepulchrum erexit, qui dicitur titulus Monumenti Rachel, usque in præſentem diem. Sic Joſias piiſſimus Princeps, cum demoliretur excelſa, ac lucos ſuccenderet, ſacrilegi cultus everteret aras, Sepulchro Hominis Dei eodem loci, qui id eventurum olim prædixerat, honorem habuit. Quia ipſe Deus loculum, in quo ſepultus jacuerat, Eliſæus prodigioſa repente ſuſcitatione mortui illuſtravit, qui caſu projectus in Sepulchrum Prophetæ, ſubito revixit & ſtetit ſuper pedes ſuos. Quodſi vero Juſtorum ex fide, monumentis ſic cultus habetur, quid Sepulchro illius, qui caput eſt Fidei noſtræ Chriſtus? An Deus, qui glorificavit Filium ſuum JESUM, Sepulchrum illud, in quo Sanctiſſima Caro ejus requievit in ſpe, & ex quo glorioſa ſurrexit, in Eccleſia ſua patiatur inglorium? hoc ſanè non modo à Chriſti fidelium pietate, ſed etiam à propheticis Vocibus, alienum eſſe omnino cenſendum eſt. Nonne de alio, quam de hoc, Sepulchri Chriſti Domini Salvatoris Noſtri Myſterio, vaticinatus eſt Evangelicus Propheta dicens: In illa die erit radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum ejus glorioſum. Adeſt nunc ſanè jam dies illa, tempusque quô Veſtrô Eminentiſſimi Reverendiſſimi Domini Patres Oraculô, hoc celeberrimum Iſaiæ vaticinium impleatur, quô inquam

quam Salvatoris Noſtri Sacroſanctum Sepulchrum JESU, declaratione glorioſum reddatur, ſi Authoritate, quâ hac in parte præſtant, Officium unà cum Miſſa de Sanctiſſimo Sepulchro Chriſti, jam alias pro Ordine Canonicorum Regularium Cuſtodum dicti Sepulchri Domini approbata & conceſſa, ad univerſum Clerum Regni Poloniæ, & Magni Ducatus Lithvaniæ, extendere dignabitur Sacra Eminentiarum Veſtrarum Congregatio. His de cauſis, per præſentes ad Sacram Eminentiarum Veſtrarum Congregationem, ſupplicare cenſui, tum ad confovendam & augendam in cordibus Fidelium Paſſionis Dominicæ memoriam, tum ad Officii mei partes implendas, quibus adſtringor ex vi Præpoſituræ Miechovienſis, dicti Ordinis Canonicorum Cuſtodum Sanctiſſimi Sepulchri, quam teneo; utrique proinde obligationi morem geſturus, iterum iterumque Eminentiis Veſtris, pro declaratione favorabili, quàm inſtantiſſimè ſupplico, unicuique Eminentiarum Veſtrarum, diſtincta veneratione mea obſequia præſento, manusque eorum pronus exoſculor.

Eminentiarum Veſtrarum.

Varſaviæ Die 8. Januarii 1743.

Devotiſſimus & humillimus Servus Nicolaus Debowski Epiſcopus Camenecenſis, Præpoſitus Commendatarius Miechovienſis mpp.

A tergo literarum.

Eminentiſſimis & Reverendiſſimis Dominis S. R. C. Cardinalibus, Dominis & Patronis Colendisſimis.

Ad enixas itaque preces, Reverendiſſimorum Regni Noſtri Præſulum, emanavit Decretum à Sacra Rituum Congregatione extenſionis ejusdem Officii S. Sepulchri unà cum Miſſa, ad univerſum Regnum Poloniæ & M. D. Lithvaniæ, ejusmodi.

Regni Poloniæ.

Cum Sacra Rituum Congregatio, ſub die prima Decembris 1742. concesſerit Officium proprium cum Miſſa Sanctiſſimi Sepulchri Domini Noſtri JESU Chriſti, univerſo Ordini Canonicorum Regularium Cuſtodum ejusdem Sanctiſſimi Sepulchri. Cumque ad magis promovendum illius cultum, ex parte Epiſcoporum, nec

non Jacobi Radlinski, electi Præpositi Generalis, Venceslai Muratowicz, dum vacaret Præpositura, Custodis & Administratoris Generalis, ac Floriani Buydecki, Procuratoris Generalis, præfatæ Congregationis Canonicorum Regularium; Sacrorum Rituum Congregationi, enixè supplicatum fuerit, quatenus extensionem prædicti Officii proprii & Missæ, sub ritu duplici, ad Regnum Poloniæ, Magnum Ducatum Lithvaniæ, adnexasque Provincias extendere dignaretur; Sacra eadem Congregatio, ad relationem Eminentissimi & Reverendissimi Domini Cardinalis Sancti Clementis, attentis peculiaribus circumstantiis, petitum Officium cum Missa, ab omnibus tam Sæcularibus, quàm Regularibus utriusque sexus, qui ad Horas Canonicas tenentur, singulis annis sub ritu duplici, Dominicâ Secunda post Pascha, in præfato Regno Poloniæ, Magno Ducatu Lithvaniæ, ac Provinciis annexis recitari, ac respectivè celebrari posse censuit, si Sanctissimo Domino Nostro visum fuerit. Hac die prima Februarii 1744.

Factaque deinde per me Secretarium, de prædictis eidem Sanctissimo Domino Nostro relatione, Sanctitas sua benignè annuit. Die V. ejusdem Mensis & Anni 1744.

(L. S.) F. I. A. Cardinalis Gvadagni Propræfectus.
T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Quod Decretum, Reverendissimi Archiepiscopi Episcopi in suis Diœcesibus, Authoritate sua Ordinaria admiserunt, & typo imprimendi idem Officium cum Missa, ac in Rubricellas pro suis Diœcesibus inserendi, facultatem concesserunt. Prout & hunc jam hoc Officium S. Sepulchri cum Missa recitatur & absolvitur, ab universo Clero tam Sæculari, quàm Regulari. Et brevi sperandum, quod etiam alia Regna, similem extensionem ejusdem Officii & Missæ S. Sepulchri, ad universum Regni sui Clerum, apud Sanctam Sedem procurabunt, ad majus augmentum gloriæ S. Sepulchri, cujus promotionem augeat Deus in cordibus Christianorum.

Nec desunt plurima alia precatoria Officia, aliæque singulares devotiones, orationes, ad S. Sepulchrum, quas referunt varii libelli, ab Ordinariis Censoribus approbati, pro usu fidelium & incitamento pietatis erga Sepulturam Christi.

§. II.

§. II.

Sepulchrum Christi gloriosum ex Confraternitatibus, in honorem ejusdem erectis, & Indulgentiis.

Si hic possem (uti vellem) agere totius Orbis Christiani peregrinum, singulas lustrando ejus Ecclesias, non in paucis reperirem Confraternitates, fundatas in honorem S. Sepulchri. Quarum omnium, quia ad præsens notitia, haberi non conceditur, aliquas tantum hic adduco supplementum fusius peritioribus reservando. Sciendum est hic primò, quòd Templo S. Resurrectionis, grandes ipse Christus, Summus Socerdos & Pontifex, in æternum concessit Indulgentias, eas promulgando S. Birgittæ, intranti Sanctissimum Sepulchrum, his suis verbis: *Quando intrasti visitare meum Templum, consecratum cum meo sangvine, remansisti sic munda à tuis peccatis, acsi nunc exivisses de fonte Baptismali; & propter tuam devotionem & laborem, exiverunt ex purgatorio ad gloriam, aliqui ex tua parentela: nam omnibus, qui intrant hoc templum, cum perfecta voluntate emendandi suam vitam, & non redeundi ad præteritas culpas, remittuntur omnia peccata, & augetur gratia ipsis in proficiendo.* Secundò quod sicut Summi Pontifices, Supremi Vicarii Christi in terris, magnas contulerunt Indulgentias, visitantibus S. Sepulchrum, cæteraque loca sancta Hierosolymis; ita iis, qui voti hujus compotes esse nequeunt, ardentique feruntur desiderio circa loca redemptionis nostræ, plurimas elargiti sunt Indulgentias, visitantibus Oratoria, Capellas repræsentantes formam S. Sepulchri, vel in Confraternitatem ejusdem S. Sepulchri inscriptis, vel inscribendis. Libr. 7. de revel. cap. 14.

Maceratæ in Italia, extat Venerabilis Confraternitas S. Sepulchri, habens plurimas Indulgentias. 1mo Clemens XI. per suum Breve speciale, die 23. Decembr. 1713. concessit Indulgentiam plenariam, omnibus Christi fidelibus, qui verè pœnitentes Communionem Sacram susceperint, die primo ingressus illorum, in prædictam Confraternitatem S. Sepulchri. 2dò Concessit Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum, omnibus Confratribus in supra dicta Confraternitate inscriptis & inscribendis, qui in articulo mortis pœnitentes Confessionem fecerint, &

Sacram Communionem susceperint &c. 3tio. Concessit prædictis Fratribus verè pœnitentibus & Confessis, Sacra Communione refectis, qui visitaverint dictumOratorium S. Sepulchri, quatuor diebus per annum destinatis ibidem, septem annos & totidem quadragenas Indulgentiæ. Et alias plures Indulgentias, quæ referuntur in Catalogo dictæ Confraternitatis. Sanctissimus item Clemens Papa XII. per suum Breve speciale, de data 6. 7bris, anno 1738. confirmavit dictam Confraternitatem, & omnes Indulgentias illi concessas, aliaque privilegia contulit. Idem Pontifex per Breve Speciale sub data 9. 7bris, anno 1738. concessit in perpetuum Indulgentiam plenariam, & remissionem omnium peccatorum dictis Fratribus S. Sepulchri verè pœnitentibus &c. qui visitaverint Oratorium S. Sepulchri, & ibi oraverint juxta solitam formam S. Matris Ecclesiæ, in diebus assignatis Festorum S. Crucis & aliorum. Item per aliud Breve speciale idem Pontifex, de eadem data 9. 7bris 1738. concessit in perpetuum Indulgentias, per modum suffragii, pro omnibus animabus Fratrum Defunctorum Confraternitatis, ut sit liberata de pœnis purgatorii, quotiescunque pro anima alicujus Fratris celebrabitur Missa à quocunque Sacerdote Sæculari, sive Regulari, ante Altare dictæ Confraternitatis, diebus ibidem præfixis. Sanctissimus Benedictus XIV. feliciter regnans, per suum Breve speciale, de data 19. Augusti, anno 1741. concessit Indulgentias, quas Christi fideles consequerentur visitando Sanctissimum Sepulchrum Hierosolymitanum, in perpetuum pro omnibus.

In Bohemia de Confraternitate S. Sepulchri ac Indulgentiis, scribit Bohuslaus Balbinus, in Miscellaneis Histor. Regni Bohemiæ libr. 3. cap. 11. §. 2. fol. 149. *Origo antiquæ pietatis in Cœnobio Siedlecensi Cisterciensium &c. In Bohemia excitatæ erant Sodalitates duæ, altera Sanctissimi Corporis Christi, altera Sepulchri Dominici, Bonifacio ejus nominis nono confirmante, & plurimis Indulgentiis utramque Sodalitatem prosequente, & locum honorante. Idem egêre Archiepiscopi Pragenses. Totam utriusque Confraternitatis Institutionem, Leges, ac cætera tum Pontificum, & Archiepiscoporum ex ordine literas recitat Simeon Eustachius in Histor. Siedlecensi cap. 1. Disertè in Bonifacii literis legimus, maximam vim hominum, quotidie ad Indulgentias Sepulchri properasse, præsertim cum pro singulo, qui in ea Sodalita-*

dalitate censi morerentur, in Altari illo Privilegiato, Sacrum fieret mortuale. Porro in Capella Sancti Philippi & Jacobi, prope sacristiam stabat Arca quædam, in Sepulchri formam Conformata, quam Sepulchrum Domini vocabant, in eo Sepulchro, perpetim Venerabile Sacramentum in Monstrantia, ut in Templis vocant, adorationi peregrinorum prostabat. Has ut dixi tantæ frequentiæ causas attulit Siedlecensis Historia.

In Regno Poloniæ, à prima fundatione Ordinis Nostri, viguit hic amor ac cultus, S. Sepulchri, ut universi Episcopi, Duces, Barones, viri ac mulieres, ob eleemosynarum suarum beneficia Ecclesiæ Dominici Sepulchri (nempe Miechoviensi, ac illi annexis) collata, in ejusdem Confraternitatem & Consortium reciperentur, ut omnium orationum & beneficiorum, quæ hinc & in ævum in Hierosolymitana fierent Ecclesia, eandem, quam ab ipso JESU Christo dicti Canonici S. Sepulchri expectabant, pariter perciperent portionem; ut ita habet Album Patriarchæ Hierosolymitani, apud Nakielski fol. 81. Quæ magna nomina Fraternitati S. Sepulchri consecrata, relege ibidem fol. 82. Et ad eandem Fraternitatem, per Bullas Summorum Pontificum Innocentii Papæ IV. Alexandri, Urbani, Gregorii, Adriani, Clementis, suscipiebantur, ut constat ex contextu Bullæ Nicolai Papæ: *Se credant esse participes & consortes, recepti in Fraternitatem totius Ordinis Dominici Sancti Sepulchri Hierosolymitani.* Subsequenti pariter decursu temporum, eadem pietate fuerunt æquanimes, ut dignissima pariter nomina, honori gloriosissimi Sepulchri Christi, subscriberent in albo Confraternitatis nominatæ. Id ipsum ut ad pristinum reduceretur usum, in Ecclesia Miechoviensi, iterum renovata est institutio Confraternitatis S. Sepulchri, & ab Urbano VIII. Pontifice Maximo approbata, & præstantissimis decorata Indulgentiis, anno Domini 1626. die 14. Februarii, anno Pontificatus ejusdem III. edictâ Bullâ, quæ incipit: *Cum sicut accepimus in Ecclesia Parochiali Canonicorum Regularium S. Sepulchri, nuncupatorum, Ordinis S. Augustini, Oppidi Miechoviensis, Cracoviensis Diœcesis, una pia & devota utriusque sexus Christi fidelium Confraternitas, sub invocatione Sanctissimi Sepulchri Domini &c.* Lege in libro Miechovia, seu Promptuario Monasterii Miechovien. Samuelis Nakielski, Ordinis Nostri S. Th. Doctoris, Præpositi Cracoviensis ad S. Hedvigim. fol. 120.

 In

In Rusſia viget pariter Confraternitas S. Sepulchri in Eccleſia Parochiali Conventús Prevorſcenſis, Ordinis Noſtri, penes quam Eccleſiam hæc Originalia extant documenta, quæ hîc adfero: BREVE Apoſtolicum pro erigenda Confraternitate Sanctisſimi Sepulchri.

ALEXANDER PP. VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Paſtoris æterni, qui pro gregis ſalute in Ara Crucis immolari voluit, vices quanquam immeriti gerentes in terris, pia Chriſti fidelium vota divini cultus augmentum, & ipſorum fidelium ſalutem concernentia, ad exauditionis gratiam libenter admittimus, eosdemque fideles ad pia & devota opera exercenda, indulgentiis, & peccatorum remisſionibus invitantus, ut per operum hujusmodi exercitium, ad æternæ beatitudinis gaudia pervenire mereantur. Cum itaque ſicut dilectus filius Stanislaus Radzki, Præpoſitus Eccleſiæ Prævorſcenſis, Premislienſis Diœceſis, ipſe peculiari erga Sanctisſimum Domini Noſtri JESU Chriſti Sepulchrum affectu ductus, ut alios Chriſti fideles, ad ejusdem devotionis ſtudium accendat, in præfata Eccleſia Prævorſcenſi, unam utriusque ſexûs Chriſti fidelium Confraternitatem, ſub denominatione ejusdem Sanctisſimi Sepulchri Domini Noſtri JESU Chriſti, per Nos erigi ſummopere deſideret. Nos piis dicti Stanislai, deſideriis hujusmodi benignè annuere volentes, & à quibusvis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis ſententiis, cenſuris & pœnis à jure vel ab homine, quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodatus exiſtit, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, ſupplicationibus ipſius nomine, Nobis ſuper hoc humiliter porrectis inclinati, in dicta Eccleſia, unam utriusque ſexus Chriſti fidelium Confraternitatem, quæ non ſit pro hominibus unius ſpecialis artis, ſub denominatione præfata, ſine tamen alicujus præjudicio, & dummodo Venerabilis Fratris Epiſcopi Premislienſis, ad hoc accedat aſſenſus, Apoſtolicâ auctoritate, tenore præſentium, perpetuò erigimus & inſtituimus; Necnon Confratribus dictæ Confraternitatis, pro tempore exiſtentibus, ut proceſſionaliter incedere, divina Officia in ſuo oratorio recitare, &

pro negotiis ipſius Confraternitatis ſe congregare, ac quæcunque Statuta, Capitula, ordinationes & decreta, pro ſalubri eorum, & dictæ Confraternitatis regimine & directione neceſſaria & opportuna, licita tamen & honeſta, Sacrisque Canonibus, & Concilii Tridentini decretis, ac Conſtitutionibus Apoſtolicis non contraria, per Ordinarium Premislienſem examinanda, & approbanda facere & edere, illaque pro tempore, uti eis videbitur & expediens fuerit, prævia ſimili examinatione & approbatione, mutare, alterare, & corrigere, & in meliùs reformare, ac inſuper omnia & ſingula legata relicta, res & bona quomodolibet qualificata, mobilia & immobilia, per quoscunque Chriſti fideles dictæ Confraternitati per viam teſtamenti, donationis, aut aliàs quomodolibet pro tempore elargienda & relinquenda recipere, illaque per eorum Officiales & deputatos regere, gubernare, & adminiſtrare, ac in ipſius Confraternitatis, & ejus piorum operum uſus convertere liberè, ſimiliter & licitè valeant; ita tamen ut de receptis & adminiſtratis per eos, eidem Ordinario Premislienſi, juxta decreta Concilii Tridentini, hujusmodi rationem reddere teneantur, Auctoritate & tenore præſentium concedimus & indulgemus. Non obſtantibus conſtitutionibus & ordinationibus Apoſtolicis, cæterisque contrariis quibuscunque. Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem ſub annulo Piſcatoris Die IX. Auguſti, MDCLIX. Pontificatûs Noſtri Annô Quintô.

S. Vgolinus.

BULLA

Indulgentiarum eidem Confraternitati conceſſarum

ALEXANDER PP. VII.

AD PERPETUAM REI MEMORIAM. Cum ſicut accepimus in Parochiali ſeu alia Eccleſia Oppidi Prevorſcenſis, Præmislienſis Diœceſis, una pia & devota utriusque ſexus Chriſti fidelium Confraternitas Sanctiſſimi Sepulchri Domini Noſtri JESU Chriſti nuncupata, non tamen pro hominibus unius ſpecialis artis, canonicè inſtituta, ſeu inſtituenda exiſtat, cujus Confratres & Conſorores quam plurima pietatis & charitatis opera exercere con-

consveverunt. Nos ut Confraternitas præfata, majora in dies suscipiat incrementa, de Omnipotentis Dei misericordia, & Beatorum Petri & Pauli Apostolorum, ejus Auctoritate confisi, omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, qui dictam Confraternitatem in posterum ingredientur, die primo eorum ingressus, si verè pœnitentes & confessi Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum sumpserint, Plenariam: Ac tam nunc descriptis, quàm pro tempore describendis in dicta Confraternitate Confratribus & Consororibus, in cujuslibet eorum mortis articulo, si verè pœnitentes & Confessi, ac Sacra Communione refecti, vel quantum id facere nequiverint, saltim contriti, Nomen JESU ore si potuerint, sin minus, corde devotè invocaverint, etiam Plenariam: Necnon eisdem, nunc & pro tempore existentibus Confratribus & Consororibus, verè pœnitentibus & confessis, ac sacra communione refectis, qui Confraternitatem hujusmodi, Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium, in ultima Dominica post Pentecosten, à primis Vesperis, usque ad occasum solis Dominicæ hujusmodi, singulis annis devotè visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, ac Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, Plenariam similiter omnium peccatorum suorum indulgentiam & remissionem, misericorditer in Domino concedimus. Insuper eisdem Confratribus & Consororibus verè quoque pœnitentibus & Confessis ac Sacra Communione refectis, Ecclesiam seu Capellam vel Oratorium hujusmodi, in Dominica Secunda post Festum Paschatis Resurrectionis, ac in Dominica Pentecostes, necnon in Sanctæ Helenæ, ac Dedicationis S. Michaëlis Archangeli festis diebus, visitantibus ut præfertur, & orantibus, quò die præfatorum id egerint; Septem annos & totidem quadragenas: Quoties verò Missis & aliis divinis Officiis, in dicta Ecclesia seu Capella vel Oratorio pro tempore celebrandis & recitandis, seu Congregationibus publicis & privatis ejusdem Confraternitatis, ubivis faciendis interfuerint, aut pauperes hospitio susceperint, vel pacem inter inimicos composuerint, seu componi fecerint, vel procuraverint, necnon & qui corpora defunctorum, tam Confratrum & Consororum hujusmodi, quàm aliorum ad sepulturam associaverint, aut quascunque processiones, de licentia Ordinarii faciendas, Sanctissimumque

mumque Euchariſtiæ Sacramentum, tam in Proceſſionibus, quàm cùm ad infirmos, aut alias ubicunque & quomodocunque pro tempore deferetur, comitati fuerint, aut ſi impediti campanæ ad id ſigno dato, ſemel orationem Dominicam & Salutationem Angelicam dixerint, aut etiam quinquies Orationem & Salutationem, easdem pro animabus defunctorum Confratrum & Conſororum hujusmodi recitaverint, aut devium aliquem ad viam ſalutis reduxerint, & ignorantes præcepta Dei, & ea, quæ ad ſalutem ſunt, docuerint, aut quodcunque aliud pietatis vel charitatis opus exercuerint; toties pro quolibet præfatorum operum, ſexaginta dies, de injunctis eis, ſeu aliàs quomodolibet debitis pœnitentiis, in forma Eccleſiæ conſveta relaxamus. Præſentibus perpetuis futuris temporibus valituris. Volumus autem, ut ſi aliàs dictis Confratribus & Conſororibus præmiſſa peragentibus, aliqua alia indulgentia perpetuò vel ad tempus nondum elapſum duratura conceſſa fuerit, præſentes nullæ ſint; utque ſi dicta Confraternitas alicui Archiconfraternitati aggregata jam ſit, vel in poſterum aggregetur, aut alia quavis ratione uniatur, ſeu etiam quomodolibet inſtituatur, priores & quævis aliæ literæ Apoſtolicæ, illis nullatenus ſuffragentur, ſed extunc eo ipſo prorſus nullæ ſint. Datum in Arce Gandulphi Albanenſis diœceſis, ſub annulo Piſcatoris, Die X. Octobris MDCLIX. Pontificatus Noſtri anno Quinto.

S. Vgolinus.

Admiſſio Illuſtriſſimi Lociordinarii, harum Indulgentiarum.

Stanislaus Sarnowski, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ Epiſcopus Premislienſis, Abbatiæ Sulejovienſis Perpetuus Adminiſtrator.

Univerſis & ſingulis, quorum intereſt, ſignificamus. Quia Nos viſis & lectis præſentibus, easdem juxta vim, formam, tenorem & continentiam earundem, admiſimus, Chriſtique fidelibus publicari mandavimus, & facultatem exponendi Sanctisſimum Sacramentum, ſex candelis cereis adminus accenſis, tum &

Procesſiones intra ſepta Cæmeterii peragendas, intrò contentis concedimus. In quorum fidem &c. Datum Brzozoviæ die XXVIII. Julii, Anno Domini MDCLX.

Stanislaus Sarnowski,
Episc. Prem. Abb. Sul. Perp. Admin.
mpp.

Admiſſio Illuſtriſſimi Lociordinarii dictæ Confraternitatis.

***Stanislaus Sarnowski, Dei & Apoſtolicæ Sedis** Gratiâ, Epiſcopus Premislienſis, Abbatiæ Sulegovienſis Perpetuus Adminiſtrator.*

Significamus præſentibus literis Noſtris, quorum intereſt, univerſis & ſingulis, exhibitas Nobis eſſe literas Apoſtolicas ſub Annulo Piſcatoris de data Romæ, apud Sanctam Mariam Majorem die nona menſis Auguſti, Anno proxime præterito Milleſimo, Sexcenteſimo Quinquageſimo Nono, ad inſtantiam Admodum Reverendi Domini Stanislai Radzki, S. Th. D. Canonicorum Regularium Sanctiſſimi Sepulchri, Provincialis Ruſſiæ, Præpoſiti Prevorſcenſis emanatas, Erectionem Confraternitatis Sanctiſſimi Sepulchri Domini Noſtri JESU Chriſti, in Eccleſia Parochiali Prevorſcenſi in ſe continentes. Petitumque à Nobis per præfatum Admodum Reverendum Dominum Stanislaum Radzki, quatenus ad introducendam eandem Confraternitatem, uti tam pium inſtitutum, ad memoratam Eccleſiam Parochialem Prevorscenſem, conſenſum noſtrum præbere dignaremur. Nos itaque viſis & lectis iisdem literis Apoſtolicis, petitioni præfatæ annuendum & conſentiendum eſſe duximus, & ut memorata Sanctiſſimi Sepulchri Confraternitas, taliter in prædicta Eccleſia inſtituta & erecta, per eundem Admodum Reverendum Stanislaum Radzki S. Th. Doctorem, Præpoſitum Prevorscenſem, cum omni applauſu & celebritate introducatur, Indulgentiæque eidem Confraternitati conceſſæ, & Diplomata ſuper his obtenta in Concionibus publicentur, & robur vigoremque ſuum obtineant, Authoritate noſtra Ordinariâ, conſenſum damus & concedimus

præſen-

præſentibus literis noſtris. Quas in fidem majorem, manu noſtra ſubſcripſimus, & ſigillo communiri juſſimus. Datum Brzozoviæ die XXVIII. Menſis Julii Anno Domini MDCLX.

Stanislaus Sarnowski
Epiſc. Prem. Abb. Sulejov. (L. S.)

Albertus Wlodek J. U. D.
Apoſtolicus & Suæ Illmæ Celſit.
Actorum Curiæ Notarius mpp.

APPROBATIO
Statutorum Confraternitatis Sanctiſſimi Sepulchri.

Stanislaus Sarnowski, Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratiâ, Epiſcopus Premislienſis, Abbatiæ Sulejovienſis Perpetuus Adminiſtrator.

Significamus præſentibus literis noſtris, quorum intereſt aut in futurum intereſſe quomodolibet poterit. Exhibita nobis eſſe nomine Admodum Reverendi Victorini Radziminski Præpoſiti Prævorscenſis, Statuta Confraternitatis Sanctiſſimi Sepulchri, in Eccleſia Parochiali Prevorscenſi, per Sanctiſſimum Dominum Noſtrum Alexandrum Papam VII. die nona menſis Auguſti, Anno Domini Milleſimo Sexcenteſimo, Quinquageſimo Nono erectæ, & per nos admiſſæ, ſimulque ſupplicatum, quatenus eadem Statuta, Authoritate Noſtrâ Ordinariâ, approbare & confirmare dignaremur. Quorum quidem Statutorum, tenor ſequitur ejusmodi.

STATUTA
Confraternitatis Sanctiſſimi Sepulchri Domini Hieroſolymitani, à Sanctiſſimo Domino Noſtro Alexandro VII. in Eccleſia Parochiali Prevorscenſi, non ita pridem erectæ.

Primò. Ut Confratres & Conſorores, Redemptori Noſtro JESU Chriſto ſe conforment; curabunt in omnibus pietatis &

 chari-

charitatis officiis erga proximum se exercere, Passionis ejus jugiter quidem omnia mysteria, sed potissimum Sepulturæ ejus meditari, puros esse à quibusvis criminibus, & quasi illis mortuos, spem non vacuam, ad vitam resurgendi æternam præseferentes, ut possint conformiter dicere cum Apostolo: *Consepulti sumus cum Christo per baptismum, & quomodo Christus resurrexit à mortuis per gloriam Patris, ita & nos per novitatem vitæ ambulemus.* Quod ut faciliùs obtineant, cum Dei adjutorio, istis vacabunt devotionibus.

Secundò. In ultima Dominica post Pentecosten, in qua Canonici Regulares Sanctissimi Sepulchri, Octavam Octavarum Dominicæ Resurrectionis, solenniter celebrare consveverunt, fiet dictæ Confraternitatis Festum titulare. Tenebuntur igitur eâ die confiteri, & Sacram sumere Communionem, pro adipiscenda indulgentia Plenaria, per Breve ejusdem Sanctissimi Domini Nostri, concessa.

Tertiò. Singulis Mensibus ad minimum semel confitebuntur, & Sacram sument Synaxim, & æquum est, ut hoc faciant Dominica ultima cujuslibet Mensis, in qua fiet expositio Venerabilis Sacramenti, cum Processione in Missa & Vesperis.

Quartò. Et quia dicti Canonici Sanctissimi Sepulchri, in solenni Dominicæ Resurrectionis Octava, ad Processionis stationem, solent cantare usitatum in Capellis Responsorium: *Stetit Angelus.* Etiam hoc singulis Mensium Processionibûs in Confraternitate, manè cantabitur; idque in Confraternitatis Capella Sanctissimi Sepulchri. Et hoc tantum fiet, à Dominica Paschatis, ad Dominicam ultimam post Pentecosten.

Quintò. Singulis etiam Dominicis diebus, à Dominica Paschatis, ad Dominicam ultimam post Pentecosten, imitando, morem Canonicorum Sanctisſimi Sepulchri pristinum, Missæ Votivæ de Christo ex Sepulchro resurgente, cantabuntur.

Sexto. Ne etiam nostrorum Confratrum & Consororum animarum obliviscamur, Feriâ Sextâ post Dominicam mensis, & itidem post Dominicam ultimam post Pentecosten, sacrum pro defunctis celebrabitur.

Septimò. Ad majorem quoque devotionem Christi, fidelium excitandam, quando Confratres Sanctisſimi Sepulchri, more alia-

rum

rum Confraternitatum, Diebus Dominicis per Quadragesimam, Concione pomeridiana peracta, disciplinam facient, Sanctissimum Sacramentum exponatur. Omnes verò Christi fideles, qui corde contriti, eidem devotioni interfuerint, Quadraginta dierum indulgentiam, ex concessione Sedis Ordinaria obtinebunt.

Octavò. Et ut ulterius Confraternitatis titulo correspondeatur. Quia Canonici Sanctissimi Sepulchri, ex Ecclesia sua Hierosolymitana in has oras, à die Parasceves, ad medium noctis Dominicæ Paschatis, Sanctissimum Sacramentum in tabernaculis sumptuosis (quod Sepulchra vocamus) ornatis, recondendi laudabilem consvetudinem secum intulerunt, facient ex re Confratres & Consorores, ut quasi custodiæ Sanctissimi Sepulchri deputati, eô tempore Quadraginta horarum devotionem peragant, & partitis inter se secundum ordinationem Confraternitatis Præsidentis, horis orationibus intenti, Venerabilissimo Sacramento ante Sepulchrum genuflexi, cum cereis accensis, assistentiam exhibeant.

Nonò. Quoniam verò dictæ Confraternitatis titulus, est Sanctissimi Sepulchri, conformiter facient Confratres & Consorores, suæ devotionis vestigia secuti, si Christi fidelium corpora ad sepulturam deducant, & si opus fuerit, ad pauperum corpora sepelienda, impensas ut præstent curabunt.

Nos igitur pro munere Nostro, eadem Statuta superiùs conscripta, diligenter priùs perlecta & examinata, uti pia & laudabilia, Authoritate Nostra Ordinaria, confirmanda & approbanda esse duximus; prout quidem approbamus & confirmamus, & ab omnibus Confratribus & Consororibus ejusdem Confraternitatis observari volumus: Juribus Nostris Episcopalibus per omnia salvis. In quorum fidem, præsentes manu Nostra subscripsimus, & Sigillo communiri jussimus. Datum Brzozoviæ die XV. Mensis Februarii, Anno Domini MDCLXIV.

Stanislaus Sarnowski
Episc. Prem. Abb. Sulejov.

(L. S.)

Albertus Wlodek J. U. D. Apostolicus
& Suæ Illmæ Celsitud. Curiæ Notarius
mpp.

In Ecclesia pariter Lezayscensi, Præpositurali Ordinis Nostri extat eadem Confraternitas S. Sepulchri erecta anno 1662. per simile Breve Apostolicum & Bullam Indulgentiarum Alexandri Papæ VII. & admissionem ejusdem Illustrissimi Lociordinarii Stanislai Sarnowski, approbationem Statutorum, ut in Ecclesia Prevorscensi; peculiari cura, Admodum Reverendi Thomæ Koczorkowicz Sacræ Theologiæ Doctoris, Canonici & Præpositi Lezayscensis Ordinis Nostri, quæ omnia impressa sunt, in libro, patrio sermone edito, à Jacobo Radlinski, protunc ejusdem Ecclesiæ & Conventus Præposito, ad calcem sub titulo: *Echo triumphalis Sepulchri Christi.*

Hæ Confraternitates speciali cultu venerantur Sepulturam Christi, particulari decantatione officiorum de S. Sepulchro per Lociordinarium pro hac devotione concessorum, ut in supra expressis Ecclesiis Ordinis nostri, à notabili concursu populi, Diebus Dominicis Quadragesimalibus ejusmodi decantantur officia parva de Sepulchro Christi, & privatim in domibus ejusmodi officia, velut forma singularis devotionis erga Mysterium Sepulturæ Christi, recitari solent à devotis Confratribus. Particulares etiam precationes suas habent & aliæ Confraternitates S. Sepulchri, in aliis Ecclesiis, sive Capellis, quas hic longum esset recensere. Satis hic est referre, quod Sepulchrum Christi gloriosum redditur, etiam devotione populorum, quæ utinam possit amplius dilatari incessabili illius voce, corde, hoc devotus exambit animus.

§. III.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex erectis Sepulchris die Parasceves.

Ponderantes, ac seria reflexione perpendentes textum hunc Isaiæ: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum,* doctissimi Commentatores ac Theologi, in quo nam Isaias fundet gloriam istam Sepulchri Christi? inter enumerationes partium, hanc ponunt: quod Ecclesia Catholica, quotannis in feria sexta Parasceves, in memoriam illius Sepulchri Hierosolymitani, in quo conditum fuerat Corpus Christi, cum magno ornatu, artis inventione, luminum splendore, erigat ac repræsentet Sepulchra, in quibus Corpus Christi, sub

ſub ſpeciebus Euchariſticis panis, continetur & adoratur. Paulus Scherlogi in ſuis ſolidiſſimis cogitationibus, in Salomon. Cantic. Veſtig. 14. Explanat Myſtica, de Chriſto & Eccleſia, Sect. 2. num. 32. Sic inquit: *Laudabiliſſimus eſt ille Sacrarum Eccleſiarum mos, quô Servatori velut parentant, dum à Feria quinta in Parasceven, loculo Sepulchri referente imaginem, Sanctiſſimam aſſervant Hoſtiam; atque eô res provecta eſt ſtudiô & devotione fidelium, ut nihil Bustô illô, magnificentiùs aut ſplendidiùs, ſive ars, ſive materia conſideretur. Quam ego dum pompæ magnitudinem, & debitum mortis Victori trophæum, mente repeto, & non unius eſſe Provinciæ opus, tanti paraturam laboris, quod forſan aſſecutus aliquando Imperatorum orbis quispiam; ſed ab Oriente in Occidentem, à Meridie in Septemtrionem, protendi celebritatem, honorificentiſſimi funeris perpendo, credere non valeam, de his tacuiſſe penitus Iſaiam, cum vaticinatus eſt Cap. 11. v. 10.* In die illa erit radix Jeſſe, qui ſtat in ſignum populorum, ipſum gentes deprecabuntur, & erit Sepulchrum ejus glorioſum. Quo textu hic Author, primò laudat hanc piiſſimam conſvetudinem, quòd in memoriam funeris ac Sepulturæ Chriſti, loci per modum Sepulchri erigantur in Eccleſiis, ac Corpus Chriſti in Hoſtia conſecrata vivum, repreſentat idem fuiſſe mortuum in Sepulchro. Secundò extollit magnificentiam ac ſplendorem eorundem. Tertiò vocat trophæa Victori Chriſto erecta. Quartò innuit quendam Imperatorem Orientis, forſitan inviſentem eô tempore Sepulchrum, ſpeciali artis & laboris opere conſtructum, miratum fuiſſe in tanta extructione auguſtiſſimi Mauſolei, quod Chriſtiana expoſuit pietas. Quintò, hanc celebritatem, toto, Orbe clariſſimam eſſe. Sextò demum, de hac Sepulchri Chriſti gloria, vaticinatum fuiſſe hoc textu Iſaiam: *Erit Sepulchrum ejus glorioſum*, id ipſum patuit ex eodem libro 2. ſub eadem prophetia Iſaiæ. Unde idem doctiſſimus Interpres concludit, quòd nihil obſtat ac prohibet, quin dictus Iſaiæ textus, non ſolùm de ipſo Sepulchro Chriſti, & de externis ejus ornamentis, ſcilicet Eccleſia erecta per Helenam, ac omnibus illi collatis, reverentiæ causâ decoribus; ſed etiam & de apparatu illo in Parasceve exhiberi ſolito, intelligi poſſit, ac quòd hæc etiam annua gloria illo comprehendatur; dum ſic inquit: *Nihil igitur vetat, de materialis Sepulchri quibuscunque externis honoribus, ſive ut conſiderata eſt Arca, à potentiſſimis*

Regi-

Regibus, altitudine magnorum ædificiorum, ad ſacra miniſteria; ſeu quemadmodum illius ad Templum, quotannis eriguntur Mauſolea, per Hebdomadam Paſſionis, Catholicorum in Templis, plurimo cum ingenio eruditæ artis, magnisque ſumptibus, locutos eſſe Vates; cùm præſagiorum ſcopus eſſet nobiliſſimus, Chriſti & Eccleſiæ, quæ ſub lege nova; ornamenta quæque præſtantiora delineare. Ex qua concluſione hujus Authoris eruitur ratio, cur Iſaias textu ſupra nominato, dicendo Sepulchrum eſſe glorioſum, prophetatus ſit & de glorioſo ejus ornatu, qui quàm maximâ curâ hominum, intendi ſolet pro die Paraſceves; quia cum hic finis Prophetarum vaticiniorum eſſet, ut Chriſti & Eccleſiæ ornamenta, præſago Spiritu tanquam in idea delinearent: erectio autem Sepulchrorum pro die Paraſceves, ſit etiam præcipua inter alia, Chryſti myſteriorum adumbratio, & Eccleſiæ ornamentum, quod in memoriam Sepulturæ Chriſti exponit: proinde non dubitandum eſt, etiam hunc vatem de tali Sepulchrorum ornatiſſima ſtructura, præſagium in dicto tuliſſe textu.

Cornelius à Lapide in hunc textum Iſaiæ Prophetæ dicit: *Quintò Sepulchrum Chriſti glorioſum eſt, annuâ repræſentatione & pompâ, quâ fideles multis in locis, Sabbato Sancto quotannis, ſolent magnificum Chriſto paſſo & mortuo, Sepulchrum excitare, ejusque Sepulturam glorioſam repræſentare.* Joſephus Acoſta Conc. 3. Feriâ quintâ in Cœna Dom. fol. 623. *Eam mortui ac Sepulchri Domini ſignificationem & Monumentum, mirabili religione, plebs fidelium, ut videtis, frequentat, ſummô ſtudiô exornat, luminibus creberrimis, pretioſiſſima veſte, ſignis exquiſitis, omni denique apparatu coboneſtat, ut hîc quoque veriſſimum vaticinium Iſaiæ appareat:* Et erit Sepulchrum ejus glorioſum. Petrus Rota in Horto floridiſſimo laudem Sepulchri Chriſti, ex dicto textu amplificans fol. 707. ait: *Univerſalis denique Eccleſia, hoc Chriſti Sepulchrum piè veneratur, dum quotannis, in omnibus ferè Templis, in memoriam & repræſentationem ejus, erigit & extruit ſplendida Sepulchra, ad quæ Chriſtiani, in triduo mortis Domini, ſuam oſtendunt devotionem & pietatem.* Alphonſus Salmeron, Tom. 10. fol. 404. *Deinde Chriſti Sepulchrum quotannis à cunctis fidelibus, in quolibet templo religioſiſſimè & honorificentiſſimè recolitur & repræſentatur, quemadmodum exequiæ paſſionis & mortis ejus, perpetuò in Eccleſia celebrantur, in jugi Euchariſtiæ Sacrificio.*

Nam-

Nam ad primum melius præstandum, eriguntur nova monumenta, in quibus die Jovis Sancti, includitur Eucharistia, quæ sequenti die recluditur, & honorifica pompa circumgestatur. Patet proinde ex allatis, quod ad probandam, ex dicto Isaiæ textu, gloriam Sepulchri, spectet & hæc inductio, quam in titulo præfixi hujus Paragraphi.

Talis enim erectio Sepulchri, ex multis videtur attollere Christi gloriam. Primò, sicut ex eo magna fit gloria tam cælestibus civibus, quod in eorum declarandam Sanctitatem, exhibeantur in terris imagines, excidantur statuæ, & terrenis etiam dignitatibus, quod in declarationem eorum temporanei dominii, erigantur obelisci, pyramides cum structuris, sive æneis, sive marmoreis, speciem Principum circumferentibus, ad eorum facta, merita, Domûs insignia, Familiæ antiquitatem, fiant exporrectæ picturæ, quæ sensibus humanis ingerunt eorum temporalem laudem: Sic ut Christianus Populus, sui Redemptoris JESU Christi, Regis Regum attollat misericordiam, beneficia, gratias, dominatum, recognitionem Supremi honoris, merita ac facta Redemptionis ac Salvationis, per mortem & Sepulturam; erigit & extruit prototypa, formas & imagines, etiam in aliis Regnis Christum confitentibus, locorum, in quibus hæc facta sunt, ut gloriam eorum recursu annuo præ oculis habeat; sicut in Festo Nativitatis, Præsepe, Cunas, & cætera convenientia illi mysterio; ita & in Parasceve Sepulchrum Christi, per quod dignitas mortis ac Sepulturæ Liberatoris, in sui vicaria Sepulchri specie, in forma extollatur. Multarum eam consvetudinem fuisse gentium, ut suis Defensoribus, sive iis, qui pro Patria occubuissent, gratitudinis & recompensationis tituló, sumptuosa & magnifica struerent Sepulchra, illisque immortalem eorum famam, posteritati notam facerent: Gens pariter Christiana, quia se recognoscit Sangvine Christi in Cruce effuso liberatam, Passione & Morte ejus defensam, & ab inimicis exemptam; Duci suo, qui nè totum periret genus, ille solus occubuit, in vim præstandæ gratitudinis, ac in futuram divulgandam famam, per tale bellum cruentum, obtentæ de diabolo victoriæ, & celeberrimi triumphi, hæc memoratissima construit monumenta ejus memoriæ Nominis, ac prælii salutaris conservandi causâ conditâ. Adeoque dum Sepulchro ingenti Redemptorem suum honorat, simul reminiscitur festivo cultu Passionis,

mortis ac Resurrectionis; ut interesse totius Christianæ Religionis, & omnium sit hominum, tam illud exornare Sepulchrum Christi Hierosolymis situm, quàm ad formam illius similia extruere & exornare; sicut Ulpianus Jurisconsultus dixit, libr. 1. §. 1. cap. 6. *Interesse Religionis, monumenta extrui & exornari.*

Secundò, tali repræsentatione, renovatur gloria Sepulchri Christi; ad id propositum dicit Jacobus Tyrini, super dictum textum Isaiæ: *Annua Ecclesiæ Sepulchralem Christi gloriam, in Sanctiore hebdomada, per universum orbem, quantâ potest pompâ, celebrantis consvetudine, perpetuò renovatur.* Et sicut juxta Gilbertum de Tornaco, Tract. Offic. Episc. & Eccl. Cærem. cap. 46. quod in die Parasceves circa horam nonam, conveniunt fideles, repræsentantes hoc, quod Joseph & Nicodemus veniunt ad sepeliendum Dominum; ita erigentes dicta Sepulchra, repræsentant Sepulchrum Christi Hierosolymitanum. Adeoque honor Sepulchri Christi, ex tali in Parsceves erectione tumulorum similium procedit, dum in multis Regnis Christianis, ad ejus memoriam eadem spectantur. Georgius Stengelius, Mundi Theoretici p. 3. cap. 64. *In omnibus Catholicorum templis, Sepulchra quotannis extruuntur, quæ gloriam Sepulchri illius populo repræsentent.* Sic Paulus IV. Pontifex, quibus maximè feriis, acerbissimam Christi Domini necem recolit Christiana Respublica, Sepulchrum in Vaticanas Ædes invexit; Alphonsus Ciaconius, de Vitis Pontif. & Card. Tom. 3. fol. 831. Col. 1. De Regno Lusitaniæ testatur Antonius Serpensis, Chronolog. Eucharistic. Enarrat. 5. fol. 201. num. 12. quòd in Lusitania, duo solet pietas ac vetus cæremonia, Sepulchra fabricare, quæ appellant ardentes pompas ligneas, id est luminum multitudine devotè splendentes. Alterum quidem, ad imaginationem Calvarii celebrandam, pro feria tantùm quinta, scilicet in quod processionaliter, tanquam à loco Crucifixionis, Corpus Redemptoris, ad locum tumuli deducitur locandum, & per totam noctem illam honorificè servandum; quod Sepulchrum non paucis diebus præcedentibus, cum affectu, sumptu, & cultu non modico elevatur. Ante cujus Sepulchri præsentiam non longinquam, armati velut milites, & vultibus velatis, ex devotione scilicet nolentes se patefacere, intersunt Christi Corpori nonnulli viri pii, quousque in feriæ sextæ Officio consumatur. Alterum verò

verò Sepulchrum, pro duobus ſequentibus diebus, in ſimilitudinem Sepulchri, ſub quo Corpus Chriſti Salvatoris occultò continetur, cui inſignes viri, ipſo armorum pondere, per triduum cum gravamine non modico aſtiterunt, ut talis clientela, tum illi cuſtodiæ ad Sepulchrum Chriſti appoſitæ, aſſimiletur: tum ut per hoc, reverentiam & clientelam incluſo Corpori Chriſti exhibeant. S. Udalricus, Epiſc. Auguſtanus, penes Eccleſiam Cathedralem S. Afræ in Alamannia, deſideratiſſimo atque Sanctiſſimo Paſchali die adveniente, poſt primam, intravit Eccleſiam S. Ambroſii, ubi die Parasceves Corpus Chriſti, ſuperpoſito lapide, collocavit. Surius in vit. ejus 4. Julii, cap. 4to.

In Regno Noſtro Poloniæ, non ſolum in primariis Urbibus, verùm Civitatibus, Oppidis, & quibusvis villis, ea die Parasceves, fiunt in Eccleſiis extructiones dictorum Sepulchrorum, cum omni quo par eſt ornatu, luminibus; ita, ut in Urbibus, quæque pretioſa in ornamentum Sepulchris illis abire videntur, & qua poſſunt arte, inventione, decentia, coruſcatione luminum cohoneſtari, adornari, illuminari, exponi; repræſentantur, cohoneſtantur, adornantur, & illuminantur: nihil in Eccleſiis ſplendidius, præter Sarcophaga Divina, eo die cernere licet, ut jam reducto veſpere & expirante die, dum tenebræ præoccupant omnia, gloria reſplendeſcat Sepulchri, & honori ejus claram diem dicat. In villis verò & pagis, periſtromata, pretioſiſſimi tapetes, aliaque ſericea tegumenta, ab aulis Nobilium, ſi ſit pauper Eccleſia, accommodantur, quæ apparentiam Sepulchri, pro ſuo poſſe, quàm ſpecioſiſſimam exponant, pro congruenti & convenienti Sepulti ibi JESU, ac ejus Sepulchri præſtanda dignitate. Forma horum Sepulchrorum, uti præſertim in Coronatrice Regum, Metropoli Cracovia, quàm præſtantiſſimis picturis depicta conſtat, & in omnibus Eccleſiis, tam ſæcularibus, quàm Regularibus, etiam Monialium, in variis figuris Veteris & Novi Teſtamenti, Sepulchri Chriſti expreſſivis, ſive conformiter ad Hiſtoriam Evangelicam de Sepulchro Chriſti, conſtrui ſolent, ita exquiſitiſſimè, pompoſiſſimè, ut mediam partem Eccleſiæ, ſive integram Capellam, hæc ſtructura occupare ſoleat. Hanc autem laudabilem conſvetudinem, à die Parasceves, ad medium noctis & initium diei Paſchatis, Sanctiſſimum Sacramentum, in tabernaculis, ſeu com-

muniùs vocári ſolitis, Sepulchris Chriſti, ſumptuosè ornatis, recondendi & aſſervandi, in has oras Regni Poloniæ, Canonici Sanctiſſimi Sepulchri, ex Eccleſia ſua Hieroſolymitana ſecum intulerunt; habetur in Approbatione Statutorum Confraternitatis Sanctiſſimi Sepulchri, in Eccleſia Prevorscenſi & Lezayscenſi, ejusdem Ordinis, per Rmum Stanislaum Sarnowski, Epiſcopum Premislienſem Lociordinarium, ut ſuperius dictum.

Tertiò. Quòd Sepulchra hæc, poſtquam ferè unâ alteravè hebdomadâ, ſint præparata, & completa eorum magnifica decentia, infertur Sanctiſſimum Sacramentum die Parasceves, cum Proceſſione Cleri & aſſiſtentia populi, ut dono talis Sepulturæ, honorem Sepulchro adjiciant. Et ab illo tempore, nihil non agit Chriſtianus populus, quô Sepulturæ ac Monumenti Chriſti, religionem & Sanctitatem teſtatam non reddat. Ex tunc enim fit ingens concurſus hominum; ita, ut Reges, Senatores, Magnates, Principes, & omnis ſtatûs & conditionis homines, non prætermittant viſitare Sepulchra, in quibus Sanctiſſimum repoſitum Corpus Euchariſticum; turba adeo multa die noctuque, ut integras plateas impleant; Templa ſtent in aperto, ſuis viſitatoribus patentia, Clerus Sæcularis, Religioſi univerſorum Ordinum, & omnes fermè habitantes devoti properent, & viſitatum eant. Confraternitates ad dimidiam ferè noctem, proceſſionaliter Eccleſias obeunt, & ibi ad Sepulchra hæc, Conciones, disciplinæ, humi proſtrationes, Matutinalia Officia, & alia pietatis opera exhibentur. Noxque tumultu viſitatorum devotorum, & laudibus divinis integra impletur. Et hæc viſitatio dictorum Sepulchrorum, repræſentat viſitationem illius veri Hieroſolymitani Sepulchri Chriſti, ac viſitationem Apoſtolorum ac Sanctarum mulierum. Tenet Ludolphus de Saxonia: *Hodie* (id eſt Parasceves & Sabbati die) *etiam fideles, Eccleſias omnes viſitare conſueverunt, cujus prima ratio eſt, quod illa viſitatio repræſentat viſitationem Apoſtolorum, & Sanctarum mulierum. quæ crebrò viſitabant Sepulchrum.* Hæc itaque Sepulchra eo etiam fine protunc extrui ſolent, ut in illis adorent Chriſtum Deum, tanquam protunc adorarent Hieroſolymis, illum genuinum tumulum, in quo mortuum, ac de Cruce depoſitum, jacuit Corpus ejus. Quod ipſum patet ex eo, quòd illæ Proceſſiones, quæ fiunt cum maxima veneratione, illo tempore, à qui-

In Vita JESU Chr. 2. part. cap. 66. fol. 671. num. 16

à quibusdam Confraternitatibus, vocantur Processiones Hierosolymitanæ; nempe, quod sicut Hierosolymis, homines Christiani devotione in Christum accensi, in more positum habent, ut Sanctissima loca Passionis Dominicæ peragrent, & locum, in quo Sepulchrum ejus Sanctissimum situm est, visitent: ad eundem quoque modum iidem fideles, moti devotione, visitant loca sancta, ad normam locorum Hierosolymitanorum; nempe Ecclesias, in quibus protunc constructa patent Sepulchra, Christô Eucharisticô intus exposito & latente; ante quæ Sepulchra Corporis Domini procumbunt & prolixè orant. Habetur id in Descriptione Officiorum Archiconfraternitatis Compassionis Christi, à Martino Szyszkowski, Episcopo Cracoviensi erectæ.

Quartò, tali erectione Sepulchrorum, homines habent occasionem, stimulum, ipsa oculata inspectione, attractivum ad recollectionem Passionis, Mortis, Sepulturæ ac Resurrectionis Christi, ac piissimam devotionem ad hæc mysteria tunc meditanda ac recolligenda, pro illisque reddendas gratias. Etenim juxta Maximilianum Sandæum, in Palæstra Crucis, Decade 8. num. 58. *Amator crucifixi, magnô afficitur desideriô, ad invisendum & adorandum Sanctum Sepulchrum*; quem ipsum fragrantem erga Christum passum affectum, declararunt tot vota devotorum edita, de visitando Sanctissimo Sepulchro, tot peregrinationes susceptæ ad invisendum S. Sepulchrum, tam lætæ gratulationes factæ redeuntibus de Domini Sepulchro. Si igitur amas Christum Crucifixum, eô die Parasceves, si vis ingentem contestari charitatem erga Passionem illius, redde protunc vota tua, quæ exhiberes Hierosolymis, visita cum summa devotione S. Sepulchrum, eô die tibi expositum, suscipe illam sacram per diversas Ecclesias peregrinationem, in spiritu humilitatis & in animo contrito. Non alio enim motivo, Ecclesia mandat erigi hæc Sepulchra, nisi, ut ejus obtutu, animentur seriò homines, ad meditationem mortis Christi, Sepulturæ, ac ad memoriam & amorem tantorum beneficiorum: proinde eorum singulis inscribendum lemma: *Honoris, virtutisque causâ*; eriguntur enim, tum propter honorem Christi ejusque tumuli; tum propter virtutem devotionis. Ita Quaresmius: *Hinc factum arbitror, ut Sancta Mater Ecclesia, ductu Spiritus Sancti, eô præsertim tempore, quô dilecti sui mors, peculiari quodam modo, fidelibus suis* Cap. 16. Peregr. 2. f. 120

 repræ-

repræſentanda eſt in Paraſceve, pridie hujus diei, ut illorum animi magis accendantur ad compatiendum Chriſto, erigi mandat in omnibus Templis, nova decentisſimè ornata Sepulchra, in quibus religioſiſſimè, & magna cum pompa reconditur & recolitur Sacroſanctum, tremendumque Euchariſtiæ Sacramentum. Unde factum ex hac parte, glorioſum Chriſti Sepulchrum. Quapropter fit, ut multi pii fideles tam in Urbibus, quàm in Oppidis, quaſi cuſtodiæ Sanctisſimi Sepulchri deputati, plurimum in orationibus, meditationibus, piis affectibus erga Chriſtum paſſum, aliisque internis Sanctis motibus penes illa Sepulchra, dies ac noctes vacent ac inſumant. Alii verberibus ſe cedunt, alii plorant, alii ſummo affectu orant & venerantur Sanctisſimum Sacramentum, alii quadraginta horarum devotionem peragunt, & partitis horis, tam incolæ Civitatum, quàm Villarum, aggregati in unam turbam, ante Sepulchrum genuflexi, cum accenſis cereis, asſiſtentiam exhibent, preces recitant, vel Officia ſive ſacros hymnos & pæanes canunt, alii multifariis multisque modis, exercitia ſpiritualia, ac devotisſimas recollectiones meritorum, ac Pasſionis Chriſti peragunt, & quæcunque protunc eis Deus ſuppeditat laudandi ſeipſum media, hæc intimo & æſtuanti corde promunt & proferunt, ante dicta Sepulchra, multitudo Cleri & populi.

Inter alia enim pietatis inſignia, hoc multi Sancti elegerunt ſibi meritum, ut illos tres dies in ſpeciali haberent obſervatione, aliquos ſingulares exercendo actus, quorum Dux & Anteſignanus eſt S. Jacobus Minor, qui poſtquam in Cœna Domini cum aliis Diſcipulis, Chriſtum Dominum ſub ſpeciebus Panis & Vini, in tumulum ſpiritualem cordis ſui repoſuit, juramento ſe obligavit, nihil unquam comeſturum de pane, donec eundem de Sepulchro materiali reſurgentem cerneret. Ad ejus exemplum Gerardus Venetus, ex Ordine Capucinorum, Vir magnâ ſanctimoniâ inſignis, qui pro conſvetudine, quam habebat, à Cœna Domini, ad Dominicam usque Reſurrectionis, nihil cibi guſtabat; ut habet Boverius in Annalibus. In Vita B. Margaritæ Virginis, Filiæ Regis Hungariæ, Ordinis Prædicatorum, ſcribit Bollandus 28. Januarii, quod quamvis verbera reciperet omni die, tamen ſpecialiter per triduum ante Paſcha, ſingulis horis diurnis & nocturnis, tantis utebatur verberibus & flagellis, quod ſangvis ex corpore ejus, in

magna

magna copia fundebatur, & toto illo triduo ante Paſcha ſingulis annis, non intrabat lectum, nec dormiebat nec bibebat, ſed continuò vel ſtans erecta oculis in cælum, vel ante Altare S. Crucis jacens proſtrata, orabat, legebat, flebat. Horum verò aliorumque Sanctorum, proponens imitanda exempla Sancta Eccleſia, & ad peculiarem, his diebus alliciens pietatem populum devotum, hocce ſubminiſtravit medium, ut in erectis Sepulchris collocatum SS. Euchariſtiæ Sacramentum trahat, incitet ad ſui adorationem & venerationem homines, ac continuam illis diebus reminiſcentiam patratorum beneficiorum, per effuſionem Sangvinis Chriſti acceptorum, ac quilibet recogitare velit, illô triduô, mortem, Sepulturam Chriſti, ac Sepulchri gloriam, per ordinem ad futuram de illo Reſurrectionem. Docet S. Thomas Aquinas, 3. part. quæſt. 66. Artic. 8. ad 1mum, quod triduum Sepulturæ non erat de neceſſitate ſalutis noſtræ, ſed triduum illud ordinabatur ad manifeſtandam veritatem mortis. Convenit, ut à Chriſtianis triduum illud Sepulturæ Domini, ita per directas ordinetur intentiones devotas, ut in illo triduo fiat manifeſtatio in ore, corde, & operibus noſtris Paſſionis & Mortis Chriſti. Et Andreas du Sauſſay, Officialis, & Vicarius Generalis Pariſienſis, in Indice Panopliæ Clericalis teſtatur, quòd in veteri Eccleſia, triduum Chriſti Sepulti, Sacratiſſimum fuit. Hanc ſanctitatem hujus tridui renovat & moderna Eccleſia, per extructionem dictorum Sepulchrorum, ut cerni ſolet hic ſanctitatis fervor, illis diebus ſpecialiter exhibitus, à devotis populis, penes dicta monumenta. De Rege Luſitaniæ Emmanuele, ſcribit Hieronymus Oſorius Luſitanus, Silvenſis Epiſcopus his terminis: quòd tempore illo, quô memoria ſuppliciorum, quæ Chriſtus pro nobis in Cruce pertulit, ritu ſolenni conſecratur, à Templo minimè diſcedebat, & tribus diebus, quibus Sanctiſſimæ Euchariſtiæ Sacramentum erat in Sepulchri quadam ſimilitudine conditum, ut nobis memoriam noſtræ ſalutis repræſentaret, neque veſtes exuebat, nec ab eo loco Sepulchri, niſi ad aliquod breve tempus, abſcedebat; & cum ſomnus illum complectebatur, ibi ſine ullo vitæ delicatioris inſtrumento, parumper accubabat. Ecce quanta hic merita devotiſſimus Rex teſtatus eſt ad S. Sepulchrum, diebus illis erectum!

Beata

Beata Eustochium Catanensis Sicula, S. Francisci in Monasterio Vasicensi, nobilibus parentibus nata, Smaragda in baptismate dicta, magnæ sanctitatis, adhuc infans, signa dedit. In contemplatione mysteriorum passionis Christi defixa, Civitatem Hierosolymorum in cordis penetralibus ædificaverat, hîc Cænaculum, Hortum, Calvariæ fastigium, Sepulchrum, & alia loca actionibus & passionibus Redemptoris nostri illustria cogitatione distingvens fingensque, ut ex locali memoria, ad singula redemptionis humanæ mysteria vehementiùs assurgeret, meditando. Marcus Ulyssiponensis, 3. p. libr. 7. Beata Joanna Lusitaniæ Regina: Inde se iterum in templum recipiebat, (hoc est à die Cœnæ Domini in die Parasceves, ubi fuerunt extructa Sepulchra Christi) neque usque quo Sacratissimæ Paschæ mane, Dominicæ Resurrectionis lætitiâ publicâ, pompâ celebraretur (per extractionem Sanctissimæ Eucharistiæ ex Sepulchro) pedem aliquo efferebat. Antonius Vasconellius Societ. JESU, in Anacephalæos Regum Lusitaniæ.

Joannes Lusitaniæ Rex, in Passionis Domini exequialibus feriis, quo maximè totius anni tempore, Anniversario ritu, Christo Servatori Orbis parentat Christianus, cum templa de more percurreret (in quibus erant effigies S. Sepulchri) eum facta obviam fœmina, per illius diei religiosam memoriam, & Christi mortem rogavit, ut marito capitis damnato, veniam vitamque donaret. Joannes Rex ait: Ampliora vellem, ut hoc à me nomine postulares, certè quod petis, libentissimè concedo; è vestigioque hominem absolvit. Per eos continenter dies prostratus coram augustissimo Eucharistiæ Sacramento (in effigie Sepulchri locato) perseverabat. Antonius Vasconellius. Nonnius de vera Regum Lusitaniæ origine & religione. Utinam omnes homines, quotquot toto Orbe visitant, adeunt taliter constructa Sepulchra illis diebus, in similibus ad exemplum Beatarum istarum & Regum, componant se & exerceant actionibus.

Quod ut ipsum præstare meritoriè possint devoti Catholici, ac Sepulchrorum illorum augere gloriam, sibi verò accumulare merita, noverint primò, hæc Sepulchra, non propter oblectationem, delectum & aspectum oculorum exponi, sed ob repræsentationem & memoriam illius Sepulchri, in quo Corpus Christi, mortuum

pro nobis in Cruce, à Beatiſſima, Mulieribus, ac Diſcipulis fuit depoſitum; proinde dum illa frequentant, non figuram, inventionem, picturas, adornationem, pluralitatem luminum advertant ac conſiderent, ſed potius inveſtigent ac ſedulo revolvant quis ſepultus? quomodo? ubi? pro quo? à quibus? propter quem? Non dicat quiſpiam, quod in hoc Templo ornatiùs, pulchriùs, inventioſiùs elaboratum eſt Sepulchrum, ſed perpendat, quod in hoc Templo ad Sepulchrum Chriſti devotiùs, intenſius, affectuoſiùs, oraverit, meditatus fuerit, in alio ardentiores actus elicuerit, propoſita particularia & fructum ſpiritualem reportaverit &c. Neque enumeret quot Sepulchra circuierit, vel ſatagat, quàm plura obire, ſed quidnam in illis operatus ſit, perquirat, ut ab unius viſitatione exiens, qualiter accedat viſitaturus aliud, tempeſtivè recogitet.

Secundò, cum illa viſitatio Sepulchrorum, repræſentet viſitationem Apoſtolorum ac mulierum; conformiter ergo ad eorum methodum has viſitationes inſtituet. S. Petrus viſitando Sepulchrum, cucurrit ad illud; tu ſepoſitâ omni vecordiâ, ac depiditate ſpiritûs, ut primò reſciveris depoſitum Dominum, cuſtos pervigil advola, idque directè ad Monumentum Chriſti, non deflectens per plateas, neque converſans in via, vel aliis illicitis jocis, diſcurſibus distractus, rectà ad Buſta illa propera, incitatus impulſu adorandi Corporis Chriſti. S. Petrus procumbit ante tumulum; tu non ſcamna, non commodas ſeſſiones circumſpicè, ſed rectà ad Monumentum Chriſti properans, omnimoda ſubmiſſione, & profundiſſimo adorationis actu, adora Chriſtum in Euchariſtia latentem, vel ipſo ſibi appropriato actu adorationis conformis S. Petro. S. Petrus viſitans monumentum, miratus eſt nimis, & cum admiratione exiit de monumento; te totum occupet admirationis actus: Deus meus ſepultus pro me, in corpore jacet! Ores admirabilis! Mulieres cum aromatibus venerunt ad monumentum; tu vide cum quibus, & in quibus operibus, viſitas talia Sepulchra? *Felix Maria, id eſt anima,* (inquit Ludolphus Carthuſianus) *quæ ad Sepulchrum Chriſti venit, videre per meditationem, plangere per compaſſionem, ungere per devotionem.* Vel ut verbis Gilberti, ſuper Cantica Serm. 33. utar: *Qua ratione cum ſanctis mulieribus, Domini JESU frequentatis Monumentum? ſi nullum ſpirituale* 2. Part. c. 71. Vit. Chriſt.

 defer-

desertis ad illud ungventum. Unanimiter, quia tres simul, concordi intentione veniunt ad tumulum; similiter tu in charitate Dei & proximi, reconciliatus Deo & fratri tuo, vade ad S. Sepulchrum, sacrificaturus hostiam laudis. Flentes demum & plangentes introierunt; nec tu absque rigidis lachrymis, super morte & Sepultura Christi, super sceleribus tuis, quæ tantæ necis authores sunt, prorsus siccus & aridus, sed totus plorans veni, & abi. Hi honorarii tumuli, Christo mortuo positi, secundùm Lyræum, vacantur *Cenotaphia, sive Castra doloris,* non ex alia ni fallor ratione, nisi quòd huic Castro, id est Sepulchro, inclusæ animæ & mentes, dolorem sentiunt, super dolorem Salvatoris Nostri, cui unquam similis non est; adeoque tu consistens ad hoc Castrum, summo dolore affici debes, reinducens eos, & constituens dolores, quos pro te hic, qui ibi Sepultus existit, pertulit.

De Imitat. Chr. l. 7. cap. 3. fol. 551.

Tertiò, si aliis diebus, multo magis eô tempore, mortificationi variæ, contemplationi vividiori, devotioni longiori, meditationi exactiori, aliisque mediis sanctioribus, plusquam alibi, vacare debes, secutus exempla Beatissimæ, Discipulorum, & aliorum perfectissimorum virorum.

Quartò, dum visitas hæc Sepulchra, hos similesvè poteris habere instinctus, ad reformationem vitæ tuæ servientes. Primò, ecce quantâ curâ, ornatû, hæc materialis structura erecta, ut sit Sepulchrum Christo Eucharistico præparatum: Qualis quæso mihi cura, ac solicitudo de ornatu animæ inest? quantum temporis? quantum solicitudinis, in conquirendis Divinis gratiis? quibus splendidè & pompaticè orner, insumpsi? adhibui? ut fiat anima mea spirituale Sepulchrum, quotidie reponendo, sub iisdem speciebus Corpori Christi. Secundò, quàm frequenti populorum accursu, hoc annuè visitetur Sepulchrum, deflexis adoretur poplitibus; quantis mihi reverentialibus actibus, ipsemet adorandus locus, cui specialiter incumbit, non annuè, sed quotidianè, in Templo animæ ejus, ideam & figuram gerere. Tertiò, quibus possunt, iisdem rutilantioribus illuminari splendoribus, intus & ab extra resplendere videntur Sepulchra hæc, lampadibus, tanquam stellis micantia; non enim obscurum est Sepulchrum Christi. Utinam tot protunc, ad quodlibet Monumentum, actus fidei, Spei, Charitatis Christi, adorationis, compassionis, & cæteros

elice-

eliceres, quot cernis, ſive adeſſe agnoſcis lampades, aliaque lumina. Non poterit eſſe & anima tua verum Sepulchrum Chriſti, niſi virtutibus clareſcat, lumine cæleſti repleatur. Quartò, demum exoptes, ut quotquot fuêre viſitatores illius, recedentes in dilectione Chriſti, eandem pro ſemper concipiant devotionem ad Sepulchrum Chriſti, illiusque Sepulturæ, non ſolùm pro eo tempore, ſed pro quolibet alio, ſint memores, habeantque praxim perſimilem quotidianæ devotionis, illud mente & animo viſitando. Et reliqua exequere, juxta præſcriptas tibi regulas, & ſuppeditas in hunc conſultò finem preces, à Reverendiſſimo D. Jacobo Radlinski, Congregationis Noſtræ Præpoſito Generali, in Libro: *Sepulchrum Parasceves*, aliisque Patrio idiomate editis, pro hac devotione.

Hæc omnia ſi executus fueris, probabis evidentiſſimo documento, glorioſum Chriſti Sepulchrum fuiſſe, ex erectis in Paraſceve Sepulchris, non ſolum materialibus, ſed potiùs excellentioribus ſpiritualibus. Quod dum Eccleſia, in anniverſariam Sepulti Chriſti memoriam, tam magnifica conſtruit Sepulchra, quibus gloriam illius primævi commemoret; omnes Chriſtiani hac ſaltim die curent, de cordibus ſuis venuſtiſſimè ornatis, ignito amore Chriſti flagrantibus ac illuſtratis, pariformia erigere monumenta. Genes. 23. A Filiis Heth ſvadetur Abrahamo, ut dilectæ ſuæ uxoris corpus, ſepelire velit in electis Sepulchris. Nec in aliis, niſi electis Sepulchris, dilecti Sponſi Chriſti Corpus, vult ſepelire in Parasceve, filialis Chriſtianorum amor. Si filiis hominum demortuis, aut privatus amor, aut oſtentatio ſuperba, adeo auguſta erigere ſolet Sepulchra; Filio Dei ſimul & Homini; nonne ipſo auro, argento, & lapidibus pretioſis, deberet comparare Sepulchrum, pia in amore ejus oſtentatio? Sed quia nihil plus, quam cor ſibi præbere jubet, in hoc electo Sepulchro, eô die, ſepelire velis mortuum tuum Chriſtum, & ibi ei quàm auguſtiſſimum conſtrue in puritate, ſanctis illuſtrationibus emicans & eminens Mauſoleum. De Artemiſia Regina Cariæ, teſtatur Gellius, libr. 10. cap. 19. quod non contenta memorabili illô Sepulchrô, quod tam ſumptuosè extruxerat marito ſuo, ipſa vivum ac ſpirans ejus Sepulchrum eſſe voluit. Sumptuoſa erigi Sepulchra pro die Parasceves, probat domeſticum factum, inſignis Equitis Poloni, Danielowicz, Capitanei Kowalicki in

Fest. S. Casimiri. pitanei Lublinensis, qui in quadam Ecclesia suorum Bonorum, extruxit Sepulchrum pro die Parasceves, sumptu quinque millium florenorum Polonicalium, cum hac, coram Joanne III. Rege Poloniæ, visitante idem Sepulchrum, verbali expressione, quod vellet in unam solam lampadem, pro decore ejusdem Sepulchri, & honore Christi Sepulti, totam infundere fortunam. Sed religiose, Christiane, noli esse contentus, tam pomposè, eo tempore, constructis monumentis; tu ipse vivum ac Spirans, Divino amore, esto Sepulchrum. In Metropoli Poloniæ urbe Cracovia, quidam exterus in die Parasceves, (refente R. P. Kowalicki, in suis Concionibus Polonicis, pro Festis, Tomo altero) visitans in Ecclesiis Sepulchra, in quadam Ecclesia videns Sepulchrum modicum, ex ipsis ardentibus cordibus totum erectum, in hæc prorupit verba: *Gloriosissimum Sepulchrum, puro in corde Sepulchrum.* Tali acceptissimâ & gratissimâ inventione, penes circuitum illorum materialium, tu excogita Christo Sepulchrum. Sanctorum affectuum incensus ignibus, ardentissima amatoris Christi, in tuo corde complectere corda, & illis luminibus addes majus lumen, augebis pompaticum splendorem, sive conservando hunc charitatis ignem, puro in corde, tantum excitabis Sepulchrum, quod gloriosissimum erit Sepulchrum.

§. IV.

De Officio Custodum Sanctissimi Sepulchri.

Agendo de gloria Sacri Sepulchri, nequeo prætermittere, mentionem opportunam officii custodum; ut aliquid & de illo non agam, qui ex vi sui vocabuli ac muneris, ad gloriam Dei, penes dictum locum, promovendam, fuerant instituti & constituti, veluti ministri Domus Regiæ muniis ac servitio deputati; specialem respectum & correlationem dicentes ad illum sanctum locum. Inter tot encomia eruditissimè collecta & adaucta, Sanctissimæ Crucis per Jacobum Gretser Soc. JESU dignissimum Authorem, ponitur & titulus de Officio Custodum S. Crucis; præteriri non debet & inter elogia Sanctissimi Sepulchri, titulus de Officio Custodum, quô honori ejus in serviebat, & nunc addictissimo propendit corde, in ejus cultum. Sub Nomine autem Officii Custodum Sanctissimi Sepulchri, non veniunt hic illi custodes, quos stante hostili calamitate Paganorum & infidelium, truculenta illa potestas,

Sacri-

Sacrilego conatu apposuit, ac ordinavit tradens illis custodiam S. Sepulchri. Hi enim impii & scelerati homines, non merentur vel adstare tam sancto illi loco, & terram illam Christi præsentia, meritis, passione ac morte sacratam, vel uno pollice attingere, nedum potiri. Non veniunt item nomine custodum omnes Schismatici, hæretici aliique à vera fide & obedientia Sanctæ Romanæ Ecclesiæ, aberrantes, & proscriptæ gentes, nationes; solâ potestate seculari intrusæ vel adscitæ. Sed sub nomine Custodum, *ingrediatur gens justa, custodiens veritatem: & religiositas custodiet & justificabit cor, jucunditatem atque gaudium dabit*; ii scilicet veniunt, qui sunt gens justa, fidelis, religiosa custodiens veritatem Sanctæ Matris Ecclesiæ Romanæ, illius subdita imperio, atque ejus potestate, authoritate, illi loco præfecta. Isai. 26. v. 1. Eccl. 1. v. 18.

Tale itaque Officium pium & Sanctum Custodum S. Sepulchri, fuit in duplici statu Personarum, nempe Spirituali & Regulari, altero Militari & Equestri. In primo statu Spirituali & regulari, fuit penes Clericos sive Canonicos Regulares Cathedrales Ecclesiæ Hierosolymitanæ. S. Resurrectionis. In Secundo statu, fuerunt varii Ordines militares sæculares & Equestres, pro defensione ac singulari præsidio S. Sepulchri, sive susceptione Peregrinorum ad S. Sepulchrum instituti.

Quoad primum Officium Custodum Sanctissimi Sepulchri, annexum statui spirituali & regulari, sciendum est, tale officium, munus, & vocabulum, juxta mox referendam vetustam authoritatem, fuisse inditum, consignatum ac collatum à Beatissima Virgine Maria, ex instinctu Spiritus Sancti, Divo Jacobo Minori Apostolo, primoque Episcopo Hierosolymitano, ut hujus rei est testis Petrus Lull. in vita Venerabilis Alveræ de Virmund Canonissæ Regularis S. Sepulchri part. 2. cap. 16. quam relationem, non ex suo proprio sensu, sed ex libro quodam antiquissimo: *Cathalogus Hierosolymitanus*, intitulato, habere se dicit: ubi præmisso hoc, quod etiam Sanctus Jacobus Minor Apostolus dictus Justus, flens & lachrymans ad sepeliendum Corpus Christi comparuit, quem dum intuita esset B. Virgo Maria, & faciem ejus similem faciei Filii sui JESU agnovisset, mœror cordis ejus dolor & compassio renovata fuit: *Post aliquot autem* (idem refert) *suspiria ad se rediens nuntiavit Jacobo suo cognato ex instinctu Spiritus Sanctus quod*

ille Hierosolymis Custos Sepulchri sui Filii Prædicator & Episcopus fidelium, Propagator Passionis & mortis Christi esse debeat. In cujus memoriam digito suo intincto in defluente Sangvine ex membris, & ex vulnere lateris, in veste alba & linea ad pectus Jacobo Crucem expressit, juxta formam ac figuram illius, in qua Christus affixus fuit. Cujus in plano authoritas citatur, in libro: *Sepultura Viventium* in præfat. ad Lectorem; & in vitis Sanctorum Ordinis Nostri in vita S. Jacobi Minoris fol. 19. Hæc ergo perantiqua & historica narratio nihil fabulosi vel apocryphi in se continere videtur. Non enim ex hac ratione, quod S. Jacobus Minor Christi Sepulturæ adfuerit. Hoc enim licet non sit expressum in Evangelio; multa enim signa Christi quæ fecit, & alia facta de Christo, Beata, & Apostolis narrantur, licet eadem Evangelium non adferat. Cæterum S. Anselmus libr. de pass. Christi S. Petrum & Jacobum Minorem Fratrem Domini præsentem adfuisse Sepulturæ Christi expressæ affirmat, ut deduxi supra fol. 328. Sylveira Tom. 5. libr. 8. cap. 21. de Sepultura Domini Quæst. 8. num. 48. super hæc verba: Matth. 24. v. 28. *Ubicunque fuerit corpus, illic congregabuntur & Aquilæ:* dicit: *Hi duo viri aquilæ,* (id est Joseph ab Arimathæa & Nicodemus) *nempe nobilitate ingenio & intellectus acumine tales conveniunt ad Corpus Christi mortuum. Convenerunt etiam cum B. Virgine & Joanne ac Sanctis mulieribus, Divus etiam Petrus & D. Jacobus frater Domini ut vult D. Anselmus tractat. de Pass. ad finem.* Tum nec etiam illud; quod B. Virgo Maria instinctu Spiritus Sanctus cujus gratia & dono sapientiæ ac prævisionis futurorum, plena & superplena fuit, eundem S. Jacobum Minorem Custodem Sepulchri Filii sui Prædicatorem & Episcopum ac Propagatorem Passionis ac mortis Christi, prædixit. Ista enim omnia officia suo tempore expost, adeptus est & adimplevit S. Jacobus. Fuit enim Custos Sepulchri Filii sui, quatenus illius specialiter regimini, curæ, & solicitudini, præ cæteris Apostolis, designata fuerunt à S. Petro, tanquam Primo Capite & Christi Vicario, loca sacra Hierosolymis. Prout ipse de se testatur, apud Prochorum discipulum S. Joannis Evangelistæ, in congregatione Apostolorum post Ascensionem Domini: Refert idem in sua historia de sortitione Apostolorum Cap. 1mo his verbis: *Respondens autem Jacobus Frater Domini dixit: Scitis tamen Fratres mei, mihi à Domino dictum esse,*

Biblioth. VV. PP. Tom. 8. fol. 155.

esse, ut Hierosolymis remaneam. Et respondens Petrus dixit: Scimus omnes hæc loca, tuæ dispensationi esse commissa, & non licere ab Hierosolymis discedere. Christus igitur dum Sponsam suam sangvine conspersam, hoc est Universalem Ecclesiam, commisit Petro; Joanni etiam dilecto, Virginem commendavit; Jacobo autem sibi in facie simillimo, & quem videntes, quasi in speculo viderent Jesum, reliquit loca sua sancta, tanquam specula suæ redemptionis, ut in Jacobo & Forma Christi viventis corporis, & in locis ejus custodiæ, præsidio subjectis, patientis morientis ac resurgentis Christi imago veritatis, ad vivum appareret & repræsentaretur. Tum quia S. Jacobus Minor, *adhuc puer incredibili quadam ac supra ætatem sanctitatis opinione, imbuit omnium mentes, sanctus vulgo appellatus est*, tale dat encomium Sabellius: *perpetuæ Virginitatis fidus custos*: S. Hieronymus; *ex utero Matris Sanctus*: Egesippus, ob quam sanctitatem & vitæ puritatem, illi soli licebat ingredi Sancta Sanctorum. Dum itaque Christus propter virginitatem Joannis, Virginem Matrem commendavit, ita propter eandem innocentiam, sanctissima loca, quæ sunt Sancta, Sancti Sanctorum Christi, custodiæ ac Officio Jacobi Minoris commisit; ac præcipue illud Sanctum, purum, Sepulchrum, quod juxta S. Hieronymum: *Mariæ Virginalem uterum demonstrat, & Sepulturam Virginem*, appellat S. Aug. Serm. 298. de Sepultura Domini. Tum quia successio illa hæreditaria, post mortem Christi, illius prætiosæ substantiæ, nimirum locorum sacrorum speciali contactu corporis & Sangvinis Christi, ejus mortis ac vitæ quasi concorporeorum & consangvineorum, ad quem magis devolvi jure hæreditario debuit, quam ad Jacobum Fratrem Domini, Christi cognatum. Declaratur ergo Jacobus a B. Virgine Custos & Successor in loca Christi, quasi Frater, in loca & bona stabilia, opulentissimâ redemptione nostrâ prospicua. Fuit item Episcopus fidelium, quia inquit S. Chrysostomus, *tàm fuit mirabilis, ut Episcopatum primum acciperet Hierosolymis*, qui juxta Clement. Roman. libr. 1. & S. Antoninum, à Domino ordinatus est invisibili unctione in Episcopum, à Sancto autem Petro, accepit confirmationem per externas & visibiles cæremonias, à quo S. Petro, tanquam à capite Ecclesiæ universalis & Summo Pontifice, datus est ei certus & determinatus titulus & jurisdictio, scilicet Hierosolymorum, & territorii

Titul. 6. cap. 3. ritorii ejus. Idem S. Antoninus, adeoque illi Hierosolymæ thronus primùm est creditus, habet VI. Synodus Generalis S. Ambros. in Cap. 9. Lucæ. *Primus solium Sacerdotale conscendit* S. Epiphanius hæres. 77. de S. Jacobo Minore loquens ait: *Primus ille Episcopalem Cathedram cœpit, cùm ei ante cæteros omnes, suum in terris* (nempe Hierosolymis) *thronum Dominus tradidisset.* Fuit item S. Jacobus Prædicator & singularis Propagator Passionis Mortis & resurrectionis Christi, quia idem S. Apostolus vocatur Ecclesiæ utilissimus, diligentissimus Evangelii præco, qui etiam ingentes labores pro Ecclesia suscepit, & ob hanc prædicationem ac propagationem Christi nominis ac fidei, Martyrium subiit. Omnia ergo quæ prædicta sunt à Beatissima, Sancto Jacobo Minori, dum ex consequenti in re ipsa exactè impleta fuerunt, quis non verissimam ac veridicam hanc de eodem S. agnoscet prædictionem?

Adeoque Officium & titulus Custodis S. Sepulchri, adscriptus S. Jacobo Minori, non à nobis usurpativè trahitur, & applicatur eidem. Sed ex multis titulis convenire videtur. Primò ex ipsa impositione illius à B. Virgine Maria, conformiter ad supra allatam relationem. Secundò ex titulo Apostolatûs & discipulatûs: cum enim talis ministerii eorum injunctum munus, & fere ad oculum remonstrabat illis, Princeps Collegii & Ecclesiæ S. Petrus, nempe quod ipsi sint testes resurrectionis Christi: executio hujus muneris, non solùm fuit impleta, communi modo aliis Apostolis & per S. Jacobum Minorem, nempe prædicatione Mysteriorum Christi fidei, propositorum cum obligatione ad credendum, & pro iisdem tenendis libera susceptio tormentorum & mortis. Sed speciali modo, hanc testificationem resurrectionis Christi, S. Jacobus Minor in deputato sibi officio Custodiæ S. Sepulchri exercuit. Per custodiam enim talem, Hierosolymæ manens Apostolus, summopere testificabatur resurrectionem Christi, ipso evidenti à loco petito Argumento. Ibi enim Christi nomen, passionis, mortis, & resurrectionis testimonium, prædicationem inchoàns, exortæ in Cordibus fidelium pristinæ pietati, & adversæ impietati, in loco Sepulchri Christi, tanquam in loco publico confessionis fidei, exactum præbuit resurrectionis testimonium: ad quod ipsum genuinè præstandum, functus est officio illius Angeli Custodis Sepulchri præ aliis designati, ut testificetur & indicet:

Venite

Venite & videte, ecce locus ubi posuerunt eum. Tertiò consecutus est officium Custodis S. Sepulchri S. Jacobus Minor, & dignitate Officii Episcopalis. Eô enim ipsô, quia fuerat Episcopus primus Hierosolymitanus, sive Episcopus locorum sacrorum, primus fuit Custos eorundem, adeoque & primus Custos S. Sepulchri. Episcopi enim Hierosolymitani, sicut & expost Patriarchæ, nominati sunt Custodes S. Sepulchri, ut patebit infra. Et si Episcopi Ecclesiarum dicuntur Angeli, conformiter ad Apocalypsim S. Joannis; S. Jacobus Episcopus, Sanctæ Urbis locorum, Angelus eorum, adeoque Custos Sepulchri. Sicut enim ille Angelus, qui primò in Sepulchro sedit; præsidebat eidem, à S. Hieronymo, Chrysologo, aliisque Custos Dominici Sepulchri dictus, ita S. Jacobus Minor, qui primus præses locorum sacrorum erat, primus sedit in throno & Cathedra Hierosolymitanæ Sædis, locis sacris Christi Celeberrimæ, & vitæ puritate alter Angelus, & Custos ac Præses S. Sepulchri jure merito dicendus. Tum sicut illi Prælati Ecclesiarum Cathedralium, quorum curæ committuntur vasa Sacra, supellex Ecclesiastica pretiosa, titulum dignitatis & prærogativæ, specialem habent & dicuntur Custodes; ut id patet & ex veteri testamento Templi Salomonici; proinde quia S. Jacobo Minori à S. Petro Summo Pontifice, commissa fuerunt sacra illa loca pretiosa, & nimis æstimabilia, sacra supellex Christi passionis, hinc titulum specialem habuit, quod fuit Custos monumenti JESU Christi. Quem statim à primordio Sepulturæ Christi sortitus est, & nominationem accepit à Beatissima Virgine Maria. Quô in munere designativo, antecessit Angelum custodem monumenti, ut cælestis nuntius, documento cæli Aulæque cælestis; hic vero terrenus in carne Angelus, ministerio ab ipsa Cæli Regina (quæ etiam de honore locorum Filii sui fuit sollicita) collato, Apostolicæ illius aulæ obsequio, vigiles excubias in semetipso, ac suis Successoribus, ad Sepulchrum ageret.

Dum igitur talis impertitus prodiit titulus, ex ore tam dignæ conferentis Personæ, in Sanctum Apostolum, & ejus Successores derivatus, in prima illa Hierosolymis Ecclesia, facta ex cænaculo Christi, primus à Sancto Petro consecratur in Episcopum Hierosolymitanum, S. Jacobus Minor, qui illam regeret animarum curæ invigilaret, & de servitiis Ecclesiæ & Clero sufficienti, provideret,

deret, adeoque jam ejus poteſtati Ordinariæ annexoque circa ſervitium Eccleſiæ præfatæ, Clero; commiſſa ſunt omnia tum intra Hieroſolymam, tum extra, loca ſacra. Approbante ac confirmante id S. Petro Apoſtolo, Vicario Chriſti, qui Sanctum Jacobum Minorem, præſentibus aliis Apoſtolis, ut Epiſcopum loci illius conſtituit, ita eundem pro primo Parente ac Superiore, Clericis & in ſortem DEI electis viris deſtinavit, ſub cujus regimine velut norma vitæ Chriſti, ac Apoſtolorum viverent Deo, ut fideles, & ſimul ut religioſæ perſonæ famularentur. Cum certum ſit quod Eccleſia Hieroſolymitana, fuerit prima ſcaturigo Religionis Chriſtianæ, & Juſtinus Imperator ad Hormisdam Pontificem ſcribens: *Matrem Chriſtiani nominis* appellat; ita diſciplinæ regularis ac vitæ communis ac votivæ, ſeria obſervatrix extiterit. His verò ſuis Clericis, ad miniſterium & ſervitium Eccleſiæ præfatæ, ab ipſo Spiritu Sancto perſonali ſua deſcenſione conſecratæ, deputatis ac ordinatis, Sanctus Præſul & gregis, (qui 29. Annis rexit Eccleſiam,) illius religioſi Superior & Legislator, velut normam & regulam directivam vivendi, quam ſequerentur & juxta quam viverent, unam in exemplo vitæ ſuæ Sanctiſſimæ exhibuit, alteram verè Apoſtolicam, dogmaticam & religioſæ perfectioni ſummè conſonam reliquit, pro eo & futuro temporo in ſcriptis, quæ eſt ejus Epiſtola Canonica & ab Eccleſia approbata. Quid enim vetat dicere eam Epiſtolam Sacram, non ſolùm datam & ſcriptam eſſe Judæis converſis, & cauſa fidei diſperſis, & datam eſſe veluti Epiſtolam Paſtoralem, quâ ut peculiaris Paſtor & legatione Chriſti fungens Jacobus, fide & doctrina inſtrueret, & quos verbo non poterat, ſcriptis doceret: Verum etiam datam eſſe illi Clero ſuo, penes dictam Eccleſiam manenti, tanquam ſimul regulam directivam vitæ ipſorum (ut ſolidè deducit & probat Reverendiſſimus Jacobus Radlinski in ſuo Libro Manuſcripto de Prærogativis Ordinis noſtri, typis quanto citius porrigendo) quæ continebat, non tantùm Canones & regulas credendarum rerum, ſed etiam practicè agendarum, præſertim modo religioſo, & ſtatui eorundem quàm apprimè convenientem. Quod ipſum patet ex eo: quia juxta Thomam Malleotum in valle liliorum Cap. 33. *in Epiſtola Canonica S. Jacobi Minoris forma Chriſtianæ vitæ & perfectionis religioſæ continetur.* Et juxta Rabanum Maurum de Univers. libr. 5. cap. 3. *im-*

men-

menſam ſcientiæ claritatem, legentibus videtur infundere. Juxta Ottonem Friſigienſem libr. 3. cap. 16. *valde utilis & ſale ſapientiæ condita eſſe dicitur, quæ proinde in oculis omnium verſari debet quando omnium maximè intereſt.* Proinde illis Clericis Hieroſolymitanæ Eccleſiæ, datam eſſe eandem Epiſtolam, & pro forma vitæ Chriſtianæ, & pro aſſequenda religionis perfectione; & ex qua haberent ſcientiam practicæ vitæ, ac illâ eſſent in via DEI ambulantes illuſtrati. Præſertim cum in eadem Epiſtola, præcipuæ & maximè religioſis Perſonis convenientes virtutes docentur, nempe humilitas, patientia, oratio, conſtantia, compreſſio motuum, repulſa tentationum, depoſitio proclivitatis ad iracundiam, abjectio omnis immunditiæ & malitiæ, manſvetudo in verbis, vita activa & correſpondens factis, non verbis, refrenatio lingvæ; & aliæ tot virtutes verè religioſorum ſtatui, & obligationi ejusmodi ſtatûs convenientes, & ſummopere neceſſariæ; ut patet reflexè legenti eandem Epiſtolam in his terminis: *Fratres mei dilectiſſimi; religioſum eſſe; religionem mandam; Conventus veſtri; miſeri eſtote; lugete; plorate; humiliamini; patientes eſtote fratres &c.* Tum dicit: *ſubditi eſtote; elegit pauperes in hoc mundo; domare concupiſcentias jubet,* quæ omnia, votis religioſæ profeſſioni, obſervantiæ regulari, congregationi in communi viventi, potiſſimum eſſe conſona, quis non agnoſcit? Præſertim cum certum ſit, juxta Reverendiſſimum Benvenuti, in Tractatu de vita Clericorum cap. 2do fol. 23. Clerum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, quam gubernabat S. Jacobus Minor, fuiſſe regularem. Quod ipſum cenſent Pennottus, Lepaige, aliique plurimi doctiſſimi Authores Canonici, Hiſtorici, ac Juridici, deducentes Eccleſiam Hieroſolymitanam, à ſuis ſtatim primordiis, regularem fuiſſe. Quod igitur in præſenti aliis Religioſis ſunt Regulæ, ſive conſtitutiones à ſuis Fundatoribus datæ, ita pro eo tempore illi Clero hanc fuiſſe Apoſtolicam Epiſtolam canonicam, pro Regula, quæ eſt referta omni genere utilium documentorum pro bono regimine, cujuscunque communitatis religioſæ, etiam ſub vita votiva exiſtentis. Tum ut Sanctus Auguſtinus, antequam ſuam Regulam conſcriberet, Monaſteria Clericorum inſtituit, cum quibus ipſe vivebat ſecundùm Regulam, ſub Sanctis Apoſtolis conſtitutam, habet legenda vitæ ejus. Ita Clerici Hieroſolymitani, antequam ſuſciperent Regulam S. Auguſtini, ante

hanc vivebant more Apoſtolico, & curni non viverent juxta Regulam à Sancto Jacobo, eis conſtitutam, quæ verè in ſe dogmata & vitam Apoſtolicam continet.

Sanctum igitur & regulare ſodalitium, operibus & imitationi Apoſtolicæ intentum ſub cura S. Jacobi exiſtens, per hanc ipſam vocationem ſuam, deſtinatum erat ad ſanctiſſimam functionem ſpeciali privilegio condecoratam, nempe ad cuſtodiam S. Sepulchri & aliorum ſacrorum locorum adminiſtrationem. Idque non ſolum ſignatè, ſed etiam exercitè hocce officium & titulum geſſit. Eſto enim S. Jacobus Minor, ejusque ſucceſſores in præfata Eccleſia montis Sion, primam ſuam Cathedram habuerunt, & manebant ſimul cum Clericis illis, nihilominus tamen locum Calvariæ S. Sepulchri, aliaque frequentare, venerari, non ſolum ex vi pietatis erga Chriſtum, verum ex officii & injuncti muneris debito, non prætermiſerunt. Imo antequam à Judæis & Gentilibus ille locus Sacer Sepulchri obrueretur, notabile temporis interceſſit ſpatium, donec illa efferveret Judæorum malitia, à S. Jacobo aliisque diſcipulis illius Eccleſiæ montis Sion Clericis, quantum temporis conditio permittebat, fervido mentis ardore, Sacra contemplabantur loca. Quorum locorum memoriam ſemper retinebat, & in Liturgia ſua quam in Eccleſia montis Sion, aſſiſtente ſuo Clero celebravit, expreſſè pro iisdem hoſtias & oblationes offerebat dicendo: *Offerimus tibi Domine & pro locis tuis Sanctis, quæ glorificaſti Divina apparitione Chriſti*; & in eâdem, meminit & loci Sepulchri Chriſti ut dictum ſupra fol. 328. Et ſi enim ſupra Sepulchrum Chriſti, nulla magnifica extructa fuerat & ſpectabatur Eccleſia, teſte tamen Socrate in hiſtor. Eccleſ. his verbis: *Poſt tempora Paſſionis Chriſti, illi qui Chriſtianam religionem profitebantur, Sepulchrum colebant*; Clerus ille unà cum Sancto ſuo Epiſcopo, ſpeciali cultu locum Calvariæ & monumenti venerabatur. Dum verò ſcelerata Judæorum concitata eſſet conſpiratio, ad delendam Chriſti memoriam in ſubſtitutis locis, ipſumque Sepulchrum ac Calvariæ locum, (ad quæ maxime extendebat ſe, fidelis Cleri & populi devotio,) violarent; à tali cuſtodia & veneratione locorum, multùm ſunt præpediti. Propter enim illa obſtacula & abominationem, quæ facta eſt in loco ſancto, ægre illum adire & cuſtodire potuerunt. Præterea cum Adrianus anno Imperii ſui 137; juxta S. Paulinum ad

Seve-

Severum, existimans se fidem Christianam loci injuriâ peremptu-rum, locum passionis & resurrectionis, simulacris prophanavit; de quo eventu S. Hieronymus ad Paulinam scribit: *Ab Adriani temporibus usque ad Imperium Constantini, per annos circiter centum & octoginta in loco resurrectionis simulacrum Jovis; in Crucis rupe, statua ex marmore Veneris, à Gentibus posita colebatur, existimantibus persecutionis authoribus, quod tollerent nobis fidem resurrectionis & Crucis; si loca sancta, per idola polluissent.* In quod Scelus, summô dolore invehitur S. Mathias, qui tempore Adriani Ecclesiæ Hierosolymitanæ præfuit, in sua Oratione, quæ habetur in vitis Sacrosanctorum Ordinis Nostri. Clerici cum suo Præsule ad Ecclesiam Sion degentes, quæ à devastatione Urbis Hierosolymæ relicta erat, & partes domiciliorum circa ipsam Sion, juxta S. Epiphanium libr: de mensur: tantisper à custodia & frequenti accessu S. Sepulchri & Calvariæ penitus arctati fuerunt; cum gentiles erectis statuis, victimas detestabiles, super aras impuras immolabant, teste Eusebio, quod tam grande & impium nocumentum, non sine summa cordis amaritudine; Præsul, Clerus ac fideles conspicientes, hac de causa præclusam sibi habuerunt viam, ne Christum in prædictis locis adoraturi, ea simulacra adorare viderentur. Per hoc tamen non desierunt esse Custodes S. Sepulchri. Titulus enim hic derivatus, in Cathedræ illius Principem, Jacobum fratrem Domini, (ut eum vocat S. Sophronius Patriarcha Hierosolym.) & reliquos ejus Successores Episcopos, ac universum Clerum illum regularem Hierosolymitanum, manebat in illis, tametsi hoc difficulter exequi poterant, ad quod tenebantur. Causæ enim sive necessariæ sive liberæ, habentes aliquod impedimentum & obicem ad ponendum suum effectum, non admittunt virtutes sibi connaturales ac congenitas ad producendum eundem effectum, remoto impedimento & obice, & denominationem suam retinent, ratione præcontentæ virtutis, quamvis ob grave obstaculum actualiter effectum proportionatum sibi, non producunt. Proinde & Episcopi illi Sancti, & Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ, etsi à primordiis non habuerunt permanentem locum, nempe Ecclesiam & residentiam suam fixam ad S. Sepulchrum, ob grave & grande nominatum impedimentum, adhuc tamen retinebant denominationem, munus ac Officium custodiæ S. Sepulchri ex virtute ori-

Baron. Tom. 2. fol. 118.

Adrichomius num. 242.

ginis suo statui, & obligationi connaturalis, licet pro tunc impeditæ, alia tamen loca sacra frequentabant, in quæ non ita sæviit immanis illa persecutio. Sed esto sane loca Calvariæ & monumenti, ignominiosâ strage absconsionis suæ, & positione idolorum desuper sunt contaminata, attamen quod consideratione dignum existimat & testatur Baronius his verbis: *quod quantum libet loca sancta Hierosolymorum, fuissent per Adrianum Imperatorem prophanata, desuper impositis impurissimis diis Gentium, nihilominus ardor Christianæ pietatis, neque his potuit contineri, quin Hierosolymam, peregrinationem, religionis ergò susciperet, qui quidem usus ab ipso exordio nascentis Ecclesiæ cœptus, nunquam ampliùs in Ecclesia Catholica est intermissus.* Non obfuisse id videor, & officio Cleri Hierosolymitani, ut loca sacra, sui juris haberent, in quibus piissimo incumbebant officio, ibidem Christum laudando, peregrinos suscipiendo & deducendo, qui saltim mente & corpore in locis prophanatis, vel à longe suspicantes, gementes, Christum adorabant, & animi teneritudine compressi, tantæ confusioni condolebant. Et cur hic usus custodiendorum locorum sacrorum, ab exordio nascentis Cleri, & jam multiplicati, non fuerit cœptus & inchoatus, in nobilissima illa Ecclesia, quæ non Jacobi tantùm, sed & Apostolorum & virorum Apostolicorum alumna erat? Sic illam vocante Baronio. Et nunquid ardorem pietatis Christianæ, in Clericis dictis, erga loca sacra, titulumque & Officium custodiæ sacrorum locorum, penitus extingvere & deperdere potuit, sæviens illa Judæorum & gentilium persecutio? quæ eò magis incitabatur, quò magis constantes in fide & amore Christi, ac in venerationem sacrorum locorum, propensos ac devotos spectabat, eorundem animos.

Restitutis tandem pristinæ libertati ac pietati, temporibus Constantini, per Sanctam Helenam, amoto illo obice, à locis sacris, præsente S. Macario pro tunc Præsule Hierosolymitano, præsentibusque universis Clericis Hierosolymitanis Montis Sion, etiam idem S. Episcopus, unà cum Clericis iisdem, pristino suo Officio, nempe Custodiæ S. Sepulchri fuerunt restituti, & ad antiquum statum & dignitatem, majori celebritate reinducti, ut in eodem loco, jam securiùs & liberiùs fungerentur Officio suo, quod ob impedimenta Judæorum & Gentilium adimplere haud poterant, conti-

nua

nua & ſtabili ad illud permanentia. Poſt quorum locorum Inventionem, ac apertionem, ſicut ipſa genuina Crux Chriſti, in qua pependit & mortuus eſt Chriſtus, tradita eſt ad Cuſtodiam S. Macario Epiſcopo, Clericis Eccleſiæ Montis Sion, ibidem tantiſper cum magno honore conſervata, extitit; ita loca Calvariæ, Sepulchri de novo reperta, ejusdem Epiſcopi, & Clericorum Eccleſiæ, fuerunt conſignata cuſtodiæ, ac ab ipſis iterum antiquo jure præhabito, ad poſſidendum ulterius, & continuandum dictæ Cuſtodiæ miniſterium tradita, ſummo gaudio in jus poſſeſſorium renovatum acceptata, gratulabundo nimis animo, Sanctiſſimè fuerunt recepta.

Antequam vero in illis locis Inventionis S. Sepulchri, & S. Crucis ab Helena Imperatrice & Conſtantino, Baſilica illa, quæ reliquas totius orbis amplitudine atque pulchritudine excesſerat, conderetur; teſte Sanuto, ædificata eſt Eccleſia, inſtar Capellæ, Libr. 3. Cap. 8. in qua Divinæ laudes à Clero illo perſolvebantur, populus multus confluens, loca illa Sancta de novo reperta, ſumma devotione venerabatur. Et Clerici Hieroſolymitani Montis Sion, altera nova illa occupatione, apprehenſione, titulo juris ſui uterentur. Ut de illis vere dici poſſit illud Iſaiæ cap. 30. v. 19: *Populus enim Sion, habitabit in Jeruſalem*, nimirum fidelis populus ille Montis Sion, videlicet Epiſcopus, Clerus, protunc jam habitavit in Jeruſalem ad Sepulchrum Chriſti.

In pacifica igitur permanentique poſſeſſione ejusdem cuſtodiæ S. Sepulchri, exiſtentes Clerici Regulares, ſive Canonici Montis Sion, cum ſuo Antiſtite, ex eo tempore, uti noſter dignus Hiſtoriographus, Samuel Nakielski S. Th. Doctor Præpoſitus Conventus Cracov. ad S. Hedvigim, in ſuis antiquitatibus dicit: Cap. 7. fol. 56. *Sacrum illud & religioſum Sodalitium, nomine Cuſtodum S. Sepulchri appellari cœpit.* Quod ita intelligendum eſſe exiſtimo. Licet prima Sedes S. Jacobi & ejus Succeſſorum Epiſcoporum Hieroſolymitanorum, in Eccleſia Montis Sion cœpta ſit, necdum tamen ob allatas ſupra rationes, in illa prima planta fidelium, & odio locorum Sacrorum ab inimicis Chriſti nimis effervеſcente, hoc nomen Cuſtodum S. Sepulchri uſurpatum fuerat, quòád popularem hominum pronuntiationem, quamvis jam vere eadem cuſtodia, illis jure devolutivo à S. Jacobo deſtinata erat, ſed in illa ſecunda Sede Cathedræ S. Jacobi, firma ac fixa reſidentia in loco S. Sepulchri, penes

tàm eminentem Basilicam & claustrum sive Canonicam mansionem insignem, jam quoád popularem vocabuli distinctionem, à loci habitatione & ministerio, titulo Custodum S. Sepulchri sunt vocati. Ut sicut monumentum quod erat abditum, gloriosè emersit; ita & titulus Custodum S. Sepulchri, qui erat tantisper per injuriam loco factam, suppressus & temporum injuria occultatus, in publicum & gloriosum nomen assurrexit; illucescente toti mundo Sepulchri fama, notus fieret & titulus ministerii Servorum ejus. Et jam ab actuali illo libero, nec impedito exercitio, tanquam ad actum plenè secundum, revocatus Ordo Custodum S. Sepulchri, speciali appellationis sibi propriæ gauderet prærogativa. In primordiis enim nascentis Ecclesiæ, ut nominis Christi, & fidei in illum, notior manifestatio fieret, & segregatio ab illis, qui non erant JESU Christi, varias nominum appellationes sortiti sunt Sectatores Christi, nomine *Servorum JESU Christi*, *Discipulorum*, *Christianorum*, *fratrum*, *fidelium &c.* Postquam autem cumulatissimè Ecclesia crevit, & honor Christi, ac ejus redemptionis mysteria prædicari continuè cœperunt, loca iisdem sacrata jam securè & imperterritè in sua veneratione, aditu, ampliari cernebantur, Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ, qui similibus nominibus utebantur, jam ad honorem locorum sacrorum sublimandum, novam vocationis suæ nomenclaturam promeruerunt, & Custodes S. Sepulchri, sive Canonici S. Sepulchri, sive S. Resurrectionis nominati.

Plantati jam viri illi gloriosi, & Parentes nostri, ad gloriosum Sepulchrum in domo Domini, in Basilica illa Constantiniana, in Martyrion, sive testimonio Christi resurrectionis, ad magnificentissimam illam Ecclesiam, cum Sanctissima inventa Cruce, solenniter introducti, jam Custodes S. Sepulchri, publico ore & fama promulgati, tanquam vera vitis & propago S. Jacobi Minoris, exactissimè officium custodiæ ejusdem, in facto possessionis à primordiis præhabitæ, sunt executi, & testes resurrectionis Christi facti, vitæ sanctimonia & probitate cultum Divinum, & veram fidem S. Romanæ Ecclesiæ, strenuè propagabant; locum illum S. Sepulchri devotione, ac doctrina cohonestabant, ut patet in tot Sanctis Viris, quorum Cathalogum antiquitatis illius Scrutatores, & antiqui Authores collegerunt; majoraque documenta

sancti-

ſanctitatis, in codicibus characteribusque illorum temporum, vetuſtate nimia, ſunt conſignata. Agnoſcere protunc licuit datam olim filiis Iſràël à Deo appromisſionem, hanc in ſuccedaneis S. Jacobi expletam: *Introduces eos & plantabis in monte hæreditatis tuæ, firmisſimo habitaculo tuo, quod operatus es Domine, Sanctuarium tuum, quod firmaverunt manus tuæ.* Exod. 15. verſ. 17. Clerum enim Hieroſolymitanum, introduxit Deus ab Eccleſia montis Sion, & plantavit in monte hæreditatis ſuæ, nempe Calvariæ & Sepulchri, hæreditario enim titulo ſpectabant ad Chriſtum, ut patet ex libri 1mi titulo, *terra*: plantavit inquam; in illo monte ad firmiſſimum habitaculum ſuum, nempe ad Sepulchrum, quod duplici petra materiali & myſtica Chriſto ſolidatur & firmatur, & quod Dominus propter recipiendum corpus ſuum operatus eſt; ad illud Sanctuarium monumenti & Templi illius; quod firmaverunt manus Domini; dextera enim Domini, dextera fortitudinis in ſua firmitate tenet, & protegit locum illum. In monte illo eminenti & ſublimi, monte Sancto plantati: magnum incrementum contulit eis Deus, dum beneficiis. Imperatorum nimis ſunt ampliati, curam regimen neoerectarum in locis Sanctis Eccleſiarum, cum approbatione S. Romanæ Sedis, ſuſceperunt. Sicut igitur præ aliis diſcipulis, Chriſtus reſurgens apparuit Jacobo Minori, ita & Monumentum Chriſti, & Crux Sancta, ex illa ſua terrena Sepultura reſurgens, primò apparuerunt Præſuli ac Succeſſori S. Jacobi, nimirum S. Macario, & adſtantibus Clericis Eccleſiæ montis Sion, qui vehementi amore, affectu, veneratione, primordia inventorum locorum, ut ſunt proſecuti, ita & primas in illis inventis erectas Eccleſias, ſpectare, reſidere, in officio ſuo perſiſtere, gratiæ Divinæ meritis, ſanctificare & regere, digni ſunt inventi.

Sed ne Cuſtodes illi S. Sepulchri, ad Baſilicam novo fundatam, eſſent ſine Cathedra ſui Præſulis, S. Maximus Eccleſiæ Sanctæ Reſurrectionis Presbyter, & poſt S. Macarium, Epiſcopus, & Fratres illius Eccleſiæ, Cathedram S. Jacobi, de qua Euſebius inquit: *Sanè & Jacobi illius Cathedram, qui primus Epiſcopus Hieroſolymorum ab ipſo Servatore & ab Apoſtolis eſt conſtitutus, ad noſtra usque tempora conſervatam, Fratres illius Eccleſiæ jam inde à majoribus magna proſequuntur reverentia.* Hiſtor. Eccl. cap. 19. vers. Veleſianæ. Eâ inquam, proſecuti ſunt reverentia, ut cum magno plauſu, ſolennitate, ad illud Templum S. Reſurrectionis

honorificè transferrent, & in illo Sacrario Divino collocarent. Ita enim decebat, ut primus ille Sepulchri Cuſtos, ad Sepulchrum Chriſti ſuam haberet Cathedram, & ſuæ Cathedræ Paſtor reſtitueretur. Et in loco monumenti Chriſti, ubi in pace factus eſt locus ejus, in ſua vicaria Epiſcopali Cathedra, pacificè præſideret Jacobus. Intuliſtis Prælati Eccleſiæ Reſurrectionis, Cathedram Inſtitutoris veſtri, & inſtallaſtis etiam poſt mortem, D. Jacobum ad monumentum Chriſti, quia etiam poſt illam recedere non debuit, à monumenti Chriſti cuſtodiâ, qui in ſuis Succeſſoribus, & inſtituto Clero, curam in ſpiritualibus & temporalibus geſſit. Jam verè in ſpectata Jacobi Cathedra ad Sepulchrum Chriſti, & Cuſtodes Sepulchri, & Cathedrales Canonici exſtitiſtis. Cathedralis enim Eccleſia, à loco Cathedræ Epiſcopalis, nominatur. Honorificavit Deus locum Sancti ſui monumenti, quia in eo quievit Summus Paſtor. Poſtquam animam ſuam pro ovibus poſuit; glorificata & Cathedra Jacobi, in qua Paſtor ſedit, qui pro Chriſti fide occubuit; proinde illa ad monumentum Chriſti transfertur, ut ſimultaneè & memoria Paſtoris reſurgentis ex Sepulchro, & Præſulis primi Hieroſolymitani pro Chriſto occumbentis, uno fermè intuitu pateret. Et Chriſti tumulus altera vitæ illius Cathedra, regni & poteſtatis ejus ſupremæ initium ac gloria; & Fratris Domini Cathedram, poteſtatis Epiſcopalis ſedile, non longè pertinuit diſtare à monumento, & à Cathedra Crucis. Nullibi ſolenniùs Feſtum Cathedræ, vitæ puritate & ſanctitate, Jacobi, conſecratæ, celebrari potuit, quàm in templo Reſurrectionis Chriſti, ubi monumentum, ubi Crux, velut paſſionis & victoriæ ſigna, ſpectabantur, videretur Apoſtoli, Martyris exedra, celeberrimo ritu introducta. Minor vocabulo Jacobus, ſed maximus Præſul erat, Cathedra ejus ſub Maximo Antiſtite, ad Chriſti reſurgentis locatur urnam, quia in illa maximus reſurrectionis Chriſti teſtis, & præco fuit. Ubi jacebant membra morientis Magiſtri, fieret fixa Cathedra Diſcipuli, & Præſulis docentis.

Sublimatâ Cathedra, primi Hieroſolymitani Præſulis Eccleſiæ Dominici Sepulchri, ad majus à ſummis Pontificibus aſſurrexit culmen, & nominis gloriam, dum non ſolum Epiſcopalis à Crucis, Sepulchri, Jacobi Cathedra, vocata Cathedralis, ſed privilegio Patriarchalis Eccleſiæ decorata. Licet enim in magna ſemper

fuit

fuit veneratione Ecclesia Hierosolymorum ab exordio Christiani nominis, quatenus de Christi propagine, Sancti illi primi Episcopi, eam rexerunt & possederunt, & ob venerationem etiam erga locum adornatum Christi vestigiis, & mysteriorum salutis nostræ consummatione sanctificatum, quibusdam privilegiis, semper ornata fuit. Et à S. Sede Romana, illa Ecclesia & ejus Antistites, primatum quendam saltem honoris habuerunt, quia ut inquit Nicæna Synodus consvetudo obtinuit, & antiqua traditio, ut Æliæ Episcopus habeat honoris consequentiam. Sed postquam amplâ illâ, locus S. Sepulchri exornatus est Basilica, & Sanctis propagatus est Episcopis, & Clero illo S. Sepulchri; qui Episcopus olim nomine nonnisi & honore, pro Patriarcha habebatur, Sancta Romana Sedes, re etiam & potestate per Vigilium Papam in Concilio Constantinopolitano, in Patriarcham evexit, & Ecclesiam illam Patriarchalem constituit, & ei multas Metropolitanas cum suis Episcopatibus & Suffraganeis subjecit, quas omnes Præsules & Canonici illius Ecclesiæ Hierosolymitanæ assumpti gubernabant. Ad hanc autem dignitatem, extulerunt Pontifices, ex hac ratione, quæ ibi datur: *idque ob reverentiam Dominicæ Resurrectionis*, nempe quod illa Ecclesia, continebat in se Sanctissimum Sepulchrum Jesu Christi, dignum enim erat, ut ex hoc titulo, majori gloriâ & honore coronaretur.

Non solum verò, ob reverentiam S. Sepulchri dicta Ecclesia, Cathedrâ S. Jacobi, est insignita Episcopi autem titulo Patriarchali sunt decorati: Verùm quia dicebantur Cathedram sive Thronum S. Jacobi conscendisse, in ejus Cathedrâ sedisse, aliqui eorum quamvis sua propria habuerunt nomina, etiam titulo Jacobi Fratris Domini, sunt appellati. Et ex hac ratione & occasione nominis Jacobi, illam Clementis Papæ Epistolam, quæ erat ad Jacobum Episcopum Hierosolymitanum, eximunt & explicant Authores, ab objectione hac, quod sit Apocrypha. Illa etenim Epistola, non erat scripta, ad S. Jacobum Apostolum primum Episcopum Hierosolymitanum, qui ante vitam & tempora Clementis, jam martyrio obiit; quis enim crederet Pontificem, ad mortuum Sanctum, Epistolam dirigere; sed erat ad Successorem, ejus Episcopum Hierosolymitanum scripta, nomine Jacobi nominatum, velut Successori verò ejus Cathedræ, nomen imponendo. Et ita

Adrianus Lyræus in Trisagio Mariano libr. 3. fol 456.

explicat Franciscus Turrianus: *B. Clementem Petri Apostolorum Principis jussu, exarasse literas ad Episcopum Hierosolymitanum, inscriptione præfixa ad Jacobum Fratrem Domini - - Quid hoc? an ignorabat Apostolus, ejusque discipulus - - Clemens, jam illum ab annis octo, naturæ concessisse? - - quod efflictim arripientes heterodoxi, impudens proclamare factum, literas ad mortuum destinare? - - Sed mysterium ignorant: Nonne sciebat Apostolus, Jacobum laureatum Christi Martyrem, jam in cælum abiisse, in cujus Persona, volebat Clementem, illius commone facere successores, cujus personam repræsentabant, atque officio, non virtute fulgebant. Neque enim ignorabat B. Petrus, cum ad mortuum jussit scribere, neque Clemens cum jussu ejus scribebat, quin statim ut Lectores viderent, ad eum quem omnes scirent ante B. Petrum esse mortuum, epistolam scribi, causam diligenter quæsituri essent, & quæstam reperturi. - - Aliud igitur Petrus voluit, aliud Clementem facere jussit, ad Jacobum scribere jam mortuum imperavit, Successores vero ejus in Ecclesia Hierosolymitana admonitos voluit, qui Epistolam legentes, facilè advertere poterant, eam ad se pertinere. - - Unde apparet, singulari modestia à Clemente factum esse, ut Epistolam mortui Jacobi nomine, in finem jam dictum ad Successorem ejus Episcopum Hierosolymam transmitteret. Fuit autem hæc Epistola usquequaque SS. PP. probata &c.* Quod ipsum probare solet, non improbatus usus & consvetudo, ut sub nomine altero, commoneantur alii & instruantur. Sic igitur & Episcopi Hierosolymitani S. Jacobi Minoris Successores, titulo illius fuerunt nominati, & vocitati. Quemadmodum etiam, & Alexander IV. Pontifex, referente Augustino Oldoino, in nova additione; in Sacro Sepulchri Dominici Templo cultum Divinum restituit & auxit, Jacobo Hierosolymitano Patriarchæ, potestatem conferendo, ut Canonicorum numerum, aliorum sex supplemento augeret. Ubi hic nomine Jacobi Patriarchæ Hierosolymitani, non intelligitur. S. Jacobus Minor, sed ejus Successor, hoc nomine vocatus, licet alius protunc nominis, fuerat Patriarcha Hierosolymitanus. Sicut sub nomine D. Petri Apostoli, reperitur græce Epistola, ad Jacobum Episcopum Hierosolymitanum, quæ in Bibliotheca Regum Christianissimi, & Catholici, teste Possevino, asservatur, ut testatur Alphonsus Ciaconius in histor. Pontific. Tom. 1. fol. 83. Quæ permanentia hujusmodi nominis in Successoribus Episcopis, sive Patriarchis Hieroso-

Alphons. Ciacon. de Alexandr. Tom. 2 fol. 142.

Hierosolymitanis, sicut arguit eos fuisse descendentes à S. Jacobo Minore Apostolo, ita & Clerici Hierosolymitani, qui sub iisdem Patriarchis Hierosolymitanis, modo religioso vivebant, ortum & lineam rectam traxerunt; tanquam à suo primo Episcopo & Institutore, ad eandem Ecclesiam, S. Sepulchri, obsequiosam custodiam, cunctorumque locorum sacrorum retinentiam, obtinuerunt.

Talis officii dant magna documenta, Suprema in terris oracula; Classicorum Authorum & recentiorum attestationes; ex pluribus pauca hic refero, ex Bulla Cæleſtini II. Papæ, (quam adducit Joannes de Nigra Valle S. R. E. Bibliothecarius. Gabriel Pennotus libr. 2. Cap. 67. fol. 533. Joannes Lepaige libr. 1. cap. 166.) quæ est ad Petrum Priorem & Fratres S. Sepulchri Hierosolymitani, tum præsentes, quàm futuros canonicè substituendos in perpetuum, in qua sic habetur: *Quia igitur dilecti in Domino Filii, juxta Regulam B. Augustini vivere decrevistis & in loco ubi steterunt pedes Domini adorantes apud gloriosum Sepulchrum ejus, in quo triduo corporaliter requievit, & alia sacratissima loca, in quibus Redemptor mundi pro salute nostra vincula, flagella, Crucis ignominiam, vulnera, mortemque sustinuit regulariter militatis &c.* Innocentii III. Honorii III. & aliorum Summorum Pontificum, in quibus habentur inscriptiones: *Dilectis Filiis Priori & Fratribus & Capitulo Ecclesiæ Dominici Sepulchri Hierosolymitani.* Item. *Ecclesiam gloriosi Dominici Sepulchri sub B. Petri & nostra protectione suscipimus, & quascunque possessiones quæcunque bona eadem Ecclesia ubilibet locorum, in præsentiarum rationabiliter possidet aut in futurum &c.* Urbanus IV: *Quoniam dilectissimi filii Nostri Sanctæ Resurrectionis Ecclesiæ Canonici, in medio nationis pravæ & perversæ positi in frequenti Paganorum insultu &c.* Eugenius IV: *dilectorum filiorum Prioris & Capituli Ecclesiæ Sepulchri Dominici Hierosolymitani Ordinis S. Augustini supplicationibus inclinatus &c.* Ex quibus & aliis Summorum Pontificum privilegiis, constat quod Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ custodiam, & nomen Custodum Sepulchri Christi Domini Hierosolymitani susceperunt, & ad Ecclesiam S. Sepulchri constituti, à S. Sede Romana approbati, & in protectionem recepti fuerunt. Gabriel Pennotus libr. 12. Cap. 42. Sic habet: *Ipsa igitur Patriarchalis Hierosolymitana Ecclesia non ea extitit, quæ templum Domini vocabatur (ad quam pariter erant Canonici) sed quam apud Dominicum Se-*

pulchrum Magnus Constantinus, in honorem Dominicæ resurrectionis excitavit. In hac igitur Ecclesia statim extructa, & solenni omnium fere totius Asiæ Antistitum Conventu dicata. Clerici communem vitam more Apostolico ducentes statim fuerunt instituti. Nempe videlicet introducti, idque non alii, nisi hi ipsi, qui manebant ad Ecclesiam Montis Sion, & quorum tempore, templum illud à Constantino & Helena ædificatum est. Franciscus Mennenius in Deliciis Equestrium Ordinum fol. 40. *His omnibus antiquiorem statuunt Ordinem Sanctissimi Sepulchri Domini Nostri JESU Christi, rubei coloris Crucibus insignem, nec desunt qui originem ejus ad S. Jacobum fratrem Domini Episcopum Hierosolymitanum contendant. Alii ad Constantini Magni Imperium rejiciunt. Hujus enim piissimi Imperatoris Mater S. Helena cum Crucem & monumentum Domini. Divino monstrata Numine, feliciter reperisset, Sumptuosas in honorem S. Resurrectionis erexit ædes, quibus consequenti ætate, Canonicorum Regularium Divi Augustini fuit adjunctum Collegium, ejusque Sodalibus, Sepulchri Christi custodia demandata; qui multis sæculis etiam occupata postea à Saracenis Hierosolymâ, in eo Officio graviter persliterunt.* Ita & Bartholomæus à Siligniaco in Itinerar. terræ sanctæ. Matthæus Paris in Majori historia Anglorum pag. 50. nro 30. *Patriarcha quoque hujus sanctæ Civitatis, quatuor habet Archiepiscopos &c. Sunt autem in Urbe loca venerabilia, ut Ecclesia Dominicæ Resurrectionis, in Calvaria sive in Golgotha, ubi sunt Canonici nigri sub Priore. Templum Domini, ubi sunt milites, aliud templum in quo sunt Clerici. In Ecclesia Montis Sion, sunt Canonici regulares sub Abbate. In Ecclesia Montis Oliveti, sunt Canonici sub Abbate &c. Isti omnes sunt initrati, & cum Episcopis prædictis Patriarchæ assistunt.* Et numer. 40. *Sunt præterea aliæ Civitates, quæ non habent Episcopos, ut Accolon quæ est sub Episcopo Bethleem. Joppe quæ est sub Canonicis Dominici Sepulchri. Neapolis quæ est sub Clericis templi &c.*

Ex horum aliorumque plurimorum Authorum sensu, clarè patet, quod in Ecclesia S. Sepulchri, quam Constantinus & Helena construxerunt, non alii residebant immedietate, quam Clerici Regulares Hierosolymitani, appellati protunc Clerici S. Sepulchri, sive Presbyteri S. Resurrectionis, sive Canonici habentes Canonicales prærogativas. Sic enim de S. Cyrillo Hierosolymitano, Joannes Lezana & alii plures ibi citati testantur, eum ad Episcopalem digni-

Tom. 2. fol. 376. an. 351

dignitatem ex Presbytero Ecclesiæ Hierosolymitanæ, assumptum fuisse, & dicit eum fuisse, Archidiaconum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. S. Cyriacus uti primus Inventor ligni Crucis & monumenti, ita in Ecclesia Hierosolymitana, Custos Christi ligni & Sepulchri, deinde Episcopus. S. Elias de quo ex manuscriptis Græcis in latinum editis, habetur apud Bollandum ad diem 22. Jan. ubi dicitur. *S. Anastasius in Sancta Civitate, perductus ad Eliam Sanctissimum Presbyterum Sanctæ Resurrectionis, qui eum tanquam à Deo prædestinatum suscepit filium &c.* Hunc S. Anastasium Canonicis Ecclesiæ Hierosolymitanæ, annumerat Thinius, cujus fidei, credita est custodia Sacrorum vasorum S. Resurrectionis. In ejus vita idem Bollandus. Prailius Sanctorum locorum Sacerdos aut Chorepiscopus, quod juxta Sigebertum, Archidiaconum significat, adeoque erat Archidiaconus S. Resurrectionis. S. Porphyrius Custos venerandi ligni S. Crucis. Esychius Presbyter venerabilis Hierosolymorum Ecclesiæ. Dionisius Sanctissimus Presbyter S. Ecclesiæ Ascalonitarum, & Sacrorum vasorum Hierosolymis Custos. Azarias Custos S. Crucis. Ibidem cap. 49no Chrysippus Custos Crucis cum fuisset in Presbyteratu insignis reliquit scripta sua digna, quæ mandarentur memoriæ, Cyrillus in Vita S. Euthymii apud Surium die 20. Jan. Eusebius, de quo Mennas Episcopus Constantinopol. ad Petrum Hierosolymorum Antistitem scribit in Epistola quæ incipit: *Recordantes venerabilium virorum, qui apud vos sunt &c.* Subdit: *Maximè verò communis frater Deo amantissimus, Presbyter Eusebius magnus, generaliter & continuus de vobis sermo est, maximè ab ipsius sanctitate &c. sicut recta fides, vita irreprehensibilis, mansvetudo magna, & simpliciter dicendo, omnis virtutum chorus, vobis à Deo datus est, ut & Jacobi sedem accipere, & Custos orthodoxæ fidei esse mereamini &c.* De eodem Eusebio & Cimeliarche, Constitutio Justiniani Imperatoris data ad Ecclesiam Resurectionis dictam, hoc habet: *Novimus igitur quatenus secundùm, præsens Eusebius Deo amantissimus Presbyter, & Cimeliarches ejus, quæ secundum regiam hanc Urbem est, Sanctissimæ Ecclesiæ Præfectus, in præfatam Hierosolymorum Civitatem, & honestos suos & Deo amabiles etiam nunc indicatis mores &c.* Leontius Diaconus Ecclesiæ S. Resurrectionis de quo Sophronius Patriarcha Hierosolymitanus ad Honorium II. Papam 8vum scribit: *Obsecro etiam (ut justum est) charitatem vestram frater-*

Pratum Spiritual. cap. 80.

fraternam ut Leontium Deo charum, Diaconum Ecclesiæ Sanctæ Resurrectionis Christi Dei nostri, eundemque nostri pii Secretarii Cancellarium ad Prothonotarium; & reverendissimum fratrem nostrum Polyeuctum, quibus literas nostras Synodicas commisimus, benevolo vultu aspiciatis &c. Ampliora dictorum Canonicorum nomina, non dubito in vetustis antiquitatibus Ecclesiæ Hierosolymitanæ fuisse exarata, quæ vetera monumenta, tum clade continua hostium, tum flamma ignis periere, tum etiam sive ibidem, sive in aliis latitant Bibliothecis, quæ præ manibus haberi non possunt; quorum pietates dignæ memoratu, licet nos lateant, hoc tamen non latet, quod in illo cœtu Canonicorum Regularium S. Resurrectionis, plurimi viri religiosissimi & eruditi vivebant, Collegio fuerunt adscripti, sicut nunc religiosi determinatè suæ religioni; ac in ministerio S. Sepulchri, cæterisque locis sacris, obsequioso admodum famulatu, specialem dignitatem obtinebant.

Succedente persecutione, quæ sub Cosdroa Persarum Satrapa contigerat, inter triginta sex cæsorum Civium millia, occubuere tot Canonici & S. Resurrectionis. Et licet per eundem Tyrannum, in Persidem Sanctissima Crux cum suo Episcopo Zacharia captivoque Clero, abducta fuisset; Sanctus tamen Modestus, cum reliquis Superstitibus Presbyteris ac fidelibus, permansit. Quod lignum S. Crucis postmodum Heraclius reportans, eidem S. Modesto & Clero Ecclesiæ Hierosolymitanæ reposuit. Nicephorus in Breviario historico ad annum 629. hæc tradit: *Ipse Heraclius, vivifica ligna, ita uti erant, cum primùm capta sunt obsignata, secum deferens Hierosolymam perrexit, & Modesto Patriarchæ ejusque Clero, demonstravit.* Pariter ad Carolum Romanorum Imperatorem, Patriarcha Hierosolymitanus de Civitate expulsus à Paganis, venit ad Imperatorem, & cum eo Joannes Neapolitanus Sacerdos, & David Archipresbyter Hierosolymitanus. S. Antoninus Florent. Titul. 14. Cap. 4. §. III. Et quamvis iidem Canonici Custodes S. Sepulchri, cæterorumque locorum Sacrorum, immani fuerunt toties constricti oppressione, quoties terra sancta ac Hierosolyma, duræ servitutis hostium subjacebat jugo, & esto per tyrannicam occupationem non semel expulsi, aspirante tamen divinâ gratiâ, iterum suo loco & officio restituti fuerunt, ut illa vicissitudine barbara, velut flores adinterim marcescerent, arridente vero clementia

Anno 802.

tia Dei, iterum in horto suo nativo, Sepulchri Christi pullularunt, & refloruerunt. Postquam verò anno 638. Hierosolyma, & magna pars Syriæ erepta fuit per Saracenos Christianis, qui eam annis quadringentis novem tenuerunt, adeoque hoc toto tempore & Canonici sive Clerici, cum magno fidei & religionis amore in officio Sanctissimi Sepulchri devotè perstiterunt, ô quam protunc una cum fideli populo, multis agitati fuerunt diris tormentis pro Christo, alii enim secti sunt, alii in occisione gladii mortui, ac variis affecti suppliciis, in fide & charitate Christi decedentes, beatam spem consecuti, reliqui si qui à gladiis & tormentis Saracenorum liberi evaserunt, in alias amandati regiones, ab ejusmodi aliisque invasoribus terræ sanctæ, pro fide Christi similem ictum & hostilem manum non evaserunt; sive etiam nimio dolore, ex tanto casu ac sui ruina consumpti, prout id fatum terræ sanctæ & locis sacris illatum, in mortem impulit & Sophronium fidei Catholicæ strenuum defensorem, & ultimum Orthodoxum Patriarcham. Perturbato igitur Ordine, & Sanctitate Hierosolymæ, adveniente tanta enormi immutatione, omnia alteri vicissitudini, potestati, dispositioni subjacebant. In hujusmodi perturbatione, confusione, transmigratione, id profectò dolendum est, quod vel inopia scriptorum, vel scriptarum rerum in Archivis Hierosolymitanis, ac vicinis per tantas hostilitates jacturâ, ignorari à nobis, quot, qualesve eo tempore in officio S. Sepulchri extiterint clarissimi Sacri illi Viri, sub Orthodoxis Episcopis, Patriarchis? quid fecerint? eminentes eorum actus perfectionis, labores in convertendis Infidelibus, Hæreticis, peccatoribus, illorum fervor spiritûs, zelus pro fide Catholicâ, devotæ exercitationes, mortes susceptæ pro Christo, cæteraque eorum digna perenni memoria opera, antiquitus variis protunc in usu lingvarum expressa characteribus, sublata existimantur.

Subsequente demum misericordia DEI, præfixo ab eadem, tempore liberationis Sanctæ Civitatis Hierusalem, per Principes Christianos, à Deo protectos, quibus Regnum illud Hierosolymitanum Salvator, Principi Godefrido, tradere voluit, expurgata ab immunditia Infidelium, tum Schismaticorum, ac aliorum Sectarum colluvie; Urbe, locis sanctis, quamvis nonnulli Authores dicant, quod idem Godefridus, in Ecclesia Dominici Sepul-

 chri,

chri, Templi Domini Canonicos Regulares instituit, eisque ampla beneficia assignavit. Nihilominus istud verbum: *instituit*, non debet accipi in ea intelligentia, quasi ille primus institutor, & de nova erectione plantator illorum fuisset, sed potius & verius, *restituit*, *& dilatavit*. Ita explicat Gabriel Pennotus libr. 2. cap. 60. de eadem Congregatione S. Sepulchri, ex professo tractans. Joannes Lepaige fol. 165. Philippus Bonanni in Cathalogo Ordinum Religiosorum in Ecclesia militanti nro 30. titulo: *Canonici Regulares S. Sepulchri Hierosolymitani*: sic habet: *Hæc Congregatio in Templo S. Sepulchri Hierosolymitani, quæ erat Patriarchalis, sub piissimo principe Godefrido fuit instituta, seu potius restituta, nam ab illius prima institutione, quam D. Jacobo Episcopo Hierosolymitano tribuunt, fuit Regularis*. Basilius Serenius in assertione pro Regula S. Augustini fol. 51. sic habet. *Ipsi Clerici Canonici Dominici Sepulchri custodes, jam ab initio deputati, non solum ex Apostolica institutione ut ex decreto S. Clementis Martyris, sed ex restitutione Godefridi, ac Baldvini &c.* Errant itaque omnes illi Authores, qui primævam institutionem Canonicorum S. Sepulchri tribuunt Godefrido, vel ejus Successoribus Regibus. Quia omnes Scriptores antiqui, & plurimi recentiores, qui descripserunt hunc Ordinem, ejus probant originem, à temporibus S. Jacobi Apostoli Episcopi Hierosolymitani, & volunt, quod Godefridus & Baldvinus ejus Successor, fuerint solùm ipsius restauratores. Tum quia temporibus adhuc Constantini Imperatoris, & post aliorum Imperatorum, longè ante Godefridum dicti Canonici præerant Ecclesiæ Hierosolymitanæ, in qua erat Sepulchrum Christi, & possidebant Ecclesias à S. Helena tum Hierosolymæ, tum in vicinia, aliisque civitatibus erectas, quæ spectabant ad Patriarcham Hierosolymitanum, & ei erant subjectæ, ad quas de gremio eorundem, assumebantur pro Episcopis & Suffraganeis, multæque Sedes, Archiepiscoporum, Episcoporum ante Godefridum, subdebantur antiquitùs Ecclesiæ Hierosolymitanæ Patriarchali, quæ fuit apud Sepulchrum Christi, & in magno honore illius Præfectus habitus fuit, ad quas de gremio Canonicorum dictæ Ecclesiæ Patriarchalis, assumebantur. Adeoque sicut Patriarcha Hierosolymitanus, non instituebatur de novo, seu non primò fundabatur, sed restituebatur suæ functioni, uti Albertus Aquensis in histor. Hierosolymitana clarè refert,

quod cum universitas gentilium ab Urbe Sancta exterminata esset, & Sacrilegi ritus, & Godefridus in throno Jerusalem exaltatus esset, placuit universo cœtui fidelium; *ut Pastor etiam & Patriarcha restitueretur:* ita pariter & Canonici S. Sepulchri, servitio ejusdem restituebantur, non instituebantur. *Cui Principi & cæteris, placuit ut statim augeretur major numerus dictorum Canonicorum, & ut in Templo Dominici Sepulchri viginti Fratres in Christo, Divini cultores Officii constituerentur.* In Gestis expugnat. Hierus. habetur: *Canonicos autem, qui Domini Sepulchro inservirent, iidem statim crediderunt*, id est reproduxerunt, conservarunt; cum conservatio rei, sit altera productio. Hinc sub Godefrido aliisque Principibus, Regibus Hierosolymitanis, non sunt institutæ de novo Sedes, sed quos ex suis Sedibus, orthodoxos Præsules, eliminaverunt Ecclesiæ hostes, in illorum locum, Suprema Sedes Apostolica, alios delegit & constituit, qui in iisdem, fideliter & veraciter præsiderent. Pariformiter & Clerici sive Canonici Sanctæ Resurrectionis, antiquo officio nimirum S. Sepulchri custodiæ, aliisve prælaturis, suoque principio, eadem authoritate Apostolica sunt collocati. Quæ constitutio ad pristinas dignitates in ante possessas, firmat antiquam possessionem suæ institutionis, velut rehabitio priorem retentionem rei supponit, sive à se sive à suis Antecedaneis. Præterea ante Godefridum, habebant dignitates Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ut Prior Ecclesiæ Resurrectionis, Archidiaconus, Custos, Archipresbyter, & cæteras, ut supra ostensum. Imo ante Godefridi tempora, Ecclesia Betleemitana, quam Sancta Helena erexit, fuerat Prioratus Canonicorum Regularium S. Sepulchri, modo primùm sub Baldvino II. Rege Hierosolymorum, qui Godefrido uno tantum anno regnanti, immediate successit; in Sedem Episcopalem, de voluntate & assensu Paschalis II. Romani Pontificis erecta, juxta Jacobum Vitriacum & Archiepisc. Tyrensem Wilhelmum. Sicut & Ecclesia Ebronensis, & aliæ quæ ante Godefridi tempora, ad dignitates Canonicorum S. Sepulchri pertinebant, ad Sedes Episcopales evectæ, sub Regibus Hierosolymitanis. Insuper ante Godefridum, in Ecclesia illa principali Sanctæ Resurrectionis, solennissimæ festivitates, cum ingenti concursu populi accedentis ad venerationem locorum sacrorum celebrabantur; uti Festa Domini, præcipuè in Hebdomada Sancta, Festa

Ssmæ Crucis, Dedicationis Eccleſiæ; ad adorandam Sanctam Crucem, Sepulchrum, numeroſisſima multitudo variarum nationum confluebat, uti conſtat ex dictis Superiùs, & ex S. Hieronymo adducto, cæterisque fide dignis relationibus. Quapropter hæ tantæ ſolennitates peragebantur à Patriarcha, cæterisque Antiſtitibus, ac univerſis Canonicis Cleroque S. Sepulchri, qui in notabili numero illi deſerviebant Eccleſiæ, Officia Divina decantantes, ſacram Synaxim miniſtrantes, peregrinos ſuſcipientes, & alia pietatis documenta, Salutaria ſervitia præſtolantes. Iidem etiam Canonici S. Sepulchri, adhuc ante Godefridi tempora hac fuerunt ſpeciali decorati prærogativa, quam adfert Jacobus Vitriacus S. R. E. Cardinalis, Patriarcha Hieroſolymitanus, dignisſimus teſtis, utpote reſidens ibidem; quod cum Diaconus legeret Evangelium Paſchale penes Sepulchrum Chriſti; perveniens ad hæc verba: *Surrexit non eſt hic*, digito ſimul demonſtrabat Dominicam Sepulturam. Recenſet hoc privilegium Marinus Sanutus, qui deſcripto loco S. Sepulchri, ſubdit: *Et cum ubique locorum devotè à fidelibus dicatur.* Surrexit Dominus de Sepulchro qui pro nobis pependit in ligno, *devotiùs ibi à Canonicis, locô demonſtratô concinitur.* Surrexit Dominus de hoc Sepulchro &c. *Et in Evangelio Paſchali conformiter Diaconus pronuntians.* Surrexit non eſt hic; *digito demonſtrat Dominicam Sepulturam.* Ad cujus ſenſum, Orator terræ Sanctæ, ita perorat Philippica 2da: *Videretis lapidem ipſum qui ab Angelo revolutus fuit. Videretis Canonicos Eccleſiæ Reſurrectionis Dominicæ, ſpeciali prærogativa dicentes & demonſtrantes.* Surrexit Dominus de hoc Sepulchro. Generatim id faciebant, ad excitandum devotionis penes præſentia loca ſacra affectum, ubi myſterium aliquod recolebatur peractum, ſemper particulâ demonſtrativâ loci utebantur, adhibentes digitalem oſtenſionem, videlicet hic natus, hic paſſus, hic mortuus & Crucifixus, hic ſepultus & reſurrexit, hic aſcendit in cælum, hic Spiritum Sanctum miſit &c. Quæ cæremoniæ & uſus hic, non eſt inceptus à liberatione S. Sepulchri & Hieruſalem per Godefridum, ſed jam olim fuerat uſitatus & practicatus à Canonicis S. Sepulchri in loco Sepulturæ aliisque, & iterum reaſſumptæ ab iisdem, ad normam & notitiam in ante fieri ſolitarum. Sicut & moderno tempore, conformiter ad anteactas obſervationes, ſimiles in Hebdomada Sancta, & aliis feſtivita-

Philippus Bosquier.

stivitatibus peraguntur cæremoniæ, more Sanctæ Romanæ Ecclesiæ præscripto, ac indigitationes manuales Sacrorum locorum, à Religiosis Personis in obsequiis Sacrorum locorum, DEO ministrantibus.

Uti enim Godefridus (sic volente Deo) Civitatem Hierusalem ac loca sacra suæ Sanctitati restituit, angustum illud ædificium S. Resurrectionis, quod barbaries frequenti demolitione abbreviaverat, ampliavit, & opere solidissimo ac sublimi, veteri continuò inserto, mirabiliter locum Calvariæ, & alia loca sacra contigua, intra idem ædificium Ecclesiæ S. Sepulchri comprehendit. Ita & Canonicorum Regularium officium Custodiæ S. Sepulchri, pariter arctatum, angustiatum & diminutum, illa dira frequenti clade ac strage, quamvis vetus & perantiquum, in iisdem locis sacris dilatavit & ampliavit; authoritate S. Romanæ Sedis patrimonia, fundationes, adhuc antiquas à Constantino & Helena cæterisque Imperatoribus attributas, quæ illis expost ademptæ fuerunt, iterum attribuendo. Narrat Sanutus his verbis: *In Ecclesia enim S. Sepulchri & Templi Domini de Patriarchæ & Cleri consilio, ponens Canonicos ad DEI cultum solenniter celebrandum, magnas eis præbendas & honorificas assignavit:* adeoque hac in parte, quasi alter fundator, & Dotator fuit. Et qui jam vetustate temporum, planæ oblivioni traditus erat; ordinatione Romanæ Ecclesiæ sub tantis Christianis Victoribus, redditus est conspicuus & celebrior, denuò ad vitam, nomen suum ac officium in locis sacris peragendum iterum rediit, favoribus gratiis Apostolicæ Sedis stabilitus. Planè ea, illis competere videbatur, appromissa Divina declaratio Jerem. cap. 30. v. 10. *Tu ergo ne timeas serve meus Jacob, neque paveas Israel, quia ecce ego salvabo te de terra longinqua, & semen tuum de terra captivitatis eorum, & revertetur Jacob, & quiescet, & cunctis affluet bonis.* Quia DEUS servos suos Jacob, nempe Canonicos institutos à S. Jacobo, salvavit de terra longinqua, per Principes Christianos, & semen ejus, nempe eosdem Canonicos, de terra captivitatis, in qua erant à Turcis & Saracenis comprehensi, & reversus est Jacob, nempe Canonici S. Sepulchri, & quiescebant in locis sacris, nempe degentes, & cunctis affluebant bonis, nempe redemptionis nostræ opulentissimis locis, à quibus cuncta bona processerunt. Congrega-

Libr. 3. p. 6. cap. 1. fidel. Cruc.

gregavit eos de universis terris, ad quas ejecit eos Dominus in furore suo, & in ira sua, & in indignatione grandi, & reduxit eos ad locum istum, nempe S. Sepulchri, & habitare eos fecit confidenter, & erant DEO in populum acceptabilem.

Constitutio renovatio & ampliatio Ordinis hujus S. Sepulchri, per Godefridum, statim incepit à primordiis Regni illius recuperati. Electo enim Patriarcha Dagoberto Archiepiscopo Pisano, & à Summo Pontifice approbato, idem Rex Godefridus, cum consilio Principum præsente Clero & populo universo, eidem Patriarchæ, omnes illas antiquas possessiones, quas tempore Gentilium habebat Patriarcha, & quæ à diebus Græcorum ademptæ fuerunt, imo etiam aliquas de novo assignavit, & Ecclesiæ S. Resurrectionis, quartam partem Joppe dedit. Quartam partem Civitatis Jerusalem, cum Turri David, ab antiquo tempore pariter ad eosdem spectantem, & quam sibi perpetuò vendicabant, iisdem Canonicis confirmavit. Et inter dandum Princeps hic, dicere poterat dictis Canonicis. *Do vobis partem unam, quam tuli de manu Amorrhæi*, id est de rebellibus Turcis, *in gladio & arcu meo*, quibus armis terram illam, expugnavit. Unde jus quæsivisse videntur, ut in parte illa inhabitent, quæ pars intra se venerabilem locum Dominicæ passionis & resurrectionis, domum etiam Patriarchalem & Canonicorum Dominici Sepulchri claustrum, cum suis pertinentiis continebat. Talis donationis testimonium habetur in Epistola ejusdem Dagoberti Patriarchæ, & Rectoris Ecclesiæ Hierosolymitanæ, scripta ad Boámundum Antiochenum Principem, hoc contextu: *Ea reliquit Ecclesiæ Resurrectionis tenenda, quæ Turcorum temporibus, qui tunc fuerat Patriarcha tenuerat -- In die Purificationis de Joppe, quartam partem Ecclesiæ S. Sepulchri dedit, & post in die solennitatis Paschalis divino nutu compunctus, cuncta quæ juris erant Ecclesiæ, liberè reddidit, & homo S. Sepulchri & noster effectus, fideliter se DEO & nobis amodo militaturum spospondit. Reddidit itaque nostræ potestati Turrim David, cum tota Hierosolymitana Urbe, ejusque pertinentiis &c. Hæc omnia cum in præsentia totius Cleri ac populi, in die solenni Paschæ ante Sacrosanctum Sepulchrum confirmasset &c.* Quæ omnes donationes, dotationes ad jus Dominicæ Resurrectionis pertinentes antiquitùs, Paschalis Papa ad petitionem Regis Baldvini, Suggestione Cleri Domini Sepulchri rescripto suo appro-

Wilhelm. Arch. Tyren. libr. 9. cap. 15.

Genes. 48. v. 22.

Idem Tyren' arch. cap. 4. libr. 10.

approbavit taliter. *Pro Ecclesiæ Hierosolymitanæ sublimatione, quascunque Infidelium Urbes cœperis, vel cœpisti, ejusdem Ecclesiæ regimini dignitatique subjaceant. Porro earundem Civitatum Episcopi, Patriarchæ tanquam proprio Metropolitano, obedientiam exhibere procurent. Sic in Hierosolymitanæ Ecclesiæ exaltatione proficiant, ut de illorum profectibus, Omnipotens glorietur DEUS.* Et in privilegio ejusdem Pontificis, dato Gibelino Patriarchæ Hierosolymitano, & ejus Successoribus habetur: *Per vos Sanctæ Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarchali sive Metropolitano jure regendas, disponendasque Sancimus, civitates omnes atque Provincias, quas supra dicti Regis ditioni, aut jam restituit aut in futurum restituere gratiâ Divinâ dignabitur. Dignum est enim, ut Sepulchri Dominici Ecclesia, secundum fidelium militum desideria, competentem honorem obtineat &c.* In quorum concessione & approbatione bonorum, in altero suo privilegio, sic ad Clerum Hierosolymitanum ordinat. *Clericis quoque Hierosolymitanis per præsentia scripta præcipimus, quandoquidem paternas suas possessiones & patriam, pro Ecclesiæ ut creditur exaltatione, pro religionis observantia reliquerunt, ut Hierosolymitanæ Ecclesiæ jure sint contenti.* Ad tanti beneficii hujus Regis memoriam, sciendum est, quod dum in manibus fidelium Christianorum extiterat Hierosolyma, in hac parte Civitatis, in qua erat Sepulchrum Christi, fuit domus Patriarchalis cum residentiis amplis Canonicorum S. Resurrectionis, constat id ex constitutione Justiniani Imperatoris sub anno 536. quæ sic habet. *Hæc nos venire ad præsentem legem fecerunt quam dedicamus DEO, & omnium Ecclesiarum Sanctissimæ Resurrectionis, per quam sancimus omnia quidem alia & in sanctissima Resurrectione obtinere, occasione prædiorum Ecclesiasticorum &c.* ubi fit simul mentio, & domorum Ecclesiæ Sanctæ Resurrectionis; postquam autem devenit in manus hostium fidei civitas Hierosolymitana, in quatuor partes divisa est, ex quibus sola quarta pars, in qua Sepulchrum Dominicum situm est, fidelibus concessa erat ad habitandum, una cum Patriarchali domo & ædificiis, ac aliis officinis: ut ex antiquis tradit historiis Archiep. Tyrensis. Sanutus Fidel. Cruc. libr. 3. part. 6. cap. 3. Et inde jus quartæ partis Jerusalem, sub Godefrido obtinuit Patriarcha cum Canonicis S. Sepulchri, quæ quarta pars à porta David, usque ad portam S. Stephani protendebatur; juxta eundem.

Idem libr. 11. cap. 28.

Idem libr. 11. cap. 28.

Baron. num. 99.

Taliter

Taliter ampliatus ille Clerus S. Sepulchri, & ad possessiones antiquas Ecclesiæ S. Resurrectionis reinductus, à S. Romanæ Ecclesiæ Summis Pontificibus Christi Vicariis, confirmatus, suis iterum gaudebat Canonicis prærogativis, in quarum dignitatum titulis; excellentia officii ac servitii S. Sepulchri, ut appareat, eas hic breviter referre, non supervacaneum existimo.

Patriarcha sive olim Episcopus Hierosolymitanus, Primus Rector & moderator Ecclesiæ S. Resurrectionis, his gaudebat muniis. Primo electio ipsius, in præsentia Apostolicæ Sedis Legati, à Canonicis S. Sepulchri expediebatur. Sic enim Innocentius III. Romanus Pontifex in suis literis, ad Sofredum sive Gvalfredum de Cajetanis, Henrici Comitis Filium, S. R. E. Cardinalem, designatum Patriarcham Hierosolymitanum, inter cætera scribit: *Licet propter evidentem utilitatem Ecclesiæ Romanæ, cujus te membrum magnum & honorabile reputamus, gravè sit nobis, & Fratribus nostris non modicùm molestùm, te ad postulationem Regis, & Canonicorum S. Sepulchri Ecclesiæ Hierosolymitanæ, concedere in Pastorem, qui vir nobilis facundus honestus, & literatus existas &c.* Et idem Innocentius III. S. Albertum Vercellensem Episcopum, Patriarcham Hierosolymitanum, literis suis monet & inducit, ut præfatam dignitatem acceptare velit; *Igitur pro DEO & propter DEUM, hoc mandatum Apostolicum exequaris. Nec tu tam ad honorem assumeris, quàm ad onus; cum Ecclesia illa, hodie plus habeat oneris, quàm honoris. Nec turberis in aliquo aut causeris, quod prædictus Cardinalis S. Praxedis, factam de se postulationem, à Canonicis Dominici Sepulchri, non admisit &c.* In Præfat. ad Festa Francorum habetur: *Accidit autem ut diem suum obiret Patriarcha Hierosolymitanus. Vocati igitur ad Urbem, Archiepiscopi ad electionem Patriarchæ, cum omnes convenissent, adiit ad Canonicos S. Sepulchri, ad quos spectabat electio Patriarchæ.* Raphàël Vollateranus Libr. 11. fol. 393. liter. B. de Statu Sacerdotum Hierosolymis. *Habet item Patriarcha præter hos, etiam Bethleemitanum, Hebronensem & Lydensem, illi subjectos Præsules, sed & Abbates & Priores baculo ac mitra decoratos, Calvarium montem & Golgotha, & Dominicum Sepulchrum extra mœnia sita loca. In Calvario Cænobium erat, ad cujus Priorem & religiosos, electio Patriarchæ pertinebat.* Idem tenet Jacobus de Vitriaco. Marinus Sanutus: & alii firmiter asserentes, *quod Patriarchalis Ecclesia, quæ est Dominici*

Ciacon. in vita ejus num. 6. an. 1181. fol. 1117.

minici Sepulchri, habeat Canonicos Regulares, secundum habitum & regulam B. Augustini viventes: quibus Prior præsidet, cui cum prædictis Canonicis Patriarchæ electio data est qui vicem tenet Abbatis. De iisdem Canonicis S. Sepulchri, Cambium de Bossis in codice vetustissimo Bibliothecæ montis Sion se legisse, refert Novariensis in Chronica libr. 3. cap. 14. Electus Patriarcha à Canonicis S. Sepulchri, ab ipso Summo Pontifice confirmabatur. Secundò Reges electi Hierosolymitani, Dominico præsentabantur Sepulchro, & ad illud deducebantur à Patriarcha. Raymundus de Agiles de Godefrido dicit. *Elegerunt pariter Ducem, & obtulerunt eum ad Sepulchrum Domini.* Ut se priùs, Dominico illi throno regnantis Christi, ex quo Dominus regnavit, decorem indutus est, submitterent, antequam Regni sui thronum, conscenderent. Sive ut una cum Regis titulo, suum profiterentur famulatum, scientes honoris sui amplitudinem in eo esse, quod Reges Hierosolymorum, locorum venerabilium dominicæ passionis & resurrectionis, sint defensores & advocati. Sive Regnorum soles, tunc serenissimos in regni sui populum vibrant radios, auspicia regni sui feliciter inchoant, dum ex Sepulchro Christi, propagando honori Divino, exoriuntur, & coronam Regni sui, adornando tumulo offerunt. Tertiò adstantibus Archiepiscopis, Episcopis, Prælatis, & Canonicis Dominici Sepulchri, Reges solenniter consecrabat, ungebat, & manibus suis regio diademate coronabat, in Ecclesia S. Sepulchri. Sic Baldvinus II Rex Hierosolymorum, ab Arnulfo Patriarcha, in die S. Resurrectionis, solenniter & ex more inunctus & consecratus est, & diadematis insigne regium suscepit. Fulco Hierosolymam veniens, orationis gratiâ, in Regem electus, anno 1131mo, cum uxore sua in die Exaltationis S. Crucis, in Ecclesia Domini Sepulchri, à Domino Wilhelmo Hierosolymorum Patriarcha, ex more coronatus & consecratus est. Baldvinus III. Rex quartus Hierosolymorum, in Ecclesia Dominici Sepulchri, ab Amalrico Patriarcha, præsentibus Archiepiscopis, Episcopis, & universis Ecclesiarum Prælatis, regiæ unctionis gratiam, & diadematis insigne adeptus. Baldvinus IV. ab eodem Patriarcha in dicta Ecclesia S. Sepulchri, inunctus est & coronatus. Quarto idem Patriarcha, residentiam, sive domum Patriarchalem, loco Dominicæ resurrectionis habens vicinam, controversias in quarta

Arch. Tyren. lib. 12. cap. 3.

Idem libr. 14. cap. 2.

Libr. 19. cap. 1.

parte Civitatis Jerusalem, arbitrio suo decidebat, & Judex fuerat causarum illius ordinarius. Quintò consecrabat Archiepiscopos, Episcopos, suæ jurisdictioni subjectos. Sic Wilhelmus Archiepiscopus Tyrensis, ex Canonico S. Sepulchri, factus Archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, mox Archiepiscopus Tyrensis, in Ecclesia
Libr. 21. cap. 9. S. Sepulchri consecratus, ut de se ipso scribit. *Ad regimen illius Ecclesiæ vocati sumus & in Ecclesia Dominici Sepulchri, per manus Domini Amalrici Hierosolymitani Patriarchæ, munus consecrationis suscepimus licet indigni.* Sextò. Aderat consiliis & Conventibus Regum, fuitque arbiter inter Principes, quæ consilia in Templo Dominici Sepulchri agitabantur. Habetur in 2da parte histor. Hierosolymitanæ fol. 599. Anno 1100. *Cum Hierosolymam redirent de pacificando cum Rege, & Canonicis S. Sepulchri, Patriarcha Daimberto tractatum diligenter, & efficaciter DEO favente expletum est, & de coronando Rege &c:* Item *Raymundo Comiti Tripolitano habito, per biduum cum Rege consilio & deliberatione, in capitulo Dominici Sepulchri, tradita ei universi Regni Hierosolymitani post Regem procuratio & potestas.* Septimò. Fuit Signifer Vexilli S. Crucis, in bellis vivificum Crucis lignum præferendo. Octavò. Idem Patriarcha prostratus, ante Dominicum Sepulchrum, fusis precibus de mane in die Sabbathi S. Paschæ, acceptis clavibus ab ostio S. Sepulchri, de igne illo in lampadibus extinctis cælitùs accenso, foras revertens, Divinum lumen manifestabat, quæ claves reserati ostii S. Sepulchri, in processione delatæ fuerunt.

Sanutus fol. 162. Prior S. Sepulchri, fuit Gvillelmus sive Vilhelmus vir vita & moribus commendatus, qui ex priore Dominici Sepulchri, Ecclesiæ Tyrensi præficitur, & ab Honorio Pontifice Romano, usu
Arch. Tyren. libr. 22. cap. 23. pallii & Archiepiscopalis dignitatis munere decoratur. Petrus Ecclesiæ Dominici Sepulchri Prior, Hispanus de Civitate Barchinona, *nobilis secundum carnem, sed Spiritû nobilior, vir miræ simplicitatis & mansvetudinis timens DEUM, & recedens à malo, cujus memoria in benedictione est apud Dominum & homines,* qui fuit in Syno-
Id. ibidem fol. 945. do Generali Romæ, & ex Priore Dominici Sepulchri, Tyriæ Metropoli substitutus est. Amalricus Noviomensis, ex Ecclesiæ Sepulchri Dominici Priore, Patriarcha Hierosolymitanus. Wilelmus natione Flamingus, Prior Ecclesiæ Dominici Sepulchri, post Patriarcha Hierosolymitanus. Gerardus Prior S. Sepulchri, qui inter-

interfuit Conventui publico, & Curiæ Generali Regni Hierosolymitani, sub Rege Baldvino apud Neapolim Civitatem Samariæ anno 1120. Prior hic S. Sepulchri gaudebat prærogativa, utebatur mitra & annulo, ut ex Libro Gallico Syriacarum constitutionum refert Quaresmius fol. 464. his verbis: *Prior Sepulchri defert mitram & Annulum, sed non Crucem.* Priori suberat Civitas Joppe & Neapolis, quæ propriis carent Episcopis. Hic Prior fuit primus fere Prælatus, illius Ecclesiæ S. Sepulchri, quia ad illius curam, locus ille sive Sacellum, in quo ipsum monumentum Domini fuerat, spectabat; unde dictus est Prior S. Sepulchri. Quod constat ex Jacobo Gretser sic asserente: *Et si autem Ecclesia Anastaseôs & Dominici Sepulchri, una eademque erat, absolute loquendo, Prior tamen Canonicorum, non dicebatur Prior Ecclesiæ Resurrectionis seu Anastaseos, (quia appellatio ab hac Ecclesia, Patriarchæ propria erat,) sed Dominici Sepulchri, cujus Sacellum pars erat Templi, quod Anastasis seu Resurrectio vocabatur: Quanquam hoc discrimen non fuit observatum semper.* Patriarcha proinde erat, permodum principalis illius totius Ecclesiæ Gubernatoris, & Sacrorum Antistes; Prior autem erat, permodum Superioris Subalterni. Hic Prior habuit clavim secundam, ab ærario Arcæ quæ erat in thesauro S. Crucis, & ille habuit singularem administrationem Sacelli S. Sepulchri, ex vi sui Officii.

In 2da parte horti Cruc. in notis.

Decanus S. Sepulchri, ut fuit Aicardus, qui etiam & Prior Templi Domini erat, & hic existens Decanus, Romam perrexit, legatione functus ad Paschalem II.

Cantor S. Sepulchri, ut fuit Aschetinus, alias Asquittinus; vir illustris, quem Hierosolymitanum Capitulum, ejusdem Ecclesiæ Cantorem, elegerat atque statuerat Episcopum Ascalonæ, habetur in rescripto Baldvini Regis Hierusalem, apud Archiepiscop. Tyrensem libr. 11. cap. 12. Similiter sub Soldano, Cantor Dominici Sepulchri Crucis bajulus, in bello succubuit, refert histor. Hierosol. incert. Author.

Archidiaconus S. Sepulchri ut fuit Eracleus, qui ex Archidiacono Hierosolymitano, electus & consecratus est in Cæsariensem Archiepiscopum. Idem Tyrensis fol. 1003. Item Hernoldus, qui ex Archidiacono Ecclesiæ S. Sepulchri, tempore Baldvini, electus est Patriarcha.

Cancellarius S. Sepulchri; de quo habet Aquensis Canonicus libr. 6. Cap. 41. *Arnolfum quem Cancellarium ac Custodem Sepulchri Dominici constituerunt &c.* Hic Arnulfus de Roés, fuit etiam Archidiaconus Ecclesiæ S. Sepulchri, de quo Archiepisc. Tyrensis hæc narrat: *Arnulphus Archidiaconus Hierosolymitanus, Ordinem quem primi principes, studiosè & cum multa deliberatione, in Ecclesia Hierosolymitana instituerunt,* (id est restituerunt) *Regulares Canonicos introducendo, commutavit.* Quod non ita intelligendum est; quasi sub dicto Archidiacono, modo primùm illi Canonici inciperent esse regulares, & antea non fuerunt; ut perperam hic multi dicunt, cum certum sit Clerum Hierosolymitanum & Ecclesiam Hierosolymitanam, ab initio fuisse regularem, & juxta principium datum à Reverendissimo Benvenuti, de vita & communitate Clericorum: *Juxta Concilia & SS. Patres, ille Clericus, qui in communitate stabili professus est Regulam Apostolicam, Decreta, Conciliorum, & præcepta Sanctorum Patrum, non tantum Clericus, sed etiam Canonicus Regularis dicitur:* & id probat tota quæstione quarta §. I. & cæteris. Porro Canonici S. Sepulchri, professi erant Regulam Apostolicam, in communitate stabili, Decreta Consiliorum & Sanctorum Patrum; adeoque verè erant Canonici & Clerici Regulares. Sed quod dictus Arnoldus sive Arnulfus, vel ad primævam institutionem Apostolicam, suos Canonicos reduxit; ut explicat Noster Nakielski: vel quod obligavit Canonicos, ad acceptandam & profitendam solenniter Regulam S. Augustini; ut alii: consequenter hic Arnulphus Patriarcha, non introduxit Canonicos regulares, neque ut dicit Heliot quod instituit Canonicos Sæculares S. Sepulchri, obligatione imposita ad ducendam vitam regularem sub disciplina religiosa; hoc enim non esse verum, constat, quod in Ecclesia Hierosolymitana, semper fuerunt Canonici Regulares ducentes vitam Regularem, sentientibus id gravissimis Authoribus; sed potiùs, quod illos strinxit, ad certam & determinatam Regulam S. Augustini, utpote ab illo Ordinem Canonicum renovatum ac reformatum, quam sive jam ante, sive nunc iterum, aut primùm sunt amplexi.

In Antiq. fol. 95.

Thesaurarius S. Sepulchri de quo Tyren. Arch. libr. 22. Cap. 16. *Quo itinere quidam Dominici Sepulchri Canonicus, Baldvinus nomine, Ecclesiæ ejusdem Thesaurarius & vivificæ Crucis bajulus; caloris immensitatem non ferens, sub monte Thabor expiravit.* Super-

Supereſt memoria officii Cuſtodiæ S. Sepulchri, annexorumque titulorum habentur teſtimonia, ex ſubſcriptionibus variorum privilegiorum, & literarum directarum ad Cæſares Reges, Principes, his intitulationibus v. g. *Amalricus DEI gratia Sanctæ Dominicæ Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, una cum Priore & univerſo Canonicorum inibi DEO famulantium Conventu.* In quarum literarum ſerie, ſuum exprimebant officium his verbis: *res Dominici Sepulchri, cujus Cuſtodes ſumus:* idem: *Canonicum Noſtrum SS.* id eſt Sancti Sepulchri. Tum ex diplomatibus miſſis à Patriarchis Hieroſolymitanis, cum reliquiis vel ſubſidii cauſa pro Sancto Sepulchro colligendi, gratiâ. Quale diploma, eſt ad Schiram nobile & perantiquum Monaſterium Bavariæ, transmiſſum per Conradum Canonicum Hieroſolymitanum, à Fulcherio protunc Patriarcha, cum tali præfixo diplomati titulo: *Nutu Divinæ pietatis F.* (nempe ut Aventinus intelligit Fridericus, ſed meliùs Marcus Verſelus Fulcherius) *Sanctæ Chriſti Domini Noſtri Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, & A* (nempe Amalricus) *Eccleſiæ S. Sepulchri Prior, cum univerſo Canonicorum Conventu; Archiepiſcopis, Epiſcopis, Abbatibus, tàm laicis, quàm Clericis, quacunque dignitate ſublimatis &c. Salutem in Chriſto, & ante glorioſum Domini Sepulchrum Sanctum, ſuffragia orationum.* Ibidem in Schira ſecundum diploma ad Conradum Ducem Dalmatiæ & Comitem Dachuni, habetur cum titulo ejusmodi. *E* (nempe Eraclius ſive Heraclius) *gratia, Sanctæ Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha: & P: ejusdem Prior* (nempe Prior Sepulchri licet nomen non exprimatur) *cum toto Capitulo, Conrado DEI gratia de Dachauv nobiliſſimo Duci &c. eidem Duci mittit idem Patriarcha, quandam Crucem* (de qua ibi Gretſer loco citato) hoc expreſſo ab eodem Patriarcha tenore: *Exorantes, ut ad recuperandam jam dictam Crucem, causâ DEI, & ob reverentiam Dominici Sepulchri, ſtudium adhibeatis &c.* & ad finem concludit Diploma: *& orationum Eccleſiæ Dominici Sepulchri participationem &c. noscamini promeruiſſe.* Hic erat ſtylus obſervatus in concludendis literis, loco ſalutis præſtandæ, vel aliarum formarum, offerebant preces coram Sepulchro Dominico fundendas. Pariter inchòátioni literarum & privilegiorum, eandem formam & notam Crucis duplicatæ ſemper præmittebant, ut videre eſt ad initium eorundem diplomatum apud Gretſer ibidem, & ad hanc fortaſſis normam Cru-

Gretſer in 2da part. horti Cruc.

ces literis præmittuntur hac nota. Iidem tituli, dignitates, ac officium patet ex Bullis Summorum Pontificum, datis eidem Ordini Canonicorum S. Sepulchri, in his inscriptionibus. *Dilectis Filiis Prioribus, Præpositis atque Canonicis & Fratribus universis Sepulchri Domini.* In Practica Cancellariæ Apostolicæ, in Intitulationibus habetur: *Venerabili Fratri Patriarchæ Hierosolymitano, & dilectis Filiis Priori & Capitulo Ecclesiæ Dominici Sepulchri Hierosolymitani Ordinis S. Augustini.* Apud Petrum Rebuff. fol. 673. Et ibidem fol. 675. *Priori, Fratribus Domûs Sepulchri Dominici Hierosolymitani S. Annæ Barcbinonensis Ordinis S. Augustini Romanæ Ecclesiæ immediatè subjecti.* Et fol. 662. *Ad collationem Dilectorum Filiorum Prioris & Fratrum, Domûs S. Sepulchri Dominici Hierosolymitani Ordinis S. Augustini, communiter vel divisim pertinentibus.* In Provinciali omnium Ecclesiarum, per Romanam Ecclesiam approbatis, apud eundem habetur ad finem: *Fratres Dominici Sepulchri Ordinis S. Augustini. Prioratûs Domûs Sepulchri Dominici, Calatambio Ordinis S. Augustini Tirasonensis Diœcesis.* Et immediate. *Priori & Capitulo Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Sepulchri Dominici, Ordinis S. Augustini per Fratres dicti Sepulchri, cujus idem Joannes Frater, & ut asserit Ordinem ipsum expresse professus est, gubernari solitis.*

Hoc officium Custodum S. Sepulchri celebre fuisse: tum ex eo; quia in eo existentes Canonici, stallum suum & Chorum habebant in loco, in quo Syndone involutus, & deportatus Christus fuit ad Sepulchrum. His terminis habetur, in manuscripto codice, ex Bibliotheca Bavarica, in quo varia collectanea continentur: *Ad medium chorum Canonicorum, assignatur locus in quo JESUS positus fuit, quando acceptus est de Cruce, ubi fuit lotus de Sangvine & involutus in Syndone munda, & de illo loco portatus est ad Sepulchrum.* Et subditur: *Fertur etiam quod sit ibi medietas mundi.* Et Sanutus: *Locus, ubi Joseph ab Arimathia & Nicodemus laverunt JESUM, quando deposuerunt eum de Cruce; quem ajunt Dominum JESUM, ostendendo dixisse: ibi esse medium mundi, & est in medio Chori, nempe Canonicorum.* Ex quo contextu superiori, Codicis Bavarici, tria patent: primùm, quod in illo fiat mentio Canonicorum Hierosolymitanorum ut Gretserus subinfert, idque Sancti Sepulchri: alterùm quod Chorus seu stallum, seu prima possessio, aut installatio dictorum Canonicorum, fuerat in hoc loco, à quo Sepulturæ fuit demandatum corpus Christi, adeoque Sepultura Christi

Gretser in Horto Cruc.

Libr. 3. fol. 254.

Christi & Sepulchrum, ad Canonicorum Officium, cultum, laudem, & servitium pertinebat. Tertiùm, quod Chorus Canonicorum fuerat ibi; ubi medium mundi erat. Tum ex eo celebre est id Officium S. Sepulchri, quia Speciales cultores S. Sepulchri, qui illud visitarunt, præ concepto amore loci illius Sacri, aliorumque; seipsos obligarunt & manciparunt servitio S. Sepulchri, devovendo se professione religiosa, tali Ordini ministranti. Evermerus quidam vir & Clericus boni testimonii, præclarus ac hilar's distributor eleemosynarum, omni studiô religionis ac bonæ conversationis, in amore fraternitatis & charitate, illic in Templo Dominici Sepulchri DEO servivit. Fulcherius Archiepisc. Tyrensis, Aquinaticus vir religiosus ac timens DEUM; hic apud Suos, Abbas extiterat Canonicorum Regularium, in monasterio cui Cella nomen - - Vir vitæ venerabilis, sumpta licentia à Fratribus, orationis gratiâ, Hierosolymam venit, tandemque in claustro Ecclesia Dominici Sepulchri, regularem vitam & assiduitatem professus; ad Ecclesiam Tyrensem vocatus est. Stephanus Carnotensis Baldvini Regis consangvineus, pariter dum orationis gratiâ & intuitu, Hierosolymam venisset, contigit, ut se servitio S. Sepulchri, suscepto habitu, devoveret, & Patriarcha communi voto Cleri, electus est. Baldvinus II Rex Hierosolymorum, deposito Regni diademate, volens Christi amore, in paupertate mori, Canonicorum Regularium S. Sepulchri habitum sumpsit anno 1131. Similiter anno 1118, multi nobiles viri, DEO devoti religiosi, & timentes DEUM, venientes Hierosolymam ad S. Sepulchrum, in manu Domini Patriarchæ, servitio se mancipantes, more Canonicorum Regularium, in castitate, obedientia & sine proprio velle, perpetuò vivere professi sunt. B. Henricus Zdik Episcopus Olomucensis, filius Vladislai Ducis Bohemiæ, postea que Regis (ut Pessina), sive fuisse Filium Othonis I. (ut Lupacius) de quo sic refert Balbinus: *Placet ad extremum Henrici Episcopi elogium, ex vetusto Scriptore Bohemo Pulkawa adducere hoc loco: Henricus* (inquit) *Episcopus Olomucensis Sanctæ conversationis fuit, in consiliis dandis prudentissimus, ut ejus opera demonstrant. Ecclesiam S. Venceslai Olomucii, quam Principes ædificare cœperunt, gloriose absolvit, & cum facultate Sanctissimi Patris Innocentii, à S. Petri Ecclesia separavit. (Cathedralem Ecclesiam eamque apud S. Venceslaum constituit, condecorans auro,*

Alber. Canon. Aquensis libr. cap. 17.

Arch. Tyren. libr. 14. cap. 11.

Idem libr. 13. cap. 25.

Sanutus. libr. 3. part. 6. cap. 14.

Jacob. de Vitriaco.

auro, aliisque pretiosissimis cimeliis. Hierosolymis quoque secum, satis magnam partem Sanctissimæ Crucis attulit, & illi Ecclesiæ donavit. Cum esset Hierosolymis, suscepit Ordinem S. Augustini quem Sancti Apostoli instituerunt. Hucusque verba Pulkawa in Histor. Bohemica Cap. 74. Refert Bohuslaus Balbinus in Epitomes Rerum Bohemicarum lib. 3tio Cap. 10. in notis fol. 234. Adeoque Beatum hunc Henricum Episcopum Olomucensem, Summum terræ sanctæ, amatorem, qui Hierosolymam juxta eundem Balbinum, S. Sepulchrum visitaturus, bina vice adiit; suscepisse non alium Ordinem, nisi illorum Canonicorum Regularium; qui ad S. Sepulchrum Christo die nóctuque inserviebant, quia in tali officio erat, dictus Ordo S. Augustini, quem S. Apostoli instituerunt, & præcipuè S. Jacobus Minor Apostolus. Hi itaque multique alii viri, præstantissimi ex omni natione tribu & lingva, post terræ sanctæ liberationem, Christi Sepulchrum Domini visitaturi, Hierosolymam confluxere; videntes pietatem & dignissimum obsequium sanctissimis locis præstitum, à viris illis, ut in perseveranti amore ac contemplatione, Christi passionis, Sepulturæ, ac resurrectionis atque in fide stabiles ac charitate fervidi invenirentur, tali officio ac illi collegio Canonicorum, sive Ordini ex utroque fere sexu constituti, se despondebant, ac perenni cultui obstringebant. Patet id supra ex Cathalogo, visitantium S. Sepulchrum.

Demum ex eo idem officium S. Sepulchri celebre evasit: quia illud multi Reges, Principes, Duces, Magnates volentes in suis amplificare Regnis, pro extendendo honore reverentia erga S. Sepulchrum, sive novas fundationes ac plantationes hujus instituti fecerunt, sive antiquas notabilibus auctionibus, beneficiis, dotarunt, & resarciverunt. Probationem hujus asserti confirmabis facile, ex sedula lectione Promptuarii Conventus Miechoviens. Sive Antiquitatibus Sacri Canonicorum Ordinis S. Sepulchri, Authore Samuele Nakielski ejusdem Instituti. Item Mausolæi S. Jacobi Apostoli, Chronologico Mystici, in historica descriptione Antiquissimi & Apostolici Ordinis utriusque sexûs, Custodum Sacri Sepulchri, Authore Petro Gasparo Luell. Commissario Canonissarum S. Sepulchri Juliaci Germanico idiomate editi, aliorumque Authorum antiquorum, de Origine Canonicorum S. Sepulchri, quia nonnulli noviores, sive ex ignorantia antiquitatis dicti Ordinis,

sive

ſive ex non ſeria inveſtigatione ac indagatione, ſacræ hujus familiæ, in aliquibus relationibus, videntur deficere, vel non ita ſicut par eſt referre. Aſſertum ſuperius probat, Reverendiſſimus Cæſar Benvenuti de Crema Canonicus Regularis Lateranenſis in Tractatu Hiſtorico Chronologico, de vita & communitate Clericorum primitivæ Eccleſiæ, Sæculo 12. cap. 12. fol. 211. *Denique ex multis documentis conſtat, quod præfati Canonici S. Sepulchri, plurima beneficia receperint ab Epiſcopis & Principibus Chriſtianis. In Anglia habuerunt Monaſterium Warvicenſe, quod Caput fuit aliorum: in Galecia, Scotia, & Hybernia. Multas etiam Eccleſias poſſidebant in Italia prout conſtat ex literis Cæleſtini II. Inſuper Eccleſiam Trendorfenſem in Diœceſi Conſtantienſi. Anno 1162. Nobilis Polonus, nomine Jaxa obtulit prædium ſuum Miechovium, Canonicis Regularibus S. Sepulchri, quos ſecum duxerat, cum licentia Patriarchæ Hieroſolymitani. Canonia Miechovienſis, tantum poſtea incrementum ſumpſit in Regulari obſervantia, ut Caput extiterit, multarum Canoniarum. Adhuc extant literæ, in quibus Canonici Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, cum Patriarcha Alberico petierunt à Ludovico VII. Rege Galliæ, quendam in ſuo Regno & Dominio locum, ad quem poſſent habere Refugium &c.* & fol. 212. *Canonicos S. Sepulchri, quod attinet certum eſt, quod ipſorum Congregatio, compoſita fuerit ex illis collegiis, quorum plurima poſſidebant in Oriente. Theſſalonicæ acquiſiverunt Eccleſiam S. Demetrii & G. Archiepiſcopus illius Metropolis, eos in dicta poſſeſſione confirmavit &c.* Ex qua authoritate patet Canonicos S. Sepulchri fuiſſe valdè celebres, in diſtrictu terræ ſanctæ, & evectos ad Cathedras principalium Eccleſiarum, ut idem Revdmus Abbas, ibidem colligit. Patet item fuiſſe dictos Canonicos in Anglia, Scotia, Gallecia, Hybernia, Polonia, Gallia. Item fuiſſe eandem Congregationem, cum illa quæ fuit in Oriente, ac habuiſſe Eccleſias etiam Theſſalonicæ. Philippus Bonanni in Cathalogo Ordinum Religioſorum, in Eccleſia militanti, parte 1ma pag. 30. de Canonicis Regularibus S. Sepulchri Hieroſolymitani taliter refert: *Eccleſia Patriarchalis Caput fuit Congregationis, horum Canonicorum* (nempe quoad titulum S. Sepulchri) *non ſolùm in partibus Orientalibus, ſed etiam Occidentalibus, Italia, Sicilia, Gallia, Hiſpania extat diploma Cæleſtini II. Anno 1163. datum in Laterano, quod omnia hæc dicta confirmat.* Idem Numer. 31. titulo: *Canonici Regulares S. Sepulchri*

in Polonia, Bohemia, & Russia: sic scribit: *Postquam ut dictum est, Terrâ Sanctâ Christi fideles, ductu Godefridi Bulliones, potiti fuerunt, ejusdemque operâ, Canonici S. Sepulchri instituti, aut restituti fuerunt, hic Ordo in Europam translatus est. Prima domus ejus in Anglia fuit Werwici, cæteris Superior, usque ad iteratam Hierosolymæ destructionem. Deinde in Gallia Sedem habuit, postea in Poloniæ Regno, cujusdam Equitis, cujus nomen erat Jaxa, circa Annum 1162. & apud Cracoviam Monasterium dictum Miechov, erectum fuit. Crevit etiam in Italia, Marovia, Silesia, Russia & Bohemia, ubi adhuc floret Ejus Canonici vestem nigram cum Rochetto gestant, super quod aliam vestem breviorem apertam, ut per scissuras brachia extrahi possint, quod genus vestis, mantilletum Authores vocant, & geminata Cruce, illa insignitur.* Heliot. Histor. de Ordin. Religios. Tom. 3. Cap. 17. & 18. his verbis: *Pietas horum Canonicorum S. Sepulchri, qui brevi totam ferè impleverunt Palæstinam, adeò cordi fuit plurimis Principibus Europæis, ut reduces ex Palæstina, illos secum advexerint, & in ditionibus suis collocarint. Inter alios Ludovicus Junior Rex Galliæ, attribuit illis Ecclesiam S. Samsonis Aurelianensis, quam idcirco Stephanus Tumelius vocat: Filiam Sion. Hujus exemplum secuti sunt Comites Flandriæ. Anno 1162. Nobilis quidam Polonus* (videlicet Jaxa Gryphius) *fundavit eisdem Miechoviæ, Civitate distante octo leucis Cracoviâ, Conventum, qui deinde in Caput totius Congregationis erectus est, cujus Superior habet titulum Generalis. Viginti circiter domos numerat Congregatio hæc* (quamvis plurimæ ultra reperiantur) *tum in Polonia, tum in Silesia, Moravia, Bohemia. Brevi deinde Canonici S. Sepulchri, implerunt Italiam, Germaniam, Angliam. Imo Religiosæ quòque ejusdem Ordinis comparuerunt. Sed modo primùm anno 1622. cœperunt in Galliis habere domicilia, cum illis Domina Claudia de Mouy, vidua Georgii de Joyeuse, & deinde Henrici Lotharingi Comitis de Chaligny, erexisset hoc anno Conventum de Charleville, unde aliquot religiosæ, assumptæ sunt ad accipiendam possessionem Conventus de Belle Chasse in Suburbio S. Germani Parisiis.* Id ipsum & alii tradunt Authores.

Honorificentiæ officii custodiæ S. Sepulchri, & permanentiæ in locis sacris, expressi status Spiritualis, aptissimus in usu erat habitus antiquus, & signum honorificum in vestimentis expressum, nimirum Crux Christi in rubro colore. De antiquo vestitu, adfero verba Raphaelis Vollaterani in Antropologia libr. 12. fol. 228.

228. *Ordo autem Canonicus non tàm à S. Augustino institutus, quàm renovatus. Ab Apostolis enim in Monte Sion exordium sumpsit; qui post Ascensionem ut ait S. Thomas 2da 2dæ quæst. 88. de vitæ genere deliberantes, communia omnia ac tria vota coram DEO statuere, qui ritus à Successoribus Clericisque omnibus diu diligentissimè servatus, nunc quoque in Ecclesiis amplius quadraginta perseverat. Amictus, est linea tunica tantum vesti cujuscunque superaddita, quam Jacobus Apostolus Præsul Hierosolymitanus primus ex more Levitico veterumque Sacerdotum sibi assumpsit.* Vestitum ergo lineæ tunicæ, S. Jacobus Minor Episcopus Hierosolymitanus, ad normam Levitarum portavit. Levitarum autem officium erat constitutum in ministerio domus DEI, in deportatione & obsequio invigilandæ Arcæ, in custodia vasorum DEI, ut hoc ex Scripturæ colligitur, variis capitibus. Quia igitur S. Jacobus Minor, primus erat Episcopus locorum Sacrorum Hierosolymis, adeoque primus Custos S. Sepulchri, juxta illud Cantic. 1. ver. 5to *Posuerunt me* (id est S. Petrus cæterique Apostoli) *custodem in vineis, & vineis Engaddi.* Pariter Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ, more Levitarum ministrabant in domo DEI S. Resurrectionis, ubi erat Arca, nempe Corpus Christi, sive ipsum Sepulchrum, in figura Arcæ designatum, cæteraque vasa Sacra, nemqe loca sancta Christi contactu nobilitata, sanctiora quam vasa legalia, his omnibus illi invigilabant. Propterea S. Jacobus Minor, habitum portabat ex Syndone simplici alba, tum ad imitationem Levitarum, tum maximè ad imitationem Christi, Syndone munda involuti in Sepulchro, adeoque hæc indumenta Sepulchralium Christi linteaminum expressivâ, designabant hunc S. Apostolum esse Custodem S. Sepulchri. Et quia Successores Episcopi, Clerusque Hierosolymitanus, hoc officio fungi debebant, natique simul erant ad Custodiam S. Sepulchri, ad normam primi sui Præsulis, simplici candida veste, utebantur, ob eandem memoriam, nimirum linteaminum Sepulchri Christi. Ita Andreas du Saussay Officialis & Vicarius Generalis Parisiensis. Panopl. Cleric. part. 2. libr. 2. fol. 519. Talis enim vestimenti candor, congruebat officio dictorum Canonicorum. Sicuti Angelus in monumento apparens, quia fuit Custos Sepulchri, quia resurrectionem annuntiabat de illo, quia locum monstrabat, in albis apparuit. S. Hieronymus Commentar.

libr. 4. in Matth. cap. 28. *Nunc quoque Angelus, venit Custos Domini Sepulchri & in vestitu candido, signat gloriam triumphantis.* Canonici sive Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ, hoc exercebant munus, nempe erant Custodes S. Sepulchri, testes resurrectionis & annuntiatores, digito demonstrabant locum monumenti, ideo conformia nimirum alba gerebant vestimenta, illis & gloriam signando triumphantis & in Cruce rubra (de qua inferius dicetur) JEsum simul Crucifixum qui surrexit, denotantes. Apud Bernardum Paxillum, olim Canonicum Regularem S. Sepulchri, post Ordinis Prædicatorum, in Monomachia pro fidei defensione Sanctissimæ Trinitatis fol. 91mo in edicto Confessionis fidei, & munificentiæ in S. Romanam Ecclesiam, Constantini Magni Imperatoris, legitur, quod Sylvester Summus Pontifex & Successores ejus, uti debent Phrygio candidi nitoris, *per hoc Splendidam resurrectionem Dominicam;* designantes. Tali candido vestimento, etiam antiquitus usi sunt & Canonici S. Sepulchri, eorumque Successores, ut per hoc veluti Custodes, splendidam de Sepulchro Domini resurrectionem, nuntiarent. Hinc Anastasius Sacrorum vasorum Ecclesiæ S. Sepulchri Custos, communi suffragio ad Sedem Hierosolymitanam promotus, depositis vestibus sericeis, lineam induit vestem simplicem: *Sacri enim hujus magistratûs, magnitudo hoc exigebat;* inquit Cyrillus Monachus in ejus vita: Quia nimirum, ministerium Præfecti & Præpositi, sive Episcopi sacrorum locorum & S. Sepulchri, talem habitum proportionatum, & designativum requirebat: Licet autem Clerici ejusdem Ecclesiæ, postmodum sericeis & splendidis utebantur, ut supra citatus Saussay sentit, id proveniebat non ex corruptela, sensim inducta, quia talis corruptela & sacræ disciplinæ neglectus, non potuit appingi Sancto Anastasio, & aliis viris sanctis, qui simili custodiæ vasorum Sacrorum fuerant deputati, utebanturque vestibus sericeis, quibus tunc fuerant ornati, sed potiùs eo vestitu sunt usi, more illius Ecclesiæ, tanquam Prælati & Canonici, pro dignitate non ex fastu; Super quem tamen vestitum per modum lineæ vestis candidæ, induebantur Ephod, id est ut dicit Baronius Italicè rochetto; quo indumento rochetti, Syndonem illam Sepulchralem exprimunt. Ejusmodi indumentum B. Anastasius, dixit: *indumentum Angelicum & gloriosum,* adeoque Sepulchri Christi gloriosi,

rioſi, vigilibus conſonum. Ipſa autem hæc indumenta, quia originem ſuam traxerunt à S. Jacobo, quia erant adhibita ad Sanctum obſequium ac contactu locorum ſacrorum benedicta, perinde in æſtimatione habebantur. Prout ſibi magnopere duxit, poderem & ſtolam S. Jacobi Minoris, Theodoſius Patriarcha Hieroſolymitanus, S. Ignatio Patriarchæ Conſtantinopolitano, eandem magni muneris mittens, tali contextu literæ ſcribens ad eundem: *Poderem & ſuper humerale cum mitra, pontificalem Stolam Sancti Jacobi & fratris Domini primi Archiepiſcoporum:* (Hieroſolymorum ſcilicet) *quâ Anteceſſores mei Patriarchæ circum amicti, ſemper in Sancta Sanctorum ingrediebantur Sacerdotio fungentes, videlicet Sanctam memoriam Vitæ* (Reſurrectionis ſcilicet) *& Sanctum coluere, qua & ego indutus ſum eandem gerens, tuo deſiderabili & honorando mihi capiti ex amore & dilectionis copia transmiſi, quatenus ſanctifica ſuavitate ac tactu ſanctorum locorum, utpote dignus perfruaris ſimul autem & Sacrum vas Cymiliorum* (id eſt prætioſorum Eccleſiæ ornamentorum) *Sanctæ Reſurrectionis &c.* Hæc munera miſſa per Eliam Syncellum Legatum Tyri. Epiſcopus tenens locum Patriarchæ ſede vacante. Mortuo demum S. Ignatio Patriarcha Conſtantinopolitano, ex more domeſtici corpus mortuum veſtiunt, & venerandum Jacobi Fratris Domini humerale, cum veneratione illi induunt, quod ante aliquot Annos Hieroſolymis ſibi miſſum, tanta veneratione proſecutus eſt, ac ſi ipſe Jacobum Apoſtolum, & primum in eo Pontificem, ſpectaret. Hanc enim ob cauſam acceperat, ut ſecum illud ſepeliri curaret. Apud Surium in vita ejus.

Convenientiſſimum tali officio, & ſignum honorificum in veſtimentis expreſſum, videlicet Crux Chriſti in rubro colore, (cruorem ſangvinis illius exprimens,) quam in veſtimentis ſuis portant. Tali enim ſigno Beata Virgo Maria, ſangvine ipſius Filii, ex corpore promanantis, penes primam inaugurationem & electionen S. Jacobi Minoris, in Cuſtodem S. Sepulchri, proprio digito exaravit, legitur apud Petrum Lull. in vita B. Alveræ ex antiquis documentis allatum, teſtimonium. Primæ dignitati Epiſcopali Eccleſiæ Hieroſolymitanæ congruum erat, ut ille Apoſtolus & Antiſtes ubi Chriſtus paſſus, Crucifixus, & mortuus eſt, primus in pectore ſuo, non tam auream ad normam Epiſcoporum portaret Crucem, ſed in ipſo veſtimento, palam coram Ju-

dæis & inimicis Crucis, evidens exhiberet signum passionis & Crucis. Cui optimè quadrat illud, quod de Cruce dicit S. Hieronymus. *Unde meritò a locis suppliciorum, fecit transitum ad tesseras Pontificum.* Deinde plurimi Authores docent, quod à primis temporibus Ecclesiæ, & Pontifices ad Imperatores, præcipua quadam pietate, crucem commigrasse accipiunt, ut qui præ cæteris vitæ novitatem induerunt, ejus continuè fovendæ, subsidium in indumentis adhibeant. Ita in terminis Adrianus Lyræus de Imit. Christi patient. libr. 6. Cap. 4. fol. 362. Et libr. 6. Cap. 3. fol. 356. sic refert: *Porro quod ad pallium attinet, erat id & adhuc est, Summi honoris & supremæ plenæque potestatis index, & Romani Pontificis insigne, concessum tamen ab eodem aliis Metropolitanis. Idem Phrygium dictum est quod à Phrygionibus artificiosè contextum esset, non sine Crucibus inspersis, quatuor enim purpureas Cruces, habet ut docet Onuphrius.* Et fol. 357. *Non modo autem pallium Archiepiscoporum, sed & ipsæ vestes quotidianæ Episcoporum videntur fuisse Crucibus insignitæ. Extat imago D. Epiphanii, ad vivum expressa, cujus vestis, plena Crucibus conspicitur. Et S. Gregorius Nazianzenus significat, vestes suas Cruce signatas; Crucem* (inquiens) *in membris meis fero, Crucem in incessu, Crucem in pectore, in Cruce demum omnis mea gloria sita est. Quod autem non de Spirituali, sed corporali cruce loquatur, ex toto contextu patet. Certe in nummis Fulvii Ursini, Apostoli Joannes & Philippus, expressi sunt, qui palliola Crucibus intexta ad pectus & humeros habebant, hoc fine crediderim, ut se Christum eumque Crucifixum induisse, non obliviscerentur.* Hucusque Lyræus. Rabanus Maurus de Institutione Cleri libr. 1. Cap. 23. *Super hæc autem omnia, Summo Pontifici qui Archiepiscopus vocatur, propter Apostolicam vicem, pallii honor decernitur. Quod genus indumenti Crucis signaculum purpureo colore exprimit, ut ipso inductus Pontifex à tergo, & pectore Crucem habeat suaque mente, piè & dignè de passione redemptoris cogitet, ac populo pro quo Dominum deprecatur, redemptionis suæ signacula demonstret.* Hugo Victorinus de Sacramentis libr. 1. Cap. 57. *His omnibus insignibus, Archiepiscopus insuper, & pallio quô à cæteris discernitur Episcopis; Hoc duas lineas habet, à Summo usque deorsum ante & retro dependentes, & purpureum Sanctæ Crucis signaculum proferentes.* Gretser testatur, quod Romæ exstat imago S. Petri pallium tribuens Leoni III. Pontifici, in quo duæ Cruces; ipse quoque S. Petrus

Libr. 2. de Cruc. c. 34.

Petrus, habet pallium in cujus extremo Crux rubra. In anno cælesti sub die 25. Decembris habetur, quod hac die S. Maria à S. Francisca Romana, visa est cum JESU Filio suo parvulo, rubram Crucem habentem in pectore. In actis S. Rochi Confessoris. *Mater ejus miræ pulchritudinis puerum, & rubra Cruce in pectore signatum conspicata, obstupuit; summaque voluptate affecta est, existimans eum DEO fore gratissimum.* Ex his adductis testimoniis patet, pervetustum morem & ipsis Apostolorum temporibus usitatum fuisse, sive ab ipsis processisse, vestes Cruce rubra signari. Illud enim mysterium, quod Summorum Sacerdotum veteris legis, in quatuor literis auri lamina continebat, nempe formam Crucis, ut Innocent. de Myster. Missæ libr. 1. C. 53. In nova lege sacrorum mysteriorum dispensatores, & Primi Sacerdotes S. Apostoli, in vestitu suo Cruce signato, explicuerunt. Hi enim veri nominis JESU Christi Crucifixi confessores, & publici prædicatores, opponentes se perfidis illis Judæis, non solum sese verbis, factis doctrina, sed etiam signis externis, Crucem Christi, liberrimè professos ostendebant. Cum igitur S. Jacobus Minor, principaliter in Urbe illa Hierosolyma constitutus, huic perfidissimæ Genti, semper se opposuerat, prædicationem Christi mortis, ac in eum veram fidem ingerebat, non solùm in illa lamina, quam more veterum Sacerdotum gerebat, sed etiam in pectore sui vestimenti, Christi discipulum professum, signo Crucis proclamabat.

Conformitati ejusmodi ac habitudini, portandi talis signi, nempe Crucis in vestibus, respectivè quoad officium Custodum S. Sepulchri, favere videntur quædam, ex congruo rationes. Prima figuralis Levit. Cap. 8. v. 13. Filii Aaron vestiti erant tunicis lineis & tales vestes eorum, sangvine qui erat in altari, aspersæ erant, ibidem vers. 30. hic autem vestitus cum notis Sangvineis, datus est ad tale exequendum sub præcepto officium, *die ac nocte manebitis in tabernaculo, observantes custodias Domini vers. 35.* Sive ut habetur Numer. cap. 3. *In quorum officium successerunt Levitæ, & habebant excubias in tabernaculo fœderis.* Pulchrè huic exequendo officio, fuit adaptatus habitus lineus, & sangvine consperfus. Clerici Ecclesiæ Hierosolymitanæ, sub S. Jacobo Minori constituti, illi primi ministrarunt Domino in tabernaculo, nempe in Ecclesia montis Sion, illi primi excubias egerunt ad tabernaculum

Sancti

Sancti Sepulchri, sub illorum custodia erant Tabulæ tabernaculi, nempe Crux Christi, columna, vectes, & cætera instrumenta passionis, verè illorum hoc erat mandatum. *Et custodiant vasa tabernaculi, servientes in ministerio ejus.* Dum ergo tale sunt consecuti munus, jure meritò proportionata vestimenta gerunt, hoc est linea, & sangvine de altari Crucis sumpto conspersa, nimirum Cruce purpureâ consignata. Ritus itaque ille vetus, adimpletus est in vestimentis Clericorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ, & Custodum S. Sepulchri, tali eorum officio præscriptus & præceptus. Cantic. cap. 3. v. 10. Salomon dicitur fecisse *reclinatorium aureum* in quo quiescebat, *& ascensum purpureum*; hoc reclinatorium aureum, non aliud erat, nisi cubiculum auro adornatum, in quo figurari potest Sepulchrum Christi, in quo caro Christi mortua, reclinata fuit. Per *ascensum purpureum* Glossa & S. Isidorus, Crucem rubram Christi intelligunt. Ad reclinatorium ergo, spectare videtur ascensus purpureus, nempe Crux Christi sangvinea; quia ad reclinatorium Sepulchri Christi, referri debet & ascensus purpureus, nempe Crux rubri coloris, quam ii præferunt, qui reclinatorio Sepulchri Christi adstabant, & postes ejus observabant.
Cantic. 6. v. 7. In iisdem Canticis, conqueritur Sponsa, quod Custodes murorum, percussæ & vulneratæ Sponsæ, tulerunt pallium, si vulneratæ tulerunt pallium, certè sangvine conspersum. Ad quid custodes murorum Civitatis, vulneratum sustulerunt pallium, ex quo necis causa facile recognosci poterat, ut in simili, Jacob. filii sui, sangvinolentæ tunicæ visu, mortem à fera pessima inferebat. Canonici S. Sepulchri vere Custodes Civitatis S. Hierusalem, muri illius fortissimi in petra excavati, monumenti Christi, dum signo Crucis rubeæ, pallia seu genus vestimenti sui quodvis signant, sangvinem Christi mortemque ejus, in rubicunda materia portentant, ex quâ Christi necis, evidens causa notari potest.

Secunda ratio. Quia terreni Orbis moderatores, primos suæ Aulæ, eosque principales constituendo Excubitores, Ministros residentes familiares & intimos, sive aliquam legionem aut cohortem erigendo, quæ sit vel pro Custodia corporis Principis & Regis, vel quæ fortissima prælietur bella, quæ ultimatò reservata exponat se certamini, quæ validissimæ parti adversantis exercitûs, se opponat in eamque irruat, ordinariè quibusdam distinctivis

signis

signis honorificis, notis externis publicis, in vestimentis insignire, ob respectum dignitatis ac virtutis, consveverunt. Sic igitur & Christus Dominus, primos suæ Aulæ, eosque principales constituendo Ministros Apostolos, juxta illud: *Constitues eos principes*, sibi familiares & intimos, quia fratres, Amicos, discipulos, & hanc legionem & cohortem eligendo, quæ fortissima pro nomine & honore ejus subitura erat certamina: *Estote fortes in bello & pugnate cum antiquo serpente*, & se validissimis oppositura erat potentiis, non alió hos cooptatos Bellatores, voluit insignire ac præmunire signo, in vestimentis eorum expresso, nisi signo dignissimo, præcellenti, nempe signo Crucis purpureæ. Plantavit igitur Christus Ecclesiam suam, adminiculo Summorum Pastorum, & Vicariorum Suorum, in Sancta illa Hierusalem, fideli illi ac primæ familiæ suæ, ac populo segregato ad suum servitium & ministerium intimum exhibendum, in Aula domûs suæ ac primogenitæ Ecclesiæ, omni illi fortissimo assultui inimicorum nominis sui, nempe Judæorum & Gentilium; adscriptam cohortem exposuit. Consonum erat, ut illa Excubitorum cohors, intima loci illius corporis, ad illustrandam recenter gloriam Crucis & resurrectionis, notaretur signo aliquo externo & visibili cuilibet aspectui, in vestimentis nempe, ex quibus quilibet nosset, illos esse Christi servos & passionis ac resurrectionis etiam externos Confessores. Et hoc signum purpureæ Crucis, præferebant tum primi Eremi incolæ Palæstinæ & Ægypti, ad normam fortè Clericorum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. De illis benè accipi potest illud Innocentii. *In signum Religionis, quidam religiosi Crucem portant, ut ostendant se Spiritualiter mancipatos ad obsequium Crucifixi.* Et Nicephorus de Imperatore, Andronicho Monacho: *Rubrum protulit, Divinæ Crucis signum.*

Tertia ratio convenientiæ talis signi, officio Custodum S. Sepulchri, hæc est, quia illi Clerici & Canonici, post Inventionem Crucis Calvariæ, lignum illud S. Crucis, locaque inventa, & monumentum Christi apprehenderunt manuali contactu, & devotissima contrectatione amplexi sunt, & unus ex Clero sive Canonicis, semper erat Custos S. Crucis; tantas ergo suas dignitates contestabantur & vocabulo Custodum S. Sepulchri, & signo Crucis in vestimento gestato. Cum Christus noluit à longe abesse

monumentum à Cruce, & Cruces sæpe purpureæ, visæ sunt in cælo, ad montem Golgotha & monumenti, prout contigit temporibus S. Cyrilli aliisque utrumque hoc, in contiguô habent seu testatum volunt haberi dicti Canonici, dum in corde per singularem affectum, monumentum Christi colunt, ejusque intimè passionem simultaneè prosequuntur, in eodem loco cordis, portando Crucem. Id exprimebat & duplex festivitas una post alteram occurrens; celebrato videlicet Festo S. Resurrectionis, id est Festo Dedicationis Ecclesiæ S. Sepulchri, statim Crucis exaltatio publica fiebat. Resurrectioni Christi de Sepulchro, correlativa erat & Crucis exaltatio seu manifestatio; Sicque & Canonicis S. Resurrectionis, vicina debet esse in pectoribus ac vestibus, externa exaltatio & expositio signi Crucis.

Quarta ratio, morem antiquum fuisse, ut in quibuscunque locis, corpus aliquod quiesceret, vel quiescentis indicium esset, signum Crucis statuebatur; ut id modo observari solet. Simile præceptum datur Eccl. 38. v. 24. *In requiem mortui, requiescere fac memoriam ejus*; id est ut expositores explanant; super Sepulchro, ubi requiescit corpus ejus, fac supponere aliquot signum stabile, ad memoriam ejus, quod ibidem eum defunctum repræsentat. Super Sepulchrum Christi posita erat Crux Sancta, quæ eum repræsentabat in ea mortuum, & ibi quiescentem; Canonici S. Sepulchri ad locum quiescentis Christi, ubi positum erat Corpus Christi, in suo statu consistentes, in ejusdem loci quiescentis memoriam ac notitiam, crucem in vestimentis repræsentant. Antiquo pariter more acceptum erat, ut Sepulchrorum Epitaphia, rubro colore inscriberentur. Imo à primis Christianis accepto more, monumentorum inscriptiones, à prænotata Cruce inchoabantur, & nomina defunctorum rubro colore in monumentis notabantur. Non absimili colore & formâ Crucis, Custodes S. Sepulchri, notant velut Epitaphio lapidis super positi, rubro colore, Crucem simul inscribunt. Monumento Christi suum ad mortem servitium, & nomen JESU defuncti in Sepulchro, in prima parte Crucis, sive titulum rubro colore connotant. Ad quos vel ex hoc ipso signo spectato, mortui locus spectare debet, quos vel ipsa nota Epitaphii, rubeâ Cruce, monumenti Custodes prodit.

Quinta

Quinta ratio. Ipsa Hierosolyma tali signo pro stemmate utebatur, nimirum Cruce in campo rubro, ita informata, ut compendiosè, nomina JESUS & Hierusalem referret. Joannes Hemelarius rem istam tradit. *Non inconcinnè eâ Crucis formâ, & Charactere, Hierosolyma pro insignibus usa reperitur, cum brachia hujus figuræ transversa, literam H, stipes autem erectus & medius, I. forment; quibus principium nominis Hierusalem, & ipsius Domini JESU, exprimitur. Invenit itaque ipsa Urbs, argutum emblema, quô ut nomen suum compendiosè signet literis, in campo ut vocant rubro, Crucis pariter ipsius formam, cum titulo suo supernè affixo, ob oculos ponat, id est locô ac solô, Sangvine Domini respersô, defixum. Cujus adorandæ Crucis pignore, & redemptionis nostræ in ea consummatæ gloriâ, Urbs Hierosolyma, se peculiariter Sanctam & Venerabilem Christianis, semper omnibus præbuit.* Quoniam vero & Canonici Hierosolymitani, præcipui Crucis Dominicæ Cultores, locorum sacrorum Hierosolymis Calvariæ monumenti in nova Jerusalem possessores, hoc acceperunt prænobile signum, ut in hac Cruce & nomen JESU, & nomen Jerusalem exprimeretur, pereandem lineam, quæ in dimidiata Cruce manet recta; in rubro colore; videlicet illos esse originativè ex illo loco, ubi sangvine Domini respersum est solum, & JESU Redemptoris consummata gloria, Crucisque signo, peculiari pignore esse devinctos.

In Comment. Historic. Numismatum.

Sexta ratio. Expeditio illa Sacra pro recuperatione terræ sanctæ & S. Sepulchri, non aliô nomine vocabatur, nisi nomine *viæ Sancti Sepulchri*, quam peregrinationem his terminis Authores describunt: *Ut non pigritaretur Sancti Sepulchri, viam celeriùs arripere: Gentem innumeram, ituram ad Domini Sepulchrum: O quot diversæ ætatis ac potentiæ seu domesticæ facultatis homines, viam S. Sepulchri spoponderunt! &c.* Huic tam Sancto instituto, professioni, voto, arripiendæ viæ S. Sepulchri, nullo magis consono & adaptato, usi sunt signo, nisi Cruce rubea in vestimentis suis, in pectore assuta. Sigonius libr. 9. *Signum ejus expeditionis fuit Crux è purpureo panno confecta, quam Urbanus Pontifex indulsit, vestibus affigendam.* Rogerus: *Rex Franciæ & gens sua, susceperunt Cruces rubeas.* Bertholdus Constantiensis: *Omnes qui se ad hoc iter* (nempe S. Sepulchri) *devoverunt, signo Crucis seipsos in vestibus notare fecerunt.* Multi Reges Principes purpuras suas, ex quibus Cruces rubeæ ve-

De Regno Italiæ.

ſtibus adaptandæ erant, dilacerandas tradiderunt. De Optimatibus Apuliæ & Calabriæ ſcribit Robertus; quod audientes Boamundum, viam Sepulchri Chriſti ſuſcepiſſe, ad eum confluunt, viam S. Sepulchri promittunt, & Cruce purpurea veſtimenta ſua notant. Cauſæ autem cur Crucem talem, in veſtimentis geſtaverint, variæ dantur à Scriptoribus; tum ut aliquomodo ad imitationem Chriſti accederent, cujus paſſionis locum viſitare propoſuerunt: tum Crucem in veſtibus portantes, Crucis diſcipulos (ad talem in veſtimentis uſum portandæ Crucis) ſe prædicabant; tum ut hæc Crux in pectore, ſemper eſſet mortificationis commonitorium: tum ut in hoc ſigno confiſi, exemplo Conſtantini Magni, de inimicis Crucis, ſecurè triumpharent: tum ut illô ſignô externô declararent, & ex hoſtium liberando Sepulchro Chriſti, virtute Crucis, tenerentur deſiderio. Conformiter quia Canonicorum S. Reſurrectionis ſtatus, intentio, deſiderium, conditio erat famulari Sepulchro Chriſti, illud ſemper intueri, venerari, talis nominis & inſtituti characteriſticus habitus, non alius magis idoneus adinventus, niſi Crux purpurei coloris in veſtimentis eorum; tum ex ſupra dictis rationibus, à fortiori magis convenientibus dictis Canonicis S. Sepulchri, quas hic accomoda; tum reſpectivè quoad ultimam rationem, ut illo ſigno externo declararent, quod ſub tali indicio Crucis, profitebantur coram amicis & Inimicis, ejusdem Crucis, quod ſint Sacroſancti Sepulchri veri Athletæ, religioſi. Qui ergo videbat in veſtimentis illorum Heroum Cruces purpureas, inferebat & dicebat illos eſſe Sepulchri Chriſti milites; pergere ad Dominicum Sepulchrum; viam illius arripere. Si qui Crucem rubeam intuentur in veſtimentis noſtris, non alios debent dicere, niſi Canonicos S. Sepulchri, Ordinemque hunc monumenti Chriſti cuſtodiæ deputatum, & animum in ſervitio S. Sepulchri perſiſtentem, inferre.

Exiſtentes in eodem Officio, proportionatum gerebant Stemma & ſigillum, quô nobilitatem ſuam deſignabant, & ex quo avitam Domus ſuæ propaginem, deducebant. Hoc erat indiſtinctum à priori ſigno honorifico, nempe ſigillum plumbeum ſive æreum, exaratum monumento Chriſti. Et tale ſigillum adhibebant Canonici S. Sepulchri in conſignandis tum literis, tum inſtrumentis publicis. Probant id duo diplomata data ad Schiram ab iisdem Cano-

nicis

nicis, quæ extant apud Gretſer in horto Crucis parte 2da. In quorum primô, ſigilli plumbei forma, Crux in medio duplicata, à latere *ſigillum Canonicorum.* Partis vero inferioris *Fabrica Dominici Sepulchri* expreſſa eſt, hanc ambit hæc inſcriptio: *Sanctiſſimi Sepulchri*, nempe *effigies* ſimiliter in altero diplomate; Chriſtus reſurgens, dextrâ trahens è limbo patres, ſiniſtrâ duplicatam Crucem, ejusmodi ut eſt in veſtimentis noſtris, proferens. Inſcriptio talis eſt græca, nempe *Anaſtaſis*, quod ſignificat: *reſurrectio*, & adjuncta inſcriptio: *JESUS Chriſtus vincit.* In Turco Græcia Cruſii libr. 4. extat Epiſtola Græca, Sophronii Patriarchæ Hieroſolymitani junioris, cujus Epiſtolæ Sigillum, vel potiùs formam & imaginem ſigilli, refert idem in hunc modum: *In ſigillo conſpicitur ad dexteram, aliquis ſe inclinans, & tanquam manum ſiniſtrorſum porrigens alicui, velut è Sepulchro ſupplices ad eum manus tendenti: à tergo cujus, tanquam petra eminens.* Quod explicat Gretſer lingvæ Græcæ peritiſſimus. *Nempe ſignificatur Redemptoris noſtri imago, cui unus è Sanctorum Patrum numero, ſupplicem manum, ad liberandum porrigit. Petrà verò eminens, quæ poſt tergum Chriſti apparet ectypon Dominici Sepulchri eſt. Quæ omnia perſpicua ſunt ex ſigillo ſecundi diplomatis Schirenſis, ut inquit idem Cruſius. In circuitu hujus imaginis totius, erant verba hæc: Reſurrectio Domini Noſtri JESU Chriſti Sanctæ Civitatis Hieroſolymorum.* Et multa in Archivo Conventus Generalis Miechovienſis in Polonia, eorundem Canonicorum S. Sepulchri, varia extant diplomata, miſſa ex Hieroſolymis, tum hic efformata à prima fundatione, quæ uſu & antiquo more Canonicorum S. Sepulchri, ſigilla penſilia præferunt, in quibus plurimis extat effigies monumenti, in aliis reſurrectionis Chriſti. Et jure meritò talia ſigilla debebant eſſe Canonicorum, quorum inſtituti prima nobilitas fuit, Crucem Chriſti veram retinere, Monumento ſemper adſtare; in Eccleſia S. Reſurrectionis Canonicos Cathedrales agere. Ad id dicit idem Gretſer fol. 2605. *Meritò autem Patriarcha Hieroſolymitanus & Canonici, Cruce pro ſigillo uſi ſunt. Quos enim magis hoc dogma & Stemma deceat, quam illos, qui degebant in loco, ubi Crux primùm fixa Redemptorem noſtrum exceperat & ſuſtentarat.* Item quia degebant in illo loco, ubi Chriſtus ſepultus tertia die reſurrexit, & ad monumentum velut ſingulare trophæum victoriæ, excubabant, ut ex parte ipſorum in libro Ordinum

omnium profert Amannus: *Nos penes eſt Sancti, Cuſtodia Sancta, Sepulchri. Quô triduó jacuit, condita noſtra ſalus:* Meritò itidem, pro ſigillo uſi ſunt monumento Chriſti, vel ejus reſurrectionis effigie.

Ex dictis hic noveris, antiquitatem, prærogativam, & nobilitatem hujus Officii Cuſtodum S. Sepulchri competentis Clericis Eccleſiæ Hieroſolymitanæ S. Reſurrectionis, ſive Canonicis S. Sepulchri, pro diverſitate temporum ſive Authorum appellari ſolitis, non quia prioribus temporibus non fuit, ſed quia poſterioribus hoc nomen accepit. Quod officium inſtitutione Beatiſſimæ, & Apoſtolica gloriatur, & conſequenter is ordo tali nomine appellatus, primus eſt, qui fuit inſtitutus in Sancta DEI Eccleſia Hieroſolymis, utpote qui inſtitutorem ſuum habuit S. Jacobum Minorem Apoſtolum, approbante eundem, ipſo Sancto Petro, qui conſtituit S. Jacobum Epiſcopum Hieroſolymitanum, deſtinando eum cum ſuo Clero, ad cultum & hononorem Singularem paſſionis & reſurrectionis JESU Chriſti, ut eſſet perpetuus teſtis horum myſteriorum, totusque in cultu & honore ipſorum, cui Clero regulas dedit, ut ex illius Canonica Epiſtola patet. Proinde erroneè referri in Dictionario univerſali, in lingva Gallica edito in Tomo 4to fol. 1660. fabulam eſſe & chymeram, quod hi Canonici Regulares S. Sepulchri, habeant ſuum inſtitutorem S. Jacobum Minorem Epiſcopum Hieroſolymitanum, niſi quod ſurdo hæc fabula imputata narratur, qui penitùs nec audivit, nec legit antiquitatem hujus Ordinis, in claſſicis ſive novis & dignis Authoribus. Non enim chymeras aut fabulas, in ſuis libris adnotarunt præclariſſimi de Ordine Canonico aliique ſcriptores, ex quibus omnibus prædicta allegata chymera exploditur, & veritas ipſa non fabula narratur, ſentientibus; quod Eccleſia Hieroſolymitana, à primordiis ſuis fuit Regularis, & S. Jacobus Minor primus Epiſcopus Hieroſolymitanus, ac ejus poſt Succeſſores viri piiſſimi, ac Clerus dictæ Eccleſiæ vivebant vita regulari, more Chriſti ac Sanctorum Apoſtolorum. Etſi vero Epiſcopatus Hieroſolymitanus, à ſui exordio, & per quingentos fere Annos, usque ad Juvenalem ejusdem Sanctæ Civitatis Epiſcopum, defacto Patriarchatus non fuerit; tanti tamen habitus fuit, ut ejusdem Sedis Antiſtes, Patriarcha dictus fuerit. Unde & Clerici ſive

Cano-

Canonici dictæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, vivendo regulariter, sub iisdem existebant, sive Episcopis sive Patriarchis, habentes suas Ecclesiasticas dignitates & officia, inter quæ, postquam reserata sunt loca Calvariæ & monumenti, illorum habebant custodiam, sicut & directionem jam in ante tenebant aliorum locorum sacrorum Hierosolymis, sive sub Episcopis Hierosolymitanis, sive expost Patriarchis, neque tunc primum inceperunt esse, dum Patriarchali titulo, Ecclesia illa ad S. Sepulchrum est decorata, sed jam hos in ante extitisse cum similibus Canonicalibus titulis, & custodiâ S. Sepulchri, stante saltim inchoativa illa occupatione à Saracenis, antequam immanis illa, non adeô sæviit barbaries quod patet ex historico Giustiniani describente Ordines militares sæculares & Regulares Tom. 1. fol. 108. sic dicente: *Legimus in Authoribus Belloy & Favin, quod cum Saraceni cœpissent Civitatem Jerusalem ex manibus Imperatorum Orientalium, reliquerunt custodiam S. Sepulchri Canonicis Regularibus, & postquam Godefridus Bullionius factus est Dominus hujus Civitatis, præstitit multa bona his Canonicis.* Saracenis interim & Turcis totum orientem & Palæstinam præcipuè affligentibus, & ab omnibus ecclesiasticis possessionibus dictos Canonicos exturbantibus, morti vinculis addicentibus, Sancti Sepulchri Sodalium detenta virtus, ut ait Mennenius, felicibus Godefridi & Baldvini fratris auspiciis, quasi relaxata in apertum tandem prodiit, dum iidem suo iterum loco Golgothæ, monumenti, aliisque locis sacris Hierosolymæ, ac vicinis, cum suis anterioribus possessionibus, sive novis erectionibus, authoritate Summorum Pontificum sunt reinducti, ac per Legatos S. Sedis benedicti, ut ita habetur apud Aquensem libr. 8. cap. 7mo. *Mauricius Cardinalis, à Paschali Pontifice exoratus, precibus Baldvini Regis & S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ, Legatus de Latere destinatur, qui profectus Hierosolymam, Baldvino Regi & Canonicis S. Hierosolymitanæ Ecclesiæ, nomine Summi Pontificis benedictionem dedit.* Iterum per tyrannidem Turcorum, facto in Palæstina exterminio Christianorum, & Spiritualium Personarum, sustinuerunt & Canonici S. Sepulchri verbera, tormenta, mortes propter Christum, non potentes ferre crudelem & injustum dominatum, alii fatiscebant sub onere pressi vectigalibus ultra modum iniquissimis, alii fatis cedebant sub gladio, reliqui Custodes Sacerrimi Sepulchri in

in eo tristissimo sanè exilio, partem calamitatis secum extulere maximam, & cicatricem altè inflictam, hucusque in corde manentem, quod à tam sanctis locis, hostili oppressione non sine lachrymis, tanta iniquitate temporum, abire in diversas orbis partes debuere, & cedere sævæ potestati, illos tantum volentis esse locorum sacrorum administratores, qui ab omnibus penitus possessionibus, sunt alieni. Abstinemus itaque manum à vulnere, dolorem tamen una ad omnes Christianos Catholicos spectantem, de amissione terræ sanctæ contingimus, verbis S. Augustini. *In hoc gratu in quo est scientia* (id est expressi hoc Paragrapho Officii) *lugetur amissio Summi boni* (nimirum custodiæ S. Sepulchri & possessionis locorum sacrorum) *quia non relinquitur sine dolore, quod cum delectatione retinetur*: Cum quali delectatione & voluptate cordis & oris, tot sæculis retinebatur à Christianitate terra sancta, & in Ordine nostro Canonico, officium Custodum S. Sepulchri aliorumve locorum sacrorum, & eorum excubiis vacare haud nequeunt. Nihilominus & documenta damus, quâ sumus origine nati, neque nomen inane sine re præferimus, cujus fundamentum & virtutem demonstramus. Excidere tot bona, tot Regna, Provinciæ, à suis primævis possessionibus, à quibus primam suam traxerunt derivationem, sortiti sunt nomen; manentque tot clarissimæ familiæ, quamvis in alienis versentur & subsistant manibus, illarum primæ processiones; retinentque tamen suam adhuc justam inscriptionem, & nomen appellativum, tanquam sibi proprium faciunt. Retinemus proinde nomen Custodum S. Sepulchri cum fundamento in re, licet ad præsens non possessa; in ante tamen tot sæculis præcontenta, & eorum de Stirpe & genere sumus Canonicorum Regularium, qui terram sanctam incoluere. Equidem vigilantiâ curâque suâ Summi Pontifices; quos nec in Palæstina quietos esse diu licuit Canonicos S. Sepulchri, & in aliis Regnis, Provinciis, gravior illis impendebat procella, novo iterum favore Sacram Sepulchri familiam, complexi sunt, novis eam pluribus accessionibus suarum gratiarum, Sanctissima Sedes Apostolica collapsas res, sua potenter & firmiter promovit Authoritate, restauravit indultis, resuscitavit protectione, antiquum titulum, nomen, privilegia, approbationibus suis restabilivit, in quorum nocumentum fortis consurrexit potentia, dextera tamen Domi-

Domini protexit illos, miſericordiæ Domini, quia non ſumus comſumpti, & eruit nos de manu potenti.

Adſcribendus eſt & alter, muliebris devotiſſimus ſexus, ad hoc officium cuſtodiæ S. Sepulchri. Non ſolùm diſcipuli, ſed etiam & mulieres, fuerunt veneratrices monumenti Chriſti, ita multæ Sanctæ Virgines, ac mulieres, devoverunt ſe honori S. Sepulchri, per quem ſingulari amore & cultu paſſionem & reſurrectionem Chriſti, mente & corde recolerent, obligando ſe profeſſione religioſa Ordini Canoniſſarum S. Sepulchri, de quibus multis in locis innuit & Archiep. Tyrenſis poſt recuperatas per Godefridum Hieroſolymas. In quarum ancillarum numerum, & Collegium eſſe, ſuſceptam, profeſſam, ac religioſam fuiſſe, S. Helenam Imperatricem, deducitur in vitis Ssrum, Ord. Noſtri editis, per Florianum Buydecki S. Th. D. fol. 122. Petrus Lull. earundem Canoniſſarum S. Sepulchri, Juliaci Comiſſarius, in Mauſolæo S. Jacobi dicit cap. 28. quod ſicut Canonici, ita & Canoniſſæ poſt amiſſa omnia ſua Monaſteria Hieroſolymis, ob expugnationem & devaſtationem terræ S. in aliis tamen Regnis & Provinciis, ſicut Canonicos, ita & Canoniſſas S. Sepulchri florere. Quarum plurima S. Sepulchri ibidem enumerat Monaſteria; in vita venerabilis Alveræ de Virmund Canoniſſarum S. Sepulchri Juliaci Prioriſſæ, refert eandem in Monaſterio S. Sepulchri in libera Civitate Imperii Asquigrani ad S. Leonardum, earundem Canoniſſarum, profeſſionem feciſſe. Balbinus in Epitome Hiſt. rer. Bohem. libr. 5. cap. 13. fol. 598. Ferdinandus I. Religionis Catholicæ proferendæ ſtudioſiſſimus Princeps Bohemiæ Rex proventum annuum non contemnendum adjecit Cænobio Svetecenſi Sacrarum Virginum Ordinis S. Sepulchri ad Bilinam. Et Philippus Bonnanni Soc. JESU, parte ſecunda, in Cathalogo omnium Ordinum, in Eccleſia Militanti, inter Ordines Monialium DEO dicatarum, refert Iconem Monialis Canoniſſæ dictæ S. Sepulchri in habitu, fol. 31. de quibus ſic ſcribit: *Habitu utuntur Canonicorum non ab ſimili, ſcilicet tunica nigra, ſupra quam aliam albam lineam* (ſcilicet Rochettum) *ſine Manicis imponunt, capite velum geſtant, & humeris mantellum pariter nigrum, quod in parte ſiniſtra, Crucem dupliciter decuſſatam, rubram oſtentat. In parte verò dextra, funiculum duplicem aſſutum habent, quinque nodis implicatum, ut*

 quin-

quinque vulnera Christi exprimantur. Regulæ S. Augustini subjacent. Mœrorem autem in nigris vestibus gerunt, quod Sepulchrum Christi sit amissum, & inter Infideles existat. Heliot histor. de Ord. relig. tom. 3. cap. 18. *Quantum attinet ad Religiosas* (nempe Canonissas S. Sepulchri, de quibus ibidem tractat) *hæ ferunt crucem duplicem ex materia rubea efformatam, & annulum aureum; in quo sculptum cernitur Nomen JESU cum Cruce duplici.*

Officium custodiæ S. Sepulchri, in secundo statu sæculari & Equestri fuerat, penes varios Ordines Equestres & Militares, institutos tùm ob defensionem terræ sanctæ ac locorum sacrorum, tùm pro præsidio ac honore Sacri Sepulchri, illud stipantibus eidem assistentibus, non qui peregrinos ad loca sacra ingenti charitate suscipiebant, eosque per loca sacra armati ducebant & reducebant, qui Ordo in mantellis albis, cum cruce rubea incedebat, habentes non prope à Sepulchro Christi, suas residentias & hospitale propter peregrinos. Alphonsus Ciaconius in vitis Pontificum sub Paschali II. *Hospitalariorum hanc fuisse originem, ante receptam Hierosolymam, Christiani Latini, permittentibus Ægyptiis & Saracenis Urbis Dominis, prope Sepulchrum, Monasteria duo construxerunt, unum viris, alterum mulieribus recipiendis, quæ Sepulchrum adiissent, easque nomini Beatæ Mariæ Virginis, & Beatæ Magdalenæ dicarunt. Recuperatâ vero Hierosolymâ, cum ea Cœnobia infinitæ multitudini affluenti ad Sepulchrum Christi non suppeterent. Hospitale est additum, ut iis qui Sepulchrum adiissent, ægrotantibus, res necessariæ ministrarentur.* Plura scribit S. Antoninus Arch. Florentinus Summæ histor. Titul. 17. Capitul. 6. fol. 229. Cardinalis vitriacus cap. 65. Gretserus Tom. 3. libr. 2. Baronius, Sanutus, Franciscus Mennenius & alii. Ordo Equestris Sanctissimi Domini Nostri JESU Christi Sepulchri, in Regno Hierosolymitano, sub titulo & pro defensione ejusdem, celeberrimus & nobilissimus, ut habetur in Diplomate Philippi II. Hispaniarum Regis, (cui administratio Ordinis S. Sepulchri Domini Nostri ab Equitibus Hierosolymitanis delata est) his verbis: *Illustrium atque fortissimorum Cruce signatorum, Ssmi Sepulchri Militum, exemplum propositum habeamus.* Hi enim milites portabant quinque Cruces rubeas, in honorem quinque plagarum Christi. Petrus Mennenius indicat: *S. Crucis Ssmique Christi Sepulchri insignia deferre solebant*, & testimoniales

literæ

literæ Equitum S. Sepulchri, munitæ Sigillo, cui insculpta est imago Christi, ex Sepulchro glorioso resurgentis. Qui Equites olim creabantur à Patriarcha Hierosolymitano, vel Priore S. Sepulchri, vel alteri facultatem ei præbente ex Dignioribus Episcopis vel Prælatis, cum authoritate Summi Pontificis, ac illius potestate, post Missam solenniter celebratam, observatis aliis, quæ præscribuntur apud Mennenium fol. 43. inclinato capite supra Sanctum Sepulchrum, ordinantur ac creantur, datis illis insignibus Militiæ S. Sepulchri, quod totis se devovent, & vitam suam pro honore DEI. & S. Sepulchri parati sint inflectere, & ordinati osculantur S. Sepulchrum. Cui Militiæ Reges, Duces, Principes Magnique & Nominis & Fortunæ ac dignitatis Proceres, variorum Regnorum, uti & Regni Nostri Poloni Illustrissimus Nicolaus Radziwil Dux, S. R. I. Princeps, & Archi-Mareschalcus M. D. L. multique alii, se inscripserunt ac devoverunt. In variisque Regnis florebant & hucusque florent. De Regni Angliæ tractans Equitibus, Joannes Havor in conspectu Equestrium Ordinum fol. 72. *Cum fides Catholica Sacra, per Angliam lætissime floreret, frequentatum una concursu magno, erat Collegium Equitum custodiæ Sanctissimi Sepulchri Servatoris deputatum &c. Henricus Angliæ Rex II, foris religiosa peregrinatione in Palæstinam suscepta clarissimus. Viderat is forte, cum eò profectus esset, ac indoluerat Saracenorum excubiis, creditum esse depositum illud grande, quod in corde Christianorum recumbere, oporteret Servatoris Nostri Sanctissimi monumentum &c. Et ecce vix Regiam suam repetiit, cum subitò, novum Virorum delectum instituit, eosque unam jam in cohortem conflatos, iisdem vivere legibus, officiis, insignibusque uti jussit, quæ in Equitibus S. Sepulchri Hierosolymitanis animadvertisset &c. Impetravit ad hæc, literas ab Alexandro III. Pontifice, quibus major Ordini firmitas accessit. Sed ante omnia honor ut familiæ constaret, plenior, gravissima Sanctione Rex præcepit, duos ut minimùm annos, Hierosolymis exigerent Equites custodiæ sacerrimi monumenti consecrandos &c.*

De hujus Ordinis Equestris Origine, progressu, Franciscus Mennenius. Bartholomæus à Siligniaco. Franciscus Quaresmius libr. 2. Cap. 32. Tom. 1. Elucid. Ter. S. Hic doctissimus Author, inter plurima hujus Ordinis elogia, de origine hujus militaris Ordinis Dominici Sepulchri, investigando quis instituit

hunc Ordinem? multorum Authorum refert ſenſum, plurimosque in hoc conſentire, quod prima illius fundamenta jacta ſunt, à Sancto Jacobo fratre Domini, primo Epiſcopo Hieroſolymitano, quod probant his rationibus: *ima* ratio perſvadet, ut piè credamus Sanctum hunc, & Spiritu Divino plenum Antiſtitem, ad honorem S. Sepulchri, glorioſâ Domini & Angelorum præſentiâ jam honoratum, hominibus venerandum, dæmonibus formidabile, & toto jam mundo celebratum, Sacris militibus condecoraſſe, ut illius conditio temporis permittebat. *2da* ratio quia dicendo hujus Ordinis S. Jacobum Minorem fuiſſe inſtitutorem, agnoſcimus primos Apoſtolos parentes, omnium Eccleſiaſticorum Ordinum in genere Regularium & militarium. His relatis rationibus, aliisque idem Quaresmius in eandem propendit ſententiam his verbis: *Ego nihilominus aliam deduco rationem, antiquitatis Sacri Ordinis, & quod traxerit originem à Sancto Jacobo Minore Apoſtolo: Communi conſenſu docent Sacri Theologi cum Divo Auguſtino; in ritibus aliisque rebus Eccleſiaſticis, quorum principium non invenitur, ab Apoſtolis ea manaſſe credi debere. Igitur cum hic ordo, toto orbe notiſſimus, tot ſæculis in DEI Eccleſia floruerit, & illius prima origo, probè non noſcatur; dicendum eſt, illam habuiſſe a Sanctis Apoſtolis, à Sancto videlicet Jacobo Hieroſolymitano Epiſcopo, ut prima dicebat opinio.* Ego tamen hoc aſſero, quod hi Authores aliique, qui Ordinis Equeſtris Dominici Sepulchri, primum dicunt eſſe Inſtitutorem S. Jacobum Minorem, id potius magis convenire Canonicis Regularibus Cuſtodibus S. Sepulchri, quoad primam ipſorum inſtitutionem, idque eo magis & immediatiùs, quam Ordini Equeſtri, talis tituli. Tum ex ipſis ſupra allatis rationibus, quæ competentius videntur militare, pro ejusmodi origine dictorum Canonicorum. Tum quia Sancti Apoſtoli, magis curabant ut inſtituerentur ab illis perſonæ idoneæ ad ſervitium Chriſti, ad ejus fidem, myſteria, cultum promovendum, ut eſſent vitâ & moribus ſacratæ perſonæ, pro teſtibus reſurrectionis Chriſti, ut in paupertate, caſtitate, & obedientia, & communitate viverent, ut ad perfectionem tenderent, more illorum; ut curam & adminiſtrationem Sacramentorum, & prædicationem uerbi Divini gerant, aliasque functiones ſpirituales & Sacras, ritè obeant; quod totum competebat, tam primo illi Clero ſub Sancto Jacobo conſti-

Epiſt. 118. ad Januar. & libr. 4. de Bapt. cap. 24.

constituto, quam ulteriori sub aliis Sanctis Episcopis & Orthodoxis Patriarchis Hierosolymitanis constitutis Canonicis S. Sepulchri sive Resurrectionis. Jam verò Ordines militares & Equestres, unicè erant instituti & deputati, ad superiùs expressas suas functiones, licet vovebant castitatem & obedientiam, procul tamen erant alieni à functionibus sacris Spiritualibus, ab administratione Sacramentorum, & aliis statui soli Spirituali convenientibus servitiis, Hierosolimis. Hanc originem à S. Jacobo Fratre Domini horum Equitum, magis existimo fuisse mediatam, quatenus Canonici S. Sepulchri Custodes, sive in ante Clerici Hierosolymitani vocati, immediate descendebant à Sancto Jacobo Minore, primo Episcopo Hierosolymitano; Equites verò militares in custodia S. Sepulchri existentes, sive procedentes ab illis, qui primò, quocunque tempore sunt Hierosolymis introducti; suberant Patriarchæ & dictis Canonicis, ab iisque tanquam prudentioribus & in spiritu, doctrina, versatioribus viris instruebantur, ut ea solùm, quæ sunt militum & Equitum exequantur, dictorum Canonicorum curæ Spirituali suberant, in manibus Patriarchæ sive Episcopi, vota sua emittebant, ab illis cum authoritate Pontificum creabantur, benedicebantur &c. Adeoque sic mediatè nonnisi, descendebant & traxerunt originem à S. Jacobo Fratre Domini, veluti immediato dictorum Canonicorum Institutore, qui curam Spiritualem in Hierosolymitanis sacris locis, & in Ecclesia S. Resurrectionis ad S. Sepulchrum & alibi exercebant. Ordo vero Equestris penes assistentiam S. Sepulchro, & aliis locis sacris, præsidium militare tenebat, & prælia fortissima cum infidelibus gerebat. Falluntur itaque plurimi authores, qui confundunt, vel miscent simul, Canonicorum Regularium Custodum Sanctissimi Sepulchri spiritualem statum, cum Equestri, vel eum in eundem transformant & commutant Ordinem, cum tamen diversum fuisse, licet ejusdem tituli S. Sepulchri.



§. Ultimus.

Sepulchrum Christi gloriosum, ex sui hucusque conservatione.

Nobilitas summa rei est, diuturna ejus, præsertim inter calamitates & graves persecutiones, intaminata, illæsa conservatio. Spectantium ad supremam gloriam signum, rerum adversarum stabilis tolerantia, in iisque nullus pertimescendus casus. Annulus vel gemma, è mediis flammis erepta, sive incolumis conservata, pluris & magis amatur, æstimatur. Hic honor est quàm maximè tumuli Christi, tot in periculis salvi. Ubi palatia ingentia, turres conspicuæ, propugnacula munitissima, imò Urbs tota fortissima Jerusalem, funditus diruitur, nec uno lapide super lapidem remanente; Sepulchrum Christi suâ gloriâ, suoque esse stetit, statque immotè, imperturbabiliter. *Gloria semper erat Tumuli, semperque manebit.* Nonnè magis amandum, æstimandum? vel inde satis gloriosum prædicandum? Attribuunt hanc gloriam, sive eam ex præfato textu inferunt, titulo perpetuæ suæ conservationis, Doctissimi Authores. Reverendissimus Hieronymus Povodovius, Canonicus Cathedralis Cracoviensis & Archipresbyter, tali discursu: *Atqui perennis ad nostra usque tempora experientia istud magis confirmat, quando sub arctiori quantumvis custodiâ Mahumetanorum, præcipuorum Christiani Nominis inimicorum, Sepulchrum tamen Christi, juxta prædictionem Isaiæ, manet hucusque gloriosum in tantum, ut sub illorum increduliâ quamvis tutelâ, majoris orbis terrarum, tum securitati, tum venerationi conservetur, quàm si fortasse sub ambitiosa & contentiosa, possessione Christianorum teneretur.* David à Mauden, Jurisconsultus ac Theologus, Ecclesiæ Bredanæ Decanus, Discursu 46. fol. 240. *Gloria Sepulchri, inter alia, in eo sita est, quia multis sæculis etiamnum, ad Sepulchrum Domini, licet inter medios Turcas situm, celeberrima est fidelium ex toto orbe peregrinatio, nec Turca, licet infensus Christianis, unquam illud evertere ausus est &c.* Bonifacius Stephanus Ragusinus, Stagni Episcopus: *Et quod magis mireris, licet Turci Maurique Christum nequaquam mortuum credant, quippe quem immortalem esse affirmant; nihilominus tamen Sepulchrum ejus, mortis & immortalitatis indubitatum*

In Christolog. Serm. 5. de Pasch. cap. 9.

De Perenn. cult. Terr. Sanct. fol. 185.

tatum testimonium, in Urbe hac, quam omnes Mahometi, religionis ergo frequentant, à tot jam sæculis intactum reliquerunt, atque etiamnum relinquunt. Neque enim hactenus quispiam fuit, qui illius eversionem unquam tentaverit. Quod Divini sanè Numinis nutu, fieri existimandum est, scilicet, ut perpetuò locum habeat insigne illud Isaiæ vaticinium : Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Jacobus Tyrini recentissimus Commentator, super dicta verba Isaiæ dicit : *Porro materiale Christi Sepulchrum, fuisse gloriosum, & etiamnum esse constat. Quæ gloria ad hoc usque tempus, etiam in media Turcarum barbarie continuatur, & perpetuo peregrinorum, eò undique tendentium concursu, non parum augetur.* Ampliatio gloriæ Sepulchri Christi, eò protracta est ab Isaia, ut in præfato textu perpetuitatem, continuam ejus honoris durationem, pro ratione virtuali assignaret.

Non defuisse arbitror, instigante diabolo, multos Paganorum & Infidelium vafros conatus, quibus illud evertere intendebant; S. Bernardo, Epist. 426. ad Comitem & Barones Britanniæ attestante: *Præcipue autem illud Christianæ religionis insigne, Sepulchrum inquam, in quo sepultus est Dominus majestatis, ubi facies ejus sudario ligata est, omni nisu nituntur evertere.* Idem in Epistol. ad Maifredum Episcopum Ecclesiæ Brixiensis : *Proh dolor! ad ipsum præcipuum Christianæ religionis Sacrarium, divitias salutis inhiant ore sacrilego, & radicitus conantur evellere, & dissipare lectum, in quo propter nos Dominus majestatis, obdormivit in Domino.* Verùm semper erant irriti eorum assultus, obsistente Divinâ Omnipotentiâ; nequaquam illud evertere potuerunt. Quod ipsum probo inductione multarum ætatum, & nonnulla serie annorum.

Primas itaque vires in hunc locum sacrum, & sibi nimis odiosum, exercuit Diabolus, qui nihil intentatum reliquit, quod suis participibus Judæis, ad illius oblivionem non subornaret. Hanc meticulam gentem, suo suppeditato debili auxilio, potentissimam jussit aggredi petram. Varia igitur post Christi Ascensionem concessit arma, in tumuli ejus demolitionem; nunc stercora, tanquam sordidæ genti; nunc lapides; tanquam duræ cervicis & cordis populo; nunc delubra; deluso & prophano Gentilium generi. Verùm his omnibus abominationibus, oppresserunt tantisper abominabiles populi, non suppresserunt gloriam Sepulchri. Sanctiori curâ ac indagine, Orbis Principes Christianissimi Constanti-

ſtantinus & Helena, in altum honoris ſibi competentis, tumulum Chriſti extulerunt. Locô Sepulchri Chriſti detectô, has inimicorum fraudes & ſimulacra, profundiùs ipſo orco ſepelivere, & altisſimæ famæ ſacrarium condiderunt, de hoc ſatis dictum: ſub titulo gloriæ ex ratione *Inventionis*.

Temporibus funeſtæ cladis Hieroſolymitanæ, per Chosróam Perſarum Regem illatæ, quamvis multi Chriſtiani, per manus Judæorum fuerunt cæſi, & à Perſis, Saracenisque veneranda loca ſancta vaſtata; tamen Sepulchrum Chriſti, manſit integrum. S. Antoninus Archiepiscopus Florentinus, in ſummario Voluminis ſecundi Hiſtorial. Titul. 9. Capitul. 4. §. 2. fol. 110. *Chosròë, unà cum Patriarcha ſuo Zacharia, pretioſum lignum Crucis, quod Helena Sancta, Conſtantini Mater illi dimiſerat, aſportavit ſecum in Perſidem: Sepulchrum autem Domini, nunquam intrare aut violare, Divina virtute permiſſus eſt.* Idem in terminis & Suffridus Misnenſis, in Chronicis de anno 612. *Chosròës Rex Perſarum Hieruſalem veniens, à Sepulchro Domini territus rediit.* In Chronico Alexandrino dicitur, eo tempore incenſum eſſe Dominicum Sepulchrum, hoc intelligi debet de Eccleſia S. Sepulchri.

Secunda perſecutione, ſub Principe Arabum, & Saracenorum Homar, anno 636. dum terra ſancta hoſtiliter invaderetur & caperetur, quamvis Eccleſiam Reſurrectionis multùm vaſtarunt, intactum tamen Sepulchrum Chriſti reliquerunt. Coſmas Magalianus Bracharenſis in Joſue 2da part. fol. 5. Adrianus Lyræus libr. 7. cap. 3. ſtetiſſe Sanctum Sepulchrum affirmat, eô tempore, non tam ſpe lucri, quod Infidelibus proveniebat, à peregrinis Chriſtianis venientibus ad illud adorandum; ſed potiùs Providentiâ Divinâ; licetſi enim Barbari illi Arabes & Saraceni, illud demolire intendebant, divinitùs tamen prohibiti fuerunt.

Annô 812. Iidem Arabes, Hieroſolymam poſſidentes, multas contumelias in Chriſtianos exercebant, & magna & odibilia crimina perpetrabant, Eccleſias Calvariæ & S. Sepulchri profanantes; Sepulchro tamen Chriſti, (ait Baronius hoc anno) injicere manus, non ſunt auſi.

Annô 969. Dum Saraceni Joannem, Archiepiſcopum Hieroſolymitanum, vivum combuſſerunt, & pulcherrimum Dominicæ Sepulturæ Templum incenderunt; putantes, quod monitis dicti

Curopalates apud Baron. Tom. 10. fol. 813.

dicti Episcopi, Nicephorus Phoca Imperator, magnam stragem Saracenis intulerit; in ipsum tamen Sepulchrum Domini, furorem suum extendere, nequaquam valuerunt. Claverus in Epist. Histor. fol. 479.

☞ Annô 1003. Invidus diabolus, tantæ gloriæ Sepulchri Christi, habitæ penes illum locum, adhibita suorum sequacium ope, nitebatur, quantum de se, illud evertere; prout docent literæ Ecclesiæ Hierosolymitanæ, ad Silvestrum II. Pontificem Maximum, hoc contextu: *Sed cum Propheta dixerit:* Erit Sepulchrum ejus gloriosum, *Paganis loca subvertentibus, tentat diabolus reddere ingloriosum.* Sed non est consilium adversùs Dominum, & adversùs Christum, Sepulchrumque ejus, ubi semel victus est, semper prostratus jacet. Ubi exurrexit Deus, dissipati inimici ejus & fugerunt, qui oderunt eum, à facie ejus. Baronius Tom. 11. fol. 15.

Annô 1009. Sub Sergio IV. Papa, rursus diabolus per Judæorum gentem, cœpit subdola nequitiæ suæ, in Sepulchrum Christi concitare arma. Cùm enim eum non lateret, quòd ingens multitudo fidelium, de toto orbe, ad insigne illud memoriale Dominicum, Sepulchrum videlicet, adorandum pergeret, quæ relictô dæmonis servitiô, Christo ejusque mandatis se militare spopondit, cernens tot conversiones Infidelium, peccatorum emendationes, è faucibus fermè inferni ereptam sibi prædam; multopere allaborabat, ususque est etiam occultis venenis, quibus illum innocentissimum locum inficeret. Eligit itaque medium, perversum Judæorum consilium, ipse consiliarius iniquus; subordinatur gyrovagus quidam, ad Principem Babyloniæ cum Hebraicis characteribus scriptis, baculo insertis, plenis dolo, ut quàm celeriùs, *Domus Christianorum venerabilis*, id est Ecclesia, quæ Sepulchrum Domini, ac Salvatoris Nostri continebat, everteretur; & ni hoc faceret, sciret se à Christianis, & Regnô & vitâ privari. Promptior iniquissimis suggestionibus, quàm sanctis piisque incitamentis, correspondere solet eventus. Per mandatum Hakemi, Basilica Sepulchri Domini diruitur, multæ cædes exercentur in Clerum & Christianos. Verùm non hic finis, tanto sceleri. Feruntur & aptantur manus in Monumentum Christi; *Ipsum quoque concavum Sepulchri tumulum ferri ruditibus quassare tentant*; Proh dolor! *minimè tamen valuerunt. Fertur enim crebrò illuc eos ingredi cupientes, raptim cæcitatem pertulisse.* Sive juxta Baronium in Anal. Rudolphus Glabrus libr. 3. cap. 7. num. 40. fol. 31.

nal. Eccl. eodem anno: *Ipsum concavum Sepulchri tumulum, nullo conatu quassare valuerunt.* Non diu exultavit scelus in attentatis; dum Seplchrum Christi conquassari volunt, conquassavit in terra multorum capita, qui ejus defensor est. Nam & tentator diabolus, & author sceleris igni traditus, & Judæi funditùs expulsi à Christianorum terris, & Saracenorum multitudo, hac de causa, fame & gladio periit. Et videntes signa & prodigia, quæ in defensionem loci illius fiebant, Ecclesiam S. Sepulchri reædificare permiserunt Christianis; quamvis dicat Ademarus, non fuisse ampliùs similem priori pulchritudine, quam S. Helena, regali sumptu perfecerat.

Ignatius Amat. de Graveson Hist. Eccl. Tom. 4. fol. 22.

Annó 1031. Azizius Ægpytius, furore correptus, cùm nihil in Sanctum Sepulchrum, sua rabie, quidquam potuisset efficere, externam aggreditur Templi Domini Nostri JESU Christi faciem, illud destrui imperans: Sed quid factum? Curopalata subjungit: *Ipse quoque turpissimè vitam finivit.* Hæc est pœna iniquorum aggressorum S. Sepulchri, ejusque Ecclesiæ.

Annó 1105. In illo æstu belli Sancti Sepulchri, diræ maledictiones & improperia hostium, fuerunt jacta in Christi tumulum, quibus machinabantur & spoponderunt diruturos se, reverendum omnibus locum illum. Admiravisius Babyloniæ iniquus præsumptor, Urbem Hierosolymam sperabat delere, & memoriam Domini Sepulchri funditùs abolere, in hæc plena dementiæ verba prorupit: *O Jerusalem Civitas seductrix & adultera! Si ullo tempore contingeret, ut in manus nostras devenires, totam te solo coæquarem, & sepulti tui Sepulchrum, funditùs exterminarem.* Insuper idem Admiravisius, Principi suæ militiæ Semelmucho mandatum dedit, ut captâ Hierusalem, & exterminata gente Christianorum, etiam Sacratissimum illud Monumentum Christi, scelestis manibus effoderet, & minuatim dispergeret; hanc in illo mandato, apponens pessimam ordinationem; *ne ultrà, amore Sepulchri, conveniant illuc de Occidentalibus Regnis Cultores Sepulti.* Vide hìc quàm molestè pungat diabolum amor Sepulchri, cultusque in illo loco Christi Sepulti; quàm anxiè toleret ad loca sacra peregrinationem. Continua tamen protunc, in Fidelium cordibus ac lingvis, erat ad Deum expostulatio, ut locum illum, pro gloria Nominis sui, conservaret. Prout Cives Joppenses, ad Tancredum Antiochiæ Princi-

Principem, miserunt schedulam, quæ inter alia, hoc scriptum continebat: *Quinimò, si de nobis tibi cura est, tamen miserere Sepulchro Domini Creatoris tui, miserere civitati Jerusalem, ne patiaris eam ab Infidelibus occupari.* Stetit igitur Deus, ubi actum est de conservatione S. Sepulchri, nec ventum est ad intentatam perniciem.

Annô 1187. Saladinus sanctam civitatem, & Sepulchrum Domini obsedit, jurans, quòd ipsum frustratim comminuet, & ejus minutias in profundum maris projiciet; relatio hæc patet ex Epistola Haymerici, Patriarchæ Antiocheni, ad Henricum Anglorum Regem: Qui nuncius corda fidelium, nimis perstrinxit; in eadem Epistola scribitur: *Panem nostrum cum lachrymis manducamus, & turbamur terrore horribili, ne Sepulchrum Dominicum exteris tradatur nationibus.* Verum tamen testatur S. Antoninus in summar. 2di Volum. part. Historial. *Ecclesiam S. Resurrectionis, multô aurô redemerunt Surriani, ne pater & gentibus, & sordibus subjaceret.* Franciscus Haræus de Principibus Brabantiæ, fol. 232. *Christiani, magnô datô pretiô, Sepulchrum Domini cum sua Ecclesia redemerunt.* Neubrigensis testatur de eodem Saladino, quòd Sepulchri Dominici aliquantulam reverentiam habuit; & omni quidem aureo vel argenteo ornatu sublato, syros illius terræ indigenas Christianos, custodire præcepit. De Turcis scripsit Aquensis, quòd *Turcæ soli Dominici Sepulchri Templo, parcebant.*

Baron. Tom. 12. fol. 982.

Titulo 17. Cap. 9. fol. 237.

Histor. Hierosol. Libr. 6. cap. 25.

Annô 1219. Capta Jerusalem à Coradino, filio Saphadini, exoritur & in Monumentum Domini, sæva persecutio. Inquit enim Oliverius Scholasticus Coloniensis: *De Sepulchro enim glorioso destruendo, consilium habuerant Saraceni. Sed huic temeritati, nemo præsumpsit manus apponere, propter loci reverentiam.* Id ipsum confirmat in terminis Sanutus Torsellus, Fidel. Cruc. part. II. libr. 3. cap. 7. Abrahamus Bzovius, sub eodem anno, fol. 267. *Coradinus Hierosolymæ magnificentiora ædificia & monumenta diruit, præter turrim Davidis, sacro etiam Sepulchro pepercit.* Archiepiscopus Tyrensis, in continuatione belli sacri, libr. 3. cap. 5. fol. 99. *Coradinus sacro quoque pepercit Sepulchro Domini, à quo diruendo manus abstinuit, ut alii volunt religione Numinis; quidam dicunt inhibentium & supplicantium Christianorum Civium gratiâ.*

Annô 1229. Quamvis multas regiones Palæstinæ, Friderico Imperatori Sultanus, per derogantes multùm & improbas conditiones

tiones ei dedisset; tamen quod Sanctissimum ipse Sultanus sciebat, scilicet Domini Deique Sepulchrum sibi retinuit, quod quamvis Mahometanis ritibus fœdavit; tamen in suo esse stabile conservavit. Abrahamus Bzovius sub eodem anno fol. 370.

Annô 1245. Gens quædam Saracena Chorasminorum, sive Choresinorum, omnium Saracenorum nequitiam superans, qui licet terram Christianorum sæpius occupassent, loca sancta, utcunque veneranter conservabant; hæc tamen omni turpitudine, quantum in se fuerat, loca sancta fœdavit. Columnas, quæ ante Sepulchrum Domini erant, ad decorem positæ, sustulerunt, illas in Christianorum contumeliam, ad Sepulchrum sceleratissimi Mahometis, in signum victoriæ transmittentes. Super hac clade Soldanus in literis ad Innocentium Papam se excusat, Sepulchrum Domini inscio violatum fuisse, ac dolet tantum flagitium perpetratum, illique instaurando daturum operam pollicetur, claves illius fidissimis viris tradidisse, his scribens verbis: *Et in eò, quod innuit in custodia & reverentia Ecclesiæ Resurrectionis & Sacri Sepulchri, quidquid accidit in hac parte, in deturpatione, seu contaminatione ejusdem, non accidit ex sua conscientia, nec in sua præsentia; sed incursus exercituum singularium, ante suum adventum, attentaverunt ipsa opera sangvinolenta.* Quod scelus Deus adeo punivit, ut annô 1247. de sub cælo nomen eorum penitus deleretur. Ipsam tamen rupem Sepulchri Domini demoliri, & vi frangere, non sunt aggressi.

Annô 1403. Tamerlanes vinctum trahens Bajazetem, in cavea inclusum, excidendi etiam Sepulchrum Christi Domini, impia cupiditate arctus, Hierosolymam fervens procurrebat; maximo enim religionis Christianæ, penitus delendæ desiderio arsisse visus. Ast Divina potentia, non numerosas Christianorum in illum phalanges effudit, sed bruchorum exercitum, contra superbum sævumque barbarum, decies centenis Tartarorum millibus succinctum immisit. *Volens* (inquit Theodoricus, libr. 2. cap. 30.) *etiam vi capere tunc temporis Hierusalem, impediebatur per bruchos, qui ejus exercitum adeo vexarunt, quòd versùs eandem Civitatem, ulteriùs ire non potuit.*

Annô 1505. Sultanus Ægyptius, minaces literas ad Summum Pontificem Julium II. dedit, in quibus excidium Hierosolymitani Sepul-

Sepulchri, cum ignominia religionis Chriſtianæ, minitatur. Exemplum harum Epiſtolarum Julius II. ad Emmanuelem, Regem Luſitaniæ miſit, qui ad hoc punctum, talem ſententiam dedit: *In quo verò nomini Chriſtiano cædem, Chriſti Sepulchro everſionem minitatur; non eſt, cur quiſpiam meritò, poſſit inania verborum portenta metuere. Nec enim hoſtis avarus, vectigalia ſua, quæ Chriſtianorum religione amplificari cernit, exciſione Sanctiſſimi Sepulchri, & aliorum locorum, quæ frequentari à Chriſtianis, cum magno illius commodo videt; imminui, patietur.* Hieronymus Oſorius, Epiſcopus Silvenſis, de eodem Rege libr. 4. fol. 124.

Anno 1599. Cum quidam homo, ſuperſtitionis Mahometanæ, Conſtantinopolim perveniret, & Baſſarum, aliosque Turciæ gentis proceres, certa aſſeveratione & rationibus, ad ſpeciem oretenus incitaſſet, quód niſi JESU Chriſti Sepulchrum Chriſtianis adimeretur, nunquam de Chriſtianis, Turcos victoriam relaturos. Neque ob aliam cauſam Rudolphum Cæſarem vincere, niſi quod crebra donaria ad eum locum deferri curaret, & nuper argenteis candelabris, ſumma arte elaboratis, eò transmiſsis. Id cum Mahometo III. Turcarum Imperatori delatum eſſet juſsit dona aſportari, amoverique Chriſtianos Religioſos, ab illo loco. Verùm cum Legati Franciæ Regis, & Reipublicæ Venetæ, graviter hac in re admonuerunt Imperatorem, ut deſiſtat à propoſito, alioquin omnes Principes Chriſtianos, exarſuros in Othomanos, quibus ſummo ſemper honori, ac venerationi ſacrum illud Monumentum exiſtit: Præceptum illud ſacrilegum revocavit; & ne quid in poſterum fieret Sancto Sepulchro, ſeriò prohibuit.

Spondanus Epiſc. Narbonenſis.

Annô 1606. Conſtat ex Epiſtola Petri Ayroldi Marvellini, data eodem anno. Metemes Turcarum Rex Tyrannus, acriter edixerat, ut Chriſti Servatoris Noſtri Sepulchrum, in ſancta civitate, funditùs demoliretur; & ille locus prorſus obrueretur, & nequaquam ullo tempore, id inſtaurari posſit, juſsit Turcicum ſuum Fanum ſeu Moſcheam, magno ſumptu ſuperædificare. Rumor hic ingentem in omnibus Chriſtianis mœrorem cauſavit, corruebat enim cum illo Sanctisſimo Sepulchro, tota Chriſtiani nominis exiſtimatio. Tentare voluerunt apud Tyrannum Legati Regum, ſed ne quid intentatum auderent, à tam impio homine pertimeſcebant. Suſcepit hoc patrocinium Legatus Venetus, Hieronymus

Wannozius in Miſcellan. Epiſt. pag. 498.

Capelli; Summum Præfectum, nempe primum Veizirum adit, summa eloquentia & svavitate, & terrore perorat, verbisque suis ornatis, divinis gratiis, effecit, ut edictum illud revocaverit Imperator, & altero edicto, magnis propositis pœnis cavit, S. Sepulchro Domini Nostri JESU Christi, ne quis in posterum, de eo demoliendo verba faceret.

En tibi benevole lector, collectam in epitomen annorum seriem; in qua patet, quales persecutiones Sepulchrum Christi sustinuit, perpessum probra, comminationes, ut tot tantisque adversis, virtus Sepulchri Christi gloriæ probaretur. Quæ eò honorificentiùs processit, quò tantis malis ingruentibus, inconcussa hucusque subsistit. Conservatio & integritas Monumenti, tota dependet à fundamenti soliditate, nempe lapide Christo JESU, in quo principaliter stabilitur. Terribilis hæc divina rupes, ut castrorum acies ordinata; (Sepulchrum enim Christi, castrum munitum vocat, Hugo Cardinalis in Cap. 28. Matthæi fol. 89. Supremis illis Legionibus & Custodibus stipata, mille clypei pendent ex ea, nempe merita Passionis & Mortis Christi, mysteria hac potentissima, quibus se protegit, ac suam tuetur immunitatem, omnis armatura fortium; quò ergo nec nimium audax conflictu, impetere quispiam præsumet tantum propugnaculum? Ignorastis capti oculis, & mente excœcati tenebriones, Dominum exercituum, tam potens destinasse Monumento suo præsidium; propterea cœco impetu conati estis irruere, ac veluti ligonem armastis contra solem, tela adversùs Christum, & adversùs Monumentum ejus jecistis, quæ retorta in vestrum ictum, perpetuumque superbæ aggressionis dedecus transierunt; gloriam tamen Monumenti Christi, ejusque stabilitatem, minimè sauciastis. Quis enim contra illud? Si consistant adversùs illud castra, non timebit; quia Dominus fortitudo & protectio ejus. Si exurgant prælia? in hoc confidit; quia non dabit Sanctum suum Sepulchrum, videre destructionem. *O verè, gloriosum Sepulchrum, de quo prophetico Isaias prædixit oraculo!* (exclamat Angelus Paciuchellius) *ad te enim per omnem sæculorum ambitum, suis evoluti sedibus, confluent fideles, nunquam destrueris, tametsi Infidelium subdaris ditioni.*

Discurs. Moral. 14. de Sepult. Redempt. fol. 607.

Ad eum planè modum discurrunt, & tradunt plurimi Authores, de Ecclesia S. Resurrectionis, erecta à Constantino & Helena,

na, quòd & hæc non sit destructa, sed hucusque permaneat. In magno Theatro vitæ humanæ Bejerlink, Tom. 6. fol. 183. Colum. 1. litera B. habetur: *Qui tamen hoc tempore, patrumque & avorum memoriâ, aditis Hierosolymis, Hodæporica evulgarunt, pro indubitato tradere videntur Templum, quod hodie in loco Dominici Sepulchri extructum cernitur, non esse aliud, quam illud olim ab Helena Regina exædificatum.* Wilielmus Malmesburiensis, de reb. Angl. libr. 4. fol. 140. num. 40. *Ibi* (id est Hierosolymis) *decenti opere compacta Ecclesia S. Sepulchri capax, à Constantino Magno ædificata, nullam unquam ab inimicis fidei tulit injuriam, metu, sicut conjicio, pro igne cælesti perculsis, qui quotannis in Vigilia Paschæ, lampadibus serenus infulget.* Licet si enim plurimi, sicut & suprà citati, Authores testentur, quòd Ecclesia S. Sepulchri fuerit incensa, spoliata ornatu, in externis ædificiis circumappositis ruinata, non tamen est funditus diruta; ita sentit & explicat dictam relationem Authorum Conradus Hietling, non pridem in libro edito, sub titulo: Peregrinus affectuosus per terram sanctam, Manuduct. 10. libr. 2. fol. 167. *Negat tamen Quaresmius, unquam destructum fuisse integrè Templum Sanctissimum Resurrectionis, sed multum demolitum, quantùm ad ornatum, quod destructio vocari potest. Itaque ipsissimum Templum est hodie, quod à Constantino, & piissima Matre ejus Helena, primitùs ædificatum fuit, post decem annos absolutum.* Vicellius in Postilla in Pass. Dom. fol. 321. *Nullum itaque Mausoleum, tantâ invenies reverentiâ cohonestatum. Est quidem iterum atque iterum unà cum Urbe ædificium, quod supra Monumentum erat ædificatum, dirutum; sed semper restauratum sic, ut posteriùs priorum gloriam superaret.* Conclusit Deus ora ferocium bestiarum, quibus clamabant: tolle, tolle Sepulchrum Christi, & non nocuerunt quidquam illi. Gratias age tota Christianitas Omnipotentiæ Divinæ, pro peculiari beneficio, perennitatis S. Sepulchri.

Sed ne quis objiciat, sive percunctari velit, utrumne usque ad hæc tempora, eo in loco persistat Monumentum Christi? Hoc indubitatum & certissimum habeat. Id enim patet ex supra allatis Doctoribus, etiam recentiorum allegatione, qui cum his additamentis: *ad hæc usque tempora; in perpetuum; etiamnum; perenniter &c.* gloriam Sepulchri Christi conservari firmiter affirmant; hancque propositionem pro verissima habent & ponunt: *Sepul-*

Sepulchrum Christi verè adhuc extat, & non sine magna commotione, devotione, videri potest. Novissimè edito Tractatu, de Vita & Mysteriis Christi, Ignatius de Graveson, Ord. Prædicat. Tom. 2. fol. 139. consultam tradit quæstionem, his terminis: *Utrum extet etiamnum Sepulchrum Christi?* & respondet affirmativè, dicens: *Etiamnum extare Sepulchrum Christi Domini, quod gloriosum fore, & ab omnibus, in summo honore habitum prædixit Cap. 11. Isaias:* Et erit Sepulchrum ejus gloriosum. Ad finem subjungens, Sangvineis lachrymis deplorandum esset, quod multis ab hinc sæculis, terra sancta & Sepulchrum Domini, in manibus & sub jugo Infidelium manet.

Causæ autem, cur Deus tam diuturnè, per specialem præstitam assistentiam, conservet, & conservari velit Monumentum suum, possunt plurimæ assignari. Prima, quia talis conservatio est signum Divinitatis Christi; tum ex eo, quod faciat devenire in cognitionem, hoc Monumentum tam diu durans; debere fuisse non puri hominis, sed simul Dei Hominis, qui tantas confregit vires hostium, tendentes in pernitiem & abolitionem illius; tum quia significat infinitam potentiam Christi, cujus exercitium actuale demonstratur, in prædicto effectu perpetuitatis Sepulchri sui. Ita Cajetanus, Commentar. in Matth. Cap. 27. fol. mihi 127. ex textu Isaiæ, gloriosam dicens memoriam Sepulchri Christi, subdit: *Verè gloriosum perseverat, etiam sub potestate Infidelium, plusquam Sepulchrum cujuslibet alterius, inter tot devastationes, & mutationes, in testimonium Divinitatis JESU.* Conservatio Monumenti tam diuturna, est speciale Omnipotentiæ Divinæ Christi, opus. *Singulari Divinæ Providentiæ adscribendum esse videtur* (inquit Povodovius Canonicus Cracoviensis) *quòd post excidium & dispersionem gentis illius Judaicæ, ipsiusque Urbis & templi, & tot bellicis cladibus ibidem subsecutis, locus Sepulchri, insigni Basilicâ, postea decoratus, hucusque permanserit; & sicut antea Romanis, sic hucusque truculentioribus Saracenis, inviolabilis; imò quoàd protectionem honorabilis, cùm religionis Christianæ circa illum professionis libertate, custodiatur.*

In Christolog. Serm. 4. Part. 2. cap. 11.

Secunda ratio. Cum Christi Monumentum, sit memoriale præcipuum passionis, mortis & Resurrectionis Christi, sit domus sancta, conveniens est, ejus duratio æviterna, juxta illud Psalm. 101. *Memoriale tuum permanet in generationem & generationem.* Et 92. *Domum tuam Domine decet sanctitudo in longitudinem dierum.*

Tertia

Tertia ratio. Quia Christus similem voluit exhibere gratiam Monumento suo, qualem exhibuit Corpori mortuo in illo incluso; nempe quòd sicut illud virtute Divinitatis, à corruptione, putrefactione præservavit in Sepulchro, ita idem Sepulchrum, quod fuerat contentivum ejusdem Corporis, voluit ab omni sua dirutione præservare; Sicut vermes, omneque corrosivum arcendo à Corpore, ita impediendo & deterrendo hostes, à demolienda petra. Ut verificetur duplex intelligentia horum verborum: *Non dabis sanctum tuum* (id est Corpus & Sepulchrum, quod nomine Sancti venit) *videre corruptionem.*

Quarta ratio. Tali conservatione inter Infideles & Schismaticos Monumenti sui, voluit Christus ingerere mentibus eorum, suam mortem & passionem fuisse & pro illis, modò ipsimet illam sibi applicare per media salutaria velint. Unde illis continuò monstrat, loca sua evidentissima, & ab Infidelibus innegabilia, exhibens palam veritatem suæ passionis, & in loco Sepulturæ, suæ resurrectionis; circumcirca adjacentibus reprobis.

Quinta ratio. Perennitas Monumenti Christi, Nomen ejus perenne celebrat. Hæc enim verba Isaiæ: *Et erit Sepulchrum ejus gloriosum*; in Breviario Rom. Dom. 3. Advent. in Responsorio Lect. II. Noct. 3. leguntur: *Et erit Nomen ejus gloriosum.* Quia verò Nomen Domini permanet in omni generatione & generatione, memoria & laus ejusdem Nominis JESU inter Paganos debet glorificari in Sepulchro, in omnem generationem persistente. Quilibet ex parte sua peregrinus & advena dicens: *Laudabo nomen tuum assidue, & collaudabo illud in confessione*, id est in Sepulchro tuo. Sepulchrum enim vocari confessionem, constat ex Vitis Sanctorum Patrum, in quibus legitur: *hic Sanctus Sepultus est in confessione* seu, quod idem est, *in Sepulchro*; observat Henricus Spondanus in Cæmet. Sacr. Cornel. à Lapide in Isaiæ Proph. cap. 11.

Sexta ratio. Sepulchrum Christi est locus beatitudinis, tum objectivæ essentialis, quia ibi fuit Deus Homo sepultus, qui est objectum essentiale beatitudinis nostræ; tum accidentalis, quia ibi dotibus gloriosis, Humanitas Christi est glorificata. Locus summæ pacis & quietis; propterea debet esse imperturbabilis, perpetuus, stabilis.

Septima ratio. Ut tali conservatione, damnentur continuò errores Hæreticorum, negantium sacris reliquiis debitam exhiberi venerationem, peregrinationes ad loca sacra nequaquam admittentes. Ecce Deus locum suæ Resurrectionis, in terris vult semper permanere, ut illi fiat honor, cultus, & ad quem visitandum, venerandum, non interruptis accedant temporibus amantes Christiani.

Libr. 4. Orthodox. Fid. Cap. 12.

Octava ratio. Juxta S. Damascenum, *Comes Crucis est Resurrectio.* Comes sit Crucis & sequatur Crucem, in hac virtute & Resurrectio, id est Sepulchrum Christi. Sicut Crux nunquam est putrefacta, & hucusque & ad finem mundi conservabitur; ita identidem & Sepulchrum Christi, in reverentia suæ dignitatis permaneat.

Nona ratio. Ut per retentionem integritatis Monumenti, testimonium perhibeatur veritati Resurrectionis Christi, & sic convincatur Judæorum scandalosa stultitia. Testimonia convictiva Judæorum de vera Christi resurrectione ex Sepulchro, hæc fuere: Sigillum impressum intactum; lapis infractus; ferramenta incorrupta, nec dissecta; rupes nativa, in qua nulla fissura, vel rimula apparuit. Quarum integritates rerum, potissimùm quòàd oculum Judæorum probabant, Christum resurrexisse. Tantæ confirmationi accedit integritas Monumenti Christi, quæ veram resurrectionem Christi, demonstrabit usque ad omnium resurrectionem corporum, id est, usque ad ultimum diem sæculorum, quod ipsum magnam arguit loci excellentiam.

Decima tandem sit ratio, conformiter ad Doctores, cur Deus tamdiu conservet & conservabit Sepulchrum suum? nempe ad remonstrandam, & æternum firmandam veritatem prædictionis Isaiæ hujus: *Erit Sepulchrum ejus gloriosum*, ut gloria Sepulchri Christi, ad futura usque tempora semper se extendat.

De qua per istas ampliationes temporum, tribus his libris, amplè me egisse existimo. Utinam tamen, ampliùs & ampliùs liceat dicere, & ejus gloriam majorem indicatis à principio modis, libeat promovere. Utinam totus mundus, ejus deprædicet honorem, eo in loco Christum confitendo, & venerando. Dignus est tam Sacrosanctus locus omnium præconiis, laudibus extolli, in quem Joseph, Verbum deponens à Passiva Cruce, ad sui encomium

mium declinavit. Meretur omnium colla, cujus profundum, ab inclinato Capite Christi, dignum fuerat tangi. Dicant, quantum valent, universæ lingvæ; exprimant, quantum possunt, cunctæ literæ; gloriosum semper esse Sepulchrum Christi. De ejus honore non est parcè dicendum, amplas meretur panegyres, conticescente omni sono, à quiescente in silentio Deo. *De Sepulchro autem Domini* (ait Dubliulius) *quod gloriosum fore Propheta prædixit, tacere meliùs est, quàm parùm dicere.* Prolixa dicta hìc à me, modica tamen adhuc; propterea quæ parum dixi, pro gloria Sepulchri Christi, veluti tacui, & Tacitus fui in ejus laude, vel Anagrammaticè citatus; aliorum citavi potiùs dicta, pauca de meis. Sufficiant pro multis. Vincit officium lingvæ, magnitudo dignitatis. *O Sepulchrum admirabile!* (exclamat Angelus Paciuchelli) *O theatrum immensæ gloriæ! quis unquam sat dignè, tua recensere poterit sublimia encomia? quæ etiam Angelica lingva de te disserere convenienter poterit?* Tanta sunt elogia Sepulchri Christi, ut vix referri, & enarrari queant. *Illud autem Christi Nostri Sepulchrum, quod ab ardente Propheta dicitur gloriosum, quô vobis sermone describam? Dies me citius, quàm oratio deficeret, si omnes aut Sepulchri, aut Sepulti laudes, enumerare conarer.*

Hædopor. lib. 1. fol. 15.

In Jon. Proph. lect. 32. §. 7. num. 24. fol. 57. ad fin.

Dubliulius libr. 4. fol. 166.

Si adhuc minùs convenienter locutum est, pro prædicta ab Isaia & deducta gloria S. Sepulchri, hoc mihi semper in faciem objiciatur, quod frequenter sibi commemorari jussit S. Joannes Patriarcha Alexandrinus; qui dum adhuc viveret, Sepulchrum sibi mandavit construi, quod tamen perfici omnino non permisit; sed servis & sociis suis imperavit, ut per singulos dies, ei imperfectum Sepulchrum, ad memoriam revocarent, & ut perfici curaret; admonerent his verbis: Domine, Monumentum tuum imperfectum est, præcipe ergo, ut consummetur! hoc autem faciebat, ut semper mortem & Sepulchrum, in recenti memoria haberet. Pariter ego dum Sepulchrum Christi gloriosum, variis construere curavi elogiis, tamen nondùm perfectè & completè, ut decuit, ejus extuli dignitatem, & opus tantum, ut debui, perfeci, eô etiam fine, ut amici & confratres mei, singulis diebus mihi inculcarent, ex parte operis mei, imperfectum adhuc esse Sepulchrum, admonentes his verbis: Domine, Sepulchrum hoc, à te titulis gloriosis elaboratum, imperfectum est, nempe indiget

Leontius in Vita ejus apud Surium.

adhuc majori ad sui decorem perfectione vitæ, laudibus, orationibus, cultu, & cæteris sibi debitis & convenientibus ornamentis. Præcipe ergo ut consummetur, suæ gloriæ majori auctione, extensione, propagatione, ut per hoc recolatur semper mors & Christi Sepultura. Domine Deus, qui das non solùm esse, sed etiam perficere, Tu ipse Sacrosanctum] Sepulchrum perfice in augmento gloriæ, ut è manibus Infidelium ereptum, locupletiori omnium Christianorum celebretur amore & veneratione. Excita in illis, per singulos dies, hos commemorationis motus, quòd in eorum corde & mente imperfectum sit Monumentum tuum, quatenus nulla est magis obliterata & inusitata devotio, quàm erga S. Sepulchrum; ut sic frequenter ingeminata, & in memoriam illis reducta hæc imperfectio, illos permoveat ad memoriam Passionis, Mortis, Sepulturæ ac Resurrectionis tuæ & usque nunc veneranda ipsius loci sanctitas, saltim in cordibus & memoria perseveret. Quidquid hic imperfecti est, in hoc tuo Christe Monumento; corrige, emenda, adimple, & consummatum de integro, Tuæ gloriæ redde.

Subserviant quoque dicta & scripta hæc, tum ut honor inviolatus Sepulchri Christi, ab obligatis Canonicis ejus tituli, amplissimum habeat argumentum; inde se asseverantes esse beatos, quia & boni operis custodiâ, ministri facti sunt temporales, & ejusdem semper amandi Custodes maneant æterni. Tum quoque ad hostes ejus oppugnandos. Hinc enim videat Lutherus, à se irrationabile prorsus & brutaliter prolatum effatum, adductum in Præfatione, ad finem; videat inquam, quanta sit cura de Monumento Christi; eademne, quæ de bobus vel vaccis Helveticis? ut hic hirsutus bos, sive Hollandica vacca, mugire ausa est? Monumentum Christi, in tot gloriosissimis sacræ scripturæ titulis & nominibus præfiguratum, oraculis Prophetarum prædictum; itane boves vel vaccæ Helveticæ? Monumentum Christi à B. V. MARIA, à sanctis Angelis, Apostolis, Mulieribus visitatum, in tot mysteriis expressum, in ejus honorem Templa, Capellæ extructæ, tot miraculis illustratum; itane boves & vaccæ Helveticæ? Monumento Christi inclinata sunt Regna; à tot Imperatoribus, Regibus, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus, omni fermè gente, insigni nobilitate & genere, imò & ab ipsis Infidelibus, Schismaticis; acceptum:

ab

ab ipſis Prædicantibus, concepto pietatis ſenſu, venerabundè reveritum æſtimatum, totque præliis & certaminibus famoſisſimis, ejus vindicatus honor; itane boves & vaccæ Helveticæ? Monumentum Chriſti, hucusque conſervatur, durat, viſitatur, colitur, & per retroacta & ſuccedanea tempora, honorabitur à cælo & mundo; itane boves & vaccæ Helveticæ? O ſimiliorem brutis, quam hominibus Lutherum! O incomparabilem etiam beſtiis ſimilitudinem, quæ loca ſacra adoravere! his inſanior Lutherus, cum his comparationem fecit, à quibus exemplum ſumere debuiſſet.

Confundantur itaque omnes, qui iniquè talibus dictis & factis perſequuntur locum illum, omni charitate proſequendum: Sicut eos confutat & confundit Cardinalis Bellarminus dicens: *De Sepulchro Domini legimus Iſaiæ Cap. 11.* In eum (*id eſt in Mesſiam*) gentes ſperabunt, & erit Sepulchrum ejus glorioſum. *Hunc de Sepulchro Domini intelligi certum eſt; tum ex ipſis verbis, tum ex Apoſtolo ad Roman. 15. quod autem non intelligitur ſolum de Sepulchro pro eo tempore, quo Chriſtus ibi jacebat, ſed etiam pro tempore futuro, docet Hieronymus in Epiſtola ad Marcellam, ubi docet Iſaiam prædixiſſe id, quod modo fit, ut Sepulchrum Domini ab omnibus honoraretur. Ex quo refellitur Lutheri blasphemia, qui in libro de abolenda Miſſa dicit: Deo non majorem curam eſſe de Sepulchro Domini, quàm de bobus.* Ad hanc confutationem & confuſionem, aſſumptæ propoſitionis Propheticæ, pro præſenti materia protenſa ampliatio. Ultimato tandem & principalisſime ad maximam Sepulti JESU ejusque Sepulchri, ſine fine, in omni ſtatu temporum, & per totam æternitatem dilatandam gloriam, dicta cedant & ſufficiant.

Non nobis Domine, non nobis, ſed Nomini Tuo (in Sancto SEPULCHRO) da Gloriam.

F I N I S.





PROTESTATIO
AUTHORIS.

Sicut firma fide credo, quòd Sancta Romana Catholica & Apostolica Ecclesia sit infallibilis Interpres & Judex omnium veritatum, in quacunque materia adseribilium, ita quæcunque hic dicta sunt, in his libris quatuor, hæc omnia volo intelligere, juxta sensum ejusdem Sanctæ Apostolicæ Ecclesiæ, illiusque supremo Judicio omnia subjicio.





Index

INDEX AUCTORUM,

Qui in hoc Opere a Doctissimo Auctore ſunt citati.

Bellonus

H.

Haeſtenus.
Hamartolus.
Hamelarius Joannes.
Harpsfeldius.
Haymon Epiſcopus Halberſtadienſis.
Hegeſippus.
Heliot.
Henſchenius.
S. Hieronymus.
Hieronymus de Lanuza.
Hieronymus Natalis Soc. Jeſu.
S. Hilarius.
Hildebertus Epiſcopus Turonenſis.
Hildvinus.
Honorius Auguſtodunenſis.
Hugo Cardinalis.
Hvetius.

I.

Jacobus Edeſſenus.
Jacobus de Vitriaco, S. R. E. Cardinalis.
Jacobus de Voragine.
Jacobus Fabrianenſis.
Jacobus de Valentia.
Jacobus Græcus.
S. Ignatius Martyr.
S. Ildephonſus.
Ildephonſus de Flores.
Ingulphus.
S. Joannes Damaſcenus.
Joannes de Nigra Valle Ordinis Præmonſtratenſis.
Joannes Epiſcopus Hieroſolymitanus.
Joannes de Beka.
Jorgius Thomas S. R. E. Cardinalis.
Joſephus de la Zerda Benedictinus.
Joſephus de bello Judaico.
S. Iſidorus.
Iſidorus a S. Ægidio.
Iſidorus Hiſpalenſis.
Juſtinus Miechovienſis.
Juſtus Orgelitanus Epiſcopus.

K.

Kalckſtein S. T. D.
Kiſelius Fuldenſis.
Kowalicki Societatis JEſu Polonus.

L.

Laurentius Juſtinianus.
Laureti Hieronymus Abbas Benedictinus.
S. Leo Papa.
Leo Auguſtus.
Le Paige Joannes.
Letſelinus.
Lezana.
Lipomanus Aloyſius.
Livius Marineus.
Loartes Gaſpar.
Lorichius Gerardus.
Lorinus.
Lucas Burgenſis.
S. Lucianus Presbyter Antiochenus.

Seve-

INDEX
Rerum & Materiarum,
Quæ in hoc Libro continentur, ordine Alphabetico digestus.

Numerus significat Paginas.

A.

B.

C.

E.

F.

S. Joan-

M.

S. Maria

Memo-

N.

O.

S. Ray-

S.

V.

 Ute-





Errata Typi ſic corrige.

Pagina 3 verſu 35 Crucifionis lege: crucifixionis
Pag. 12 v. 20 linte aminum l. linteaminum
Pag. 13 v. 17 ſanus, & integer l. ſanum & integrum
Pag. 16 v. 13 induſorum, l. incluſorum
Pag. 17 v. 16 ſi l. ſic
- - v. 27 Ageli l. Angeli
- - v. 31 introndo l. intranda
Pag. 21 v. 1 tuo l. tua
- - v. 14 habeat, l. habebat
Pag. 22 v. 16 perſpectiſſima l. perfectiſſima
Pag. 25 v. ultimo eventuo l. eventus
Pag. 32 v. 30 Rhediorum l. Rhodiorum
Pag. 33 v. 27 ab l. ad
Pag. 36. v. 2 vitolosque l. vitulosque
Pag. 38 v. 6 Lyraranus l Lyranus
- - v. 18 cahedra l. Cathedra
Pag. 39 v. 11 Divina l. Divini
Pag. 40. v. ultimo: itinere l. itineri
Pag. 42 v. ultimo: Cherasmini l. Chorasmini
Pag. 45 v. 31 turbique l. turpique
Pag. 46 v. 19 altarea l. altaria
Pag. 49 v. 30 mactabentur l. mactabantur
Pag. 50. v. 36 ipſe Deus l. ipſe ſit Deus
Pag. 54 v. 1 tuas l. duas
- - v. 36 labium l. labrum
Pag 56 v. 11 apertes l. apertos
Pag. 58 v. 10 Sepultura l. Sepulturæ
- - v. 20 coctaneum l. coætaneum
Pag. 59 v. 14 demonſtrant l. demonſtrat
- - v. 21 experrefactionem l. expergefactionem
Pag. 60 v. 14 inſignata l. inſignita
- - v. 18 qua l. quæ
Pag. 61 v. 19 adverſus eſt l. adverſus eos
Pag. 62 v. 5 Talam l. Talem
- - v. 10 Theorici l. Theoretici
Pag. 64 v. 15 Saluti l. ſoluti
Pag. 65 v. 2 quia l. qui
- - v. 14 viſionis l. viſiones
- - v. 34 præcene l. præcone
Pag. 66 v. 1 curro l. curru
- - v. 7 præconitatio l. præconizatio
Pag. 69 v. 30 deriô l. deſideriô
Pag. 70 v. 9 exatiare l. exſatiare
- - v. 30 ſuſtinuiſſet l. ſuſtinuiſſent
Pag. 71 v. 24 librum l. liberum
Pag. 72 v. 10 anima l. animam

Pag. 73

Pag. 73 v. 21 amatione l. de amotione
- - v. 24 quam de guſtare l. quàm te guſtare
Pag. 74 v. 24 inſcenſum l. incenſum
Pag. 75 v. 13 Condacis l. Candacis
Pag. 76 v. 25 & 31 fulneratus l. vulneratus
Pag. 79 v. 1 hoſpitium l. hoſpitum
Pag. 80 v. 1 poteſt l. poſtes
Pag. 84 v. 4 ſubditus l. ſubditur
Pag. 86 v. 10 titulum l. tituli
Pag. 88 v. 35 Brendeybach l. Breyndebach
Pag. 90 v. 4 depellavit l. debellavit
Pag. 91 v. 22 ad unguentum l. ad ungendum
Pag. 93 v. 28 linta l. linita
Pag. 94 v. 5 hac l. hæc
Pag. 95 v. 5. multò præſentius l. multò præſtantius
- - v. 13 de ſalio l. de ſolio
Pag. 96 v. 4 ille l. illa
- - v. 19 in ampliſſimos l. in ampliſſimas
Pag. 103 v. 9. Sepulchri Chriſti l. Sepulti Chriſti
Pag. 104 v. 1 adoramenta l. odoramenta
- - v. 9 unguendum l. ungendum
Pag. 107 v. 13 poſtes l. poſces
Pag. 109 v. 2 conſortatio l. confortatio
Pag. 112 v. 27 ſpuriſſimorum l. ſpurciſſimorum
- - v. 34 aoncluſum l. concluſum
Pag. 113 v. 10 ad l. ac
Pag. 114 v. 12 poſſeſſivè l. poſſeſſivo
Pag. 116 v. 14 deſignantur l. deſignatur
- - v. 23 optandis l. optantis
Pag. 118 v. 18 per corporem l. per torporem
Pag. 120 v. 5 impedum l. impetum
Pag. 121 v. 3 jactutus l. jactatus
Pag. 124 v. 9 redeundes l. redeuntes
Pag. 128 v. 4 binominis l. vi nominis
Pag. 129 v. 35 conculantes l. conculcantes
Pag. 130 v. 11 tendatus l. tentatus
Pag. 131 v. 10 pugnantus l. pugnantes
Pag. 133 v. 28 viſutantes l. viſitantes
Pag. 136 v. 20 variegata l. varietata
Pag. 137 v. 9 figilat l. vigilat
Pag. 138 v. 11 iſt l. id
- - v. 14 noctom l. noctem
Pag. 140 v. 11 ut ea Perſona l. ut ex Perſona
- - v. ultimo ampientibus l. ambigentibus

Pag. 145 v. 25 ædorationem l. adorationem
- - v. 32 virga l. virgæ
Pag. 146 v. 14 In quando l. In quanto
- - v. 21 Surrecturæ l. Surrectura
Pag. 147 v. 20 suscebit l. suscepit
Pag. 162 v. 2 reticturo l. relicturo
- - v. 10 in tecte l. in tecto
Pag. 167 v. 36 emorsit l. emersit
Pag. 171 v. 7. fortalitum l. fortalitium
Pag. 174 v. 34 necssariis l. necessariis
Pag. 178 v. 12 accipi tribus l. accipitribus
Pag. 180 v. 23 a Domina l. a Domino
Pag. 182 v. 7 dicepant l. dicebant
- - v. 9 Ordinis l. Ordines
Pag. 184 v. 3 jurate l. juratæ
Pag. 185 v. 7 animo sitas l. animositas
Pag. 186 v. 28 succedu l. succedit
Pag. 187 v. 16 illie l. illic
Pag. 188 v. 12 latria l. latriæ
- - v. 36 eum l. cum
Pag. 190 v. 10 excitaro l. excitare
- - v. 13 & Tumulo l. e Tumulo
Pag. 191 v. 3 genitribus l. gemitibus
- - v. 26 tum l. tunc

Pag. 195 v. 3 consepula l. consepulta
Pag. 196 v. 11 repositorium vita l. repositorium vitæ
Pag. 205 v. 25 ipse l. ipsa
Pag. 206 v. 25 quo l. quod
Pag. 211 v. 20 suscitari l. suscitati
Pag. 212 v. 5 Hac l. Hæc
Pag. 213 v. 35 occupuerant l. occubuerant
Pag. 216 v. 6 Da e l. Date
Pag. 220 v. 16 roporati l. roborati
Pag. 222 v. 25 Mesert l. Mesret
Pag. 223 v. 18 inclausa l. reclusa
- - v. 23 de Christus Sepulchro l. Christus de Sepulchro
Pag. 225 v. 7 locia & Sepultura l. loca Crucis & Sepulturæ
- - v. 19 aliquatisper l. aliquantisper
Pag. 229 v. 20 imputa l. imbuta
- - v. 23 alterior l. alterum
Pag. 237 v. 13 supsistit l. subsistit
Pag. 239 v. 1 efferent l. offerent
Pag. 241 v. 25 magnificium l. magnificum
- - v. 27 Provincus l. Provinciis
Pag. 243 v. 23 Thomæ l. Thoma
Pag. 245 v. 20 lolo l. loco
Pag. 246 v. 4 peragenta l. peragenda
- - v. 14 honores l. honore
Pag. 248 v. 4 irrigano l. irrigans
- - v. 5 largistus l. largifluus
Pag. 252 v. 35 factu l. facta
Pag. 258 v. 20 custodium l. custoditum
Pag. 261 v. 14 indica l. indicia
Pag. 267 v. 2 deferendes l. deferentes
Pag. 268 v. 15 olet l. olei
Pag. 270 v. 24 factus l. fastus
Pag. 276 v. 4 Aquilones l. Aquilonis
- - v. 8 retractione l. retractatione
- - v. 19 volabatur l. vocabatur
- - v. 35 habens l. habes
Pag. 278 v. 10 recolendes l. recolentes
- - v. 24 tibi l. tabi
- - v. 32 fructicem l. fruticem
Pag. 281 v. 18 vita l. vitæ
- - v. 32 fideles exierunt l. fideles, qui exierunt

Pag. 282

Pag. 282 v. 12 ist l. id
Pag. 283 v. 23 redemtio l. redemptio
Pag. 290 v. 11 sublimatibus l. Sublimitatibus
- - v. 14 exosculabunt l. exosculabuntur
Pag. 293 v. 20. meo l. in eo
Pag. 294 v. 7 civinas l. Divinas
- - v. 17 qua l. quæ
- - v. 22 famula tui l. famulatui
Pag. 296 v. 20 sua l. sita
- - v. 34 occubantur l. occupantur
Pag. 298 v. 11 quid si l. quid sit
Pag. 308 v. 4 Festis l. Festi
Pag. 309 v. 1 Solidarius l. Solitarius
Pag. 312 v. 5 perditione l. a perditione
- - v. ultimo; asforvatus l. asservatus
Pag. 319 v. 16 illo l. illa
Pag. 327 v. 10 ab Isaia l. ab Osea
- - v. 22 vaboravi l. vaporavi
Pag. 329 v. 11 Cælum l. cætum
Pag. 330 v. ultimo faciæ l. fasciæ
Pag. 332 v. 14 mittitur l. mittetur
- - v. ultimo: demorsit l. demersit
Pag. 333 v. 3 liberaci l. liberari
Pag. 334 v. 36 corretiam l. cor etiam
- - v. ultimo: Abbarem l. Abbatem
Pag. 335 v. 12. Sapientissimus l. Sapientissimis
- - v. 18 Psalmista l. Psalmistæ
Pag. 337 v. 24 utrusque l. utrisque
- - v. 36 cum l. eum
Pag. 338 v. 31 rostrum evaserit l. rostrum doctrinæ evaserit
Pag. 342 v. 19 tament l. tamen
Pag. 345 v. 26 quod l. quot
Pag. 346 v. 14 Splender l. Splendor
Pag. 358 v. 24 concissa l. conscissa
Pag. 361. v. 21 compurendo l. comburenda
pag. 366 v. 17 protiunculis l. portiunculis
pag. 367 v. 18 concendat l. conscendat

Pag. 372 v. 5 reposiit l. reposuit
Pag. 373 v. 34 rectorum l. tectorum
Pag. 376 v. 23 esti l. & si
- - v. 27 in hodier numusque l. in hodiernum usque
Pag. 383 v. 4 referende l. referente
Pag. 384 v. 16 commercirum l. commercium
Pag. 386 v. 32 nostra l. nostræ
Pag. 395 v. 35 fæminæ l. fæmineæ
Pag. 405 v. 4 prima l. primæ
Pag. 417 v. 20 divdiunt l. dividunt
pag. 424. v. 33 effectu l. affectu
pag. 433 v. 32 ambonemque l. ambonamque
pag. 435 v. 36 ingenti l. ingenii
pag. 439 v. 13 immerito l. immersio
pag. 443 v. 28 Ecclesia l. Ecclesiæ
pag. 447 v. 32 Sudario l. Sudaria
pag. 448 v. 2 illusque l. illiusque
pag. 449 v. 25 Missa l. Missæ
pag. 468 v. 24 sic & Sepulchrum l. sic & qui Sepulchrum
pag. 470 v. 10 piscanam l. piscinam
pag. 476 v. 5 Abyssati l. Abyssasi
pag. 483 v. 14 tumbamque l. tubamque
pag. 484 v. 17 intro l. antro
pag. 491 v. 35 Sanctuana l. Sanctuaria
pag. 497 v. 14 plenaria concessa l. plenariæ Concessæ
pag. 510 v. 7 ex l. &
pag. 515 v. 20 Zamovecensis l. Zarnovecensis
pag. 523 v. 17 a ore l. amore
pag. 529 v. 21 pascos l. passos
pag. 532 v. 15 Pietavorum l. Pictavorum
pag. 535 v. 20 Misericordia l. Misericordiæ
- - v. 25 tetæ l. tædæ
pag. 558 v. 9 gratia dono l. gratiæ dono
pag. 560 v. 18 approbrii l. opprobrii
pag. 562 v. 16 Columbo l. Columba
pag. 564 v. 14 Sancta l. Sanctæ
pag. 589 v. 20 pro redeunto l. pro redeundo

pag. 599 v. 23 pataret l. pararet
pag. 621 v. 9 Sponsa l. Sponso
pag. 629 v. 12 Ecæquam l. Eccequàm
pag. 646 v. 9 lococorum l. locorum
pag. 664 v. 10 dua l. duo
pag. 679 v. 25 sumptis reliquus l. sumptis reliquiis
pag. 686 v. 12 a vitus l. a vitiis
pag. 606 v. ultimo. Monarchi l. Monachi
pag. 715 v. 1. titulus l. titulis
pag. 718 v. 27 columba l. columbæ
pag. 720 v. 7 de l. te
pag. 725 v. 3 Custodia l. Custodiæ
pag. 728 v. 27 universa l. universæ
pag. 733 v. 29 dispertam l. disperdam
pag. 735 v. 26 reliquam l. reliquiam
pag. 760 v. 11 labanti l. labenti
pag. 763 v. 7 approbriis l. opprobriis
pag. 765 v. 25 his herbis l. his verbis
pag. 768 v. 27 volun l. volunt
pag. 794 v. 25 & hunc l. & nunc
pag. 798 v. 12 invitantus l. invitantes

